Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
H
6
NAPOLI

1144
H
c.

Digitized by Google

Digitized by Google

MORALIS
SEV
POLITICAE LOGICAE
LIBER SECVNDVS.
Qui præcipuè
DIALECTICVS
Vocari debet,

Quoniam in omni Privata & Publica Diſputatione, eorum, qui moderantur Rempublicam, & ex Officio Sententias Interloquutorias & Definitivas proferunt, in apprehendendo, judicando, & diſcurrendo Mentes ſecuriſſimè diriget.

REVERENDISSIMO ET EXIMIO D.

P. RAYMVNDO CAPISVCCO

Apoſtolici Palatii Magiſtro. &c. Doctiſſimo Viro Dicatus.

Ariſtoteles libr. 1. Topic. cap. 1. *Cùm Ratio Dialectica, quædam ſit Facultas indagatrix, ad omnia omnium rerum, quæ ſpeculatione progrediuntur, Principia, viam aperit.* Sed cur? *Quia Dialectica eſt Ars ſeu Ratio, quâ de omni Quæſtione propoſitâ probabili poſſumus argumentatione diſſerere; ita ut nihil repugnans, quidquid in Diſputatione tueri velimus, afferamus.*

AVTORE (AVT ETIAM INVENTORE, SI VELIS)

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D.

D. IOANNE CARAMVEL

Lovanienſi Sacræ Theologiæ Lectore & Profeſſore, Epiſcopo Viglevanenſi, ex Ciſtercienſi Ordine adſumpto.

VIGLEVANI.

Typis Epiſcopalibus apud Camillum Conradam Anno M. DC. LXXX.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

DOCTO ET INGENIOSO
LECTORI.

PRocelloſo ſe committit Oceano, qui Suas Meditationes mandat literis, & in lucem emittit. At diversâ Fortunâ. Alii enim Vulgo imperito ſcribunt; alii Viris doctis rantummodò, & à Plebis oculis ſtudioſè ſeſubtrahunt.

PRIORIS GENERIS ſunt, quibus ſtrepitus popularis adridet, ex horum videntur eſſe numero plerique omnes, qui hoc ævo Colloquia, & Comœdias ſcribunt; uti enim debent phraſibus & ſtylo Vulgari, ut à Vulgo, cui præcipuè adlaborant, poſſint percalleri & intelligi. Eſt autem ſtylus, quem appello *Vulgarem*, Dialectus quædam à Materna diſtincta, quam *Neſciam* Lupus de Vega nominat: cujus

—— *Numeros memini, ſi verba tenerem.*

Quam ob rem ille meis expreſſis verbis, ſic inſit.

Señores: la Raçon (que ſiempre es juſta,
Y a los Oyentes el Lenguaje ajuſta)
Manda con Providencia,
Que en proporcion ſe funde la Eloquencia.
Hablandole a cada uno [a]
En la Lengua, que uſó Lucina-Juno. [b]
Que es decir, que al que nació en España,
No ſe ha de hablar en Lengua de Alemaña:
Sino en Frances al que ha nacido en Galia,
Y en Toſcano al que nació en Italia,
Y como el Vulgo (que deſaccredita
Los [c] *Palacios, que habita)*
Es ſiempre necio, por aqueſſo es juſto
Hablarle en Necio [d] *para darle guſto.*

Ambitioſis hominibus, qui aurem & auram Neſcii Vulgi ſectantur, Dn. Ludovicus de Gongora, qui aliàs cùm Perſio pollet de ſubtilirare contendere, voluit (& neſcio, cur?) aliquando accenſeri: nam *in ſtroph.4.* ſuos curioſè elaboratos numeros Plebi imperitæ conſecrat, & ſic inquit.

Digno ſageto ſerá
De las orejas del Vulgo.
Popular applauſo quiero.
Perdonenme los Tribunos.

Et quid inde Tuus Ludovice obtinebit Phaſelus expoſitis undarum tempeſtuoſis vorticibus? An illum tuentur Dii, quorum fuit ab initio conſecratus tutelæ. Negat id Ovidius univerſim loquendo; quoniam *in Triſtium primo*

Mente nec inferior prora, puppique recurva
Inſilit: & pictos verberat unda Deos.

Et in ſpecie probat Dn. Garcias Salcedus Coronel, qui Commentatoris jure Gongoram propugnare [e] debebat, illum, etiam ubi bene opinatur, carpit, lacerat, reprobat. Unde, ſi *Deorum* nomine Ovidius Mœcenates quibus ſacrantur Libri, & *Unda* Invidiæ audaciam temerariam ſignificet, in Commentariis, quibus præpeditur aut expeditur Gongora,

—— *Pictos verberat Unda Deos.*

Quæ omnia nuper conſiderans, plurium annorum experientiâ conſultâ, Dn. Franciſcus de Borja, Princeps de Eſquilache, Politicam hanc (eamque frequentiſſimam) Concluſionem deduxit.

Un necio Commentador,
El mas preſumido digo,
Es el mayor enemigo,
Que tener puede un Autor.
Es de ſu ingenio el primor,
Vender lo que dice, caro:
Encarecer ſu reparo,
Oſtentar gran variedad,
Huir la Difficultad,
Y hazer eſcuro lo claro:

Et

Quàm periculoſum ſit Libros in lucem mittere?

Aliqui vulgo imperito ſcribunt.

a] Debent verba Auditorum ingenio & capacitati attemperari: Nec enim Ruſticis prælegendus eſt Perſius, nec Rhetoricæ Profeſſoribus Marſus.

Hanc legem obſervavit Cicero, quia Trebatio Amico ſuo, qui erat Iuriſconſultus, Libellum Topicorum dedicat, & Epiſtolas nonnullas ſcribit; & ut captui ejus calamum & ſtylum attemperet, exempla, quibus utitur, à Iuris prudentia deſumit.

Et hâc ob rē Palladius *libr. 1. tit. 1.* hanc Regulam generalem præſcribit, *Prima pars Prudentiæ eſt*, inquit, *ipſam, cui præcepturus es, æſtimare Perſonam: neque enim formaturus Agricolam, debet artibus & eloquentia Rhetores æmulari; quod à pleriſque factum: qui dum diſertè loquuntur Ruſticis, id conſequuti ſūt, ut intelligi doctrina eorum nullo modo poſſit.*

b] Terentius in Andr. *Iuno Lucina fer opē.* Dicitur autem *à lucēdo*, quod partum ferat in lucem. Unde hodie in Hiſpania, nam Chriſtiani & Catholici ſumus, non Iunonē ſed Deū invocamus, cū de Gravida loquenses, dicimus, *Dios la alumbre con bien*; ad literā. *Deus feliciter illam illuminet*: ad ſenſū, *Ejus Deus partum feliciter in lucem emittat.*

Hinc Lingua, qua utebatur Lucina, quæ adſtitit meo Parenti, cùm peperit, eſt illa, quæ *Materna* vocatur.

d] Sicut *hablar en Eſpañol* eſt loqui in idiomate, quo Hiſpani utuntur, ſic *hablar en necio*, eſt loqui in illo, quo utitur Vulgus, quod ſemper eſt imperitum & neſcium.

c] Hodie, quod cum dolore dixerim Vulgus plurimum non ſolum in Principum Aulas, ſed in ipſaſmet Academias & Univerſitates irrepſit.

e] Solem habere Epicyclū innuit Gongora, & reprehēditur à Coronelo, ac ſi Aſtronomicam hæreſim commiſiſſet. Defenditur à nobis; quoniam Longomontanus, Argolus, & alii Soli Epicyclum accēſent: & re bene perpenſa, perinde eſt illi concedere, aut negare Epicyclum.

Nec Auguſtino & Priſcis Patribus, nec Angelico Doctori parcunt.

Et infortunium, quod Poetæ Gongoræ accidit, etiam tetigit, aut etiam tangit, Theologos Eminentes. Nam Sanctum Auguſtinum, ut cæteros Patres prætercam, noſtri ſæculi Hæretici, vel obtorto collo in Opinationes rationi diſſentaneas propellunt. Divumque Thomam nonnulli Recentiores Interpretes ita intelligunt, ac ſi *Noctis* nomine diem, & *Dies* debuerit nomine noctem ſignificare.

f] Hi Numeri menſuram ſumunt à Rhythmo Hendecaſyllabo, quem verſum *de Soneto* appellamus.

Generis posterioris ſunt alii; qui, ſive linguam, ſive calamum moveant, exclamant.

Hæc, quæ ſcribuntur, ſunto Doctis ſcripta [f]
Hæc, quæ dicuntur, ſunto Doctis dicta.
At imperitis omnia ſunto indicta,
Et iiſdem ſemper omnia ſunto inſcripta. [g]

g] Particula *in* eſt negativa; unde *indictum*, & *inſcriptum* eſt *non dictum*, *non ſcriptum*.

Et huc pertinent illi, qui non Junoni, ditiſſimæ ſtaviſſarum, & theſaurorum Deæ, ſed Minervæ, Artium Scientiarumque Numini potentiſſimo, ſuos Libros nuncupant (quando, velut phaſelos, illos) ad Promontorium Tormentarium propellunt. Ventis hi carbaſa quieti & ſecuri expandunt; ubi enim Ventiâ Virorum Doctorum promoventur ſpiritu,

Nulla triumphales verberat unda Deos.

Et ſub tali tutelâ videtur ille fuiſſe, qui dixit.

Ovidius lib. 1. Triſt. Eleg. 9.

Eſt mihi, ſitque precor flavæ tutela Minervæ
Navis & à pictâ Caſſide nomen habet.

Sanè *Caſſis* (aut, ſi cum Virgilio & Propertio loqui placeat, *Caſſida*) eſt iſte Liber, & dicatus Minervæ.

Caſſis, quid ſit? *Eſt duplex. Et in utraque acceptione eſt imago Logicæ. Logica in Veram & Fallacem dividitur. Quid alterutra præſtet?*

Eſt autem *Caſſis* propter duplicem declinationem duplex nomen: nam *Caſſis*, *Caſſidis*, Galeam, quâ Caput ornatur & armatur, ſignificat. Et *Caſſis*, *caſſis*, eſt genus retis, quo in undis piſces, & aves in aëre intercipiunt Piſcatores & Aucupes. Caſſis igitur Logicam repræſentabit: Scientiam nimirùm duplicem: quæ quâ ſincera & verax, Mentem (hæc in capite reſidet) exornat armatque, ut privatim in Scholâ; aut publicè in omni Tribunali Criminali aut Politico, ſecurè Judicem ad Veritatis cognitionem promoveat: & quâ fallax ſuos Diſcipulos inſtruat; non, ut aliquos fallant (id enim ad abuſum, & non ad uſum Facultatis ſpectat) ſed, ut cautè procedant, quin à cavillis & æquivocationibus, eorum, qui Juſtitiæ inſidiantur, in adlucinationes aut errores pellantur.

Qualis, & quantus in Literario Orbe ſit P. Raymundus Capiſuccus?

Et eſt felici auſpicio hic Liber conſecratus Minervæ, quia Reverendiſſimi P. Raymundi Capisucci, Apoſtolici Palatii Magiſtri, &c. eſt tutelæ commiſſus. Quoniam hic hodie Summus Doctor, in Orbe Literario eſt Minerva altera: nam ſicut in Minervæ capite omnes Ἀθηνᾶ (*omnes Scientiæ*) reſidere dicuntur; ſic in hoc Eximio & Præclaro Doctore; Mæcenate hujus Libri; Philoſophicæ, & Theologicæ tam Reales, quàm Morales eminent Facultates. Et quia ab Scholæ Sole (videlicet, à D. Thoma) ſplendores copioſiſſimè recipit, & dignatione liberali profûdit: habebunt iſta Folia Lucem, quæ, ſi ſine invidiâ legantur, (Hiſp. *alumbre*) intellectum illuminet: quæ autem, ſi viperino mordeantur aut maculentur dente (Hiſp. *deslumbre*) obnubilet: innocentiſſimus enim Solis ſplendor ſine ullâ culpâ propriâ, Noctuas temerè audeſcentes excæcat.

D. Thomas Schola Theologica eſt Sol.

Digitized by Google

Index Articulorum & Sectionum. Omnes Numeri ſunt Paginarum.

CAPUT I.

DE *Logicâ Apprehenſivâ. Quæ Primam Mentis dirigit Operationem.* pagina 1.
ARTICULUS I. De Terminis, *ibid.*
SECTIO I. *De Sibilis. An ſint in mundo homines, qui verba non proferant, ſed ſibilando loquantur? Quo illis modo Orthographia, Grammatica, Logica, Rhetorica, & Theologia ſervire poſſent?* 3.b
SECTIO II. *De Terminis Vocalibus, & variâ illorum diviſione.* 5.b
ARTICULUS II. De Tranſcendentibus. Quid, & qui ſint Termini Tranſcendentales? In Reales & Morales dividuntur. An aliquibus opponi poſſint? 13.
SECTIO I. *De Tranſcendentiâ Terminorum Moralium.* 14.b
SECTIO II. *An aliquibus Terminis Tranſcendentales opponantur? & quinam illi ſint?* 18.b
ARTICULUS III. De Univocis, Æquivocis, & Analogis. Quid ſit Abſtractio? An fiat per intellectum? An dentur res abſtractæ realiter? An in Univocatione reperiatur Abſtractio? An, & quomodo Univocatio ab Æquivocatione, & Analogia diſtinguatur? Adduntur aliqua de Synonymis & Denominativis. 22.
SECTIO I. *De Præciſione ſeu Abſtractione objectivâ.* 23.a
SECTIO II. *An dentur Præciſiones reales? An Univerſalia ſint à parte res? An à rebus, quæ habent ordinem realem, hunc ipſum ordinem realiter auferre poſſimus?* ibid.b
SECTIO III. *De Vocum Interpretatione.* 26.a
SECTIO IV. *De Univocis, Æquivocis & Analogis: & hinc ſumptâ occaſione, de Synonymis, Heteronymis, & Denominativis.* 29.b
Nota. *De æquivocatione vocis* φθομά. *An Juſtinianus Aptardocitarum hæreſi fuerit infectus?* 31.a
ARTICULUS IV. De Univerſalibus & Prædicabilibus. Quot Univerſalium & Prædicabiliũ claſſes ſint? Quomodo Philoſophi, & quomodo Juriſconſulti illis utantur? 34.
SECTIO I. *De numero & eſſentiâ Univerſalium.* ibid.a
SECTIO II. *De Analogis Prædicabilibus.* 37.a
SECTIO III. *Quomodo Juriſconſulti hac doctrinâ utantur?* ib.
ARTICULUS V. De Terminorum Proprietatibus. Dilucidantur præcipuè Suppoſitio, Acceptio, Significatio, Ampliatio, Translatio, Reſtrictio, Diminutio, Appellatio. 39.
SECTIO I. *De Significatione, Suppoſitione, & Acceptione.* ib.
SECTIO II. *De Significationis Ampliatione.* 43.a
SECTIO III. *De Hyperbole.* 44.a
SECTIO IV. *De Metaphorâ, ſeu Tranſlatione.* ibid.b
SECTIO V. *De Reſtrictione & Diminutione.* 45.b

CAPUT II.

DE *Logicâ Judicativâ. Quæ ſecundam Mentis dirigit Operationem.* 47.
ARTICULUS I. De Propoſitionis eſſentiâ. An ad illam pertineant partes intrinſecæ, quibus ipſa componitur, quales ſunt Nomen & Verbum, necnon Subjectum & Prædicatum? An pertineant Copulæ, quarum altera affirmat, altera negat? & An pertineat Materia, quæ in ſignificatione conſiſtit? ibid.
SECTIO I. *De Enunciatione Mentali, Vocali, Scripta, & Tacitâ.* 48.b
SECTIO II. *De Expreſſa Enunciationis compoſitione.* 51.a
SECTIO III. *An vere dentur Nomina Propria?* ibid.b
SECTIO IV. *De Identicâ Propoſitione.* 59.b
SECTIO V. *De formali Propoſitionum eſſentiâ.* 60.a
SECTIO VI. *De Propoſitionum materiâ.* 61.a
SECTIO VII. *De Tempore Propoſitionum. An aliqua care-* Logica Moralis lib. II. *re poſſit? Quid Tempus ſit? An componatur ex indiviſibilibus, an verò ex partibus diviſibilibus in infinitum? Stetne, an fluat Præſens. De Anni revolutione. An mentiantur illi, qui hodie v. gr. paſſum fuiſſe martyrium talem Sanctum concinunt, cum tamen ille paſſus ſit ante mille, vel plures annos? Quid dicendum de feſtis tranſlatis?* 62.a
ARTICULUS II. De Propoſitionum Qualitate. Veritas & Falſitas ad Propoſitionum Qualitatem ſpectat. Propoſitio vera tranſire in falſam poteſt. An detur Propoſitio, quæ utrumque ſit? An etiam quæ neutrum ſit? De Subjecto non ſupponente. De Fictione & Mẽdacio. Quomodo inter ſe diſtinguantur? 64.
SECTIO I. *An una & eadem Propoſitio tranſire ex verâ in falſam poſſit? aut contra?* ibid.b
SECT. II. *An detur Propoſitio, quæ nec vera, nec falſa ſit?* 65.a
SECTIO III. *De Veracitate & Mendacio. Poteſt eadem Propoſitio eſſe verax & falſa, poteſt eſſe mẽdax & vera.* 67.b
SECTIO IV. *De Mendacio Jocoſo.* 69.a
SECTIO V. *De errore: qui eſt Falſitas ſine Mendacio. An duæ Contradictoriæ, dictæ ab eodem homine, poſſint eſſe Mẽdacia ſimul?* 71.a
SECTIO VI. *De Subjecto non ſupponente.* 72.a
SECTIO VII. *De Fictione Juris.* ibid.
ARTICULUS III. De Reali & Morali Propoſitionum Quantitate. [*Deſumptus eſt ex Epiſtola inſcriptâ Eximio & Reverendiſſimo Dom. Don Carolo de Thomaſiis ex Palmæ Duce Clerico Regulari, &c. Viro doctiſſimo, & Authori chariſſimo.*] 77.
SECTIO I. *De Quantitate ut ſic.* ibid.a
SECTIO II. *Syncategoremata, quæ ſint, & quo ſenſu accipiantur?* 78.a
SECTIO III. *Moralia Syncategoremata explicantur.* 79.a
Adverbia Univerſalia. 81.b
Orationis Angelicæ dilucidatio. 82.a
De Univerſali Copulativâ. 83.b
SECTIO IV. *An Adjectiva denominent totum Subjectũ?* 90.b
SECTIO V. *An Syncategorema* Omnes, *aliquando ſit idem* ac Plures? 91.b
SECTIO VI. *An ſciri poſſit, cui exceptioni ſubjaceat Propoſitio moraliter Univerſalis?* 93.a
Nota I. 96.b
Nota II. ibid.
SECTIO VII. *An hæc Syncategoremata habeant locum, ubi tantum ſint duo?* 108.a
SECTIO VIII. *De Propoſitione Indefinitâ. An habeat Logicam Quantitatem?* ibid.b
SECTIO IX. *Quæ, & quomodo alia ſyncategorematica Propoſitiones inferantur ex aliis?* ibid.
ARTICULUS IV. De variis ſpeciebus Propoſitionum. Sunt multæ; ſed cognoſci debent Specificativa, Excluſiva, Exceptiva, Reduplicativa: Categorica etiam & Hypothetica, quæ in Copulativam, Disjunctivam, Cõditionalem, & Rationalem ſubdividitur. 109.
SECTIO I. *De Propoſitione Specificativâ, Excluſivâ, Exceptivâ, & Reduplicativâ.* ibid.a
SECTIO II. *De Categoricis & Hypotheticis.* 112.a
ARTICULUS V. De Propoſitionum Converſione. Quid ſit Converſio, exponitur. Quot Propoſitiones Modis convertantur? Non ſemper eſſe ſubjectum, quod primo loco ponitur, nec prædicatum, quod ſecundo. Non omnem poſſe Aſſertionem converti. 120.
SECTIO I. *An ſemper ſubjectum in primo loco ponatur?* ibid.a
SECTIO II. *An omnis Propoſitio convertibilis ſit?* 122.a
SECTIO III. *Traduntur Converſionis Regulæ.* ibid.b
SECTIO IV. *De Syllogiſmo Baralipton. An Particularis affirmativa in Univerſalem verti poſſit?* 124.a
SECTIO V. *Iterum de Contrapoſitionis Converſione. An ſit Logicis aut Philoſophis utilis? & quomodo, & in quo à ſim-*

plici Converſione diſtinguatur? 125.a
Sectio VI. *An duæ illæ Contrapoſitionis differentiæ, quæ Sectione præcedenti ponuntur, & diſcernuntur, re bene perſpectâ coincidant?* 127.a
Sectio VII. *An hæc Propoſitio*, Omnis Res eſt Ens, *& aliæ ſimiles, poſſint per Contrapoſitionem converti?* ibid.
Sectio VIII. *De Moralium Propoſitionum Converſione*, 128.a
Regula Prima. ibid.b
Secunda. 129,b
Tertia. 130.b
Quarta. ibid.
Quinta, ibid.
Sexta, 131.a
ARTICULUS VI. De Propoſitionum Oppoſitione, ibid.
Sectio I. *De Simplicium Enunciationum Oppoſitione*. 132.a
Sectio II. *De oppoſitarum Enunciationum Æquipollentiâ*. 136.a
Sectio III. *De Oppoſitione Probabilium*, 138.a
Sectio IV. *De Adverbiorum oppoſitorum æquipollentiâ*. ib.
Sectio V. *De Modalium Realium Oppoſitione*. 140.b
Sectio VI. *Modi ſinguli explicantur & dilucidantur*. 142.a
Sectio VII. *De Propoſitionum Modis intellectualibus*. 146,b
Sectio VIII. *De Propoſitionum Modis, qui ex humanâ libertate ſumuntur*. 149.a
Sectio IX. *De Modalium Intellectualium Propoſitionum Oppoſitione*, ibid.b
De Conſequentiis Modalibus, 158.a
Sectio X. *De Oppoſitione Modalium Virtualium*. ibid.b
Sectio XI. *De Oppoſitione Modalium Moralium*. 159.b
Sectio XII. *An duæ contradictoria in Moralibus ſint ſimul vera?* 161.a
Sectio XIII. *Iterum de Contradictoriis. Utrùm ſit infelicitas felix poſſibilis?* 163.b
Sectio XIV. *De Humanorum actuum Oppoſitione*, 164.b

CAPUT III.

De Modo Sciendi Morali. Quid, quotuplex, & quo ordine tradendus ſit? 170.b
QUÆSTIO INCIDENS. Ad quam Mentis Operationem Modus ſciendi pertineat? 172,b
ARTICULUS I. De Definitione. Quid, & quotuplex ſit? *Quomodo Res non ſolum per Rationes & Formalitates eſſentiales, ſed & per Accidentales, immò etiam per Nomina definiantur. Præſcribuntur Definitionum leges, & inquiritur, An illas Doctores obſervent? Et quia nomina interdum unico charactere exprimuntur, quæritur, quid L, C. D. π̃, ff. §. & alia ſimiles Notæ ſignificent?* 174.
Sectio I. *De Etymologiâ, ſeu Nominum Definitione*. ibid.
Sectio II. *Nomen Rei aut Perſonæ per Figuras Literarum exponitur*. ibid.b
Sectio III. *Exponitur Rei aut Perſonæ nomen per pronunciationem Literarum*. 176.a
Sectio IV. *De Characteris à Simonide inventi Myſticâ ſignificatione*. 178.b
Sectio V, *Quo modo verſus, qui ſectione præcedenti ſunt poſiti, ingenioſis & ſecretis poſſint Steganographiæ Operationibus inſervire?* 180.a
Sectio VI. *Exponitur Rei aut Perſonæ vocabulum*. 181.a
Sectio VII. *Rei aut Perſonæ attributa & qualitates exponuntur ex Nominis ſignificatione*. 182.a
Sectio VIII. *De falſis Vocum Etymologiis. An aliquando præferenda ſint veris?* ibid.b
Sectio IX. *De falſis & illegitimis Etymologiis, An aliquando ſint aptiores, quàm veræ?* 186.b
Sectio X. *De Characterum Definitione*. 187.b
Sectio XI. *De origine & derivatione literarum. Exponuntur illæ, quibus utuntur in notis ſuis* Juriſperiti. 188.a
Sectio XII. *De Characterum ratione*. 192.b
Sectio XIII. *De Characterum inverſione*. ibid.
Sectio XIV. *De rei Definitione eſſentiali*. 193.a
Sectio XV. *An Definitio Eſſentialis debeat per omnia quinque genera Cauſarum concinnari?* 195.a
Sectio XVI. *De Rei Definitione Accidentali*, 198.b
Sectio XVII. *De Definitione Singularium*. 199.a
Sectio XVIII. *Definitionum Leges*, ibid.
Sectio XIX. *De Definitionibus & Deſcriptionibus, quæ in* Jure *Cæſareo leguntur*. 200.a
ARTICULUS II. De Diviſione. Quid ſit? An, & quomodo à Definitione diſtinguatur? Quot illi ſint Species? Et qualem uſum apud Juriſperitos habeat? 206.
Sectio I. *De Diviſione Logicâ, Quid & quotuplex ſit?* 207.a
Sectio II. *Diviſionis Leges proponuntur & dilucidantur*. 210.a
Sectio III. *De Diviſionibus, quæ in* Jure *inveniuntur*. ibid.
Sectio IV, *De rei in Univerſalem & Particularem Diviſione*. 213.a
Sectio V. *Juſtitiæ Diviſio tradita & explicata*, 214.a
ARTICULUS III. De Argumentatione ſeu Diſcurſu. De Primis Principiis. De Inductione. An illa Inductione adquirantur? De Congruentiâ, Enthymemate, & Polylemmate. De Syllogiſmo Formali, Figurali, Univerſali, Indefinito, Expoſitorio, Probabili, Demonſtrativo, Soritico, Obliquo, Identico. De Monſtro Dialectico, & Elencho, De exorbitante Conſequentiâ. &c. 215.
Sectio I, *De ipſomet Intellectu; ſeu Primorum Principiorũ habitu*. 216 a
Principium I. 217.b
Principium II, 218.b
Principium III, 219.b
Sectio II. *De Univerſali & Particulari*. 220.b
Sectio III. *Quomodo Univerſales Propoſitiones adquirantur? nimirùm, De Inductione aut Adſcenſu, ac propterea etiam de Deſcenſu*. 221.b
Sectio IV. *De Conſequentiis à Congruentiâ deductis*. 223.a
Sectio V. *De Polylemmate*. 224.a
Sectio VI. *De Syllogiſmo formali, prout Ethicæ ſervire poteſt*. ibid.b
De Syllogiſmo Indefinito. 226.b
Sectio VII. *De Syllogiſmo Univerſali, Particulari, & Mixto*, 227.b
Sectio VII. *De Syllogiſmorum Reductione, quæ* Oſtenſiva *vocatur*. 229.a
Sectio VIII, *De Reductione, quâ propellitur ad Impoſſibile*. ibid.b
Sectio IX. *De Syllogiſmorum efficaciâ*. 230.a
Sectio X. *De Enthymemate*. 231.a
Sectio XI. *Enthymema à Florentino poſitum examinatur*. ibid.b
Sectio XII. *De Syllogiſmo Expoſitorio*. 232.a
Sectio XIII. *De Syllogiſmo Probabili*. 233.b
Sectio XIV. *De Syllogiſmo Demonſtrativo*. 234.b
Sectio XV. *De Sorite*, 235.a
Sectio XVI. *De Syllogiſmo Obliquo*. 237.a
Sectio XVII. *De Syllogiſmo Identico*, ibid.b
Sectio XVIII. *De Argumentationum fundamento. An, qui duas contradictorias admiſeris, cogi poſſis, ut quidquid tu volueris, concedas?* 238.a
Sectio XIX. *Nonnullæ Conſequentiæ in Theologiâ Fundamentali examinatæ proponuntur*. ibid.b
Sectio XX. *De Monſtro Dialectico*, 242.b

CAPUT IV.

De Logicâ Diſcurſivâ. De Mentis Operationibus, prout Dialecticæ ſerviunt. De Aſcenſu & Deſcenſu Morali. An ab uno ad plura securè fluat Argumentatio? 245.a
Sectio I. *De Primâ Mentis Operatione, quatenus ancillatur Dialecticæ*. ibid.b
Sectio II. *De Secundâ Mentis Operatione, quatenus ancil-*

Digitized by Google

cillatur Dialectica? 246.b
Sectio III. *De Tertiâ Mentis Operatione.* 247.b.
ARTICULUS I. De Adſcenſu & Deſcenſu Morali. 249
Aſcenſus ab uno ex privilegio, 253.a
An ab opinione Magiſtri ad totam Scholam & omnes Diſcipulos valeat Adſcenſus? ibid.b
ARTICULUS II. De Diſcurſu Politico. De methodo argumentandi in Ethicâ, in Jure Pontificio, Regulari, Cæſareo. De Politicæ in Adæquatam & Inadæquatam diviſione, & quomodo ab Antipoliticâ diſtinguatur? 257.
Sectio I. *De Judiciis (ſeu etiam Præjudiciis) Moralibus hoc eſt, de Syllogiſmorum Præmiſſis.* ibid.a
Sectio II. *De modo argumentandi in Ethicâ.* 259.b
Sectio III, *De modo argumentandi in Jure Canonico.* 260.b
Sectio IV. *De modo argumentandi in Jure ſæculari.* 261.a
Sectio V. *De modo argumentandi in Jure Regulari.* 262.a
Sectio VI. *De Diſcurſu Morali.* 263.b
Sectio VII. *De Diſcurſu Politico.* 264.b
De Politicâ Imperfectâ & Inadæquatâ, 265.a
De Perfectâ & Adæquatâ Politicâ. ibid.b
Ratiocinium Avari, 266.a
Ratiocinium Laſcivi, ibid.b
Ratiocinium Politico-Chriſtiani, ibid.
De Antipoliticis. 267.b
ARTICULUS III. De Argumento, quod vocatur *ad Hominem,* ibid.
RTICULUS IV. De Syllogiſmo Juridico. Ediſſerit Formas, Figuras, Modos, & Nomina Syllogiſmorum moralium; Advocatos & Senatores inſtruit, ut in praxi ſciant legitimè patrocinari, & judicare. 271.
Sectio I. *Dialectica Syllogiſmorum Judiciorum nomina.* ibid.a
Univerſale horum Syllogiſmorum Paradigma. 277.
Quid ſit convincere? 278.a
Sectio II. *De Indiciis.* ibid.b
Indicium quotuplex. 280.b
Sectio III. *De Principum veracitate.* ibid.
Nota. *De libello, quem in Tribunali Advocatus producit: & de Sententiâ Definitivâ, qua Judex Libello reſpondet,* 281.b
Occaſio ſcribendi. 282.a
Sectio IV. *De praxi judicandi.* 283.a
Qui ſcire Judex poſſit, in quâ formâ Syllogiſmus formari debeat? 284.b
De formâ Capitis, *ſeu* Datii. 285.a
De purgatione Indiciorum. ibid.b
Sectio V. *De Moralium Syllogiſmorum aliis Formis Figuriſque.* 286.b
Nota. *Examinatur Diſcurſus ille Moralis,* Et decet, Et non repugnat, Ergo eſt. *Quo tametſi in quæſtione de Immaculatâ Virginis Matris Conceptione uti ſoleant Theologi, in aliis etiam materiis, in quibus pia affectio & urbanitas animum prædeterminet, locum habere poterit.* 290.b
ARTICULUS V. De Conſequentiis Moralibus. Sunt multæ, in quibus Viri etiam docti hærere ſolent. Et ideò hic proponuntur, perpenduntur, & dilucidantur. 292.
Sectio I, ibid.
Sectio II, 294.a
Sectio III, 295.a
Sectio IV. 296.a
Sectio V, ibid.b
De primâ Conſequentiâ. 297.b
De Secundâ Conſequentiâ. 298.b
Quæ & qualis ſit opinio, quæ dicitur probabiliſſima? 305.a
Sectio VI. *& alia ſequentes uſque ad XXIII. ſine titulis à pag. 306. ad 333.b*
ARTICULUS VI. Practicus. De Conſequentiis Judicialibus, hoc eſt, de Indiciis, Præſumptionibuſque. Exponitur, quid, & quotuplex Indicium ſit? Qui, & quot ſint loci juridici, unde Iudicia ſumuntur. Proponuntur & deciduntur multi in ſpecie caſus, ut per analogiam quicumque alii reſolvi poſſint? 335.
Loci Judiciales, ex quibus deſumuntur Indicia. 338.a
Sectio I. *& alia ſequentes ſine titulis uſque ad XXXI. à pag. 333. ad 364.*
ARTICULUS VII. De Probationibus, quæ fiunt per Teſtes. Quas Judices, & quas Teſtes Qualitates habere debeant, ut & illi dignè Juſtitiam adminiſtrent, & hi fide digni cenſeantur? Ut diſſolvantur argumenta, nonnullæ doctrinæ neceſſariæ & curioſæ adducuntur & dilucidantur. 365.
Sectio I. *Quænam Qualitates requirantur, ut legitimè Judex pronunciet?* ibid.b
Sectio II. *Quaſnam Qualitates habere debeat Teſtis ut fide dignus ſit, & in Tribunali admittatur?* 370.b
Subſectio I. *De ætate.* 371.b
Subſectio II. *De Conditione.* 372.a
Subſectio III. *De Sexu.* 374.a
Subſectio IV. *De Spe & Metu.* 375.b
Subſectio V. *De Famâ.* 376.a
Subſectio VI. *De Tribunali.* 377.a
Subſectio VII. *De Numero.* ibid.
Subſectio VIII. *De Fortunâ.* 378.a
Subſectio IX. *De Fide ſeu Veracitate.* 379.a
Subſectio X. *An ſervari fides infidelibus debeat?* 380.a
Subſectio XI. *De Juramento Teſtium.* 385.a
Subſectio XII. *Iterum de Juramento Teſtium. Cur debeant jurare per Deum,* 388.a
Subſectio XIII. *De Teſte voluntario & invito,* 395.b
Subſectio XIV. *De voluntate jurandi.* ibid.
Subſectio XV. *Adnotantur nonnulla.* 396.a
Subſectio XVI. *De criminibus atrocibus & probationis difficilis.* ibid.b
ARTICULUS VIII. An Fides publica, quæ in Tribunalibus (adeoque in Judice, Reo, Teſtibus & Actore) requiritur, ab aliqua purè Intellectuali Reſtrictione, aut Occultâ Compenſatione dependeat? 398.
Sectio I. *An uti contra hoſtes Mentali Reſtrictione poſſimus?* ibid.b
Sectio II. *An reus poſſit uti Reſtrictione Mentali?* 399.b
Sectio III. *An proſint teſtibus Reſtrictiones Mentales?* 400.b
Sectio IV. *Proponuntur duodecim caſus, in quibus eſſe licita Mentales Reſtrictiones dicuntur.* 401.a
Sectio V. *Quid Veteres Patres de Reſtrictionibus mentalibus ſenſerint?* 402.a
Sectio VI. *Vera doctrina ſtabilitur.* 403.b
Sectio VII. *Occurrit Hiſtoriis, quæ in Sect. I. narrabantur; & oſtenditur Fidem hoſtibus eſſe ſervandam.* 405.b
Sectio VIII. *Rationes Sectione II. poſitæ diluuntur., An Reus uti poſſit Reſtrictione Mentali?* 406.b
Sectio IX. *Expenduntur ea, quæ Sectione III. ponebantur.* 411.b
Sectio X. *Duodecim illi Caſus, qui Sectione IV. proponebantur, & ab Adverſariis decidebantur, recognoſcuntur.* 413.a
De Caſu Primo. 414.a
De Secundo, ibid.
De Tertio. ibid.b
De Quarto. 417.a
De Quinto. ibid.b
De Sexto. 418.a
De Septimo. 421.b
De Octavo. ibid.
De Nono. ibid.
De Decimo. 427.a
De Undecimo. ibid.b
De Duodecimo. 428.b

INDEX CRITICVS.

Omnes Numeri ſunt Paginarum.

A

DE *numero Accentuum apud Sinenſes. An aure exactè ſecernantur?* 4.a
An omnia, quæ de Accentibus dicuntur, ſint ficta? 73.b
De Accentibus. 76.a
De Adjectivo & Subſtantivo. 121.b
Adjectiva tametſi abſolutè ponantur, habent partialem tantũmodò ſignificationem, quando non totum ſubjectum afficiunt, ſed illius partem. 47.a
אדני*, ſi ſit* Adoni*, hoc eſt,* Dominus meus*, determinatur per affixum: ſi ſit* Adonai*, eſt nomen Dei proprium.* 56.b
Agellius. *Cur hodie dicatur* Aulus Gellius*?* 3.a
Vox ἄλβυλα. *An ſit ineffabilis?* 57.a
Quid voces Alexander, Nero*, &c. importent?* 41.a
Aliquid. Quid ſit? 14.b
De Amphibologiâ. Quid illa ſit? 413.a. *Sicut ab Idolo Idololatria, ſic ab amphibolo Amphibolologia dici debet.* ibid.
Ampliatio. Quid ſit? 42.a
Ἀναγράμματα *Quid ſint?* 192.b
Animal*, Cujus generis ſit?* 97.b
Appellatio. Quid ſit? Tollit ambiguitatem Accentus: tollit & Interpunctio. 25.b
De Arcu Cæleſti. Cujus generis ſit nomen Arcus*?* 177.a
Aries *vox æquivoca.* 172.b
Aſpiratio, An ſit litera? 177.b

C

N*Omen* Caballero*, & alia dilucidantur.* 187.a
Canis *vox æquivoca.* 172.b
Caro *in ſingul. eſt nomen æquivocum.* 417.a
Quid vox Cæſar *ſignificet?* 41.a
Characteres res ipſas immediatè ſignificantes. 2.b
Characteres Monogrammi. An per numeros & caſus inflectantur? 190.b
Quonam modo varientur Aſtronomici? ibid.
An & quomodo declinentur Juridici? 191.a
An ad exprimenda omnia cujuſcumque linguæ verba, quatuor characteres ſufficiant? 4.b
Characterum Hebræorum Figura verbis repræſentantur. 175.b
In characteribus alia eſt declinationis ratio, alia ſignificatio, 192.b
Comparativa poſitivè & etiam negativè ſumuntur. 298.b
Vox Complures*. An ſit Comparativa?* 96.b

D

Q*UID vox* David *ſignificet?* 41.a
Nomen Damaſco *non ſine gratiâ dividitur.* 187.a
Nomen Debitor *eſt generaliſſimum; correlativum ſub eâdem generalitate Lingua Latina non habet.* 221.a
Dictio. Quid ſit? 5.b 48.a *Quomodo ſignificent Dictionis partes?* ibid.
Dies *nomen æquivocum & bifariam accipitur.* 399.a
Digamma. Quæ ſit? 177.b
De nomine Dolor. 41.a
Dominus *apud Latinos nomen commune eſt.* 56.b

E

D*E literâ* ה. *Quo modo apud Aſſyrios proferatur?* 4.b
H' *&* ḫ *an aliquando coincidant?* 61.a
Etymologia non eſt locus Dialecticus, ſed Rhetoricus. 187.a
Nominis Eſcudero *falſa, ſed pulchra Etymologia.* ibid.b

F

ff. *Cur ſignificet Pandectas?* 188.b ff. *ponitur pro* π ibid.
ff. *An poni ſoleat pro* Δ*?* 189.b. *An hodie ff. pro duplici* ∫∫ *ſcribamus?* ib. *An* ff. *ſit* fuerunt facti? ibid.
An ff. *ſit* fabre factum? 190.a
An ff. *ſit* ll. & libros quinquaginta *ſignificet? An libros legum? an leges?* 190.a
An ff. *pro* θ. *ponatur?* ibid.b
An ff. *à Fridericis Auguſtis derivetur?* ibid.
Vocis Fœtus animati *varia ſignificatio.* 40.b
Fumus. Apud Hiſpanos quid ſignificet? An ſemper in malam partem debeat ſumi? 45.a

G

G*Enera, quæ habent nomina rerum inſenſibilium, ſunt fictiones Grammaticæ.* 72.b
Generibus Grammatica Georgiana caret. 73.a
Grammatica. Quid ſit? 188.b
Grammaticæ diviſio. 213.b

H

H*Ebræi. An habeant comparativa?* 303.b
Hiphil. Quid ſignificet? 84.b

I

D*E voce* ἰδέα. *An legitimè poſſit proferri?* 57.a
Nominis Infamis *ratio.* 287.b
Verbum intelligitur *conſideratur & dilucidatur,* 314.b
An voces Jus, Lex, Præceptum *ſint ſynonyma?* 33.b

K

K. *An fuerit à Latinis recepta?* 177.b

L

L. *An adſpiretur? An ab* H *ut à* X *feriatur?* 3.a
Lingua Sancta. An S. Hieronymi tempore habuerit puncta? 182.a
De Linguâ Hebraicâ. Sæpe ſubjecto prædicatum præmittit 121.b
Quid faciat Lingua Hiſpanica? ibid.
Litera Cornicis. Quæ? 177.a
Litera Numeraria. Quænam ſint in Abecedario Latino? ib.b
Litera Phœnicia. Quæ? 178.a
Litera Canina? Quæ? ibid.
Literæ duplices. Quomodo à ſecundariis diſtinguantur? ibid.

Li-

Litera Græca. An reverà ab illis inventa fuerint, à quibus inventa dicuntur? 178.b
Litera Græca. An aliis olim nominibus ſignatæ fuerint? 181.a
Litera. An poni poſſint pro ſuis nominibus, aut ſolent? ibid.
Litera Græca. An ab Hebraicis profluxerint? 188.a
Literas Hebraicas quis invenerit? ibid.b
De antiquarum literarum Hebræarum, Græcarum & Latinarum numero. 4.b
Latini, An habuerint literas à Græcis? 188.b
De literis ſibilantibus. An ſint in Abecedario Hiſpanico? An in Græco? An etiam in Hebræo? 4.a
Scribi-ne poſſint debitis characteribus, quæ ſibilis exprimerentur? 4.b
De literis Palamedis. 178.b
De literis Siculi Epicharmi. 179.a
De literis Simonidis Medici. An omnes ſint duplices? ibid.
De Græcis literis ad Italicam Linguam reductis. 181.b

M

MAgnum, & Parvum; Multi & Pauci, *An comparativè ſumantur?* 99.b
Voces Multi, Pauci, Plerique. *Quid ſignificent?* 275.b

N

V*Oces* Nihil & Infinitum *explicatu difficiles proponuntur.* 7.a
Nomen. Quid ſit? 51.a
Nomen Proprium. Quomodo differat à communi? 52.a
De Nomine adjectivo. 120.b
Nomina. An amplientur? 47.b
Nomina. An omnia communia ſint? 51.b
Petrus. An ſit nomen commune? ibid.
Nomina propria. An plurali careant? 52.a
Nomina adjecta proprio illud determinant. 54.b
Num? & Non. *An interdum æquipolleant?* 61.a

O

Q*VID vox* Oleum *importet?* 41.b
Omnis & Omnes *an differant?* 273.a
Omnes & Univerſi *quomodo diſtinguantur?* 84.a
Vox Omnia. *Quid in Sacrâ Paginâ ſonet?* 91.b
Oportet. *Quid ſignificet?* 259.b
Oratio. Quid ſit? 47. a. An in Oratione omnes partes ſignificent? 48.a
Orationis, Dictioniſque aliæ definitiones. 88.a
Orationis diviſio. 48.b
Ȣ. Cur quando ſonat ut O, *corripi debeat?* 177.b

O

P*Andecta. An ſignificari debeat litera* D? 189.a
D. in ff. an degeneraverit? ibid.
Nomina Pandecta, Planeta, Ariſta, *ſunt maſculina.* 235.a
Vox Paracletus, *An ſit communis?* 58.a
Nomen Παράκλητος *an ſit ineffabile? 57.a. Quanta ſit penultima in voce* Paracletus? *ibid. An proferri poſſit?* 73.b
Partim *quid ſignificat?* 99.a
Pauci & Pauciores. *Quid ſignificent?* 80.a
Φάρμακον. *An ſit æquivocum?* 30.b
Φθόρα *vox æquivoca quid ſignificet?* 32.a
Vox Plerique. *Quid ſignificet?* 96.b
Podon, Hoz, & Guadaña. *Quomodo inter ſe differant?* 177.b
Poſſibile & Impoſſibile. *An ſint voces Latinæ?* 141.a
Verbum Poſſum *æquivocum eſt.* 416.b
Poſſum. *An in ſupino habeat* Pontum? 186.b
Prata. An rideant, lætentur? 75.b
Voces rivi, & prata *quid propriè, & quid metaphoricè ſignificent?* 40.b
Nominis Privilegium *Etymologia.* 136.a
Pronomen Poſſeſſivum. Quomodo afficere poſſit ſubjectum? 122.b
De Pronomine Poſſeſſivo. 120.b
Puncta. An omnia ſint ſuperflua? 76.a

R

S*Inenſes* R *pronunciare non poſſunt.* 178.
Reditus, *an vero* redditus *ſcribendum ſit?* 114.a
De nomine Regina. 40.b

S

D*E ſono literæ* S. 178.a
An σάν & σίγμα, *ſint literæ diverſæ apud Græcos?* 4.
Adverbium ſemel *bifariam poteſt ſumi.* 86.b
Semper *interdum ſumitur moraliter pro* ferè ſemper. 88.b
Seu *quid ſit?* 118.b
An apud illos, qui loquuntur per ſibila, Rhetoricæ Gratiæ locum habeant? 4.b
An ſcientiæ illorum idiomate tractari poſſint? ibi.d
De illorum varietate. 3. b. Vnde poſſet deſumi? 4.a
Cur prius de Sibilis, quàm de articulatis vocibus agendum ſit? 3.b
Spado. Quomodo declinetur? 42.a
Specire *quid ſit?* 38.b
S.S. quid ſignificet? 190.a
De Subſtantivo, & Adjectivo, Poſitivo, Comparativo, & Superlativo. An & quomodo a Comparativo ad Poſitivum valeat Argumentatio? 10.b
De Subſtantivo & Adjectivo. 51.b
Superlativum, quid ſignificet? 305.b
Quantitas ſyllabarum. An in fictione conſiſtat? 73.a
De quantitate ſyllabarum. 76.a

T

T & D *non differunt in linguâ Germanicâ.* 178.a
Taurus, *vox æquivoca.* 39.b
Vox Tenebræ *in Hymnis Eccleſiaſticis. Quomodo proferatur?* 57.a
Vocum Θεοτόκος & Θεότοκος *ſignificatio.* 58.a
Tranſeat & Concedo *quid importent?* 17.b
De Tropis & Figuris Rhetoricis. 73.a

V

V*Et U. An diſtinguantur?* 178.a
W *Quomodo proferatur?* ibid.
Vello. An idem ſit, ac non nolle? 59.b
Venenum. An ſit vox æquivoca? 30.b
Verbum. An ſemper ſignificet cum tempore? 64.b
Verſabamur, *Quid Academico more importet?* 40.b
De *Vocativo nominum deſinentium in* IUS. 301.b
De vocativo Agnus *qui legitur in Miſſâ. Cur & quando* Agnus *in vocativo habeat* Agnus? 45.a
Vocum verus ordo propter variationem caſuum meliùs in Linguâ Græcâ & Latinâ cognoſcitur. 120 a
De vocibus Volo & Nolo. *An deletæ ſint in vocabulario Civili? An* Poſſum & Non Poſſum *loco illarum ponantur?* 413.b

Y

Y*. An olim ſpiritum lenem receperit?* 181.a
Litera Y. Cur vocetur Pythagorica? 178. b Ejuſdem literæ vera Delineatio. ibid.
Litera Y figuram myſticè explicavit Pythagoras. 179.a
Ὑπερβολή. *Quid? Hujus figuræ uſus. Præſtat, ut muta vocem habeant virtualiter & mortui virtualiter vivant.* 44.a

Z

Z*. An ſit litera latina?* 178.a
Ziphra. An rejiciendæ ſint? 189.b
§. An ſit Ziphra? ibid.

IN-

INDEX GENERALIS.

Omnes Numeri ſunt Paginarum.

A

Abbas, quomodo ſit Chriſtus? 15.b
Abortus ſæpe ex morbo fiunt, aliquando ex malitiâ. 356.b
An multi abortus procurentur? 357.a
Ventris tumor ſuſpectus. Conſideranda eſt puellæ qualitas. 356.b. Nihil infert tumor. 358.a
Abſens. An Sacramentaliter abſolvi poſſit? An domum vendere? An matrimonium inire? 49.b
Abſens, an poſſit in ſcriptis abſolvi? P. Ludovici Connæi ſententia. De hac materiâ nihil hucuſque tanquam fide tenendum definivit Eccleſia. 331.a
Abſentes. Quomodo colloquantur? 49.a
Abſtinentia à carnibus, an ſemper, & ubique carnium uſui legitimo ſit præferenda? 28.a
Abſtinentia à carnibus, an obliget Benedictinos ſub mortali? 293.a. Schiuchelii modeſtia. ibid.b
Abſtractio. Quid ſit? 23.a
Acceptatio legum. An ſit contractus; & quid importet? 96.a
Acceptio Perſonarum incriminatur. 20.b
Acceptiones unius, & ejuſdem vocis an poſſint eſſe diverſæ? 41.b
Accidens quid ſit? 36.a
Accidens. Quid dicat? 206.b
An unum Accidens ſit aliorum ſubjectum? 209.b
Accidens ſubjecti poteſt pertinere ad eſſentiam contractûs. 370.a
Accidentia ſubjecti ſolent pertinere ad eſſentiam præcepti. ibid.
Accidens ſubjecti poteſt eſſe de eſſentiâ teſtimonii. 370.b
Accidentia. Qualia eſſe debeant, per quæ fiunt deſcriptiones? 198.b
Accidentia. An ſint genera, & in ſuas ſpecies poſſint dividi? 209.b
Accidentia unius Concreti pertinent ad eſſentiam alterius. 370.a
Accidentium claſſes. 36.a
De pluralitate accidentium in eodem ſubjecto. ibid.
Accidentium communium ſolet non eſſe communis aggregatio. 199.b
Accuſans. An in eâdem causâ ſententiam ferre poſſit? 367.
Accuſatio moribundi. Quanti in judicio valoris ſit? 351.a
Actio & Paſſio virtuales, quæ? 16.a
Actio, quæ facienda, non eſt mala, An ſit mala ſi ſit facienda? 311.a
An actio præterita & futura diſtinguantur ſpecie? ibid.
Actiones multæ phyſicæ realiter diſtinctæ poſſunt, & ſolent eſſe una virtualiter. 18.a
Actori an ſit credendum? 344.b
Unus actus realis eſt multiplex moraliter & contra. 24.a
Actus. An idē & unus poſſit eſſe ſimul bonus & malus? 70.
An actus Dei liber, aut aliqua relatio, aut moralitas involvat Ens rationis? 219.b
Omnis actus humanus ſpeciem à fine deſumit. 266.b
Actus indifferens, an detur in Individuo? Reſolutio. Reſolutionis ratio. 308.b
An actum contritionis in articulo mortis debeamus elicere? 238.b
De actu voluntatis, qui plura objecta mala reſpicit; an-ne unicam, an verò plures malitias habeat? Et quid, ſi objecta diſtinguantur ſpecie? 22.b
Actus. Quomodo fiant in Circulo? 25.a
Actus indifferentes. An dentur? An etiam, qui ſimul boni & mali ſint? 160.a
Actus interni voluntatis. An ſolâ retractatione multiplicentur? 333.a
Actus merè mentales. An & cur non poſſint orationem vocalem componere? 404.a
De malitiâ & bonitate actuum humanorum. Poteſt actus habere utramque & neutram. 147.a
Actuum humanorum oppoſitio. In quonam ſita ſit? 164.b
Adagium. *Non ex quocumque ligno fit Mercurius.* Et cur? dilucidatur. 30.b
Adagiorum antiquitas. 182.b
Nec Adamus, nec Eva, nec Deipara, nec Chriſtus habuerunt culpam originalem. 86.a
Adami culpa. An fuerit neceſſaria? An felix? An redemptionem promeruerit? 17.b
An & qua ſenſu felices eſſent, qui ſine culpâ cruciatus æternos paterentur? 18.a
Adami peccatum neceſſarium virtualiter fuit. 18.a
אדני Adonai eſt Dei nomen. 260.a
Adoptari qui poſſint? & qui adoptare? 110.b
An invitus aliquis adoptetur? 146.b
Adoptans. An in adoptatum habeat mortis & vitæ poteſtatem? 111.b
Adoptio. Quid præſtet. 76.b
Adoptio. An poſſit habere finem? 129.b
An poſſis adoptari ad tempus? ibid.
Adoptio. Quot modis poſſit fieri? 209.b
Diviſio Adoptionis in adoptionem & Adrogationem. An ſit Generis in ſpecies? In æquivocis nomen tantùm dividitur. 208.a
Tota adoptionis & Adrogationis differentia eſt materialis. 208.b
De Adoptivis. 89.a
Adgregatum rerum omnium poteſt non eſſe commune. 55.a
Cur de Adſcenſu & Deſcenſu Virtuali diſſeramus? 250.a
Adſcenſus, quo Virgilius eſt uſus, an ſit efficax? 221.b
Adſcenſus alius ſimilis. ibid.
De Adtributis Tranſcendentalibus. Cur non ſemper in oratione exprimantur? 406.b
Adverbia Syncategorematica ſignis Syncategorematicis correſpondentia. 79.b
Adverbia loci exponuntur. 80.a
Adverbia temporis. ibid.
Adverbia. An & quomodo opponantur? 178.b
De Adverbiis ſyncategorematicis. 81.b
Adulteræ honori, an per mendacia conſuli debeat? 420.

INDEX GENERALIS.

Adulterium ſecretum nullo Jure publico aut privato cé-ſeri poteſt non commiſſum. 421.a
Æger, an poſſit uti carnibus, ſi licentiam neget ſuperior? 317.a
Ægrotus lethali morbo laborans, an poſſit reſpuere medicinam, quæ cum magnis cruciatibus conjuncta ſit? 409.b
Ægyptiæ, vel Cingaræ, quæ & quales ſint? 347.b
De Æquinoctiis. An à refractione tollantur? 293.a
Æquipollentes. Quæ ſint? 136.b
Æquipollentia Contradictoriarum. 137.a
Æquipollentia Contrariarum. ibid.
Æquitas ſuprema legum lex. 27.a
Æquivocatio. Unde tollatur? 7.a
Æquivocatio reddit contractum invalidum, 132.b
Æquivocatio tollit contradictionem, 161.a
Æquivocum non poteſt contrahi. 30.a
Æquivoca nihil ſignificant. ibid.
Æquivoca, cur priùs ſint diſtinguenda quàm definienda? 30.b
Æquivoca. Quo ſenſu debeant accipi? 85.b
Æquivoca benigniùs ſunt interpretanda. 30.b
Æquivocata, quid ſint? ibid.a
Æquum & bonum. An ſit idem? 205.b
Ætati an ſit fidendum? an alicui credendum? 251.a
Æternitas eſt unum *nunc*, 230.a
Æternum, ſempiternum. Quo de Deo modo, & quo de Angelis & Humanis animabus dicantur? 138.b.139.a
Affirmare, aut negare, pertinet ad Propoſitionum eſſentiam. 64.a. Eſſe veras aut falſas eſt accidens. ibid.
De Affirmatione & Negatione, 167.b
Cur non poſſimus rem ſimul affirmare & negare? ibid.
De Africanis. Cur per ignotos Deos noluerint jusjurandum emittere? 388.b
An poſſis agere nomine alieno? 104.a
Alburnus. Quorum Deus fuerit? 212.a
De Alcorano & doctrinâ Mahometi. Suas habet Sectas. 255.a
Altaria profanata, an reconciliari debeant? 331.b
Altaria tangere eſt *jurare*. 392.b
Amanis in Judæos furor. 84.b
Ambitioſus juvenis deſcribitur. 265.a
D.Ambroſius. An ſter à Nominalibus? 35.a
De Amentium ebrietate & libidine. 392.
Americani. Quibuſnam literis careant? 178.a
Amicitia & inimicitia. An teſtium fidem illidant? 373.a
Amicitiæ veræ origo, 81.b
De Amicitiâ reconciliatâ. An illi quis fidere poſſit? 382.a
Amicis favendum uſque ad aras. 416.a
Amplexus, quid ſignificent? An libidinem arguant? 355.b
Amplexus, an *Oſculi* nomine ſignificetur? 356.a. Etiam in oſculis ex urbanitate datis eſt periculum. ibid.
Analogata quid ſint? 32.a
De Analogiâ Phyſicæ & Ethicæ. 364.b
Andreæ Cantelmi laus, 309.a
Angelus. An ſit animal rationale? 202.b
Angeli. Quomodo loquantur? 2.b.48.b
Angeli. An ſint corporei? 45.b
Angeli. An poſſint ſpecie multiplicari? 53.b
Angeli. An ſint Rationales? 56.a
Angeli. Cur non ratiocinentur? 116.b
An ſoli Angeli poſſint perfectas definitiones facere? 201.a
Dialecticorum lapſus. ibid.
Angeli. An habeant opiniones probabiles? 234.a
Angeli opinari poſſunt, non mentiri. 241.a
Angeli. An diſtinguantur ſpecie? 246.b
Angeli. Quid ſciant & non ſciant? De quibus diſcurrant? Quonam diſcurſu Chriſtum à Petro fuiſſe negandum cognoverint? 248.b
An quinam ſint prædeſtinati, ſciant? 249.a
Quo diſcurſu Petrum fore acturum pœnitentiam cognoverint? ibid. Diſcurrunt etiam circa actus aliorum liberos, quos non cognoſcunt. Circa quæ materialiter tantùm diſcurrant? ibid.
Angeli. An fuerint ante mundum materialem producti? 268.a
Anima. An & cur dicatur eſſe *omnia*? 202.b
Anima humana tres diſtinctas habet formalitates. 157.a
Animal rationale. An, & cujus ſententia non ſit hominis definitio? 202.b
Animal pro genere & pro ſpecie ſumitur, 208.b
Animantes. Quomodo regantur? 167.
Anni. Cur apud Ægyptios inventi fuerint? 63.a
Anni ſymbolum, ibid.
Anni præcedentis & ſequentis diſtinctio. ibid.
An, qui Sanctorum Natalitia annis ſingulis colunt, mentiantur? 63.a
Unius anni partes cum alterius anni partibus ſervãt analogiam. ibid.
De Antipodis. An illorum aſſertio ante Chriſtophorum Columbum habita fuerit tanquam fabula? 415.b
De Anu, quæ ignotos characteres oſſibus mortuorum inſcribit. 361.a
Apoſtoli. An Evangelium prædicaverint omnibus? 92.b
De Apparitione Chriſti factâ Affonſo I. Luſitanorum Regi. 363.b
De Chriſti amplexu in Coronatione Joannis IV. ibid.
De Infante pro Joanne I. & Antonio I. loquuto. ibid.
De Appellatione Negationis. Oportet benè conſiderare, quem terminum aut formalitatem afficias. 306.a
Appius Claudius. Quis & qualis fuerit? 232.b
Approbatio. An præſens ſufficiat? 318.a
Aqua ex nive, an ſit nociva? & cur? 303.a
Arbitrii libri deſcriptio. 18.a.146.a
Argumentatio. Quid ſit? 247.b
Argumentatio. Quid de eâ ſtatuendum? 172.b
Argumentatio. An ſit objectum Logicæ? Quid & quotuplex ſit? 270.b
Argumentatio in Realem & Moralem dividitur. Utraque ſubdividitur: & utraque definitur, 215.a
Argumentationis ſpecies. ibid.b
Argumentationis & Argumenti differentia. ibid.
Argumentatio à ſpecie nobiliori ad ignobiliores an valeat? A toto ad partem ſæpe: à majori ad minus non valet in moralibus. 323.b
Argumentator. Quæ præcognoſcere debeat? 246.b
Argumentari à communiori ad minus commune, vel contra affirmando aut negando, quomodo liceat? 220.
An & quando ab uno ad omnes liceat argumentari? 223.a
Argumentari ab *effectu*, quomodo debeas? 239.a
Argumentandi ad hominem modus. An merito à S.Auguſtino commendetur? 270.a
Cur argumentemur ab abſurdo? 270.a
Arguit ad hominem, qui ex conceſſis oſtendit Theſim defenſam ab adverſario, eſſe falſam, ibid.
S.Auguſtini cenſura de modo argumentandi ad hominem, 269.b
Argumentum per Dilemma. Quomodo in Disjunctivâ formetur? 122.a
Argumentum apud Rhetores, quid ſit? 278.b
Argumentum à charactere. An ſit efficax? 188.a
Argumentum ex potentiâ ad actum. An, & quando ſecurè procurrat? 239.b
Argumentum à Magiſtro ad Diſcipulos, à Diſcipulis ad Magiſtrum. Quantam vim habeat? 256.a
Argumentum ad hominem, quibus præmiſſis conſtet? 267
Argumẽtum ad hominem. Quomodo fiat? 268.b. Quanta ſit efficacia ejuſdem argumenti? 268.a. Cur de argumentatione ab homine diſſeramus? Tres modi argumentandi ad hominem, ibid.b
Argumentum à majori ad minus aliquando valet, & hoc cum limitationibus nonnullis. 329.a.320.b

Ar-

I N D E X

Argumentum deſumptum à malâ conſcientiâ, à famâ, à patratis criminibus, an vim habeat? 345.a
Argumentum, quod nimiù probat, eſt inefficax. 239.321.a
Argumentum negativum. An & quando ſit firmum? 238.b
Argumentum eſt Evidens aut Probabile. 216.a
Argumentum Topicum. An ab Indicio differat? ibid.
Argumentum. An à præterito ad futurum ducatur ſecurum? ibid.
Argumenti ad hominem lex. 270.b
De argumento à ſociorum pravitate deſumpto. 350.a
Argumenta. Quomodo in ſubalternis formentur? 133.b
Qualia ſunt argumenta, quæ ab Etymologiâ deducuntur? qualia, quæ ab Anagrammate? 193.a
Argumenta fortia, an à vitâ præteritâ deſumantur? 349.b
Argumenta à ſingulorum officiis ad mores, an ſecura ſumantur? An ſaltem probabiliora? 350.b
Argumenta à rebus, quæ à liberâ voluntate dependent, non poſſunt à rationis paritate aut etiam à fortiori deſumi. 408.b
Ariſtides. Cur *Juſtus* nuncuparetur? 214.a
Ariſtoteles. Qualis fuerit? 237.a
Ariſtoteles. An cognoverit infallibilitatem? 62.a
Ariſtoteles. Quomodo intelligi debeat? Quo Juſtinianus? 253.b
De Ariſtotelis mente. An præciſiones & Univerſalitatem ante Mentis operationem admittat? 213.b
Ars. Quid ſit? An & cur Artium communes definitiones non ſint bonæ? 200.a
Ars ad benè operandum ordinatur. 205.a
Articulus ſemper ſubjecto adhæret. 122.a
Artificialia. Quomodo definiantur? 194.a
Aſſenſus & Diſſenſus, an differant formaliter, an objectivè? 166.a
Aſſenſus & Diſſenſus, an realiter, an tantùm objectivè diſtinguantur? 325.b
Aſſenſus & Diſſenſus opponuntur contrariè. 165.b
De Aſſenſu & Diſſenſu. An poſſint eſſe ſimul? 218.b
Aſſentiri omnibus eſt actus prudens. 294.a
Aſſertiones veræ multæ ſunt, quæ non traduntur tanquã definitiones. 204.a
De Aſſertionibus cenſurâ dignis. 258.a
Aſtrologia. An ad indicium ſufficiat? 346.b
Aſtrologia Judiciaria, qualis? 347.b
Aſtrologi quales? ibid.
De Aſtrologiâ Judiciariâ. Ejus præditiones fundamentũ non habent. Aſtrologi inter ſe non conſentiunt. 223.a
Athanaſius à calumniatoribus accuſatur. 357. Cauſa ejuſdem examinatur. Indicium ſanguinis non curabant Arriani. 358.a. Illorum Dialectica. ibid.
Athei audacter & temerè jusjurandum emittunt. 416.a
De Attributis ſyſtematicis. Quænam ſint? 127.b
Avaritia in quonam conſiſtat? 266.a
Avari ſynderesis, quæ? ibid.
Avarus ſenex depingitur. 265.a
Avari. An à teſtimonio arcendi ſint? An eodem modo de Judicibus ſtatuendum ſit? 378.b. Pulchrum Apophthegma. ibid.
Aventinus Probabilitatem cum certitudine confundit. 296.a
Auguſtini & Cypriani ſinceritas. 302.b
Auguſtus. Qualis fuerit? 263.a
Auguſtus. Unde dicatur? 186.a
De Avibus, quæ loquuntur. 9.b
Author. Quando liberè ſcribere cenſendus ſit? 106.a
Author Tractatus de Prædicabilibus, quis fuerit? 34.a. Cur quinque poſuerit? An ſint plura? ibid.
De Authore, qui aliter ſcripſit, & aliter conſulit. Utram illius ſententiam debeas ſequi? 106.a
Authores. Quot ad Probabilitatem ſufficiant? 244.a
Authoritas. Quæ & cur Prætoribus conceſſa fuerit? 28.b
Authoritas gubernandi. Cur ad Senatum delata. 144.b
Authoritas Practica univerſitatum. Quid præſtet condemnatio facta ab integrâ Univerſitate? 327.b
Authoritas Patrum, quanti facienda ſit? Modus optimus reſpondendi Authoritatibus. Aliud eſt perſonam Scriptoris contemnere, & aliud non admittere ejus authoritatem. 325.b
Authoritas delegata. Qualis ſit, & unde proveniat? 385.b
Authoritas Magiſtri Sacri Palatii an ſit infallibilis? 329.b
Authoritatis Regiæ & Epiſcopalis collatio. 261.b
De Authoritate Poëtarum. An-ne in rebus Philoſophicis aut Theologicis ſit admittenda? 148.b
Aurum. An ſit argentum? 76.b
Axioma, *Quæ ſunt eadẽ uni tertio, ſunt eadẽ inter ſe*, an potiùs debeat diſtingui, quàm negari? 219.b. An ſuſtineri debeat, aut poſſit? 220.a.
Axioma alterum examinatur. ibid.
Axiomata aliqua proponuntur. 227.b

B

Babylon. Quomodo constructa fuerit? 183.a
Bali, quis ſit? 191.a
Balivo, quis? ibid.
De Banditis & Graſſatoribus viarum. An ipſis indultum à Republicâ poſſint concedi? 382.a
Baptiſmus Joannis, qualis fuerit? 269.b
Baptiſmus cum fictione, an ſit validus? 27.b
Bartolus. Cur vocetur *Saturninus*? 98.a
Βασιλικόν, quid ſit? 417.a
Bellum. An eſſe poſſit ex utrâque parte juſtum? Quarè non? 400.a. Poteſt & ſolet. 409.a
Benedictini qualem obedientiam, & qualem Franciſcani promittant? 262.a
Benedictini, an teneantur ſervare paupertatem & caſtitatem? 320.b. Cur ad tria vota teneantur? 321.a
S. Benedictus quanti urbanitatem fecerit? 29.a
S. Bernardus. Quomodo modum ſciendi definiat? 171.b
D. Bernardus condormit nudæ, nec peccat contra caſtitatem, 337.a. Caſus alter proponitur. ibid.b
D. Bernardi ſcripta. Qualia ſint? 208.b
De D. Benedicti & D. Bernardi opinionibus. Nec Platonem, nec Ariſtotelem ſequuntur. 254.b
S. Bernardi Melliflui Doctoris Epitaphium. 161.a
Bis tria an ſint ſex? 14.b
De Blaſphemiis. An & quomodo differant, quæ in Deum & quæ in Sanctos evomitæ? 287.a
Bonitas tranſcendentalis. Quid ſit? An malitiæ opponatur? 13.b
Bonitas virtualis, quæ? 17.b
Bonitas moralis, an à reali & tranſcendentali diſtinguatur? 258.b
De Bonitate & Malitiâ philoſophicâ. 74.a
Bonum, quotuplex? 27.b
Bonum. An ſit amplectendum? 258.b
Bonum. An apud Theologos latiùs pateat, quàm Ens? 16.b
Bonum æquè, ac Malum. An in adæquatum, & inadæquatum dividatur? 159.b
Bonum partiale bifariam accipi debet. 160.b
Bona fuerunt tribus modis diviſa. 179.a
Bornenſes non habent proprium nomen. 52.b
Bruta. Cur non ratiocinentur? 116.b
Bulla. Omnis debet ſaltem conditionatè admitti. An debeat eſſe authentica, ut abſolutè admittatur? Ut dicatur authentica, ſufficiunt duo teſtes oculati, non verò auriti. 332.a

C

Cadaver. Quid ſit? 171.a
Cadavera coram innocentibus ſanguinem interdû emittunt, aliquando coram homicidâ non emittunt. 357.b. A ſanguine non poteſt probabile indicium deſumi. 358.a
Cæſar. Unde ſumatur? 186.a
Vocum *Cæſar* & *Imperator* differentia. ibid.
Cagnolus. An intelligat Ulpianum? 101.a
Cain. An fuerit in Paradiſo? 259.b
Calida. An & quando *frigida* & alba *nigra* vocari poſſint? 11
Calor productus à Sole, an à producto ab igne diſtinguatur? 209.b
Calvinianorum ſectę. An etiam contradicant Calvino. 256.
Calumniatores. Quàm multi ſint? 355.a
Camillus, Quis & qualis? Equis albis triumphat. Abſens promovetur. 272.a
Cancer valde seriò laborabat, ut ſcriberet verſus non ſerios. 53.a
De Canone Librorum Canonicorum. De Textûs ipſius intelligentiâ. 254.a
Captivus & liber. An ſimul eſſe poſſis? 135.a
Captivi. An uſucapiant? 135.a
Caput Genealogiæ, an vocetur *Genus*? 37.b
Cardinalis de Lugo laudatur. 330.a
Cardinali de voluntate Summi Pontificis teſtificanti, an debeat credi? An etiam dicenti ſe eſſe Legatum? 394.a
De Cardinalium condemnatione, Quot teſtes ad illam requirantur? 378.a
De Cardinalibus. 94.a
An, qui carmina concinit, illa materialiter, an formaliter proferat? Hiſtoriola ſcitu digna narratur. 9.a
An, qui carnes comedunt, jejunare teneantur? 40.a
Carnes, an ſint neceſſariæ ad vitam conſervandam? 317.b
Carnifex & Senator. Cur non advocantur in teſtes? 117.a
Caſſii Longini opinio. ibid.
Carthaginenſes immunitatem Legatis Romanis debitam violant; An ideò poſſint Romani violare fidem Legatis debitam Carthaginenſibus? 384.b
De Carthaginenſium maritimâ ſtrage. An dimidia pars navium ſit illarum dimidiatus numerus? an verò omnes puppæ, aut proræ? 399.a. Nulla erat in illo contractu æquivocatio. De Diviſibilitate. 406.a
Carthuſiani. An teneantur veſci carnibus in articulo mortis? 145.a
Caſtrati. Qui ſint? 41.b
Caſus proponitur, in quo indicia aliqua recenſentur. 344.
Caſus proponitur. An in hoc judicio fuerit paritas? An ſervitus probata fuerit? An agatur de ſolâ Logica? Primus ſyllogiſmus conſideratur, 282. a. b. Secundus. 283.a
Caſus fortuiti in generali diſpoſitione non clauduntur. 94.b. Quid ſi quis renunciet favori & temperamento, quod in fortuitis caſibus adhibet æquitas? 95.a
Caſuum fortuitorum duo genera. ibid.
Caſus quinque proponuntur. 414.b
De Caſibus reſervatis. An poſſit aliquis contra Cardinales reſolvere? 329.a
Catholicus. An ſentire, aut aſſerere poſſit doctrinam Calvini eſſe probabilem? 302.b
Catholici. An ſint mancipia Papæ? 182.a
Catholici. An poſſint contradicere Summo Pontifici? 332.
Cauſa rationabilis quando excuſet? 314.b
Cauſa Juſtificationis. Utrùm ſit una? Utrùm unâ unitate morali? Quid poſſit Univerſitas declarare? 327.b
Cauſæ diviſio in Materialem, Formalem, Efficientem, & Finalem. 116.a
De Cauſâ Finali. 196.b
De Cauſâ Exemplari. 197.b
De Cauſâ efficiente. ibid.a
De cauſâ Belli Parthici. 59.a
Cauſæ. Quot ſint, & quæ? 195.a
An duæ cauſæ extrinſecæ eundem numero effectum poſſint producere? 116.b
Cauſæ æternæ. An ad eſſentias rerum pertineant? 195.b
Cauſas agere. An ſit utile? 251.a
De Cauſis Materiali & Formali. An ſemper ad definitionem pertineant? 197.a
Cenſura. Quid ſignificet? 234.b
An Cenſuræ extra Sacramentum Pœnitentiæ abſolvantur? 234.b
Certa, an poſſint *probabilia* vocari? Reſolutio. 197.b
Certitudo moralis non ſufficit, quando realem habere poſſumus. 103.b
Certitudo. An magis & minus recipiat? 14.b
An ſemper ſtare debeamus ſententiæ certæ? An ſemper ſtrictiori? 151.a
Certitudo in præmiſſis Neceſſitatem aut Infallibilitatem requirit. 252.a
Certitudo Moralis. An ad condemnandum ſufficiat? 284.a
Certitudo Phyſica & Metaphyſica, quid requirant? quid Certitudo Moralis? 298.a
Character. Quid ſignificet? 187.b
Characteres ſeptem Planetarum. ibid.
Solis character. An ſymbolum, an pictura ſit? 188.a
Lunæ character. Quid inſinuet? ibid.
Saturni character. Quid innuat? ibid.
Jovis character. ibid.
Martis character. ibid.
Venus. Unde dicta? quo denotetur charactere? ibid.
Mercurii character. ibid.
Character & Gratia, an, quando, & quomodo poſſint in Baptiſmi Sacramento ſeparari? 320.a
Chava Juliani Comitis filia, an dicta fuerit *Eva*? 54.a
Chirographum reddere, aut comburere. An ſit debitum tacitè condonare? 50.a
Quid leget, qui legat Chirographum? ibid.
Chiromantia. Quid ſit? 348.a
Chori Beatorum. An ſint multi? 99.b
Choromantia. Quid ſit? 348.a
Chriſtiani. An, & quomodo cum Infidelibus contrahere poſſimus? 391.a
Chriſtus in cauſâ capitali fuit fidejuſſor, An habuerit licentiam, an præceptum? 22.a
Chriſtus patiebatur miſerias, quia volebat. 31.b
Quanta Chriſtus pro hominibus perpeſſus fuerit? ib.b
Chriſti corpus poſt reſurrectionem eſt impaſſibile. ib.b
Chriſtus nullum peccatum commiſit, nullum morale vitium habuit. Corpus verum & paſſibile habuit. Sed quo modo paſſibile? ib.b
Chriſtus. An & quomodo omnia adtrahat? 92.b
Chriſtus. An ſit mortuus pro omnibus? 100. Tridentini deciſio. ibid.b
Chriſtus. An probaverit ſe eſſe Deum? 269.b
Chriſtus Judæos interrogat, & eorum reſponſionem impugnat. Si neſcimus, quid adverſarius ſentiat, hanc notitiam adquirimus, illum interrogando. 268.b
Chriſtus, an ſit viſibilis? 322.a
Chriſti paſſiones erant naturales, quoad ſubſtantiam, ſed obediebant voluntati. 31.b
Ciphræ omnes conſiſtunt in fictione & hypotheſi. 75.b
An circumſtantia maſculi, & fœminæ in homicidio, furto aut mendacio conſideranda ſit? 20.b
De Circumſtantiâ frigiditatis, & Fidelitatis. 197.b
Circumſtantiæ reſtringunt vocis ſignificationem. 46.a
Circumſtantiæ, ut ſint characteriſticæ, quid requiratur? 59.a
Circumſtantiæ externæ. An addant novam ſpeciem? Quæ & quot illæ ſint? 197.a
Circumſtantiæ nimis aggravantes, an in Confeſsione ſint aperiendæ? 333.a. Diſſentiunt Authores. ibid.

INDEX

Circumſtantiæ accidentariæ, quænam ſint, in quibus inculpabiliter teſtes poſſunt adlucinari? 370.b
De circumſtantiis & particulis ſignificantibus. 54.b
Civitatum defenſio, *An* pauperibus concredi poſſit? 378.b
Claudus. *An* & quo ſenſu ſit nomen proprium? 56.a
Clementia interdum nociva. 315.b
Clericus, qui ſemel aut iterum ſodomiam commiſit, an incurrat pœnas à Pio V. illatas? 311.b
De Clerico Sodomitâ, Exercere petit actuum frequentationem. 387.a
De Clerico ſoluturo gabellas. 401.a. De Clerico, qui non vult gabellas ſolvere. Ejus verba non per Reſtrictionem Mentalem, ſed per Exactoris interrogationẽ reſtringuntur, 414.a
Clericis aliquando ludere licet, at quotidie non licet. ib.
De Cæcitate. *An* forma ſenſitiva ſit? 7.b
Cœlibatus, An amplectendus ſit? 258.b
De cœlibe, conjugato, & Religioſo, 197.b
Cœlum. *An* corruptibile ſit? *An* liquidum? 292.b
Cœli, An ſint liquidi? An contra fidem ſit ſententia oppoſita? 327.a
Cognatio. *An* inter ſolos homines ſit? *An* ad Jus naturale pertineat? 111.a
De Colonienſium cum Principe Electore contractu, Portam Civitatis promittunt, & ejus valvas currui impoſitas ad eum tranſportant, 399.b, *Porta* vocabulum æquivocum. 406.b
Columbus, Cujas fuerit? 237.a
Combinationes moralium modorum poſſibiles, an omnes exhibuerimus? 158.a
Comes de Rebolledo. Quantâ virtute defenderit Palatinatum, & quantis laudibus etiam ab hoſtibus celebraretur? 379.a
De Cometis. 393.a
Commentarii legum cur ſint ſcripti? 39.b
An plus commodi habere poſſis, quàm habebat, qui contulit? 104.
Comparatio poſtulat, ut qualitas, de quâ ſit comparatio, ſit in utroque extremo, 296.b
Comparatio Catachretica. ibid.
Comparatio, quomodo fiat in negativis? 297.a
An, & quando Comparativum adverſativè ſumatur? 10.b
De Occultis Compenſationibus. 398.a
Compenſatio occulta, an ſit licita? Etiamſi eſſet probabilis, propter eos, qui illâ abutuntur, deberet neceſſariò interdici. 411.a
Compenſatio. *An* poſſit fieri de re depoſitâ? 423.b
Qualis eſſe debeat res, quæ per occultam Compenſationem auſertur, comparata cum illâ, quæ debetur? 423.a
Inconvenientia & abſurda, quæ ab occultâ Compenſatione ſuboriuntur, ibid.
An, qui timet periculum, poſſit Compenſationem anticipare? 424.a
An poſſit, cui injuſtè fama læſa ſit, ſe indemnem reddere per occultam aliquam compenſationem? 425.b
An in gratiis, & iis, quæ ex charitate fiunt, occulta Compenſatio locum habeat? 426.a
Authores, qui occultas Compenſationes admittunt, negant eas eſſe licitas in materiâ probabili. 425.b
Compoſitionis accidentia. 11.a
Compoſita. *An* poſſint definiri? 203.b
De Conceſſione generali, promiſſione, &c. 46.a
Concilium. *An* fuerit legitimum? 100.b. Verba Concili obtorquent Janſeniſtæ. Demonſtratio pro Doctrina Catholica. ibid.
An Concilii Tridentini ceſſet lex, quando ejuſdem ceſſat finis? 332.b
Concilii verba, quis poſſit infallibiliter declarare? Eccleſiæ *Authoritas*. 327.b
Concilia generalia, an ſint admittenda? 254.a
Concluſio duplex. 276.a
Ex uno aut altero caſu non poteſt Concluſio probabilis deduci. 108.a
Concluſio una & eadem poteſt eſſe infallibilis & neceſſaria, 230.a
Concluſio plurium eſt habenda pro lege, 274.b
Concluſionis directæ & indirectæ differentia. 226.b
Concluſiones Modales convertuntur in Simplices. 141.b
Concretum. Quid dicat in recto? 194.a
Concreta. An denominentur ab Abſtractis? 33.b
An ſemper debeas concupiſcentiæ contradicere? 165.b
Condemnationes privatorum tribunalium non tranſeũt mare. 328.a
Conditio, quomodo purificetur? 17.a
Conditiones impoſſibiles, quæ? 145.b
Conditiones habentur pro non poſitis interdum; & quænam hæ ſunt? 30.a, Omnia, quæ non ſunt ad rem, cẽſentur non poſita, aut ſcripta, ibid.b
Conditionum genera, quot? 29.b
Confeſſarius quomodo ſit Deus. 15.a
Confeſſarius. *An* debeat Reum veritatem docere? 400.b
De Confeſſario. *An* debeat uti Reſtrictione Mentali, ut ſigillum Confeſſionis obſervet? 401.b
De Confeſſario & Reo, Quomodo ille iſtum debeat inſtruere? *An*, ſi jubeat ut fateatur, & propter hoc ultima ſententiâ reus condemnetur, incurrat irregularitatem? An Sancii opinio probabili ratione firmetur? 408.a
De Confeſſario, Quomodo ſe gerere debeat erga reum, qui verũ crimen negavit, vel ſibi falsũ impoſuit? 410.b
De Confeſſario. Quomodo reſpondere debeat inquirẽti de rebus in Confeſſione auditis? *An* indigeat aliquâ Reſtrictione Mentali? 418.a
Confeſſio Sacramentalis, quando non eſt præcepta, ita debet fieri, ut præceptorum adimpletionem non impediat. 44.b
Confeſſio peccatorum eſt ſecreta, An poſſit eſſe publica? 212.b
De Confeſſione Sacramentali, Proponitur quæſtio, & reſolvitur, 245.b
Confeſſio judicialis in tribunali incompetenti, An ad torturam ſufficiat? An ad inquiſitionem? 346.a
De Confeſſione factâ ſub impunitatis ſpe. ibid.
De Conjugatis. 312.b
Conjecturarum efficacia, 104.a
De Connotatis. Eadem res à diverſis connotationibus, & uſibus diverſimodè denominatur. 217.b
Conſanguinei, *An* pro vel contra cognatos ſuos teſtimonium perhibere poſſint? 372.a
Conſcientia. Quid ſit? 260.a
Conſenſus præſens requiritur in omni contractu. 49.a
Conſequentia. Quænam dicitur vera? & quænam bona? 185.a
Bona Conſequentia, An, & quando ex puris particularibus inferatur? 228.a
Semel, ergo ſemper: ſemel ergo centies, *An* ſit bona conſequentia? 252.a
Conſequentia à Chriſto ad omnes Chriſtianos, an valeat? 253.a
Conſequentia. *An* aliquando agat vices Syndereſis? 26[illegible].b
Conſequentia ab unâ die ad totam vitam, an valeat? 311.b
Conſequentia ex uno relativo ad correlativum, an inferatur? 312.a
De Conſequentiæ neceſſitate. 23[illegible].b
Conſequentiæ nonnullæ intelligendæ, & perpendendæ proponuntur. 279.a. Judicium de illis. ibid.
Conſequentiæ aliæ examinantur. 279.b. Aliæ etiam proponuntur. 280.a
De Conſequentiis probabilibus. 234.a
Conſilium de re manifeſtâ eſt immutabile. 105.a

Con-

Conſtantia. Quomodo à perpetuitate diſtinguatur? 224.b
Conſtantinus. Quid concedat Eccleſiis, cùm fieri teſtamenta ad Eccleſiæ favorem conceſſit. Bartoli & Baldi diſſertatio. 98.a
Conſtantinus. Quo ſenſu ſe vocarit Epiſcopum? Reprehenditur ab Hoſio. Defenditur à Ribadeneirâ. Neuter mentem Imperatoris videtur adſequutus. 261.a.b
Conſtitutio generica per ſpecificam contrahitur & limitatur. Specifica per individualem. 90.a
Contingentiæ & libertatis differentia, 146.a
Contingentia non præcipiuntur. 257.b
Diſcrimen inter Contingens & Liberum. 357.b
De compoſitione Continui. Argumentum pro Zenonis ſententiâ. 62.b
Contractus. An poſſint ad linguam determinatam alligari? 6.b
Contractus, ut validè fiat, quid requiratur? 252.b. An contractus poſſint reſcindi? ibid.
Contractus ſocietatis. An ſit licitus? 347.a
De contractu Imperatoris & Galliarum Regis, 246.a
Contractus. An poſſint fieri nutibus? 49.b
De Contractibus innominatis, 55.b
Contradictio. Quid ſit? 218.a
Contradictio. In quo conſiſtat? 161.a
Contradictio eſt Univerſalis & Particularis Oppoſitio; aut etiam Singularium oppoſitio. 132.b
Contradictio tollitur, ſi ſignum univerſale ſumatur moraliter. 162.a
Contradictio tollitur, ſi mutetur ſenſus Propoſitionum. 168.a
Contradictoriæ. Quæ ſint, De earundē coëxiſtentia. 21[illegible].b
Contradictoriæ. Non poſſunt eſſe duæ ſimul veræ. 67.a
Duæ Contradictoriæ poſſunt ſimul non judicari veræ: at non poſſunt ſimul judicari non veræ. ib.
An duæ contradictoriæ poſſint ſimul eſſe mendacia? 71.b
Inter affirmare & negare datur medium, 71.b
Cur duæ Contradictoriæ non poſſint eſſe ſimul veræ? 134.a. Et cur non poſſint eſſe ſimul falſæ? ibid.
Contradictoriæ redduntur æquipollentes addito modo Probabilitatis. 138.a
Contradictoriæ poſſunt eſſe ſimul veræ virtualiter. 247.a
Contradictoriæ, an duæ ſint ſimul veræ? An ſimul probabiles? 296.a
Contradictorium, An-ne unum aliquando inferatur ex altero? 242.b
Contrapoſitio. Quid ſit? Dividitur in duas ſpecies. Utraque dilucidatur. Proponuntur exempla. 125.b
Contrarietas eſt Univerſalium oppoſitio. 132.b
De Contrarietatis & Contradictionis libertate, Et quando qui non contradicit, conſentire cenſendus ſit? 146.b
Contrarium. An & quando uni ſi in gradu remiſſo, oppoſita detur denominatio? 45.b
De Contrariis. 134.a. An, & cur eſſe ſimul veræ non poſſint? ibid.
Contrectationes nimium probant. Quid dicendum ſit de tactibus habitis inter maſculos? De ſolo cum ſolâ reperto. 354.b
Plurimæ controverſiæ oriuntur ex æquivocatione. 31.a
Convenire. Quid ſit? 49.a
Multa conveniunt omnibus, quæ ſingulis convenire non poſſunt. 83.b
De Convenientiâ intrinſecâ & extrinſecâ. 30.a
Converſio. Quid ſit? Et quas ſpecies habeat? 120.a
Converſio ſimplex. Quid? ibid.
Converſio per Accidens. Quid? ib.
Converſio Logica. Qualis? Quotuplex ſit? An præter iſtam detur alia Converſio? 128.b
De Converſione ſingularium. 123.a
Cornelius Tacitus Mirandulanus, qualis? 299.b
De Corpore in duobus locis replicato. 218.a
Corpora occiſorum, an ſanguinem emittant in præſentia occiſoris? 357.a. Reſolutio. Qua cenſurâ oppoſita ſententia inuratur? An Authoribus credendum ſit? ibid. b
Correctio ſubditi, an aliter obliget, quàm correctio proximi? 304.b
Correctio aliis ſententiis addit authoritatem. 324.b
Correctio fraterna. Utrùm ſemper debeat ante accuſationem præmitti? 428.a
Creare. Quid ſit? 41.a
Creatum. An omne ſit corruptibile? An poſſit affirmativa admitti? Cenſuræ contra eandem. Monitum Scholaſticum. 33[illegible].b
Creatura. Unde poſſibilis ſit? 243.a
Creaturæ. An & cur non ſint Entia ſimpliciter? 16.a
Creatura. An exiſtant? 49.b
Creaturæ irrationales & inſenſibiles. An & quomodo ordinentur ad Deum? 92.b
Creaturæ incorruptibiles, Quænam ſint? 129.a
Creaturæ. An eſſe potuerint ab æterno? 268.a
Quid credere debeamus? 331.a
Credendi obligatio non naſcitur ex humano præcepto? ibid.
De Creditore. An omnis, cui aliquid debetur, ſit creditor? 221.a
Creteuſes. An ſint mendaces? 97.b.273.a
De Crimine in unâ civitate publico. Utrùm poſſit narrari in alia? 420.a
De illo, qui crimen verum, ſed occultum revelat. Quomodo peccet? & quomodo debeat ſatisfacere? ibid.b
An habeat obligationem ſe retractandi? 420.b
An crimina, de quibus publica ſententia prodiit, poſſint non ſolùm dici, ſed & ſcribi, & per totum orbem terrarum divulgari? ibid.a
Crimina graviora, cur minùs graviter puniri ſoleant? 200.b
Critici. Quomodo in Etymologiis procedant? 182.a
De Crotota, qui erat forjudicatus. 381.a
Culpæ & pœnæ avorum ad nepotes non tranſeunt. 115.b

D

DÆmones. An elicere poſſint aliquem actum bonũ moraliter? 160.b
Dæmones. An habeant corpora? 236.b
Damnum ab injuriâ diſtinguitur. 104.b
Datum precariò ſemper repeti poteſt. 104.b
David. Quo ſenſu omnes incriminetur? 91.b. An accuſet Deiparam? ib. Cur dixerit, *Non eſt uſque ad unum*? ib.
De Debitore ſoluturo pecunias. 401.a. Caſus, qui malè proponebatur, reponit. Qui cum teſtibus aut ſcripturâ pecunias recipit, non debet ſolvere ſine ſcripturâ & teſtibus, 414.a
Debitum non conſiſtit formaliter in ſcripturâ; ſed neque in teſtibus. Quid ſentiat Faber? 50.a. Quid in Tribunali decidendum? ibid.b
Debita non ſunt æqualis obligationis. 423.a
Pro debito incerto nõ debet certa exhiberi ſolutio. 422.b
Pro debito poſſibili aut futuro ſolutio actualis non exigitur. 423.a
Decalogus quid ſit? 32.b
De tertio præcepto *Decalogi*. Cur illud contraxerit Moyſes ad Sabbata? 32.b. Et cur Eccleſia ad dies *Dominicas*? 33.a
Declarationes Univerſitatum, quantæ authoritatis ſint? quantæ S. Inquiſitionis condemnationes? pag. 228.a
De Declarationibus Eminentiſſimorum *Dominorum* Cardinalium. Quid requiratur, ut ſint authenticæ? pagina 244. b. & pagina 328. b. Utrùm ha-

habeant vim legis? An omnes admittantur à Rotâ? An Garzia committat circulum? An promulgentur? 328. b. An indigeant promulgatione? 329.a. Quas cōditiones requirant? An indigeant acceptatione? ibid. An detur Opinio, quæ illas non admittat? ib.b

De oppoſitis Declarationibus. Utra debeat alteri præponi? 330.a

Defenſor, Quantas cauſas poſſit expedire? 77.b

Defenſor idoneus. Quis? 314.a

An occidiſſe cenſendus ſit, qui non defendit, quem debebat defendere? 15.a

Definitio duplex. 378.b

An à definitione, an verò à diviſione incipiendum? ibid.

Definitio Realis, Quid ſit? & quotuplex? 193.a

Definitio hominis. 163.a, 195.a

Definitio Orthographiæ. 193.b

Grammaticæ. ibid.

Rhetoricæ. ibid.

Logicæ, ibid.

Dialecticæ. ibid.

Arithmeticæ. ibid.

Geometriæ, ibid.

Phyſicæ. ibid.

Medicinæ. ibid.

Juriſprudentiæ. ibid.

Definitio in Jure, An omnis ſit periculoſa? 101.a

Definitio. An debeat Diviſioni præponi? 172.a, Sententia Prima Definitionem & Diviſionem ad Primam Mentis Operationem reducens. 173.a

Secunda ad Secundam Intellectûs operationem Definitionem & Diviſionem reducens. ibid.

Tertia Sententia eoſdem modos Tertiæ Operationi Intellectûs adjudicans. 173.b

Sententia Autoris. ibid.

Definitio Accidentalis, Quid ſit? 198.b

Definitio ſingularium. An poſſibilis ſit? 199.a

Definitio. An cum Definito convertatur? 200.a

An aliquando ſit obſcurior ſuo Definito? ibid.

Definitio. Apud Ulpianum quid ſit? 200.b, Merendæ confeſſio, ib. Ejuſdem ad Juriſperitos Monitū. 201.a

Definitio definitionis data à Logicis. An ſit bona? 201.b

An omnis definitio ſit clarior? 201.b. Exclamatio in Bembum. Galeni reſolutio. 202.a

An bona definitio vocem ſuperfluam toleret? 204.b

An mala definitio ſit, in quâ unum aut alterum additur verbum majoris claritatis gratiâ? 205.a

Juriſprudentiæ definitio. 205.a

De Definitionis univerſim ſumptæ quidditate, 174.a

Definitio Definitionis. An Deſcriptioni conveniat? ib.

In Definitione. Quomodo argumentandum. 173.b

Definitiones à Juriſtis factæ. An ſint bonæ? An faciliùs ſit Deſcriptiones, quàm Definitiones conformare? 200.a

Definitiones. An præſter eſſe breves? An per genus & differentiam conformentur? 200.b

An fiant Dialecticæ definitiones? 201.a

Quales ſint, quæ à Philoſophis factæ? ibid.

Definitiones aliquot communes examinantur. 204.b

Definitiones Juriſtarum, quales? 335.a

Defuncti. An vivant poſt mortem? 76.b

An Deipara in Adamo peccaverit? 87.b

Deipara originali culpâ caret. 87.a, Auguſtini de ejuſdem impeccantiâ ſententia, Deciſio Concilii Tridentini, 87.b

Deipara eſt ſine culpâ concepta. Scoti ratio. An ſit probabilis? 234.b

Deipara. An ſine culpâ concepta ſit? An minùs pia ſententia ſit damnata? 330.b

Deiparæ patrocinium. Quàm ſit efficax? Fugat Dæmones. 82.b. Ab eâ ſpes & ſalus peccatorum dependet. Suſtentat Cælum terramque. Multos, qui damnari deberent, liberat. 83.a

Delectio per circulum, qualis? 25.b

Demonſtrationes. An dentur in Theologiâ? 235.a

Denominatio confuſa, quæ? 25.a

Denominationes, Aliquæ conſiſtunt in indiviſibili; aliquæ non, 305.b

Denominativa, quæ? 33.b

Depoſitum fide publicâ ſervari debet. 423.b

Derivationes falſæ, an aliquando præferendæ ſint veris? 191.a

Deſcenſus virtualiter eſt Syllogiſmus; etiam Adſcenſus. 205.a

Deſcriptio. An rigoroſas leges habeat? An facili negotio conformetur? An copiam verborum admittat? 199.a

Detractio ſub virtutis ſpecie, Remedium contra Detractores. 267.b

Detractor. Quid facere debeat, qui innocenti crimen falſum adfinxit? 419.b

Deus. An cælum terramque ex chao eduxerit? an produxerit ex materiâ & formâ? 41.a

Deus. An nomen habeat? 54.a

Solus Deus omnes Species & Individua poteſt denominare ibid.

Deus ſignificatur nomine communi, per actionem, quæ à ſolo Deo fieri potuit, contracto. 56.b

An, ſi non eſſet Deus, eſſent moralitates? 74.a

Deus. Cur ſit nobiſcum. 82.a

Deus plura per Matrem facit, quàm per ſe ipſum. 83.a. De Logicâ S. Anſelmi. ibid.

Deus. An velit omnes, nullo dempto, ſalvos facere? 85.a

Quomodo in Deo voluntas efficax ab inefficaci diſtinguatur? 85.a

Deus. An ex inferno animas poſſit extrahere? An extraxerit ullam? 88.a

Deus, An mentientibus benefecerit? 91.a

Deus. An omnia petentibus concedat? 92.a

Quomodo orandum ſit? 92.a

Deus. Poſſit-ne mutare ſententiam? Juſtorum vitas protrahit, peccatorum abbreviat. Eſt immutabilis. Eſt inconſtantiæ incapax, 107.a

Deus. Verùm eſſet Verbum. An Verbum eſſet Deus? ab Hæreticis in primitivâ Eccleſia inquirebatur. 120.b

Deus. An ſi v.gr. adnihilaret formam ſubſtantialem ligni, materia naturaliter careret omni formâ? 143.a

Deus non præcipit impoſſibilia. 143.b

Deus interdum clementiſſimè diſponit, ut mala etiam cooperentur in bonum. 164.b

Deus, An ab initio creare hominem potuit, qualis nunc naſcitur? 184.b

Deus. Quid ſit? Repugnat, ut res infinitè perfecta ſit poſſibilis? 219.a

Deus. An cognoſcat? & quæ? 246.a

Deus. An cognoſcatur? & quomodo? 246.a

Deus. An diſcurrat? Non diſcurrit realiter. An diſcurrat formaliter? 248.a. Diſcurrit materialiter. ib.b

Deus eſt una realitas, in quâ ſunt multæ formalitates. ib.

Deus, Quomodo futura intelligat? ibid.b

Deus. An utatur Adſcenſu? An & nos, cùm *Divina* tractamus? 250.a

Deus. An Calviniſtarum ſententiâ Author peccati ſit? 256.a

Deus eſt Creator. Dominium *Dei* in noſtros actus. An ex creatione dominium & poteſtas oriatur? 259.a

Contra voluntatem Creatoris operari, an creaturæ liceat? 259.a

Deus, qualia homini præceperit? 294.a

Deus. An concurrat ad effectus cauſarum ſecundarum? 333.b. Cenſura contra negativam. 334.a. Multi eligunt affirmativam. Sententia media. ibid. Cur Hurtadus & Arriaga adfuerant *Durando*? ibid.b

Dens per miracula loquitur. 339.a
Deus ſcitè dicitur *Natura naturans*. 393.a
De Decretis Dei conditionatis, 107.b
De cultu Dei publico & privato, 212.b
Dei nomina non ſunt ſynonyma. 218.b
Qui promiſit Deo majus, an minus etiam promiſiſſe cenſendus ſit? 320.b
Deum eſſe, An ſit per ſe notum? 74.a
Deum daturum gratiam habenti ſuorum peccatorum verum dolorem, infallibile eſt, 252.a
De Deo, An & per quem jurare poſſit? Per ſe ipſum poteſt tantummodò, Jurat per vitam ſuam (hoc eſt) per eſſentiam ſuam. 390.a.b
Devotio. Nulla non præcepta eſt bona, ſi impediat, ut quis obſervet præcepta Divina. 44.b
Diagoræ votum de ciborum mediâ parte Idolo conſecrandâ. 398. a, Irriſui Mentales Reſtrictiones exponit. 406.b
Dialecticæ Finis: Studium, Ordo, 172.a
De Dialecticâ Morali. 292.a
Dialecticari. An poſſis ſine propoſitionibus Univerſalibus? 221.b
Dialectici non ſemper quærunt veritatem. 301.a
Diana & alii Authores propter Declarationes Cardinaliũ non pauca in ſuis libris mutarunt. 325.a
Dictamen. An ſit prima morum regula? 268.a
An poſſis mutare dictamen? 104.b
Dies præſens. Quid importet? 89.a
Dies natales Sanctorum. An redeant? 63.a
Dies poſſunt redire moraliter. ibid.
Differentia, quid ſit? 35.b
Differentiæ diviſio? ibid.
Differentia. An deberet dici ſpecies? 38.b
Differentia, quæ eſt inter Non-dubium, & Indubium. 155.a
Differentiæ diviſivæ, & ſpeciarum conſtitutivæ, an in generis definitionem ingrediantur? 194.a
Difficultates undecim proponuntur. 253.b
Digeſtorum nomen quis primus invenerit, & cur? 189.a
Dii virtuales, qui? 15.a
Diligentiæ humanæ an ſufficiant, ut veritas exactè inveniatur? 368.a
Diminutio, Quid ſit? 46.b
Diſcipuli, An poſſint à Magiſtro diſſidere? 253.b
Diſcurrere & ratiocinari. Quid? 131.a
Diſcurſus, Unde incipiat? ibid.
Diſcurſus, Quid ſit? & quotuplex? 248.a
De Diſcurſu reali, ibid.
De Formali, An à formâ, an verò à formalitate dicatur? ibid.
De Diſcurſu materiali. ibid.
Diſcurſus Moralis. Quid ſit, & quotuplex? 263.b
Diſcurſus, an à ſuperioribus ad inferiora, an ab inferioribus ad ſuperiora legitimus procedat? 323.a
Diſcurſus Politicus exhibetur. 261.b
Diſcurſus Regularis examinatur, 262.a
De Diſcurſu Virtuali. 248.b
Disjunctivæ diviſio, 114.b
Diſpoſitionis Generalis Expoſitio, An includat ſingulos? 93.a
Diſpoſitiones ultimæ ad Patrum Capuccinorum utilitatem quomodò fiant? 12.b
Diſſenſus & Nolitio, an detur? 307.a
Diſſimilitudo in ſimilitudine ſemper invenitur. 119.a
Diſtantia oppidorum, an mutari poſſit? 314.a
Diſtinctio & Condiſtinctio quomodo diſtinguatur? 12.a
Diſtinctio. An aliqua ſit Ens rationis? 219.b
Diſtinctio formalis. Quid ſit, & quomodo vocetur in diverſis Scholis? 248.b
Diſtinctio formalis. An, & quando ſyllogiſmo Identico non præjudicet? 237.b
De Diſtinctione Naturæ & Proprietatum in Divinis. 271.b
Dividi pro diviſo, quid? & quid dividi pro Indiviſo? 39.b
Divina. An ſubſint legi contradictoriæ? 218.a
Divinitas. Quid ſit? 227.a
Divinitas & Humanitas. An in Chriſto commixtæ ſint? 184.b
Diviſio per actuales partes. 206.a
Diviſio Juris Civilis in immediatas, & mediatas partes. ibid.
An Diviſio *Diſtributio* nominari deberet? 207.
Diviſio hominum in ſervos, & liberos. An ſit adæquata? ibid.b
Varia Diviſionum genera enumerantur. ibid.a
Diviſio generis in ſpecies. ibid.
Speciei in Individua, ibid.b
Subjecti in accidentia. ibid.
Accidentis in ſubjecta. 208.a
Accidentis in accidentia. ibid.
Studiorum diviſio, 209.a
Diviſio ſyſtematica. 203.a
Diviſio accidentis in accidentia, In quo conſiſtat? 209.b
Diviſio Analogi in ſubjecta. 210.a
Diviſionis leges exponuntur. ibid.
De Diviſione Animalis. ibid.
De Diviſione Juſtitiæ, ibid.
Diviſio Generis in ſpecies eſt difficilis. ibid.
Diviſio Generis per contradictorias differentias; & per Differentias poſitivas. ibid.b
Diviſio. An conſiſtat in Propoſitione Disjunctivâ? 173.a
Diviſio. An à Definitione diſtinguatur? 206. Quid ſit? 207.a
De diviſione Logicæ, 1.b
De Diviſione Charactericâ. 211.a
Diviſum. An cum membro dividente convertatur? 208.b
Divites, an probi eſſe ſoleant? 289.b
Divitiæ & paupertas ſubjacent manifeſtis periculis. 179.b
Divitias, dignitates & honores quærere. An ſit malum? quando ſit bonum? 209.a
Docti. An poſſint non laborare? 192.b
Doctores vivi. An defunctis ſint anteferendi? 106.b
An aliquando ab aliquo Summo Doctore diſſentire debeamus? 107.a
Doctores Regulæ. Qui? 221.a
Doctorelli. Qui? ibid.b
Doctrina Librorum, an Theſium, utra ſit majoris facienda? 284.a
Doctrina Ariſtotelis, qualis ſit Tychonis opinione? 300.a
Doctrina ſola PP. Dominicanorum Salmanticæ admiſſa, cæteræ interdictæ: impoſuit finẽ interdictioni ſcientiæ mediæ defenſin. 330.b
Doctrina. An ideò aliqua mala ſit, quod in Hæreticis, aut Ethnicis libris expreſſa? 361.
De doctrinâ Oppoſitionis. Unde tota naſcatur? 133.a
De Doctrinâ Chriſti & Chriſtianorum. 254.a
De *Doctrinâ* Auguſtini. *An* ſe ipſe ſemper; an ipſum ſemper ſequatur Proſper? 254.a
Dominium, Quomodo per Teſtamentum ad hæredem tranſeat? 16.b
Dominium. *An* transferatur per *Dabo*? 76.b
Dominium, *An* per promiſſionem acceptatam transferatur? 425.b
De illo, qui promittit alicui, ſe aliquid daturum eſſe alteri. 426.a
Quot perſonæ realiter, aut formaliter diſtinctæ in omni promiſſione reperiantur? ibid.
De Dominiorum diviſione, 179.a
De Donatione. 66.b
Donatiſtæ & Rogatiſtæ, an Circumcellionibus ſint minùs mali? 300.b
Donatiſtarum errores. ibid.
Dubium. Quid ſit? Et quomodo à Probabilitate diſtinguatur? 152.b

Dubium, quomodo à Probabilitate diſtinguatur? 279.b
Dubium virtualiter eſt idem quod nihil. 258.a
Dubium incidens. An negare poſſimus, quæ probabiliora fatemur? Reſolutio ex Hieronymo. 273.b
De dubio. Quis illud habere dicatur? 148.a
Dubia duo proponuntur & ſolvuntur, 277.a
Dubius in fide. An ſit hæreticus? 365.a

E

ECcleſia. An judicet de occultis? 330.b
Eccleſia, an poſſit cenſuras ad Fidem Orthodoxam reducere? 331.a
An poſſit definire aliquam opinionem eſſe probabilem? ibid.b
De authoritate Eccleſiæ. An potuerit impedimenta matrimonii ſtatuere? 241.a
De Eccleſiâ Catholicâ. 148.a
De effectibus negativis. 116.
De Electione in circulum. 24.b
De Eleemoſynâ. 312.a. An interdici poſſit? 315.a. Multi illâ abutuntur. ibid.
Elementorum conſtitutio & diviſio. 211.a
Enchiridium. Quid ſit? 144.a
Ens bifariam ſumitur. 127.b
Ens. Quid materialiter, & quid formaliter dicat? 206.b
Entis diviſio. ibid.
Ens. An & quo modo Vero, Bono, & Uno ſit prius? 16.b
Ens Increatum poteſt infinitari. Similiter & Ens creatum. 127.b
Ens univerſaliſſimum infinitari nequit, ſi abſolutè ſumatur 128.a
Ens rationis, An ſit objectum Logicæ? 219.a
Ens Virtuale. Quid? 14.b. 67.b. 418.a
Entia rationis, an dentur? An Entia linguæ tantùm ſint, quæ *Rationis* vocantur? 383.a
Entia rationis. An ſint? Quid ſi darentur, eſſent. 219.a
Entia linguæ. An dentur? ibid.
Enſis. Deauratus totus dicitur, licèt totus deauratus non ſit. 90.b
Enthymema. Quid ſit? 31.a
Modi conformandi Enthymemata, ibid.
Enthymema. Quomodo ad ſyllogiſmum reducatur? ibid.
An Enthymemata ſint in mente? An ſint ſyllogiſmi virtualiter? 231.
Enthymema eſt ſyllogiſmus incompletus. Quomodo completi debeat? 231.b
Enthymema, An ſit ſyllogiſmus virtualis? 247.b
Enthymema. An ſit integer ſyllogiſmus? 263.b. Quomodo ejuſdem Conſequentia probetur? ibid.
Enthymemata realiter diſtincta coincidunt, ſi ſumantur virtualiter, 263.b
Enthymematum conſideratio nos ad Dei perfectionem ſuſpiciendam & adorandam manuducit. 264.a
Enthymemata. An mentalia dentur? 225.a
An Major & Minor? ibid.
An Subjectum & Prædicatum? ibid.
Enunciatio Tacita. Quid ſit? 49.a
Enunciationis ſubdiviſio unde naſcatur? 48.b
Ἐπιχείρημα. Quando locum habeat? & quando non habeat? 316.a
Epiſcopi tacitus conſenſus non poteſt ſucceſſoribus præjudicare. 395.a
Epiſcopi, An in majori reverentiâ eſſent hodie, ſi rebus ad vitam neceſſariis carerent? 28.a
Epiſcopi. An Principibus ſæcularibus ſubditi ſint? 385.a
Epiſtola ad Demetriadem, cujus ſit? Non illam Pelagio Beda adtribuit. Eſt tamen Pelagii. In quo conſiſtat Quæſtio? 256.b
Epiſtola ſine ſubſcriptione nihil probat. 396.b
Error antiquorum circa Modum *Contingens*. 141.b. Fuit ab aliquibus perceptus, ſed malè correctus. Quibuſnam modis contradicat? Unde aborta fuerit allucinatio? 142.a.b. Erroris communis correctio. ibid.
Erroris cauſa, quæ? 71.a
Errores. Quam ſint periculoſi in materiâ Fidei? Quales Lectores S. Auguſtinus deſideret? 71.a
An errorum contra conſcientiam commiſſorum conſideratio ad ſcientiam ſpectet? 193.b
Ethica Phyſicæ ſubalternatur, 217.a
Ethicæ profundiſſima Baſis, 258.a
Ethnicum eſſe voluntatis, non neceſſitatis eſt. 71.b
Ethnici interdum diligentiùs ſuas leges obſervant, quàm nos noſtras. 301.a
Ethnici maximi ſemper fecerunt jurisjurandi religionem 392.a
Etymologia. Quid ſit? & unde dicatur? An & ad quid ſit utilis? 174.a
An fidendum ſit Etymo. An & Etymologiæ? 185.a
An & quando ab Etymo validè argumentemur? ibid.
An Evangelici ſequantur Martinum Lutherum? 355.a
Evangelium omni creaturæ prædicare. Quid? 92.b
Evidentiæ & Probabilitatis differentia. 216.a
De Exceptionibus, 97.b
Excluſio. Quomodo negetur? 111.b
Excommunicatus. An ſit, qui legit, an qui audit hæreticum? 320.b
An *Excommunicationis* nomine indefinitè ſumpto intelligatur major, an minor? 43.b. Quomodo inter ſe diſtinguantur? 44.a
De Excurſoribus viarum. An tantùm, qui peccandi conſuetudinem habent, Eccleſiaſtici aſyli privilegio priventur? 386.b
In exemplum trahi quænam debeant, & quænam non debeant? 258.b
Exfilius, qualis? 139.b
De exhærede & exfilio. 314.a
Exiſtentia virtualis, qualis? 16.b
Exiſtentia Moralis. Quid ſit? 418.a. Defunctus poſt realem mortem per annum integrum civiliter & politicè vivit. ibid.
Quænam per libellum expediantur? 60.a. Et quæ non? an hæc Regula ſit per ſe nota? 80.a
Extremum. An unum alteri uniri eſſentialiter poſſit, quando alterum ſibi unitur accidentaliter. 130.a
Extrema ſunt periculoſa, & in medio reperitur ſecuritas. 179.a

F

FAbulæ, Comœdiæ, Novellæ, Parabolæ, &c. An ſint mendacia? 69.a. Prophetæ, & Chriſtus in Parabolis loquuti ſunt. ibid.
Facchini apud Italos, qui? 191.a
Facere. Quid ſit? 186.b
Facere, quod omnes ſuadent, an liceat? 292.b
Factum probari debet; nec quid cenſendum eſt factum, niſi ſufficienter probetur. 66.a
Falſitas virtualis, quæ? 21.a
Fama benè fundata eſt pluſquàm fama. An famæ credendum? An ob ſolam famam aliquis torqueri poſſit? 283.b
Fama à ſuo fundamento diſtinguitur, 343.a
Fama bona quid præſtet? ibid.
Fama. An recuperari poſſit? 377.a
De Fato. An detur? 143.b
Particula *Fere* Univerſalitatem Moralem conſtituit. 89.a
Fere omnes, & *Fere nulli*. Quomodo ad æquipollentiam reducantur? 163.b
De Feſtis Sanctorum translatis. An in ipſis dicatur, *Anni recurſo tempore*. &c. 63.b
De Feſtis mobilibus. ibid.

Fictio Juris, quid ſit? 319.b
Fictio Juris Hypotheſis debet vocari, 24.a
Fictiones Juris. An ſint mendacia? 72.a, Quid ſint? 72.a. 74.b. An contra Juris fictionem admittatur probatio? ibid.b. Quo ſenſu debeat id intelligi? 75.a
Fictiones Orthographicæ. 73.a
Fictiones Arithmeticæ, ib.b
Fictiones Logarithmicæ, ibid.
Fictiones Anarithmicæ. ibid.
Fictiones Aſtronomicæ. Quanto ſint ingenio delineatæ? ib. An ſint deliria? 74.a
Fictiones Theologicæ, 74.a. De Adamo. De SpirituSancto. ibid.
Contra fictiones aliarum Artium non venit admittenda probatio. An contra fictiones Grammaticas? An contra Orthographicas & Steganographicas? 75.b
Fidejuſſio. Quid ſit? 21.b. An in criminibus ſit fidejuſſio? ib.
Fides, quid ſit? Unde dicatur? 402.b
Fides eſt virtus generalis, quæ in ſpecialibus univerſis includitur. ibid.
Fides Punica. 406.a
Quanta ſit Fidei gloria? 403.b. Utrùm etiam in ſervilibus animis vim nobilem & generoſam habeat? ibid.
Fidei effigies, qualis? ibid. Domitii Corbulonis Apophthegma, ibid.
Fidei jactura omnium litium & contentionum origo, 403.
Numa Templum Fidei dicavit. Quod poſteà Populus Romanus apud Jovem Capitolinum reædificavit. 402.b
Fide omnes Communitates conſervantur. ibid. Potiùs mori, quàm infidelitate fœdari. ibid.
Fides humana. Quid ſit? An frangenti frangenda? An non colat Deum, qui ſtat promiſſis? 44.b
Fides an latronibus ſervanda ſit? 380.a
An frangenti fidem, poſſit ſimiliter fides frangi? Bonam doctrinam inconcinnis verbis docuit Bonifacius VIII. 380.a. 384.a
An ſit contra rationem fidem datam violare? ibid.b
Reges & Principes nequeunt fidem violare. ibid.
Fides. An Piratis ſervanda ſit? 382.b
Fidei & morum connexio non eſt neceſſaria. 299.a
Figuratum diſcrimen. 226.b
Fictio virtualis, quæ? 15.b
Filius, & Spiritus-Sanctus. An ſint conſubſtantiales Patri? 184.b
Filius patrem captivum redimere tenetur. 238.b
Filius. An ſit Dominus Patris? 268.b
Filius, quî debeat de Patre judicare? 316.b
Filium nominatim exhæredem facere. Quid ſit? 59.b
De Filio adoptivo. 24.a
Finia. Quæ regio, & ubi ſit? 8.a
Finis Ordinum Monaſticorum, Charitas. 28.a
Finis. An & quando in Confeſſione ſit explicandus? 198.a
Finis legis. An eo ceſſante in aliquo particulari ceſſet lex in eodem particulari? 424.b. An hæc veritas ad Jus humanum, an verò ad naturale pertineat? 425.b
Finis, propter quem ſeptem teſtes in teſtamento requirantur. ibid.
Finis duplex. ibid.
Finis clauſuræ in Monialibus. ibid.
Finis Jejunii naturalis in Euchariſtiâ ſumendâ. ibid.
Finis in anno Novitiatus. ibid. Et hi fines, quos intendit Eccleſia, non poſſunt ullo modo ceſſare. ibid.b
De Finito & Infinito, nec non de Corporeo & Incorporeo. 7.b
Fiſcus. An ad ipſum omnia pertineant, quando omnia bona publicantur? 91.a
Fœmina. Cur Belgicè & Germanicè vocetur Ein fraw? 374.a
Fœmina Senatoria, ſi ignobiliori nubat, Senatorium ſplendorem amittit, 42.b
Fœmina partibus verendis laborans, an teneatur permittere, ut à Chirurgo curetur? 410.a
Fœminæ, an ſuperfœtare poſſint? 103.a
Fœminæ in duello pugnantes, an incidant in excommunicationem? 321.b
Fœminæ peccatrices, cur in Chriſti Genealogiâ nominentur? 232.a
Fœminæ. An poſſint eſſe teſtes? illæ non ſtant promiſſis, Produnt & nocent, cùm favere videntur. An Jura Pontificia & Cæſarea eas à teſtimonio excludant? Quid fieret D. Auguſtini tempore? 374.b
Fœminæ, ut vindictam obtineant, nulla media etiam propudioſa intermittunt. 375.a
An duarum fœminarum teſtimonia ad plenam probationem ſufficiant? Ex Jure Civili Canonicum dilucidatur. 375.a
Fœminarum Hiſpanarum & Italarum ſeveritas. 354.a
Fœminarum omnium ingenium, ibid.
Gallarum fœminarum levitas aut ſinceritas. ibid.b
Forma Platonica. Qualis ipſa ſit? 287.a
Forma Platonica, & Prima Figura Ariſtotelis in quo differant? 289.a
Forma *Capitis* eadem eſt ac forma, quæ *Camilli* vocatur. 285.a
Formæ conſideratio, 128.b
De forma concludendi probabili. 233.b
Formæ eſſentiales contractuum privatim mutari non poſſunt. 42.b
De Formis Charactericis. Quænam illæ ſint? 370.a
Fornicatio ſimplex. Quid ſit? 110.b
De Excellentiſſimâ Frangipaniorum domo. 183.a
Frequentiora, an probabiliùs poſſint aſſeri? 297.b
Fuga non ſolùm, ſed animus fugientis eſt conſiderandus. 343.b. 345.b
Chriſtus fugam conſulit, imò arripit. Fugerunt ſæpe Apoſtoli. Fugit Paulus. Fugit Athanaſius & alii. ibid.
Fuga è carcere, an ſit virtualis confeſſio? 345.a
An progreſſus torqueri poſſit? ibid.
Fundamenta Dialecticæ, 220.a. 238.a
Fur. An poſſit præſcribere? 139.b
Fures, an ſint pauperes? 289.b
Furta. An quà talia, diſtinguantur ſpecie? 24.a

G

Galenus. Qualis opinione Avicennæ? 216.a
Garrire in aurem. An ſit iudicium ad torturam ſufficiens? 350.b
Gellius & Laurentius Valla. Quanti fiant? 1[illegible]6.b
De Generatione Verbi; per quam ipſum cognitionem procedat? 246.a
Gentiles ipſi cognovorunt viam, quæ in infernum perducit, eſſe facilem. 276.a
Genus. Quid ſit? 35.a. 37.b. 38.a
Genus. Quid importet? 37.a
Genus. An detur in unica ſpecie, & ſpecies in unico Individuo? 203.a
Genus. An per duplicem differentiam contrahatur? 211.a
Quid Generis & Speciei nomine intelligant Juriſperiti? 38.b Quomodo illa Cujacius exponat? 39.a
Genera phyſica. Quomodò à ſuis differentiis in Ethicâ diſtinguantur? 24.b
Geomantia. Quid ſit? 348.a
Germanorum ſinceritas. 287.b
Gradus Con[illegible]ngulnitatis. Cur ſint quatuor? 224.a
Gradus ſci[illegible]d[illegible]. Quot ſint? 172.a
Græcorum infidelitas 287.b
Grammatica, quæ? Sententia Ariſtotelis. 205.a
Graſſatores. Quinam dicantur? Quomodo ſubſiſtant in Hyeme? 168.b
Graſſatores viarum. An ex latrociniis poſſint vivere? 382.b
Gratia omnis per Virginis manus conceditur, 83.a

Gratia. An creetur? 224.a. Contra Deiparæ Conceptionem non benè Veteres argumentabantur. 83.a
Gratia & peccatum, an ſint ſimul in unico inſtanti? Sententia aſſerens Hiſpanis placet, Belgis diſplicet. pag. 328.a
Gratia Prælati. Quanta ſit facienda? 60.b
Gratia Principis. Quanti? ibid.
Gravida. An poſſit ultimâ condemnari ſententiâ? 542.b
Gregorius Magnus, qualis? 363.a
Gregorius Nazianzenus, qualis fuerit? 298.b

H

Habere virtuale, quale ſit? 16.a
Habitus. An ab animâ diſtinguantur? 204.b
Habitus & Scientiæ, an ab Intellectu diſtinguantur? pag. 216.b
Habitus Principiorum Moralium. An ab Intellectu diſtinguatur? 317.a
Hæreditas. An per ſervum augeatur? 124.b
Hæres. An incipiat eſſe hæres, quando hæreditatem acceptat? 89.a
Hæreſis. Quid ſit? 165.a
An hæreſis externa ſit vera hæreſis? ibid.
De hæreſi poſitivâ & negativâ. ibid.
Hæreſis Aptardocitarum. 31.b. Hanc eamdem Juſtinianus admittit & propagat. 32.a
Hæretici, An ſint Auguſtiniani? 254.a
Hæretici carent Regulâ credendi. 256.b
Hæretici noſtras ſententias ſemper malè proponunt. pag. 303.a
Hæreticos quinam punire poſſit? 328.a
Herodis convivium. Ejuſdem profuſa promiſſio. 26.b
Heteronymia, quæ? 33.b
Hierarchia. Quid ſit? 198.b
Hiſpaniæ deſcriptio. Penioſula quid ſit? Hiſpania à Mauri ſubjugatur. Qualiter poſt Mauros dividatur? pag. 194.b
Hiſtoria pulchra, ſed cogitata, proponitur. 8.a
De Hollandorum induciis. Utrum ad alterum mundum propagentur? 399. b. Orbem novum ab antiquo non diſtinguunt. 406.b
Homicidium. An ſit peccatum? 231.b
Vera & formalis ratio, ob quam homicidium eſt peccatum. 232.a
Homicidium. Cur ſententia Florentini ſit malum? 117.a
Vera, & clariſſima ratio propter quam homicidium peccatum ſit. ibid.
Homicidium. An omne ſit parricidium? 241.b
Homicidium per inſidias, ſi accidat, an debeat domeſticis occiſi imponi? 288.a
De homicidio commiſſo cum moderamine inculpatæ tutelæ. An circumſtantia probari debeat? An dentur hîc opiniones probabiles? 39.a.401.b
Caſus idem in aliâ materia proponitur. ib. Monitum obſervatione dignum. ibid.
De homicidio involuntario, In quo multa veniunt examinanda. ibid.b
Homo. Unde dicatur? 42.b.182.a
Homo. Cur à Græcis vocetur φῶς? 196.a
Homo cur ſit creatus? ibid.b
S. Athanaſius, quid Homo ſit, per omnes cauſas internas & externas definit. 195.b
An nomen *Homo* omnia quæcumque genera cauſarum exprimat? 195.b
De Hominis corpore. ibid.
De Hominis animâ. 196.a
An homo bene definiatur? 202.a
An Homo conveniat cum Angelo? ibid.b
An omnium creaturarum perfectiones reperiantur in homine? ibid.
Homo. An ſit corpus? An ſit Anima? 228.b
Homo. An ſit animal ratiocinans? 199.b. An ſit vivens ſenſibile? 220.a
Homo & Angelus, An in gradu intelligendi conveniant? 202.b
An Homo à brutis per religionem differat? 203.a
An homo & bruta in genere immediatè conveniant? Rejicitur utraque opinio. ib.
Homo. An ſit ſuæ vitæ dominus? 21.b.111.a
An unus homo æquè ab alio differat, quàm à Leone vel ligno? 23.a. Dantur in homine variæ formalitates ibid.
Homo priùs nomen proprium non habuit. 54.a
An homo in ſtatu eſſe poſſit, in quo ſeu faciat, ſeu omittat, peccet? An tunc neceſſariò peccabit? 71.b
An in hac vitâ poſſit homo omni carere peccato? 87.b
Homo, Cur moriturus ſit? 1[illegible].b
Eandem rem eodem ſenſu idem homo non poteſt ſimul velle & non velle. 16[illegible].a
Homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei. An hæc imago deleri poſſit? 196.a.b
Homo. An poſſit ſine fine operari? 209.a
Homo. Cur obediat Homini? 211.b
Homo lapideus, argenteus, &c. an ſit poſſibilis? 223.a
Homo non poteſt non cognatum occidere. Ratio Florentini. 232.a
Homo. An ſe poſſit defendere? 2[illegible]2.a
Homo. An habeat ſpecies concretas? & quas? Quomodo judicet & diſcurrat? Quomodo intelligat? 249. a. b.
An Homo, qui auxilio Dei careret, peccaret? 258.a
Homo integer. Quantam claritatem & ſcientiam habuerit? Quantam nos habeamus? 262.b
Homo poteſt & ſolet agere liberè invitus & contra ſuam voluntatem. 266.b
Homo in ſuis operationibus eſſe bonus præſumitur, quamdiu non probetur oppoſitum. 267.b
Homo lapſæ fidei, an poſſit Juriſdictionem exercere? 381.b
Hominis per ſtatus Diviſio. 210.b
Diviſio à Juſtiniano tradita, an bona ſit? 211.a
An ſint in Mundo homines, qui non articulatas voces proferant? 3.b
Homines, an poſt mortem vivant? 27.b
Homines. An tacendo loquamur? An tolerando? An patiendo? An & agendo? 47.b.168.a
Homines propriis nominibus carere non poſſunt. 55.b
Homines, Cur utantur vocibus? 72.b
An omnes homines ſint morituri? Apoſtolorum ſententia. 86.a
An aliqui pluries fuerint mortui? 86.b
Homines. An & quando obligentur ad alteram Probabilitatis partem? 96.a
An præter vivos mortuoſque debeant recenſeri homines reſuſcitati? 208.a
Homines. An omnes civiliter ſint cognati? 231.b. An ſaltem naturaliter? 232.a
Homines, an volare queant? 307.b
Homines Sancti etiam inter ſe in ſententiis differunt: interdum etiam Angeli. 325.a
Homines ad duas claſſes redacti. 380.b
Honos Authoris, an & quomodo lædatur, cùm opinio aliqua dicitur improbabilis: an cùm hæretica? 333.b
Hugo Platonicâ formâ utitur, ut ſingularem opinionem ſtatuat. 228.b
Huoberus, quis & qualis? 361, b. Huoberi ratio probat negandum eſſe Deum. 362.a
Hus & Hieronymus de Pragâ, cur fuerint combuſti? An ipſis fides violata fuerit? 384.b
Hypocrates. Cur non ſcripſerit de Podagrâ? 102.a
Hypocrita depingitur. 265.b

Hypotheſis, quid ſit? & quid Fictio? 18.a
Hypotheſes Iuris Civilis, an ſint mendacia? 27.b
De hypotheſibus Aſtronomicis. An ut theſes ponantur? 76.a
De Hypotheticarum commi[illegible]ione [illegible].b

I

IAnſeniſtæ. Quomodo Theologis conſulant? 1[illegible]6.b
Ja[illegible]ſtarum [illegible] 184.b
De Ideis Pla[illegible]. An ſint à mentis operatione independentes 34.b
De Id[illegible] e rationis Explicatur quid ſit, & quo modo [illegible] argu[illegible] 3[illegible]2.a
Jejunii dies, an & quando [illegible]uis debeat à communibus diebus di[illegible]inguere? 392.a
Jeova apud Hebræos eſt nomen proprium. 56.b
P. Ignatius Derkennis laudatus. 306.b
Ignis Inferni An ſit [illegible]poreus 2[illegible]6.a
Ignis. An ſine miraculo po[illegible] non ur[illegible]? An ignis vi ſuperſti[illegible]sè enervetur? An etiam arte? An morbo? An miraculo? 3[illegible].b
Ignorantia duplex. 71.a
An omnis ignorantia craſſa ſit peccatum? 71.a
Ignorantia rerum, quas non [illegible] ſcire, an ſit peccaminoſa? 71.a
Otioſitas eſt mala & peccatum. 71.a
De illo, qui errat in re, quam non tenetur ſcire: & de illo, qui errat in re, quam ſcire tenetur. ibid.b
Ignorantia Dialecticæ, quàm perniciosa ſit? 291.a
Illatio, Quid ſit? 119.a
Illationes aliquæ temerariæ recenſentur. 348.a
Illicita, mo[illegible]iter ſunt impo[illegible]ia. 41.a
Imm[illegible] [illegible], cur non ſit del[illegible]ganda? 91.a
Immunitas & privilegium generale, quod ab omnibus oneribus eximit, an eximat etiam à ſing[illegible]? 90.b
Immunitas. An omnis Eccleſiaſtica ſit [illegible] Cæſare? 3[illegible]4.a
Impedimentum duplex. 312.b
Impedimentum [illegible], quale ſit? ibid.
Imperator. An [illegible] potuerit Conſ[illegible]? 191.a
Imperatores, Cur dicantur [illegible]? 96.a
Imperatores. An debeant labora[illegible] 2[illegible]2.b
Ex uno impoſſibili [illegible] Impoſſibile. 8.a
Impo[illegible], & intolerabi[illegible] 84.b
Impoſſibilia moraliter. An [illegible] dicantur? [illegible]1.a
Impo[illegible]itas duplex. 142.b
Impotentia dup[illegible]. 312.b. [illegible].a
De impo[illegible], & [illegible]orum c[illegible]ortio. 3[illegible].a
Impuberes. An ab officiis pu[illegible] arc[illegible]? Vo[illegible]um interpretes. An hæc doctrina ſit [illegible] 88.b
Incertitudo & non[illegible]ertitudo. An, & quomodo di[illegible]gantur? 1[illegible].b
Incu[illegible]. Quomodo [illegible]tur? 11[illegible].a
Incommoditas debet ſemper ab inj[illegible] di[illegible]agui. pag. 4[illegible]
Inconvenientia graviſſima, quæ procedunt ex communi doctrina. 97.b
Indefinita, an univerſalibus æquivaleant? [illegible].a
Indeterminatio duplex 78.b
De Indeterminatione Compoſitâ. ibid.
Indicium. Quid? [illegible] Cur Imperatore non [illegible] ciderint quæſtionem. ibid.
Indicium. Quotuplex? Commune & Proprium, Proximum & Remotum, Indicium Indicii, Certum, Probabile, & Dubium, ſingula diluci[illegible] pag. 280.b
Nomen [illegible] Quid ſit? ibid. An ſit argumentum [illegible] Vera [illegible] on tur & prob[illegible] do prob[illegible] 9.a
Indi[illegible] vera ſine [illegible] Ratio Theologica. Ratio P[illegible]ica. 287.a
Indicium de Probabilitate intrinſeca, & extrinſeca. pag. 3[illegible].a
Indicia. An æquiparent [illegible] teſt[illegible] 108.a
Indicia, an crimen plene probari poſſint? 279.a. An ob indicia indubitata [illegible] condemnari poſſit? ibidem. Objectio propo[illegible]r & ſolvi[illegible]r. ibid.
Indicia. An & quomodo [illegible] D[illegible]bent probari pl[illegible] ibid.[illegible].b
Ob indicia nemo ca[illegible] [illegible]ndus [illegible] niſi [illegible] ſalibla, & S[illegible] [illegible] modo [illegible] moratur. 2[illegible]4.b
Indicia pl[illegible] probari de[illegible]. Quid, ſi tan[illegible] [illegible] plene probentur? 285.a
Indicia i[illegible], mutatâ m[illegible] inter[illegible] [illegible]unt. 285.b
Indicia [illegible]duntur rationi[illegible], cont[illegible] indiciis, teſtibus, & juramento purgatorio. ibid.
Indicia ſunt practica, & [illegible] efficaciæ. pag. 336.a. 340.b
Indicia ſe juvare ſolent. 3[illegible].a
Indic[illegible] gravia ſunt ve[illegible]es R[illegible] [illegible] reperta: Accuſatio à Reo; Extraj[illegible] conte[illegible]io. 340.b Minæ: Tran[illegible]actio de [illegible]: A[illegible] Teſtimonium. [illegible].a
Indicia plen[illegible] probari deb[illegible]nt. ibid.
Quænam indicia ad ca[illegible] ibid.
Indicia poſtquam plene probentur, debent [illegible] conſequentiam inferre. 341.b
Indicia. An habeant vim Teſtium? [illegible].b
Indiciorum vehementium efficacia. 1[illegible]4.a
De indiciis, quæ in materi[illegible] luxuriæ. 3[illegible].b
De indiciis, quæ in [illegible]eria homicidii. [illegible].a
In Indici[illegible], & Præſumptio[illegible] [illegible]abe[illegible] ætatis, Per[illegible]næ D[illegible], Di[illegible] Loci, Temporis, Qualitatis, Sexus, U[illegible], [illegible]morum, Fugæ, Negligentiæ, [illegible], Propinquita[illegible], Amicitiæ 38.a
Indi[illegible]us. An Po[illegible] acceptæ d[illegible]? 192.a
Individuum. Quid ſit? A[illegible] [illegible].55.a
In[illegible]iduum. Au[illegible] 35.b
Individua ſunt innume[illegible], & non h[illegible] [illegible]tia [illegible] Sed ne[illegible] rerum [illegible] pag. 52.
In[illegible]dua in qualibet ſpecie poſſunt habere [illegible] pro[illegible]. [illegible].b
In[illegible]o. Quid ſit? 2[illegible]0
In[illegible] Papinian[illegible] [illegible].a
[illegible]ioni [illegible] in Jur[illegible] [illegible].b
Inductio [illegible] mere. In ere tam[illegible] Proba[illegible] & S[illegible]. pag. [illegible]
Infallibilitas [illegible] [illegible].61.b. An Præſ[illegible]ntiæ oppo[illegible]? [illegible] Dei [illegible] ſcientiam. ibid.
Novato[illegible] umargumenti [illegible] manant [illegible]. [illegible].a
Infamia. Quanta [illegible] ſententias? An ad torturam [illegible] 342.a
In[illegible] 3[illegible].b
Infames non poteſt [illegible] ad Ordine[illegible] [illegible] novi[illegible] [illegible].a
Infames, [illegible] [illegible] plicarur. ibid.
In[illegible]. An [illegible] [illegible] [illegible]ntum [illegible] dignitat[illegible] [illegible] [illegible].a
In[illegible] & [illegible]. An [illegible] 1[illegible]4.b

De Infantibus nondum natis. [illegible].b
In[illegible] puerperio clandestino infertur? [illegible]
In[illegible] pec[illegible] quanta ſit? 18.a
In[illegible] ſuum negat Lucretius. 361.b. Illum Ariſtoteles, [illegible], Seneca, [illegible] alii negant. pag. [illegible].a
In[illegible] de conſi[illegible] eſt [illegible]. 238.b
An [illegible] elemento? ibid.
[illegible] Æ[illegible] ut illi liceat ad Infernum deſcendere? ibid.
An aliquis [illegible] ibid.
[illegible]. An poſſit [illegible]? 1[illegible]5.b
Infide num nomine [illegible] ſit eligendum? 5[illegible].a
De [illegible] Poſſeſſionum Orientalium. 379.b
Info[illegible]io, Quando [illegible] ut reus condemnetur? 280.b
In[illegible] humana, qualia ſint? 309.b
In[illegible]citia. Qual[illegible] 346.b
[illegible] gratia negatur 241.a
[illegible] cognitio, [illegible] Jurisprudentiam ſpectet 2[illegible]5.b
Innocens, an [illegible] crimen imponere[illegible] 41[illegible].a
Innocentia. An ſola ad vitæ ſecuritatem ſufficiat? pag. 3[illegible].a
De Inquiſitione. Quando in communi, & quando in particulari poſſit [illegible] 401.a
De Inquiſitione generali, quando conſtat de corpore delicti 412.a
In[illegible] ab Intellectu, & Appetitus diſtinguitur à Voluntate 16[illegible].a
De Inſtrumentis delictorum. Examinare debet Judex, An [illegible] quis illa præparaverit, & ex qua cauſa? 3[illegible]9.b
Intellectus, quotuplex ſit 24[illegible].a
Intellectus An ſit Habitus Principiorum? 216.b
An omnia, quæ non ſunt interdicta, ſint licita? 242.b
Interpretatio duplex: altera reſpicit factum; altera jus & debitum. 31[illegible].a.b
Interpretatio voluntatis Superioris prudens, unde naſcatur? 318.b
Interrogati, quomodo injuſtè reſpondere poſſint, quando Judicem iniquum experiuntur? 412.b
Interrogatio habet vim negationis. 61.a
Interrogatio eliditur interrogatione. 269.b
De Interrogationibus communibus. An in illis locum habeat Reſtrictio? 401.b
Interrogatori[illegible] inepti curioſitas moleſta, quomodò poſſit [illegible]? 417.b
Joannes non fuit Christus. An fuerit Propheta? An fuerit ὁ Προφήτης? An fuerit Elias? Proponitur quæſtio. Joannes ſpiritu fuit Elias, in perſona [illegible] non fuit Elias. 16[illegible].a.b
S. Joannes Baptiſta ſciebat Chriſtum [illegible] Redemptorem Mundi [illegible]. [illegible] Di[illegible] Joanni [illegible]. [illegible] ſtio [illegible] 4.a. [illegible] Chriſti [illegible] deductum. ibid.b
Joannes à S. Thomâ An bene C[illegible] intelligat? 1[illegible].b
Joannis de C[illegible] celeb[illegible] apud Hiſpanos Juris, ſeu d[illegible]ia. [illegible].a
Job An C[illegible] commendet? 81.b
P[illegible] Job [illegible]catur 2[illegible].b
Jo[illegible] Quot modis [illegible]ſit? [illegible].a
J[illegible] an ſint mendacia? 6[illegible].b
J[illegible] fabulæ an [illegible] 6[illegible].b.7[illegible].a
J[illegible] An [illegible] Virum probum & gra[illegible] [illegible].b
[illegible], quando ſit? & quando con[illegible]? [illegible]
Irr[illegible]. An [illegible] ſit qui in dubio a[illegible]

[illegible] curavit? 40.b
Irregularitas An poſſit extra Confeſſionem abſolvi? 2[illegible]4.b
Judex Civilis. An poſſit cauſas criminales expedire? [illegible].a
Judex habens poteſtatē circumſcriptam terminis: ſi extra [illegible] procedit, operatur invalide. Eſt perſona publica & pri[illegible] 12[illegible].a
Quando & in quibus procedat ut Judex: quando [illegible] in quibus ut homo privatus? 1[illegible].b
Judex. An, & cur non poſſit minùs probabilem ſententiam ſequi? An illi adhærere ſit nefas? 274.b
Judex in praxi quid facere debeat 2[illegible]4.b
Judex, qui temerè contra reum procedit, peccat. 28[illegible].b
Judex, qui ſubornatur ut ſanè judicet, incapax eſt. 288.a
Judex quid facere debeat, ſi Declarationes afferantur? [illegible]
Judex [illegible] temerarius, [illegible] 3[illegible].a
Judex. An poſſit juxta allegata judicare, quando [illegible] ſcientia privata 36[illegible].b
Judex Qualis debeat eſſe? An doctus? 365.b. An integer [illegible], ſceleribus purus eſſe debeat 366.a
An po[illegible], cum [illegible] eſt [illegible], pro[illegible]? 366.b
An Judex ſecundum privatam, quam habuerit, notitiam, an verò judicare debeat juxta allegata & probata? 367.b
An Judex con[illegible] reum poſſit abſolvere? 368.a
Quomodo Judex in teſtium examine debeat procedere, conſtat clariſſimè ex Danielis judicio. [illegible] compendium reducitur ibi[illegible]
An poſſit Judex teſtem falſum à veraci diſcernere? [illegible].b
An, ſi adhibeat diligentiam. De Opinione S[illegible]. An ſit probabilis? 4[illegible]
An poſſit Judex licitè interrogare, & Reus licitè non reſpondere? 40[illegible].a
Judex & Teſtis materialiter & formaliter conſiderari poſſunt. 3[illegible].a
Judicis interrogatio per ipſum Tribunal reſtringitur & reus interrogationi reſtrictæ, non autem ſimpliciter reſpondere tenetur. In ſimilibus materiis inutiles ſunt Reſtrictiones mentales. 412.b
Status Judicis in Areopago depingitur & elucidatur. 191.b
Facta à Judice, quænam ſint invalida? [illegible].b
Judices Sent[illegible] i[illegible]tam mutare non poſſunt. 105.a
Judices. An, & quando non teneantur ad reſtitutionem? 192.[illegible]
Judi[illegible]nati, an ſit juſt[illegible]? [illegible]89.b
Q[illegible] olim Judices apud Romanos fuerint? An mu[illegible] 36[illegible].a
Æ[illegible]tiorum [illegible]. Habebant Judices a collo pendentem [illegible] imaginem. 3[illegible].a
J[illegible] [illegible]rum [illegible] præ[illegible]ati. [illegible].b
Authoritas Regum, Principum & Judicum omnium, unde [illegible]? [illegible].b
Judicum interrogatio ita [illegible] per [illegible] reſtringitur, ut nihil relinquatur reſtrictioni mentali, quod etiam ſi poſſibilis eſſet, poſſet re[illegible] determinare 428.b
Jud[illegible] Quid ſit? 26[illegible].a
J[illegible] Quid [illegible] [illegible]5[illegible].a
J[illegible] Sæpe ratione caret, ſæpe non. 336.a
J[illegible] C[illegible]ntiæ [illegible]. 3[illegible].a
Judi[illegible] poteſt tum materialiter & formaliter. 36[illegible].a
Judicia temeraria interdicta. [illegible]6.a

Ju-

Judicia. An divinitùs interdicantur? 283.a
Juramentum de malo non obligat. 26.
Juramentum. An emitti prætio poſſit? 387.b. Seotentia Auguſtini de Jurameoto. ibid.
Juramentum fit per Deum, in quem, qui jurat, credit. 388.b
Juramentum per Fidem, an Theologicum, an purè Philoſophicum ſit? 389.a
Jutamentum Mahometanorum per Deum admitti poteſt. 391.b
De Juramento, *per Deum materialem*, aut *per Deum non Trinum*. An poſſit à Chriſtianis admitti? 391.b
Juramentum ſine animo jurandi, & Promiſſionem ſine animo promittendi eſſe realiter loquendo poſſibilia, allucinantur qui putant. 395.b. Repugnat, ut quis verba promiſſoria pronunciet ſine animo pronunciãdi. 396.a
Juramenti delatio. Uter ad juramentum emittatur? 336.b
De differentiâ aſſertorii & promiſſorii juramenti. pag. 390.a
Chriſtianns. An poſſit Ethnicorum acceptare juramenta? 390.b
De Juramento per Deum tanquam per Individuum vagum. 389.a
De Juramento Hebræorum. Quale illud ſit? ibid.b
De octo Numinibus, per quæ antiqui jurabant. De aliis Ethnicorum Diis in Juramento provocatis. 389.a
De Juramento ultroneo. 401.b
An quis poſſit jurameoto firmare à fide digno audita? 400.b. 411.b
Juramenta Amantum, qualia? 373.b
Juramenta. An ſint licita? Rationes, quæ videntur omnia juramenta interdicere. 386.a. Sub quibus circumſtantiis ſint licita? ibid.b
Juramenta neceſſaria. An divinitùs interdicantur? pag. 386.a
Jurandi conſuetudo ſemper eſt improbanda. 386.a
Juramenta. Qualia à ruſticis in Hiſpaniâ emittaotur? 390.a
De juramentis, quæ emittuotur per Sanctos. An, & quomodo differant ab iis, quæ emittuntur per Deum? 387.a
De jurameotis Ethnicorum. Eraot multa & diverſa. 388.a
Jurare in vanum, vel *jurare fruſtra*, quid ſit? 389.b
An & quando jurare per creaturas peccatum ſit? pag. ibid.
Judæi ſicut & Chriſtiani per Deos alienos jurate nequeunt. ibid.
An poſſit aliquis facere ut aliquis juret, quod falſum eſt, ſed verum putat? 390.b
An poſſit aliquis ad jurandum induci id quod eſt verum, ſi falſum eſſe ipſe exiſtimet? 391.a
Jurare per Deum, & jurare per Evangelium. An ſint diverſa? 402.a
Qui laborant ignorantiâ invincibili, poſſunt à nobis per ſuos Deos adjurari. 391.b
Juridici Herculis labores obluduntut. 192.a
Juriſperiti. An ſint bajuli? 191.b
Juriſperiti. Utrùm Poëtarum teſtimoniis utantur? 149.a
Juriſperiti. An colant & obſervent Juſtitiam, quo ſcire modo poterimus? 214.b
Juriſprudentia. Quid & quotuplex ſit? An in ſpecies dividatur? 172.b.214.b
Juriſprudentia. An ſit nobilior Phyſicâ. 23.b
In Juriſprudentiâ, quid ad eſſentiam, & quid ad paſſiones pertineat? 193.b
Juriſtæ. An juſtè accuſentur? 210.b
Jus. Unde proveniat? 34.a. 42.b. Exponitur, quando *Logica Moralis lib. II.* nomen *Jus* materialiter, & quando ſumatur formaliter? ibid.
Jus. Quid generale, & quid ſingulare ſit? 135.b
Jus Canonicum. Quid ſit? 260.b. Quænam ſupponat, & quid indicat? ibid.
Jus Cæſareum. Quomodo addiſci debeat? 117.b
Jus Civile. An ſit Ars? 198.a
Jus Civile. Quænam ſupponat, quænam verò præcipiat? 261.b
Jus Gentium. Quid ſit? 237.a
Jus humanum. Quid præſtet? An Indifferentiam præceptorum Divinorum determinet? An tranſgreſſores puniat? An media ſuggerat? 47.b
Jus naturale, quid? Jus gentium, quid? Jus humanum, & quid Canonicum & Civile? 32.b
Jus Humanum aliquando præcepta Divina exponit & pœnam addit. 33.a
Jus humanum obligare non poteſt, quando jus naturæ diſpenſat. 317.a
Juris naturæ & gentium diſcrimen. 74.b
Juris diviſio. 211.b
Jus naturale. Quid ſit? 211.b
Jus Civile. Quid? & Quomodo à Naturali & Gentium diſtinguatur? ibid.
Objectum Juris naturalis eſt privatum. 212.b
Juris Gentium eſt publicum. ib.
Juris etiam Civilis. ibid.
De Jure ſcripto. Quid illud teſte Juſtiniano ſit? pag. 114.a
De Jure Publico & Privato. Quomodo diſtinguantur? An illa Papinianus confundat? 212.a. An hæc Diviſio utilis ſit? 213.a
Jus naturæ, Geotium, & Civile. An ſint privata? pag. ibid.
In Jure ſunt multa poſita ſpeculativè, quibus authoritatem Cæſaream Juſtinianus non addit. Sunt etiam multa Hiſtorica, quibus Cæſaream Authoritatem non poteſt Imperator concedere. 113.a.b
Jura omnia prudenter interpretanda ſunt. 89.a
Jura. An habeant potentiam ad præteritum? 89.a
Jura, quando ſunt dubia, quid agendum? 95.b
Jura vitam moraliter concedunt. 159.a
Jura. An ſint omnia privata? 213.a. An bene dialecticetur Faber? ibid.
Juſtè vivere, Quid ſit? 259.b
Juſtinianus. Qualis ſit quà homo, & qualis quà Imperator conſideratus? 385.b
Juſtinianus. An Theologis opponatur? 42.a
Juſtinianus. An & cur Homerum appellet Juſtitiæ parentem? 149.a
Juſtitia, unde? 34.a
Juſtitia. Quid & quotuplex ſit? 36.b.214.b
Conſervativa, quæ? ib.
Commutativa, An, & cur in Donatione conſiſtat? ibid. Conſiſtit in Arithmeticâ. Cyri error. 215.b
Diſtributiva qualis? pagina ibidem. In Geometricâ Proportione conſiſtit. 215.a
Vindicativa, quæ? pagina ibidem b. An hæc Diviſio ſit Analogi in Analogata? ibid.
Juſtitia privata. An in Republicâ tolerabilis ſit? pagina 421.b
An habeat locum, ubi publica non poteſt ſuccurrere? 423.a
Juſtitia omnia, quæ? 26.a
Juſtitia aliter, & aliter obligat Charitas. 104.b
Juſtitiæ definitio. An ad mentem, an ad voluntatem pertineat? 204.b
Juſtitiæ diviſio. pagina 213.b. Opinatio Coraſii. pag. ibid.
An quatuor Juſtitiæ membra ad duo reducantur? pag. ibid.b

Digitized by Google

I N D E X

Juſtus Calvinus ad noſtram Religionem convertitur, Cur hæreſin abjuraverit? 302.b
Juſtum & injuſtum. Quomodo dignoſcantur? 205.b

K

KEplerus. Quanto tempore ſuas ſuppoſitiones perfecerit? 74.a
Koltholtus quid ſit ad hominem argumentari, neſcit, 270, b. Non argumentatur contra Eccleſiam Romanam hodiernam, nec contra Catholicos, nec contra Bellarminum. 271.a

L

LAC, an nonniſi poſt partum ſit? 356.b
Maſculi, an in mammis habeant lac? 357.a
Lapides terminales. Qui ſint? 1.a
Laſcivus, quam Syndereſim habeat? 266.b
Latronem recipere, & occultare, aut *dolo malo recipere* differunt. 169.b
Latrones à Nobilibus & Miniſtris interdum proteguntur, 382. b
De Latronum Occultatione & Revelatione, 168.a Cōtra eorum celatores Pragmaticæ. An illas violet, qui ipſos non celat diu? De his, quo ob luctum eos ſuſcipiunt. De his, qui aliorum damno. ibid.b
Dolo malo ſuſcipere. Quid ſit? 169.a
Monachi, qui in ſylvis habitant, ſi fortè latrones advenientes ſuſcipiant, an eorumdem occultatores cenſendi ſint? 169.a
An, qui non revelat occultare cenſendus ſit? 169.a
An, qui tacet, conſentire dicendus ſit? ibid.
Legislatores. An modò unam, modò oppoſitam opinionem ſequantur? 147.a
Cur Leo & Chriſtus non ſint filii adoptivi Dei? 116.b
De Leone rationali. Qualis eſſet, ſi de facto daretur? 128.a
Lex quadruplex. 311.b
Lex Dei. An ſit humanis cordibus inſcripta? 260.a
Lex de manumiſſione, an dura ſit? 25.a
Lex Caldaria exponitur. 338 b. An quidam Abbas in Iudiciis temerè proceſſerit? 339.a
Lex frigida, an in Judiciis ſit legitima? 339.a
Lex omnis pœnalis eſt disjunctiva. 115.a
De ſenſu legis æquivocæ. An ſemper debeat dari unicuique quod ſuum eſt? 28.b
Verba legis, ſi obſcura ſint, ad favorem ſubditi interpretantur. 40.a
Ferre legem. Quid ſit? 84.b
In omni lege tres aut plures perſonæ concurrunt. Vna nominatâ omnes tres intelliguntur. Sed quando? 113. a
De lege interdicente peregrinis domos emere. 313.b
Leges. Quales eſſe debeant? 25.b. An verbis ambiguis poſſint concipi? ibid.
Leges, An ſint obſervandæ ad unguem? 27.a
Leges publicæ cur mutentur? 29.a
Leges. Quomodo per conſuetudinem mutentur aut tollantur? 29.b
Leges debent eſſe amabiles. 31.a
Leges humanæ de actibus purè internis non dantur. 49.a
Leges. An fiant de re indubitata? 80.b
Leges. Quomodo debeant exponi? ibid.
Leges vel definitivæ, vel præceptivæ ſunt: earum differentia explicatur. Utraque in Jure Civili reperitur, 83. a
Leges. An ferantur de rarò contingentibus? 102.a
Leges. Aliæ interdicentes, aliæ dirimentes ſunt. 111.a
Leges. An & cur omnes ſint Hypotheticæ? 112.b
Leges Civiles. An poſſint de omnibus omninò rebus ferri? 117.b
Leges Contradictionis. 134.b
Leges univerſales. Quomodo intelligendæ? 135.b
Leges Eccleſiaſticæ, quas tibi Tyrannus violare præcipit, an & in quo caſu obligent? 145.a
Leges dubiæ non debent ferri in bene gubernatâ Republicâ. 148.a
Leges. An ſint imagines, ad quas debemus noſtras operationes conformare? 197.b
Leges poſſunt eſſe de ſingulis actibus, & eſſe poſſunt de conſuetudine. 311.b
Leges excidunt per uſum contrarium. 318.b
Leges. Quomodo manuteneantur? 319.a
Leges humanæ ut ſint juſtæ, quid requiratur? 368.a
Leges conſuetudinem interdicentes, an dentur? 386.b
Leges & tribunal omnem Judicii interrogationem reſtringunt. 427.a
Legum finis, Juſtitia. Diſtributiva Geometricam, Commutativa Arithmeticam proportionem obſervat. pag. 190.a
De Legum Civilium fine. 213.a
Legum & Canonum analogia. 261.b.262.a
Modus leges interpretandi. 93.a
An in obligatione generali, in quâ obligantur omnia, ſingula obligentur? 93.a
Legibus an ſit aliquid nobilius? 104.a
De Legibus & privilegiis Cæſareis. 364.a
Libellus Advocati, an eſſe debeat integer Syllogiſmus? 281.b
Libertas. Quid ſit? 193.b
Libertas ſequendi quamcumque opinionem, cur voto, juramento & præcepto auferatur? 274.b
Liberti. Qui ſint? 207.b
De Libro mirabili, qui apud Excellentiſſimum Principem de Ligne aſſervatur. 162.b. Qualis ſit? Extemporaneum Hexaſtichum ad ejus laudem. Explicatur. Cur illius libri literæ ſint nihil? Cur nullius coloris ipſæ ſint, & tamen omnium colorum eſſe ſoleant? 163.a.b
De expurgatione & correctione librorum. 324.b
De libris Magicis & Hæreticis. 361.a
Licentia ad ſatisfaciendum obligationi, an aliquando ſit petenda? Quid juxta Ciſtercienſium mores ſit dicendum? 319.a
Licentia, an ſaltem peti debeat? An etiam quando negabitur? 318.a
De licentiâ, quæ daretur, an ſi non petatur, ſit valida? Reſolutio. Similes Caſus proponuntur. 315.b
An licentia, quæ daretur, ſit tacita? Proponuntur duo caſus, in quibus valeat. 316.a
An licentiâ negatâ uti poſſis? Caſus proponitur & reſolvitur. 317.a
Licitum. An quod ſemel eſt, ſemper ſit licitum? 140.a
Linea. An in triangulo una aliis duabus ſimul ſumptis ſit major? 314.a
Lingua bovis, quid? 30.b
Litium finis. 191.b
Lites quærere & invenire. An ſit glorioſum? pagina 80.b
Lituus, Hiſpanicè *Cuerno, o Corneta*. Quid ſignificet? 183. a
Litui. Cur in ſtemmatibus pingantur? ibid.
Locus. An reſtringat? 46.a
De Logarithmis. 76.a
Logica quotuplex ſit? 245.a
Logica duplex: Naturalis & Supernaturalis. 171.b
Logica noſtra Moralis. Ubi, & quando concepta, ſcripta, & edita fuerit? Quid contra Hæreticos, & quid pro Catholicis præſtet? Confundit Hæreticos logica, & præcipuè Moralis. 77.a
Logica. An fundamento deſtituatur? 220.a

An

Digitized by Google

An poſſit nova Logica formari? 216.a
Logica eſt inſtrumentum ſciendi, 292.a
De Logicâ D.Bernardi, 58.a
Vox *Loquutio*, quid formaliter importet? 403.b
De Loquutione Angelorum. In quo illa conſiſtit formaliter? 404.a
An, quod inſenſibile ſit, ſit pars integralis loquutionis humanæ? ibid.
Lucidum. An, & quando compoſitum cum lucidiſſimo obſcurum ſit? 11.a
Lumen gloriæ, an ad beatificam viſionem requiratur? an requiratur intrinſecum, an ſufficiat extrinſecum? pag. 327.b
Luna. Cur luceat? 249.a
Lutheraniſmus in varias Sectas ſubdividitur. 255.b
Lutherus, qualis? ibid b. Diverſis temporibus diverſas tradidit ſententias. ibid.a. An paularim in veritatis cognitione profecerit? An doctrinam Auditorum captui attemperaverit? ibid. Cur ad Concilium appellavit? An ſciens & volens falſa ſit concionatus? Quæ aliis perſuadebat, hæc ſibi perſuadere non potuit. ibid.b

M

MAgia naturalis, quæ ſit? An liberos actus prædicat? 347.a
Magia vana, quæ? ibid.
Magia ſuperſtitioſa, quæ? Qui eam exerceat, puniendus. Illi non eſt credendum. Quid ſi credatur? ibid.a
Magiſtratus, An mancipare, & filios in adoptionem dare poſſit? An bene hæc Quæſtio proponatur? 148.b
De Magiſtro Sacri Palatii, 241.b
Magnes, An ſic dicatur, quia magnus? 183.b. An verò à loco, aut veriùs ab inventore nomen habeat? 184.a
Magorum, & Ægyptiorum reſponſis non eſt fides adhibenda. 346. Quid ſi fidem illis adhibeat Judex? 347.a
Mahometani. An verum Deum cognoſcant? 389.b
Mala, quando minora permitti poſſint? 261.a
Malitia virtualis, quæ? 21.b
Malitia actuum humanorum omnis pendet à lege. 311.a
Malitiæ, an poſſint eſſe duæ in eodem actu? 36.b
Mancipia. Unde dicantur? 182.a
D.Manrique de Lara, vulgo *el Torneador*, Heros in Hiſpanicâ noviſſimus: Fuit felix, quoniam infelix fuit. 164.a
Manumiſſio, Quid ſit? 51.a
Manumiſſio, á quo Jure proveniat? 237.a
Mare, an retineatur loricis arenarum? 301.a
Maria Virgo, An ſit Mater Dei? Quid circa hoc delirabat Neſtorius? 46.b.237.b
Maria. Cur Mater facta fuerit? 83.a
Maria ſpeculum. ibid.b
Maria benedicta; ſed à quibus? 82.a
Maria ſemper Sancta. ibid.
Marmor. Quid importet? an marmoreas ſtatuas? 94.b
Martialis dilucidatur. 121.b
De Maſſilotti injuſtâ & ſacrilegâ occiſione. 381.b
Mater. An unionem inter corpus, & animam producat? 147.a
Matres Conſulum. An *fœminæ Conſulares* dicendæ ſint? 148.b
Materia Propoſitionum. Quotuplex ſit? 61.a
Quid Materia neceſſaria ſit? 61.a.222.b
Quid Repugnans? idem b.ibid.
Quid Contingens? ibid.
Quid Infallibilis? ibid.
Quid Convertibilis? 62.a
Repugnantiæ, Impoſſibilitatis, & Neceſſitatis connexio. 61.b
Materia parva, aut nulla. An in ætate, aut anno Novitiatûs detur? 19.b
Materia. An & cur carere poſſit omni forma? Thomiſtarum & Scotiſtarum Opinio. 142.b
Materia probabilis, An, & quando in Sacramentis ſufficiat? 240.a
Materia immultiplicabilis, An præter neceſſariam, repugnantem, contingentem, &c. ſit addenda? 246.b
Materia, an diſtinguatur realiter à quantitate? 293.b
Materia levis, an in re Venereâ detur? 308.a
De Materiæ exiſtentiâ. 97.a
De Materiâ impoſſibili, ſeu repugnante, Utra conſideratio in Jure ſerviat? 79.b
De Materiâ & Formâ Propoſitionum. 161.a
De Materiâ, quæ ſit moraliter nulla. 380.a
Oſtenditur, quod in materiâ Gratiæ nulla ſit conſequentia, quæ à fortiori deducitur. 240.a
In materiâ gratiæ Arithmetica, aut etiam Geometrica proportio deficit. ibid.
Materias neceſſariam & contingentem diſcernere, Quàm ſit difficile? 223.a
Matrimonium. Quid ſit? Quænam requirantur, ut validè fiat? 203.b. An ſemper ſit Sacramentum? 204.a
Matrimonii definitio Logica. An poſſibilis ſit? ibid.
Matrimonium. Quomodò appelletur Germanicè? 177.b
De Matrimonio Ruſticorum in Bavariâ, 5.a. An nutibus, ac verbis contrahere dicendi ſint? ibid.b
De Matrimonio, & aliis contractibus conditionatis. An ſint validi, ſi conditio ſit futura, & nunc ignota? 66.a
De Matrimonio Presbyteri & Monialis. 313.a
De conſanguineorum aut etiam affinium matrimonio. ib. An ut fruantur licentiâ, debeat uterque eſſe Catholicus & uterque pauper? ibid.b
Matrimonia. An debeant contrahi in Eccleſiâ? 331.b
De Maximis Moralibus. 250.b
Medici & Philoſophi. An & quando ſint ab oneribus publicis liberi? 89.b
Medicinæ ſpecies. An tres dentur? 170.b
Medium purum, impurumque. Quid ſit? 225.a
Mendacium pro ſalvandâ vitâ, aut animâ, an poſſit dici? 69.b
An mendacium aliquod Veteres à peccato excuſarint? 68.b
Mendacium Officioſum duos fines ſubordinatos habet. 70.b. An ſit bonum? 91.a
Mendacium. An poſſit vocari pium? ibid.
Mendacium omne eſt peccatum. 348.b
An aſſerere ſine mendacio potero, quæ ſunt probabiliter vera? 68.a
An mendacia officioſa ſint peccata? 69.b.70.a
Omnia mendacia ſunt peccata. 69.a
Officioſa mendacia leviora ſunt peccata, quàm pernitioſa. ibid.
Pernitioſa differunt inter ſe gravitate. ibid.
Mendacia officioſa. An ſint bona & mala ſimul? 70.a. An, & quid mereantur? ibid.
Mendacia jocoſa. An ſint peccata? 70.a
Mendacia à veritate naſcuntur. 362.b
Mendaciorum claſſes reducuntur ad tres. 68.b
Mens. An conformet Enthymemata? 263.b
Mentis & oculi humani Analogia. 292.a
Mentiri. Quid? 67.b
Paulus, Cur non fuerit mentitus, ſiquidem promiſit, quod non implevit? 67.b
Aliud eſt veritatem occultare tacendo, aliud negando. 68.a
Mentiri, an mendacio liceat? 69.b. An etiam Militi? 70.a
Mentiri in tribunali. An ſit res gravis? 70.b
Mentiri. An ſolùm homines privati, an etiam Communitates integræ mentiri poſſint? 380.a
Mentiri non licet. 348.b
An omnis, qui mentitur, ſeriò agat? 69.a

Mera. Quid ſit? 183.b
Miles. Anſe poſſit, aut debeat periculo mortis exponere? 145.a
Minæ. An poſſint Judicum & Teſtium ſinceritatem pervertere? 376.a
De Minis cum effectu conjunctis. 361.a
De Minis. An qui minitando interrogat, ſe per injuriam ſuperiorem conſtituat? 418.a
De Miraculis dubiis. 363.b
De Miſsâ ſolenni & privatâ. 212.b
Modales. Quomodo ex aliis deducantur? 151.a
Modus. Quid & quotuplex? 140.b
Modus. Quid ſignificet? 170.a. Quid ſit? ibid.
Modus Legatorum. Lex Falcidia. Quid ſtatuat? 170.a
Modus ſciendi. Quid ſit. 176.b. 172.b. & quotuplex? 172.a. Quem ordinem obſervet? ibid. Quem finem habeat? 171.b
Scire & opinari differunt. 170.b
Modus manumiſſionis. ibid.a
Modus legandi. ibid.
Modus retinendi. ibid.
Modus ſervituris. ibid.
Modus pro lege, ibid.
Modus *Placidi* an ſit efficax? 242.a
Modus *Magiſtri* exponitur. 275.a
Modus *Mugivit*. Qualem conſequentiam inferat? ibid.b
Modus *Paridis*. Qualiter concludat? ibid.
Modus *Nobilis*, Qualis ſit? 276.b
Modus *Rapidi*, quantam vim habeat? 283.a. Quantam *Paridis*? ibid.b
Modus argumentandi. 98.b
Modus concludendi duplex. 277.a
Cur poſt propoſitiones & ante ſyllogiſmos de Modo ſciēdi diſputamus? 274.a
De modo loquendi in diverſis Scholis. 213.b
Modi reales enumerantur, & exponuntur. 141.a
Modi, qui appellantur *Intellectuales*, qui? 146.b
Modi. De quibus tractaverint Philoſophi, & de quibus non tractaverint? 149.b
In modis poteſt vel Modus, vel Dictum, vel utrumque negari. ibid.
Modi omnes Morales ad *Darii* pervenire conantur. 272.a
Modi abſoluti ſemper ſunt inefficaces. 290.a
De Modis *Magiſtri* & *Fallitis*. Quantam efficaciam habeat prior? Quantam poſterior? 284.a
Molliries & ſimplex fornicatio, an ſint peccata? 342.a
Mollities eſt grave peccatum. 303.b
Monachi. An ſint optimi Politici? 60.b
De Monetâ adulterinâ. An qui habet apud ſe monetam falſam, torqueri poſſit? An qui habet Monetam cudendi inſtrumenta? 360.b
Mons Sinai ex privilegio Mahometi defenditur ab Imperatore Turcarum, 381.b
Montes in manu. Quid ſint? 348.a
Moralia & Naturalia ſunt Analogata. 250.b
Moralitatis & Virtualitatis diſcrimen, 14.b
Moralitates perpetuæ. An dentur? 139.a
Mores divitum, quales? 287.b
Mores, & gentes diſtinguendæ. Alii in Hiſpaniâ, alii in Italiâ, imò etiam in Angliâ ſunt. 354.a
Mores tempore mutantur; nam olim oſcula urbanitatis gratiâ ubique terrarum dabantur, & hodie non ubique dantur. 355.b
Moribundus. An dicat *Do*? 76.b
Moribundus ſenſibus deſtitutus, qui nullo ſigno petit cōfeſſionem, an poſſit abſolvi? 349.b. Poſſe illum ſub conditione abſolvi, eſt hodie valde communis Theologorum ſententia. 350.a
Moribundi, an habeant omnes rationem ſuæ conſcientiæ? 351.b. Caſus primus proponitur. ibid. Caſus alter, pag. 352.a
Moribundo, an ſit credendum in præjudicium tertii? An in præjudicium ſui ipſius? 352.a
Mortalitas & Immortalitas. An ſint differentiæ? 202.b
De Mortis articulo. 298.b
Mortui reſurgunt: an-ne iterum morituri? 86.b
Moyſes Deus Pharaonis, quomodo? 15.a
Moyſes, Paulus, & Benedictus, ut in hac vitâ viderint eſſentiam Divinam? 86.b
Mulier. An à molendo dicatur? Multi Viri illuſtres fraude mulierum perierunt. 374.a
Mulier. An aliqua ſit & non ſit mulier? An verba Ulpiani implicent contradictionem? 132.a
Mulieres. An munia publica obire poſſint? Abbatis expoſitio rejecta. Cur ab officiis publicis arceantur? An hæ rationes evidenter concludant? An, & quando illæ promoveantur? 88.a
Multi, & *pauci*. An relativè, an verò abſolutè ponantur? 99.a
Multi. An ſumantur pro omnibus? 100.a
Mundus totus, quantus ſit, cum Dei immenſitate collatus? 87.a
Mundus. An fuerit ab æterno? 232.a
Munera. An ſint recipienda? 137.b. Sunt, quæ acceptari poſſunt, & ſunt, quæ debent acceptari. 138.a
Muſſare. Quid ſit? 404.b
Mutare conſilium in melius non eſt inconſtantia, ſed prudentia. 105.b
Mutatio inſtantanea ex extremo ad extremum nulla eſt. 343.a
De Mutatione virtuali. 107.b
De extrinſecâ. ibid. 217.b
Mutire. Quid ſit? 404.b
Mutuum. An qui rem mutuam dat, illam perdidiſſe cenſendus ſit: & inimicum lucrari, ſi illam repetat? 415.a

N

NAtura, An ſit Deus? 65.b
Natura. An ipſa ſine Deo ad regimen Mundi ſufficiat? 392.b
Natus ex matre Senatoriâ. An ſit ordinis Senatorii? 43.b
Natus in matrimonio ſequitur conditionem patris; at natus extra matrimonium, matris. 147.a.
Natus ex peregrino, aut peregrinâ, eſt peregrinus. ibid.
Natus menſe ſeptimo. An poſſit vivere? 148.a
Neceſſarium. Quid ſit? 143.a. Unde dicatur? 143.b
Neceſſitas duplex. ibid.b
Eſſentiarum neceſſitas. ibid.b
Neceſſitas. Quid ſit? ibid.b
Neceſſitas felix, quæ? 145.b
Neceſſitas in ſenſu Compoſito, & in ſenſu Diviſo, 230.b
Neceſſitas probabilis, an detur? 293.b
Neceſſitatis & Impoſſibilitatis Connexio, 142.b
Neceſſitatis humanæ tres gradus explicantur. 143.a
De Neceſſitatis viribus. An componatur cum peccato? 257.a
An furari liceat in gravi neceſſitate conſtitutis? 424.b
Negatio duplex. 60.a
Negatio malignantis naturæ, quæ? 60.b. Quo ſenſu omnia neget? ibid.
Negationis deſcriptio ad mores reducta. ibid.
Negatio copulæ. An poſſit extrema copulare? 247.a
Negationis ſubjectum exponitur, 307.a
Negationes. An amplientur? 44.a
Negationes. An duæ affirment? 118.a. An fortiùs negent? ibid.b
Ex purè negativis nihil infertur. 290.a
Nembrod, Quomodo ſtipendia ſolverit? 183.a
Nihil virtuale, quale? 19.a
An habeamus voces, quibus benè loquamur de nihilo? 19.a

De

De Nihilo ſimpliciter, & ſecundum quid. 19.a
An ſicut dantur multa Entia, dentur aut dari poſſint multa nihila? ibid.
Nobiles, Proceresque in Auſtriâ. An jurare debeant? An in foro Eccleſiaſtico etiam Cardinales? 294.a
Nobilitas. Quid ſit. An a virtute diſtinguatur? An ipſa ſit melior? 222.a.b
Nobilitas. An augeat fidem & approbationem teſtimonii? 3[illegible]3.a
Nominis definitio duplex 172.b.1[illegible]2.b
Nomen Proprium. An ſit univocum & invariabile. 52.b
Ejuſdem nominis poſſunt eſſe plures & ſolent; quomodo inter ſe diſtinguantur? 54.b
Methodus deſcribendi nomen rei vel perſonæ per nomina literarum ipſarum. An ſit antiqua? 181.a
In Baptiſtæ Circumciſione de nomine, quod habere debebat, cognati diſputant. Cur nolebant eum vocari Joannem? 54.b
De Nomine *Titii Aurelii Antonini Pii*; an proprium fuerit? 56.a
De Nomine. An debeat mutari vel corrigi? 125.a Patrum Complutenſium præjudicium. ibid.
Nomina, An ſcribi poſſint ſine ordine? 2[illegible].a
Nomina & Attributa Divina, an ſint ſynonyma? 33.a
Nomina apud Sinenſes cum ætate mutantur. 5[illegible].a
Nomina hominum propria an tranſeant in Appellativa, & contrà? 53.b
Nomina mutant Religioſi; mutant & Summi Pontifices. ibid.
Nomina Propria materialiter & formaliter poſſunt conſiderari. 54.b
Nomina *Petrus, Franciſcus, Joannes*, &c. ad quod Prædicabile pertineant? 55.b
Nomina imponebantur parvulis ab aliquâ circumſtantiâ Notabili, quæ conſiderabatur in partu? 54.a
Nomina Servorum ſunt adſumpta ab adverbiis, & cur? 92.b
Nomina appellativa quomodo habeant Propriorū virtutem? 59.a
Nomina. An rebus conveniant? 187.b
Characteriſtica nomina Æterni Patris 57.a
Characteriſtica Verbi Divini. ibid.
Characteriſtica Chriſti. ibid.
Characteriſtica Spiritus-Sancti. ibid.
Characteriſtica B. Virginis nomina. 58.a
Characteriſtica nomina S. Joannis Baptiſtæ. An aliquis illo fuerit major? 58.a
Characteriſtica S. Petri Apoſtoli. ibid.
Characteriſtica S. Pauli Apoſtoli. ibid.
Characteriſtica S. Joannis Evangeliſtæ. ibid.
Characteriſtica Romuli. ibid.
Scipionis. ibid.
Annibalis ibid.
Fabii. ibid.
Imperatoris Juſtiniani 59.a
Ulpiani. ibid.
De Divinis Nominibus. An non ſint identica, & cur? [illegible]6.a
De Nominibus Propriis. 120.a
De particulâ *Non* modalibus modis præfixo. 158.a
De particulâ *Non*. Quàm late pateat, ſi ſeorſim accipiatur? 41[illegible].b
Non aut *Nihil* in Reſponſione poſitum per Interrogationem reſtringitur. 41[illegible].b
Non-certitudo. An in re certâ locum habeat? 1[illegible].b
Non certum ab *Incerto* diſtinguitur. 1[illegible].b
Non defendere. An & quando ſit occidere? 1[illegible].a
Non-Ens & *Non-Res*. An ſint termini nihil ſignificantes? 127.b
Non-eſſe virtualiter, quid? [illegible]0.a
De Non-exiſtentiâ virtuali. Nonnulla in teſtamentis, quæ realiter ſcripta ſunt, civiliter non ſcripta cenſentur. pag. 418.b
Non-probabilitas. Quomodo ab Improbabilitate diſtinguatur? 154.b.158.a
Non rarum. Quid ſit? 118.b
Notitia multiplex eſt. 279.a
Notitia prioris vitæ piè actæ calumnias univerſas elidit. 343.b
Notæ Lucii, quales? 299.b
Nullitas virtualis, quæ? 7[illegible].b
Differentia inter *Nullum* & *Nihil*. 21.a
Numerus maximus, an ſit [illegible] [illegible].b
Nummus. Idem pro diverſis uſibus deſtinatus diverſa ſortitur vocabula. 41[illegible].b
Nuncius. Quid ſit? 95.b
De differentia Nuncii & Delegati, ib.b

O

Obſervationes Hiſpanorum ſuperſtitioſæ, aut ſaltem vanæ. 348.a
Obſtetrices Ægyptiæ an mentiendo peccaverint? 69.b
Occidi & *Non-occidi*. An opponantur? 172.a
Odium & Amor indifferentiæ præjudicant. 367.a
An, & quo ſenſu inimicos odio habere poſſimus? [illegible]9.b
De odio Dei. 1[illegible].b. An in eo aliquid boni ſit? 160.a
Odia, Cur reſtringantur. An poſſint ampliari? an poſſint favores reſtringere. 46.b
Oedipus, & Xenocrates injurati ad teſtimonium admiſſi. 376.b
Officium optimum? Quodnam ſit? 6[illegible].b
Officium unius diei. An in aliud quodcumque mutari poſſit? 239.b
Officium Canonicum inducitur lege Univerſali. [illegible].b
Officium, an poſſit mutari ſine culpa. Quando Epiſcopus aut Prælatus mutat officium ſine causa, ſubditus mutat ex causâ. Qui recitat cum ægroto, ſolet mutare officium ejus. 315.a
Officium Divinum. An in aliud ſemel, non autem ſemper mutari liceat? 386.b
De attentione requiſitâ in Officio Divino. Variæ ſententiæ proponuntur & cenſurantur. 306.a
An liceat legere de Sancto die feriali? an de feria die feſto 314.b
Obligatio legendi ſicut eſt perſonalis, ſic etiam diſpenſatio eſſet perſonalis. Objectio & Solutio. Duæ rationes, bene conſiderandæ. ibid.
Omnipotentia. Quid ſit? 246.a
Omnipotentia, Providentia, Prædeſtinatio, Juſtitia, Miſericordia, &c. quid ſint 33.b
Omnis & *Aliquis non* non ſunt termini contradictorii, ſi *Omnis* ſumatur moraliter. 85.a
De voce ὁμοούσιος. An nomen ὁμοούσιον in Sacra Paginâ reperiatur? 184.b
Onera patrimonialia ſunt ſolvenda; etiam tributa. 89.a
Onera, quæ in remiſſione ponuntur, non reddunt illam conditionatam. 115.b
Onomantia. Quid ſit? 348.a
Operationes mentis. Quot & quæ ſint? 1.a.119.a.171.a. Et, an diſtinguantur ſpecie. ibid.
Opinio & Scientia. Quomodo diſtinguantur? 171.a
Opinioni cur aſſentiatur? ibid.
Opinio. Quid ſit. Cur nequeat cum ſcientia componi? 171.b
Opinio extrinſecè probabilior quænam ſit? 274.a
Opinio quæcumque probabilis in quacumque materia ad conſcientiæ ſecuritatem ſufficit. An Caramueli adverſarii reſpondeant? 274.a
Opinione ſpeculativè ſumi, quid ſit. & quid practicè? 247.a
Utrum ſit probabile eum peccare, qui ſequitur opinionem probabilem. Reſolutio prima & ſecunda. 295.a. Tutò ſe-

ſequimur opiniones probabiles. Demonſtratur. ibid.
Opinionem probabiliorem ſequi, an debeas? 295.b
Opiniones, quæ in uno loco interdictæ, in alio interdum permittuntur. 324.b
Opiniones aliorum, quo debeamus modo ſequi, aut ſectari? 326.b
Quid debeamus de Patrum antiquatis opinionibus dicere. ibid.
Opiniones probabiles non habent locum contra jus poſſeſſionis. 422.b
De opinionibus probabilibus. 364.b
Oppoſitio. Quid ſit? 132.a. Quotuplex? ibid.b
De Oppoſitione Logicâ. Quid illa ſit? 133.b
Oppoſitæ & Subalternæ Quomodo ad æquipollentiam reducantur? 137.a
Orationis Angelicæ Dilucidatio. 82.a
Omnia Ornamenta. Quid ſignificent? 94.a
Oſculum pacis. An ſit amplexus? 29.a
Oſcula. An Adulterium evincant? 354.a
Oſeas. An fornicariam duxerit in uxorem? 262.b
Oſyris. An, & cur caruerit pudendis? 388.a
Oves. An potiùs beleat, quàm balent? 177.a

P

Pandecta. An ſit Cento ex veterum Placitis concinnatus? 189.a
Pandectæ. Quid contineant? 237.a
Panis. Quid ſignificet? 183.a
Papa. An poſſit in votis diſpenſare? 326.a
Paradigma commune Propoſitionum Oppoſitiones proponens. 133.a
Paradigma morale Bonitatem actuum conferens cum malitiâ. 160.a
Paradiſus. Quid ſit? 260.a
Parentes. An in filios habeant mortis & vitæ poteſtatem? 112.a
Parricidium. An-ne differat à Parricidio? 241.b
Paritas, ubi locum habeat, & ubi non habeat? an in caſuum reſervatione? 320.b
Paritas rationis. Quomodo in Jure vim habeat? 117.b
Paritas rationis non habet locum in multis; & præcipuè in ſollicitantibus pueros: abutentibus fœminâ in fœminâ, quæ nubit Religioſo: cogentibus virum ad Religionem: Religioſis baptizantibus, & audientibus confeſſiones: ingredientibus Monaſteria ſine licentia: privatione vocis paſſivæ: famulis Saracenorum: & legum interpretatione 321.a.b
De Parlamenti & Regis Authoritate. An Parlamentum ſit ſupra Regem? An poſſit à Rege diſſolvi? Monitum Politicum. 236.a
Pars differt à mediâ parte. 98.b
Pars. An ſpecie diſtinguatur à toto? 170.b
Particula disjunctiva, vel copulativa, aliquando intermittitur. 114.a
Particularis affirmativa. An per Contrapoſitionem convertatur? 126.b
Particularis affirmativa in quibuſnam caſibus convertatur per accidens? 124.b
De Particulari Negativâ. Quomodo contraponatur? Doctrina communis proponitur, & dilucidatur. Canon ſpecialis præſcribitur. Additur alius Canon, qui præcedenti eſt facilior & clarior. 126.a
De Particularum, quæ hypotheticas propoſitiones conſtituunt, ſignificatione. 117.b
Parvitas materiæ an detur in Luxuriâ? 242.a
D. Paſchaſius Neapolitanus Prorex, Inquiſitor Supremus, renunciatur. Gaudet & dolet Populus. 167.a
Pater & Filius. An ſint Spiritus-Sancti? 5.a
Pater & Filius in Divinis, necnon Petrus & Paulus, in humanis, quo ſenſu ſint idem? 220.a
Pater, An volens, an nolens genuerit Verbum? 270.a. An volens, an nolens ſit Deus? ibid.
Pater. Quid filio poſſit & quid non poſſit præcipere? 144.
Pater Civitatis, quis? 158.b
Pater. An filio inſervire poſſit? 269.a
Claudia mater ſuæ filiæ Imperatrici ſervit. ibid.
Pauci. An relativè ſumantur? 101.a
Paucorum nomine. Quot ſint intelligendi? ibid.
Paulus. Quomodo fuerit omnibus omnia? 92.a
Paulus Optimus Politicus demonſtratur. 265.b. Quanta fuerit perpeſſus? An Petro jubenti reſtiterit? 266.a
Pauperes. An poſſint eſſe Teſtes? 378.a
Pauſa. An tollat ambiguitatem? 26.a
Pax cum Infidelibus, ne pejora eveniant, ſolet fieri. pag. 240.a
Peccatum. Quid ſit? 168.a.259.a
Peccatum omnia deſtruit; Fidem occidit. 60.b
Peccatum. Quale committat, qui proximum ad perjuriũ inducit? An poſſit aliquis concurrere ad materiale peccati? 391.a
An, qui commiſit, cenſendus ſit univerſa perpetraſſe? 252.b
Exemplum ex jure Civili. ibid.
De peccato mortali. An, & quomodo ſit infinitum? 291.b
Peccata. An mereantur veniam? 18.b. Virtualiter ſunt impoſſibilia. ibid.a
Peccata. An omnia ſint æqualia? 69.b. An ſaltem omnia ſint mortalia? Reſtituitur locus Auguſtini. ibid.
Peccata dubia. An debeant in Confeſſione explicari? 1[illegible]8.a
Peccata materialia: An dentur? 145.a. An ſi darentur, innocerent conſcientias? ibid.b
Peccata. An ſint cenſenda impoſſibilia? 145.b
Peccata contra naturam, an diſtinguantur ſpecie? Quid in hac quæſtione ſit ſentiendum & dicendum? 31[illegible].b
Peccata aliàs confeſſa ab aliàs non confeſſis, an in confeſſione generali debeant neceſſariò diſtingui? 3[illegible]
Peccata confeſſa, moraliter loquendo ſunt nulla. 41[illegible]
Peccata, an habeant privilegia, ne poſſint ſine inju[illegible] revelari? 42[illegible]
Peccata dimittere, an ægrotos curare, quid difficiliùs [illegible] 269.b
De peccatis provincialibus. Debent à capitalibus neceſſariò diſtingui. 37[illegible].b
An, & quando poſſit aliquis tacendo peccare? 7[illegible].b
Pecunia numerata, an numerandâ ſit pretioſior? 3[illegible].a
Pecuniæ vis multa interdum in Republicâ obtorquet, [illegible] confundit judicia. 366[illegible]
Peregrini ſ[illegible] veriùs quàm filii poſſunt judicare. 31[illegible].b
Peripatetici contradicunt ſuis Regulis. Ponunt m[illegible] inutiles. [illegible]
Peripatetici in varias Scholas dividitur, 25[illegible]
Perjurus. An qui in una cauſa fuit, in aliâ poſſit ad teſtimonium admitti? 379[illegible]
An & cur is, qui ſemel perjurus fuit ſemper ſit dejerandum? 393.b
Perſæ jurabant per Solem. 389.a
Perſona, quid ſit? 299.b
Perſona Divina. An & quando unâ nominatâ omnes tres intelligantur? An, quæ ad omnes tres pertinent, uni approprientur? 112.b
Perſonæ ſingulæ Trinitatis habent propria vocabula, 56.b
Perſonæ inæquales non debent æqualiter tractari. 343.b
D. Petrus Rodriguez libro doctiſſimo Marianam Conceptionem tutatur. 81.b. Ejuſdem liber ad Synopſim reducitur. 82.a.290.a
Phaſianus. Unde nominetur? 183.b
Philippi II. Lemma Heroicum, *Nec ſpe, nec metu*, admonet Judices, & teſtes, quomodo in tribunalibus debeant procedere. 275.b
Prima Philoſophia. Quid ſit? 216.b

Φ1·

GENERALIS.

Φυσικὴ. Quid ſit? 183.b
Phyſicæ Diviſio. 213.b
Phyſiognomia. An ſit Ars certa? & quid ſit? 347.b
Pliuii miſera mors. 341.b
Pluralitas virtualis, quæ? 22.a
Vox *Plures*. An interdum abſolutè ſumatur? Quid tunc ſignificet? 69.b
De pœnâ talionis. Quando illam debeat Accuſator ſubire? Quid ſi Accuſatoris ſententia fuerit ferè probabilis? 278.a
Pœnitentia præſumptionem elidit. 252.a
Pœnitentia ſera, ſuſpecta eſt & periculoſa. Oportet peccata dimittere, priuſquàm ab illis dimittarut. 307.a.b
Poëtæ. An ſint prudentes? 276.a
Poëtæ. An ſemper mentiantur? 362.a. An ſemper Hæretici? ibid.b
Politica. Quid ſit? 264.b
Politica duplex: Totalis & Partialis, Finis utriuſque. 265.a
Politica Imperfecta. Quid ſit? ibid.
Politica Perfecta. Quid? ibid.b
Politicus. Quæ facere debet? 264.b
Politicus. Quali ſcientiâ indigeat? 236.a
Politico-Chriſtianus. Quid ſibi proponat ut finem? Quid adſumat? Quid ſubſumat? 266.b. Quid inferat? 267.a
Populus in Geomantiâ, quid ſit? 348.a
De Ponderibus falſis. Utrùm per reſtrictionem mentalem eorum iniquitas emaculetur? 401.b
Pontifex. Unde dicatur? 186.a. An à poſſe & facere dictus ſit? ibid.b
Pontifex omnium Pater. 260.b
Pontifex, an concedere poſſit, ut conſanguinei, qui realiter diſtant tribus gradibus, diſtent quinque moraliter? An contra; nimirùm, ut qui multis realiter diſtant, moraliter ſint cognati? 313.b
Summus Pontifex, an poſſit in voto ſolenni diſpenſare? 324.a
In ſenſu compoſito non poteſt Pontifex in voto ſolenni diſpenſare. An ſine gravi causâ? ibid.
Pontius Pilatus. Conſtans-ne, an pertinax fuerit? 105.b
De Pontii veracitate & religione. 379.b
Poſitio vera. Quid ſit? quid falſa? quid ſit verax? quid fallax & mendax? 67.b
Poſitio per ſe falſa, quæ? 295.b
Poſitio Rationalis. Quæ ſit? 116.a
Quæ Cauſalis? ibid.
Poſitio, *Ex duobus malis minus eſt eligendum*, quomodo intelligenda? 240.a
Poſitio univerſalis ex particulari interdum infertur, ſed quando? 250.b
Poſitio univerſalis aſſerens. 81.a. Altera negans. ibid. nihil Poſitio univerſalis excipit. ibid.
Poſitionem, quam negâras, an poſſis adſumere? 239.a
Poſitiones, quæ nec veræ nec falſæ cenſentur. 66.b
Poſitiones nonnullæ moraliter univerſales, 86.a
Poſitiones æternæ veritatis, quæ? 143.b
Poſitiones mentales, quæ ſint æquipollentes, an dentur? 157.a
Poſſeſſio. Unde ſit dicta? 186.b
De poſſeſſione rerum furto ablatatum. 352.b. Poteſt quis habere res furto ablatas, & eſſe furtivas neſcire: potuit inveniſſe. ibid.
Poſſibilitas duplex. 142.a
Poſſibile eſt ſponſos de futuro aut conditionales poſſe coire ſtante contractu de futuro, aut cōditionali. 337.b
Potentia duplex. 416.b
Potentia ad præteritum an detur? An illam habeat Deus? An Juriſprudentia? 23.b
Potentia obedientialis, an detur? An poſſit Deus quodlibet in quodlibet convertere? 332.a

Potentia operativa à voluntate diſtincta in Deo non datur. 33.b
De Potentiâ infinitâ. 218.a
Potentiæ, an diſtinguantur ab animâ? 293.b
De poteſtate indirectâ. 261.a
Præcepta æquipollentia. An dentur? 138.b
Præcepta circa Fidem ſunt duo. 165.b
Præcepta non ſunt impoſſibilia. 257.b
Præcepta. An meliora ſint experimentis? 273.b
Præciſio vocalis. Quid ſit? 23.a
Præciſiones. An dentur? 271.a
Prædeſtinatio. An in prædeſtinato aliquam neceſſitatem imponat? 230.a
An ſint multi vel pauci, qui ad gloriam ſunt prædeſtinati? 99.b
Prædeterminatio phyſica. An ſit poſſibilis? 239.b
De Phyſicâ Prædeterminatione. Quã neceſſaria ſit? 218.b
Prædicabile. Quid? 34.b
Prædicabilia ſunt connexa. 35.a
Prædicabiliũ doctrina, an poſſit de Analogis verificari? 37.
Prædicabilium novæ definitiones ex Ottomano & Prattejo. ib.b
An apud Græcos ſit frequens primo in loco ponere Prædicamentum? 121.a
Prædicamenta. An tranſeſſentiari poſſint? 24.a
Prædicatores Lutherani. Quales ſint? 255.b
Prædicatum cum Subjecto confertur. Vel enim convenit omni, vel non omni. 129.b
De Prædicato, quod convenit ſoli, ſed non omni. Quo in illo modo fiant Converſiones Modales? 130.b
De Prædicato Contingente. Habere poteſt quamcunq; quantitatem moralem. 131.a
De Prædicato, quod convenit omni ſubjecto, ſed non ſoli. 130.b
De Prædicato, quod convenit omni & ſoli. Et quo tunc modo omnes Modales Propoſitiones convertantur? ibid.
Prælatus. Quid jubere poſſit? 144.b
Prælatus, an poſſit negare ægroto carnes? Suadendum Prælato, ne ſit moroſus, ſed prudentis Medici ſequatur dictamen. 317.b
Prælatus poteſt & ſolet velle quod rem facias & ſimul licentiam petas. 319.a
Præmia & ſupplicia Veritatis probationem ſequuntur. 66.a
Præmiſſæ Demonſtrationum, quales eſſe debeant? 276.a
Præſcindere mente. Quid ſit? 23.b An linguâ poſſim unam formalitatem præſcindere ab aliâ? ibid.a
An ab ordine poſſis præſcindere? 24.b
Præſentia virtualis, quæ? 16.a
Præſumere, quid ſit? 298.a
An omnis ſit bonus præſumendus, & quamdiu? ibid.
Scire certò, quid de aliorum mente poſſimus? 298.a
Præſumptio ut ſic, quid ſit? Vera definitio. 335.b
Præſumptio temeraria, quæ? ibid.
Præſumptio probabilis, quæ? An quis damnari queat ex præſumptione probabili? 336.b
Præſumptio adulterii & purgatio. ibid.
Præſumptio violenta, quid? 336.b. Nominis ratio, aut ſi velis, correctio. An violenta ſufficiat ad condemnationem? An eodem modo in civilibus & criminalibus? Violenta eadem eſt ac Univerſalis. 337.a
Præſumptio neceſſaria. ibid.b
Præſumptionum gradus. 335.a
Princeps. Quid materialiter & formaliter ſit? 385.a
Princeps. Qualis eſſe debeat? 200.b
Princeps cur leges condat? 211.b
Princeps. Quid poſſit præcipere? 144.b
Principes. Quomodo conſulant Theologos? 106.b
Principes ſunt nimiùm delicati: in eos ſoli peccant, qui diſplicent. 251.a

INDEX

Principes. An omnes ſint fide digni? 281. a. An ſufficiat, ſi aliquis Princeps dicat, *Ego vidi, ergo damnetur*? ibid. b
Iezabella licèt Regina, calumniatrix & mendax. ibid.a
Boleslaus licet Rex, calumniator & mendax, ibid.
Henricus II. licèt Rex, calumniator, ibid.
Princeps, qui licentiam Petro majores feras occidendi conceſſit, an minores etiam occidendi licentiam conceſſiſſe cenſendus ſit? 321.b
Principes non ſolùm fidem ſervare debent, ſed ita etiam procedere, ne illam violaſſe juſtè vel injuſtè putentur. 379.b
Principium primum omnium Veritatum. 132.a
Principium primum. Quid ſit? An probari poſſit? An debeat? 216.b
Principium duplex, ibid.
Principium *Dici de omni* exponitur. 220.b
Principium *Dici de nullo* illuſtratur. ibid.
Principia Moralia. Quid ſint? Eorum diviſio. 217.a
Principia per ſe nota. An dentur? 217.b
Principia Chriſtianæ Politicæ. 261.a
Privilegium. Quid ſit? 135.b
Privilegium Ciſtercienſium teſtificandi in propriis cauſis. An ſimile privilegium Cardinalibus conceſſum ſit? 372.b
Privilegia Benedictinorum. Quomodo debeant revocari? 94.a
Quomodo privilegia Ciſtercienſium, Templariorum, Hoſpitalariorum, &c? ibid.
Privilegia non concedenda. An ſint? 135.b
Generalis Statutorum & Privilegiorum confirmatio ea, quæ ſunt abrogata, non confirmat. 93.b
Probabilitas duplex. 97.a
Probabilitas relativa, Quid? ibid.
Probabilitas. An & quomodo cum Veritate componatur? 97.a. An etiam cum falſitate? ib.
Probabilitas tenuis ſufficit, ubi non agitur de violatione præcepti, aut damno tertii. 102.a
Probabilitas. An magis & minus recipiat? 147.a. An externa in interna fundetur? ibid.151.a
Probabilitas. An habeat locum in Deo? 234.a
Probabilitas eſt aliquid reſpectivum, & creatum intellectum concernens, ibid.
Probabilitas eſt veritas virtualis. 247.a
Probabilitas ſufficit ad ſpem. 252.a
Probabilitas eſt quædam moralis certitudo, 258.a
Probabilitas debet à Probabilioritate diſtingui. 284.a
Probabilitas Realis, an ſit Certitudo Virtualis? Reſolutio. Confirmatur exemplo. 294.a
Probabilitas ſpeculativa, cur nō omnis ſit practica? 308.a
De Probabilitatis augmento & diminutione, 328.a
Ad probabilitatem, an pauci ſufficiant? 288.a
De Probabilitate Practicâ & Speculativâ, 307.b
Probabilioritas, quid ſit? 299.a
Probabilioritas ſufficit ad torturam; & ad capturam probabilitas, 285.a
Probatio. An infallibilis poſſit fieri humanitùs? 365.a
Probatio per duellum, an ſit legitima? 388. In Hiſpaniâ apud Mahometanos admiſſa. Reſolutio.
Probationes Particularium. Unde proveniant? 249.b
Probationes æquè probabiles, An dari poſſint? 284.a
Probare nimium, an ſit nihil probare? Non ſemper argumentum, quod plus probat quàm debet, nihil probat, 322.b. Quid in materiâ gratiæ ſit dicendum? Reſolutio practica. ib. Reſolutio ſpeculativa. 323.a
Profeſſio ſolennis eſt mors virtualis. 20.a
Profeſſio talis aut talis Religionis, an ad teſtis fidem & authoritatem conducat? 373.a
Promiſſio generalis non ſemper omnia includit. 26.b
Promiſſio. An & quando obliget? 105.b
Promiſſio. Quid ſit? An dominium transferat? An ad Juſtitiam, aut ad veritatem pertineat? 106.a
Propinqui. An poſſint occidi? 232.a
Propoſitio. Quid ſit? 194.a
Propoſitio integra, An, quando, & quomodo in uno vocabulo ſimplici contineatur? 47.a
Propoſitio idemtica. Quid ſit? 59.b
Propoſitio de Subjecto non ſupponente, quænam ſit? 72.a
Aſſertio Pauli Juriſconſulti an ſit de Subjecto non ſupponente? ibid.
Propoſitio una & eadem ex uno capite evidentiam, ex alio probabilitatem ſortiri poteſt. 97.a
Propoſitio. An in veras ſpecies dividatur. 109.a
Propoſitio Reduplicativa, quid? ib.
Quid Excluſiva? ib.b
Quid Exceptiva? ib.
Quid Specificativa? ib.
Quid requiratur, ut Propoſitio Excluſiva ſit vera? 111.b
Propoſitio Disjunctiva. Quid ſit? 113.b
Propoſitio Conditionalis. Quid ſit? Quando verificetur? 115.a
Conditionalium & disjunctarum affinitas. 115.a
Propoſitio quæcumque mutatis circumſtantiis in quamcumque poteſt tranſire. 131.a
Propoſitio Similitudinaria. 117.a
Propoſitio omnis quoad ſe vera vel falſa eſt; non autem ſemper quoad nos. 136.a
Propoſitio. An ex falsâ in veram tranſire poſſit? 247.a
Propoſitio eadem poteſt nec eſſe vera vel falſa virtualiter: & contrà. 247.a
Propoſitio Judæorum. *In Beelzebub Principe Dæmoniorum*. &c. An ſit falſificans? 270.b
Propoſitio moraliter univerſalis, quæ? 273.a
Propoſitio modalis ſæpe vera eſt, quando ſimplex eſt falſa. 293.a
Propoſitio eadem an ſit ſimul vera & falſa? 296.a
Propoſitionis partes intrinſecæ. 51.a
Propoſitionis formalis eſſentia, quæ? 60.a
Propoſitionis diviſio in Categoricam & Hypotheticam, 112.a
Hypothetica ſubdiviſio. ibid.
Hypotheticæ Compoſitio realis. ib.
Quænam poſſint de Propoſitione poſtulari? 60.a
De Propoſitione Univerſali. 71.a
De Propoſitione Particulari. 78.b
De Propoſitione ſingulari Idemticâ. 78.b
Ad quę Prædicabilia aliquæ ꝑpoſitiones reducantur? 73.a
Propoſitiones aliæ veræ sūt quò ad nos, alię quò ad ſe. 65.
Propoſitiones de ſuturo contingenti. An habeant veritatem vel falſitatem? ibid.b
Propoſitiones omnes univerſales, quæ Deiparam habuiſſe Originalem culpam viderentur probare, debent ſumi moraliter, & ſic nihil evincent. 85.b
Propoſitiones quātę, quomodo inter ſe diſtinguūtur? 108.
Propoſitiones. Non omnes ſunt conditionatæ, quæ tales videntur. Oneroſa quoad verba eſt ſimilis conditionali. 115.b
Propoſitiones aliquæ proponuntur, quæ converti nō poſſe videntur. Quæ primo aſpectu converti non poſſe viderentur, per circumloquium convertuntur. 122.a
Quaſnam Propoſitiones Authores Converſioni ſubjaceant? 122.b
Propoſitiones ſingulæ quo converti modo debeant? 122.b
Quænam Propoſitiones per Contrapoſitionem convertantur? 125.b
An dētur Propoſitiones, quæ nec veræ nec falſæ ſint? 135.a
Propoſitiones non eſſe veras, & ignorari an ſint veræ? an differant? 136.a
Propoſitiones aliquæ ponūtur. Quomodo differant? 156.b
Propoſitiones, quæ reduplicationibus onerantur obſcuræ ſunt. 159.b

Pro-

Digitized by Google

Propoſitiones idemticæ non ſunt, in quibus termini diſtinguuntur formaliter. 238.a
Propoſitiones negativæ. An dentur? 247.a
Propoſitiones inutiles, quæ? 267.b
Propoſitiones aliquæ ponuntur, quarum veritatem vel falſitatem Judex eruere debet ex librorum lectione, propriâ experientiâ, Aſſeſſorum judicio, &c. 284.b. Singulæ examinantur. Quænam ex illis vera ſit? 285.a
Propoſitiones damnatæ à Patribus, quo loco habendæ ſint? 327.a
Genera Propoſitionum. Quot ſint? 78.a.125.b
De tranſitu & reditu Propoſitionum. 125.a
De veritate & falſitate Propoſitionum Modalium. Exponitur Regula. 129.b
De Propoſitionum indirectarum veritate. 130.a
De morali aut virtuali Propoſitionum veritate. 247.a
De Propoſitionibus veritatis æternæ. 43.a
De Propoſitionibus primi & ſecundi adjacentis. 51.b
De Propoſitionibus oppoſitis. Quando eſſe aut non eſſe poſſint ſimul veræ vel falſæ? 132.a
De Propoſitionibus, de Subjecto, Prædicato, & Copulâ non ſupponentibus. 383.a
In Propoſitionibus tam Materia quàm Forma conſiderari debet. 128.b
Proprietatis diviſio. 36.a
De Proprietatis tertio modo. Quo modo in illo convertantur Modales? 130.b
Proprietatum quatuor modi, qui? 36.a
Proprium in primo modo, quale? 289.b
Proteſtantes. Unde dicti ſint? 255.b
Protheoremata ſeu Diſcurſuum Principia. An ſint multa, aut pauca? 131.b
Prudentia etiam ſumitur in malam partem. 301.b
Prudentum nomine qui intelligantur? 16.a
An omnis, qui ferro perdiderit proximum, ferro peribit? 289.a
Ψευδοφίλοι, qui ſint? 416.a
De Pſittacis, Non omnes æquè dociles ſunt, 9.b
Quid doceant Hæretici ſuos Pſittacos? 10.a
Ψυχική, quæ ſit? 216.b
Puellæ, quæ infantem mortuum ſe peperiſſe aſſeverat, an ſit credendum? 357.a. Quæ flagitiosè concepit, etiam flagitiosè peperiſſe cenſetur. ibid.
Pueri, qui in infantiâ à ſuis parentibus offerebantur Monaſterio, an poſſint in ætate fortiori reſilire? 302.a
Pupillus nequit res alienare. 110.b
Potentia Alienandi eſt accidens; eſt etiam accidens Matrimonium contrahendi potentia, 110.b
De Purgatione per aquam, 360.b
Purgationes, quantam certitudinem requirant? 286.a
Purgatorius. An ſit? An Virgilius depinxerit Purgatorium & Limbum? 361.b. Quid Origenes ſenſerit de Purgatorio? 362.b
Puncta. An dentur? 62.b
Pygmæi. An, & ubi reperiantur? 3.b

Q

QUæſtio proponitur. 9.a.343.b.333.b
Quæſtio Aſtrologica duplex; altera à priori; altera à poſteriori. Theologi doctiſſimè diſcurrunt à poſteriori. Qui aliunde veritatem ſciunt, congruentias facili negotio reperiunt. 223.b
Quæſtiones aliquæ Dialecticæ recenſentur, quæ in Theologiâ Fundamentali dilucidantur. 242.a
Quæſtiones duæ morales proponuntur. 297.b
Quæſtiones quatuor concatenatæ proponuntur. 318.a. Reſolvitur prima. ibid. Secunda. ibid. Tertia. ib. b. Quarta. 319.a
Qualitas virtualis, quæ? 15.b
Qualitas; una & eadem, ſeu mentis actus (à mente realiter diſtinguatur, aut non) poteſt indipiſci varias denominationes provenientes à connotatis. 245.b
Qualitas perſonæ. An ad teſtimonium concurrat? 373.a.b
Qualitates contrariæ. Quæ dicantur? 165.b
Quantitas virtualis, quæ? 15.b
Quantitas in Logicâ duplex. 77.b. Iterum dividitur. ibid.
Quantitas. An habeat contrarium? 99.b
De Quantitate Subjecti & Prædicati. 225.a
Quantitates variæ Logicarum Propoſitionum. 79.a. Cõſiderantur præciſive, & negativè. ibid.b
Quaſi vivere, quid ſit? 16.b
Quaſi poſſidere, quid ſit? 16.b

R

RAmi. Quinam Spadones vocantur? 41.b
Rarum. Quid ſit? 118.b
Ratihabitio. An ſufficiat ad valorem Confeſſionis Sacramentalis? 318.a
Ratihabitio. An habeat locum in Sacramento Pœnitentiæ? 319.b
Ratio ab etymo. Cur nihil valeat? 185.b
Ratio. Cur dictet fornicationem v.gr. fugiendam? 262.b
Ratio. An ſuadeat Adulteria? 263.a
Ratio læſa. Quid dictet? ibid.b
Ratio gravis, quid ſit? 332.a
Rationalitas & Moralitas ſunt ſeorſim communes, & ſimul ſolius hominis propriæ. 55.b
Raçones de carta rota. Quid ſint apud Hiſpanos? 180.a
Recopilatio. An fieri debeat coram teſtibus? 332.b
De Reductione, quâ ad Impoſſibile cogimur. An ſit difficilis? An inutilis? Quomodo fiat? 229.b
Regula S. Benedicti. Quomodo ante, & quomodo poſt profeſſionem obliget? 145.b.138.b
Regula S. Auguſtini. Quomodo obliget? 138.b
Quomodo Regula S. Franciſci? ibid.
Regula Juris Canonici dilucidatur. 379.a
De Regulâ falſæ Poſitionis. 76.a
Regulæ generales ab uno vel altero caſu particulari non debent deſumi. 148.b
Regulæ humanæ, an habeant in Sacramentalibus locum juris? 319.b
Relationes logicæ. An ſint Entia rationis? 219.a
Relationes, An & quomodo a Divinitate diſtinguantur? 218.a
Religio noſtra. Quàm certa ſit? 239.a
Religio Chriſtiana, qualis ſit? 305.a
Religioſi. Cur nominentur *Aſcetæ*? 121.a
Remiſſiones criminum, quæ ſecundùm rigorem verborum Grammaticum ſunt conditionatæ, interdum ſunt juridicè ſumptæ, abſolutæ. 116.a
Res eadem poteſt & ſolet à duobus interdici vel præcipi An ejuſmodi præcepta & privilegia ſint ſuperflua? 364.
An una & eadem res in præmium & ſupplicium, in gloriam & ignominiam poſſit mutatis circumſtantiis cõcedi? 117.a
De Re, ſi latè ſumatur? ſi strictè? 13.a.b
Res. Aliæ in facto, aliæ in Jure conſiſtunt. 110.a
An res omnes diſtinguantur ſe totis? 23.a
Res, cur donentur? cur gratiæ fiant? 323.a
Rerum moralium aliæ ſunt morales, & aliæ moraliter accidentales. 250.b
De rebus Eccleſiaſticis & Politicis. 89.b
De rebus Moralibus & Practicis. 197.a
Reſolutioni dubiæ, an ſubſcribere debeas? D. Auguſtini votum. 326.a
Reſpondere ad Epheſios. Quid ſit? 413.b
Reſponſa Prudentum. Quid olim fuerint? 148.a
Reſponſio. Quomodo reſtringatur? Quomodo ſint Patres intelligendi? 46.b

INDEX

Reſponſio per interrogationem contrahitur. 47.a
De Reſponſione inconſtante, & ſibi contrariâ, Illa interdum oritur ex turbatione. 348.b
Reſpublica. An ſit Civium Domina? An adminiſtratrix tantummodo? 111.a
Unde habeat Reſpublica, quòd poſſit ſubditum occidere? 111.a
Reſpublica eſt quidam homo myſticus. 261.b An habeat Synderesim & conſcientiam? 262.a
Reipublicæ & Cæli collatio. 264.b
De Reipublicæ authoritate circa rerum pretia. 422.a
Reſtiturio. An ex pecuniis furto ſubreptis, ubi alio modo reſtitutio fieri non poteſt, poſſit ſacellum erigi, in quo nomen furis gloriam & laudẽ conſequatur? 426.b
Reſtituere differt à *donare*. 426.b
Reſtrictio. Quid ſit? 45.b
Reſtrictio Reſponſionis non à Conceptibus mentalibus, ſed à ſenſibili interrogatione deſumitur. 404.a
Reſtrictiones, an liceant? 348.b
An hujuſmodi reſtrictiones à maculâ purget cauſæ gravitas? 402.a
De Reſtrictionibus Mentalibus. 398.a
Quales ſint, ſi bene conſiderentur? Utrùm ſaltem in gravibus negotiis tolerabiles ſint? ibid.
An contra hoſtes uti liceat Reſtrictione Mentali? Cleomenis hiſtoria proponitur. ibid. b. Cleomenes abutitur Reſtrictione Mentali. 405.b
De illo, qui crimen purè materiale commiſit. An id negare poſſit utens Reſtrictione Mentali? 400.b
Quomodo quis reſpondere poſſit rem mutuam poſtulanti? 401.b
An precibus impulſus poſſit falſum cum mentali reſtrictione jurare? ibid.
An detur Caſus, in quo quis teneatur uti Reſtrictione Mentali? 421.a
An Veteres cognoverint, aut ſi fortè cognoverint, reprobaverint Reſtrictiones Mentales? 402.a
Reſtrictiones Mentales impoſſibiles & inutiles ſunt. 412.a
An, qui utitur Reſtrictione Mentali, intendat decipere proximum? 413.b
An ſint poſſibiles, licitæ, & utiles Reſtrictiones Mentales? 414.b
An qui eleemoſynam petenti reſpondet, *Non habeo*, aut mentiatur, aut utatur Reſtrictione Mentali? 415.a
Reſtrictiones Mentales, ut ſæpe diximus, ſunt impoſſibiles. Et quid, ſi eſſent poſſibiles? Adhuc in tribunalibus locum habere non poſſunt. 427.a
De reſurrectione carnis. 171.a
De Retractatione opinionum. 323.b
Diſcrimen inter Retractationem & Inconſequentiam. ib.
Retractatio ab Eccleſiâ præcepta, quantæ ſit authoritatis? 323.b. Quanti liberè facta? 324.a
An ſtandum ſit Retractationibus D. Hieronymi? An Retractationibus D. Auguſtini? An Divi Thomæ? 324.a
REUBAU apud Philoſophos quid ſignificet? 127.b
De Revelationibus privatis. 362.b. Hæreticorum error, 363.a. Catholicorum ſententia. ibid.
De Revelationibus oppoſitis. ibid. b
Reus audiendus eſt circa indicia. 379.a
Reus, an teneatur ſtatim reſpondere? 349.a
Reus. An, & quando teneatur crimen admiſſum confiteri? An poſt informationem ſemiplenam? 399.b
Reus, qui pejeravit, an ſe retractare debeat, niſi iterum interrogetur? 400.b
An Reus ad vitanda tormenta poſſit ſibi crimen capitale, quod nunquam commiſit, imponere? ibid.
Reus, quando juſtè interrogetur, & reſpondere teneatur? 407.a
Reus. Cur in tali caſu teneatur reſpondere, & in altero non? 407.b
Reus, qui mentitur, an teneatur ſuum crimen fateri? 409.
An teneatur ſe retractare? 410.a
An Reus poſſit fateri crimen capitale, quod non commiſit, ne torturæ dolores patiatur? ibid.
Reus, qui crimen capitale commiſit, an poſſit ſe tribunali prodere, ut ultimâ ſententia condemnetur? 410.a
De damnato ut moriatur inediâ. 410.a
An Reus, qui reverà crimen commiſit, ſe defendere poſſit cum teſtis innocentis injuriâ? 427.b
An, ubi datur unus teſtis, Reus teneatur veritatem fateri? ibid. An ante informationem ſemiplenam veritatem dicere debeat? 428.a
Reus ſe defendendo poteſt in exceſſu peccare. ibid. b
An ſint aliquæ Provinciæ, in quibus Rei confeſſio, ut ſit plena informatio, requiratur? 427.b
An qui reo opem tulit, damnari poſſit? 350.a
De Reo pavido & perturbato. 349.a
De Reo. An & quomodo reſtrictione mentali juvetur? 401.b
De Reo conſtituto in loco, ubi ejus confeſſio ad plenam probationem requiritur. 401.b
De Reo convicto. An negativus poſſit mori? an neceſſariò debeat veritatem fateri? An Cotonius oppoſitas doctrinas involvat? 411.a
An Rei omnes etiam convicti ob fortitudinis gloriam crimen negent? 411.b
De Reo, qui interrogatur de crimine, quod reverà ſed occultè commiſit. 421.b
De Reo, qui de homicidio neceſſariò commiſſo in tribunali examinatur. ibid.
Rei. Cur capiantur? Et à quo capi poſſint? 277.b
Rei poſſunt & ſolent decimari per ſortem. 340.a
Rei, cur in carceres protrudantur? 409.a
Rex Bornenſis in Nubiâ quàm potens ſit? 55.b
Bornenſes. An careant propriis nominibus? 56.a
Rex Daniæ ſub verbo ſuo ſecuros advocat & trucidat. 383.b
Chriſtierni Daniæ Regis crudelitas. 384.a
Rhombus. Quid ſit? 50.b
Rigor Scholaſticus in concionibus nec debet, nec poteſt ſervari. 305.a
De riſu & ſcurrilitate. 70.b
Romani. An ſemper fuerint legibus gubernati? 65.a
Romanorum errores circa cultum Divinum; juramenta; Feſtorum obſervantiam; honorem Parentum; vitæ dominium; fornicationem & adulteria; furta & rapinas; veracitatem & circa Concupiſcentiam. 262.b, 263.a
Roſcius, an fuerit parricida? 288.a
Ruſtici, an ſint ingenioſi? 289.b

S

SAbaudi. Quid per Germaniam agant? 288.a
De Sabbathi obſervatione. 360.a. An ad Deiparæ honorem laudabiliter obſervetur? ibid. b
Sacerdotes erant olim cauſarum Judices. 185.b
Sacerdotes & Levitæ ad Joannem Baptiſtam legantur. Quid inquirerent? 162.a
Sacerdotes. An publicè abſolvant? 212.b
Sacramenti definitio ut ſic. An per omnes cauſas fuerit conformata? 198.a
Sacramentum ab Angelo collatum, An eſſet validum? 241.b
Sacramenta, An conſtent rebus & verbis? 5.a
Sacramenta habent materias & formas virtuales. 15.b
Sacramenta. Cur fuerint inſtituta? An phyſicè conferant gratiam? 198.a.b
Sæculares. An habeant ſuperflua? An nulli teneantur erogare eleemoſynas? 424.a
De ſæculo aureo, & communi rerum omnium dominio. 179.a

De

De ſalvo paſſu conceſſo Martino Luthero. 380. a. An apud veteres locum habuerit? 381.a
Sancti. An majora miracula faciant, quàm Chriſtus, & cur? 83.a
Sancti bifariam conſiderantur, quà homines, & quà gratiâ Divinâ præditi. 387.a
An præter Hieremiam, & Baptiſtam alii fuerint in utero ſanctificati? 87.a. Quid de Moyſe, Quid de S.Bernardo ſtatuendum ſit? ibid.
Sapientia. Quæ fuit illa, quæ ab initio, & ante ſæcula fuit creata? 41.a
De ſeptem Sapientibus. Quo ordine ſint recenſendi? 24.b 25.a
Saracenæ. Quales ſint virgines. 222.a
Saraceni contractu in linguâ exterâ inito non obligantur. 6.b
Scandalum quid ſit & quotuplex? 21.b
Scandala. An ſemper timeri debeant? 95.b
Scelerati ad terrorem aliorum debent puniri. 303.a
Scientia & Opinio. An ſint ſimul? 171.a
De Scientiâ mediâ, & conditionatorum futurorum notitiâ. 218.a
An in Scientiis initium ſit de nominis expoſitione ſumendum? an potiùs à rei definitione? An erraverit Tribonianus? 185.a
Scio & *Non-ſcio*. An opponantur? 132.a
De Scoti doctrinâ. In tres Sectas dividitur. 255.a
Scripta veterum Patrum non omnia ſunt infallibilia. 327. a
Urbaniſſimè de illis loqui debemus. ibid.
Scripturæ. An res ipſas aut voces ſignificent? 2.b
Scripturæ. An habeant ſignificationem materialem? 9.b
Secretum naturale vel Sacramentale, an à Mentali Reſtrictione dependeat? 419.a
Secretum naturale obligat ſub peccato mortali. ibid.
Quid importet contractus naturalis ſecreti? ibid.
An illa, quæ in naturali ſecreto ſciuntur, poſſint licitè ſub jurejurando negari? ibid.
An, qui ſecreta revelet, teneatur ad reſtitutionem? An recurrendum ſit ad aliquam reſtrictionem mentalem? ibid.
Dignitatis Senatoriæ Privilegia. 117.a
Senator depoſitus, privilegiis exuitur. Cur non poſſit eſſe teſtis? ibid.
Seneca. An benè adſcendat? 255.b
Senſus virtualis, qui? 15.b
Senſus aliter voces in Oratione, & aliter Eloquentia coordinat. 120.a
Senſus à conſenſu & turbatio à perturbatione diſtinguitur 265.b
Senſus externi. An fallantur? 131.b
Sententia. An ſit benignior eligenda? 96.a
Sententia definitiva. An poſſit à futurâ conditione pendêre? 116.a
Sententia. An probabilior ſit eligenda? an minùs probabilis ſufficiat? 243.b
Sententia Judicis. An, & qualem certitudinem habeat? 148.a
Sententia plurium. Qualis ſit? ibid.
Sententia ſingularis unius viri. An probabilis cenſenda ſit? ibid.
Sententia duorum vel trium, an poſsit communis appellari? 278.b
Sententia debet eſſe perfecti ſyllogiſmi concluſio. 281.b
Sententia probabiliſsima, quæ? 306.a
Sententia ultima in materiâ criminali, an pendeat à ſorte? 340.a
Sententia. Nulla ferri debet, niſi utraque pars priùs audiatur. 367.a
An ſententiæ probabiliori adhærere teneamur? 274.a
Sententiæ. An licitè poſsint committi ſortibus? 339.b
De Sententiis damnatis & rejectis. 326.b
Sentire dolores, eſt actus vitalis. Quid de animabus ſeparatis dicendum ſit? 236.b
Servii Sulpitii in exponendis legibus commendatur benignitas. 31.a
Servitus. An conceptionem, an verò partum reſpiciat? 147.b. Quid dicendum ſit de filio, qui conceptus à matre liberâ, à ſervâ ſive ancillâ paritur? ibid.
Servitus. Quid ſit? an poſsit ex duello ſubnaſci? 194.a
Servus natus, quis? 147.a
Servus. Cur olim dicebatur *Corpus*? 21.a
Cur ſervi ſint nulli? ibid.
Quando Servi ſint aliquid? ibid. An poſſint peccare & puniri? ibid.
Servus eſt civiliter nullus, dominium habere non poteſt. Servus vel adæquatè vel inadæquatè talis eſt. 110.a
Servum recipere. Quid ſit? 40.a
Servum, quis poſſit uſucapere; & quis non? 231.a
Servi. Unde dicantur? 182.a
Servi. An ſint res, non perſonæ? 81.a
Servi olim dicebantur *Pueri*. 53.a
Servi. An quæ adquirunt, etiam ignorantibus dominis adquirant? 134.b
Servi. An & cur eſſe teſtes non poſſint? An Reſpublica diſpenſare poſſit, ut validum teſtimonium perhibeant? 372.b
Servos dimittendi authoritas à Jure limitatur. 93.b
De Servis manumiſſis in circulo. 24.b
An ſignificare *nihil* ſit aliquid ſignificare? 7.a
Significare *nihil*. Quid ſit? An ſit, aliquid non ſignificare? 7.b
Significatio. Quid ſit? An ſit fictio grammatica? 72.b. 75.b
Significatio vel eſt materialis vel formalis. 5.b
An & qualis inter Significationem, Suppoſitionem, & Acceptionem interſit differentia? 39.b
De Significatione materiali & formali. 42.b
Significationum varietas tollit oppoſitionem. 132.b
Signum univerſale; An poſſit prædicatum afficere? 225.b
An omni ſigno carere, ſignum ſit? 108.b
Signum *Omnes*. Quomodo ſit univerſale? 81.b
Signum *Omnes* intelligitur non de univerſis omninò, ſed de omnibus illis, de quibus agitur. 90.b
Signa. An debeant cognoſci priùs? 22.a. An à ſolo ſenſu? ibid.
De Signis Syncategorematicis. 120.b
Similitudo non debet eſſe in omnibus, ſed in aliquibus. 11.b
Simplicitas in loquendo extrinſecùs cognoſci debet. 402.
Singulare. Quid ſit? 199.b
Singulare. An ſit priùs quàm univerſale? 213.a
Singularia habent ſuas proprietates. 199.b
Cur duæ ſingulares oppoſitæ non poſſint eſſe ſimul veræ. 133.b. Cur eſſe non poſſint ſimul falſæ? 134.a
Singularitas in omni Communitate & loco Sancto diſſonat. Eiſdem moribus ornari illos oportet, qui ſimul vivunt. 92.a
Particula *ſi non* Conditionaram, ſed Disjunctivam conſtituit. 122.a
Socrates, cur per Canem juraverit? 389.a
Sol plus poteſt per vitrum, quàm per ſe ipſum. 83.b
De Solis loco & maculis. 292.b
Solennitas eſt contractuum accidens. 324.a
Solon. Cur non tulerit legem in parricidas? 102.a. Romani habuerunt. ibid.
Solon. An parricidia interdixerit? 241.b
Sonus. Quid ſit? 5.b
Sorites. Quid ſit? Aliquando ſumitur in malam partem, aliquando in bonam. 235.a
Belli Sorites. An ſit Bellus? 190.a
Forma Soritæ Auguſtiniani examinatur. 236.b
Cur vix Scholaſtici utantur Soritis? 235.b

So-

I N D E X

Sorites aliqui in variis Figuris proponuntur. 235.b
Sortes. An poſſint admitti inter æquè dignos? an inter inæqualiter dignos? 340.
Spado. Quis ſit? 41.b
Spado ſumitur pro eo qui habet unicum teſtem; poteſt matrimonium inire. 42.b
Spadones. An habeant filios, & quales? ibid.
Spadones & caſtrati, An poſſint ducere uxores? 41.b
Olim inter Chriſtianos Spadonum matrimonia permiſſa. 42.a
Species. Quid? 35.a.37.b.38.a.b. An ſortiatur hoc nomen prout ad Genus, an ut ad Individua comparatur? quomodo loquantur Juriſtæ? 38.a
Species inadæquatæ, an dentur? 35.b
An, quæ realiter ſpecie differunt, ſint interdum ejuſdem ſpecies moralis? ibid.
An dentur ſpecies peccatorum inadæquatæ? ibid
Species. An poſſit in ſpeciem converti? 53.b
Nomen *Species* apud Juriſtas interdum ſignificat partem. 208.b
Species. An in Individua dividatur? 211.a
Species animalium peſſimè definiuntur à Logicis. 202.a
Speculationes eſſe purè ſpeculativas, nec poſſe ad praxin reduci probat hiſtoria & fabula. 309.a.b
Speculativum. An in Practico laudetur? 171.a
De Spiritus-Sancti proceſſione. 267.b. Quæ in Divinis diſtinguantur? ibid.
Spurius. Unde derivetur? 2.b
De ſtatu libero, Si impediatur ne conditionem adimpleat, an obligetur hæredibus? 12.a, 13.b
De Steganographiâ, & arcano uſu cujuſdam Abecedarii, 180.a. Explicatur ſecretum. ibid.
Steganographica ad Amicum Epiſtola. 180.b
De ſtemmatibus antiquis procerum Hiſpanorum. 183.a
Stipulatio. Quid ſit? 6.b
Stipulum. Quid ſit? ibid.
Stultitiæ. Cur ſemper comites habeant? 389.b
Suarius, qualis? 298.a
De Subalternis. An in Veritate, vel Falſitate; an ſaltem in Quantitate opponantur? 133.a
Subcontrarietas eſt Particularium oppoſitio. 132.b
De Subcontrariis. An & cur eſſe non poſſint ſimul falſæ? 134.b
Subditus Regularis, an & quando Religionis debeat pœnitentiam ob culpam, quam non commiſit, admittere? 407.a
De voce *Subſtantia*. 184.b
Subſtantia. Quid dicat? 206.b
Subſtantiæ in primam, & ſecundam Diviſio. An hæc eadem Diviſio doctrinalis & neceſſaria ſit? 213.b
Superfœtare. Quid ſit? 103.a
Superimpregnari. Quid? ibid.
Superior. Quid jubere poſſit, & quid non poſſit? 144.b
Superioris præcepta prudentis, an ſint probabilia? 409.a
De mandato Superioris probabili. ibid.
An Superiori obedire, humani, an verò Divini juris ſit? ibid.
An in materiâ probabili ſubditus teneatur obedire? ibid.b
Superioris tolerantia, an ad valorem abſolutionis ſufficiat? 318.b
An Superiori obedire in materiâ probabili debeas? 239.b
De Superſtitionum examine. 360.a. De inertiarum ſuperſtitioſarum magiſterio. ibid.b
Suppoſitiones impoſſibiles ſæpè ſunt valdè neceſſariæ. 424.a
De Theologicis Suppoſitionibus.
Surdus, Mutus, & Cæcus, an poſſint eſſe teſtes? 373.a
Suſpenſio. Quid apud Eccleſiaſticos ſit? 26.b
Suſpicio aliqualis, quid ſit? 349.a
Synderesis. Quid ſit? Quod objectum habeat? An errare poſſit? 259.b
Syllogiſmus, Quid ſit? 225.a
Syllogiſmus in *Darii* non eſt efficax, ſi major ſumatur moraliter. 85.a
Syllogiſmus Probabilis. Quid ſit? 234.a
Syllogiſmus bonus non poteſt habere quatuor terminos. 185.b
An, & quomodo ſit bonus ſyllogiſmus, cujus præmiſſæ ſint falſæ? ibid.
Syllogiſmus Demonſtrativus. Quid, & quotuplex ſit? 234.b
Syllogiſmus Obliquus. An debeat neceſſariò cognoſci? In quo conſiſtat? 237.a
Syllogiſmus *Expoſitorius*. Qualis ſit? Cur ſic dicatur? 232.a Habet medium ſingulare. Quid ſi habeat Extremitates ſingulares? ibid.
Syllogiſmus Identicus non debet cum Expoſitorio confundi. ibid.
Syllogiſmus Expoſitorius. An habeat locum in Divinis? 233.a
Unde Expoſitorii Syllogiſmi efficacia naſcatur? ibid.
Aliqui Syllogiſmi exponuntur & reducuntur. ibid.
Syllogiſmus Identicus. Quid ſit? & quotuplex? 237.b. Quinam hujuſmodi Syllogiſmis utatur? ibid.
Syllogiſmus, an etiam Propoſitio ſit ſimplex qualitas? 245.b
Syllogiſmus integer. An poſſit ſubintelligi? 247.b
Syllogiſmus integer. An poſſit unicâ propoſitione conſtare? 264.a
Syllogiſmus *Camilli* qualis ſit? 272.a. Quanta ejus virtus, & neceſſitas? ibid.
Syllogiſmus *Capitis*, qualis? ibid.
Syllogiſmus *Daris*, unde dictus? quantæ ſit efficaciæ? ibid.
Syllogiſmus in *Placidi* quantam vim habeat? 283.b
Syllogiſmi in *Placidi* efficacia. Quanta ſit? 96.b
Syllogiſmi Formalis & Figuralis Diſtinctio. 226.a
Syllogiſmi Scholaſtici & Moralis diſcrimen. 335.a
Cur in Syllogiſmo *Baralipton* ultima per accidens converti poſſit? 124.b
De Syllogiſmo, cujus medium in alterâ præmiſſâ eſt infinitum. 244.a
Syllogiſmi Morales. An ſint ſecuri? 97.a
An Syllogiſmi, qui probabiliorem conſequentiam inferunt, evidenter concludant? ibid.
Quinam Syllogiſmi connaturaliter formentur? 228.a
Syllogiſmi. An neceſſariò concludant? An infallibiliter? Hoc ultimum demonſtratur. 230.a
An Syllogiſmi, qui habent Extremitates ſingulares, poſſint ad Expoſitorios reduci? 232.b
Syllogiſmi, quos tertia Ariſtotelis figura procreat, cur omittantur? 287.a
Syllogiſmorum leges. Prima lex. 225.a. Secunda. ibid.b
Syllogiſmorum Nominum Explicatio. 227.b
Peripatetici decipiuntur, cum exiſtimant Ariſtotelem cognoviſſe & tradidiſſe omnes Syllogiſmorum formas. Novi Syllogiſmorum modi in noſtrâ Scholaſticâ Logicâ exhibentur. 224.b
Syllogiſmorum nomina Dialectica. 228.a
Syllogiſmorum reductio. Quomodo fiat? 229.a
Syllogiſmus in modo *Cameſtres* reducitur ad *Celarent*. ibid.
Syllogiſmorum Moralium numerus. 271.a. Cur illorum nomina tres ſyllabas habeant? ibid.b. Eorumdem nomina proponuntur. 172.a
Quid ſit Syllogiſmos Morales evidenter concludere? 97.b
In Syllogiſmis debemus Conſequentias ſecundarias admittere. 124.a. Si non admittantur, multi alii debebunt poni Syllogiſmorum modi, quos Ariſtotelici non cognoverunt. ibid.b

Syn-

Syncategorema *Plures*. Quid ſignificet? 95.a
Syncategorema *Aliquis* præciſivè à Dialecticis ſumitur. 130.a
De Syncategoremate *Nullus*. 7.b
De Syncategoremate *Omnis*, 129.a
De Syncategoremate *Omnes*. ibid.
De Syncategoremate *Aliquis*. ibid.
De ſyncategoremate *Fere nullus*. ibid.
De Syncategoremate *Nullus* & *Nulli*. ibid.
De Syncategorematis cæteris, quæ numero ſingulari exprimuntur. ibid.
An ex Syncategoremate *Rarò* inferatur temeritas? 102.a
Syncategoremata. Quæ ſint? & quot? 78.a
ſyncategoremata Moralia. Qualia ſint? 71.a
Syncategoremata poſſunt bifariam ſumi. 130.a
De Syncategorematibus *Semper* & *Omnes*, 82.a
Synonyma, quæ ſint? 33.a
Synonyma. An prædicentur idemticè? 59.b
Synteresis. Quid ſit? 217.a
Syſtema. Quid ſit? 203.a
Syſtema Mundi Copernicæi. An ſit Pythagoræ? 256.a

T

TAbula quædam explicatur, 277.a
Tabulæ duæ Syllogiſmorum Moralium proponuntur. Ratio nominum Modorum, & eorum numerus & diſtinctio. 286.a.b
Tacere. Quid? 60.a. An poſſit aliquis tacere & non tacere ſimul? ibid.
Tacere. An & quando ſit loqui? 15.a
An tacere aliquando cenſendus ſit, qui loquitur? 50.b
Taciturnitas an ſit confeſſio? 349.a. Juris Regula exponitur. ibid.
Taxæ publicæ à prudentibus viris ponuntur, & ſemper cenſentur eſſe juſtæ. 421.b
Templum ab Abaylardo Paracleto, hoc eſt, Deo Conſolatori dedicatur. 58.a
Tempus. Quid ſit? & quid tempore ſignificare? 51.a
Tempus parvum, adeoque virtualiter nihil, quantum cenſeatur? 19.b
An unus dies cenſeatur nihil? ibid.
An una dies cenſeatur longum tempus? 20.a
Tempus. An perpetuò fluat? 62.a
Temporis deſcriptio. ibid.
Tempus flumini ſimilis, ibid.
Tempus triplex, 63.b
De Propoſitionibus Temporis præſentis, ibid.
De Propoſitionibus præteriti, 64.a
Propoſitiones oppoſitæ ratione temporis. ibid.
Tempus conceptionis, An ſemper cognoſcibile ſit? 147.b
Temporis & cauſæ mutatio tollit contradictionem. 164.b
Tempora, & ſpatia imaginaria. An ſint Entia rationis? 219.a
Terminus. Unde dicatur? Quid ſignificet in Coſmographiâ? 1.a
Quid ſit in agris Terminus? 1.b.
Terminus Juris. Quid ſit? ibid.
Terminus vel eſt Mentalis, vel Vocalis, vel ſcriptus. 2.b
Terminus ſimplex & Compoſitus. 11.a
Terminus Includens & Incluſus. ibid.b
Terminus Acceſſorius & Principalis. Realis inter Acceſſorium & Principale diſtinctio. 12.a
Terminus Abſolutus & Conditionatus, ibid.
Terminus primæ & ſecundæ intentionis, quid ſit? 36.b
Terminus Indefinitus, & Particularis. An coincidant? 122.b
Terminus, *Omne Ens, quod non eſt Ens*, in ſe ipſo repugnantiam involvit, ſi abſolutè accipiatur, An etiam involvat contradictionem, ſi ſumatur hypotheticè & conditionatè? 128.a
Termini in Categorematicum, & Syncategorematicum divisio. 10.a
De Termino Directo & Reflexo. 3.a
Termini Tranſcendentales. Qui & quot ſint? 13.a
Tranſcendentales Termini. An & cur nequeant infinitari? 127.b
Termini aliter quo ad Probabilitatem, & aliter quò ad Quantitatem uſurpantur. 78.a
Termini Morales. An, & quid ſint? 246.a
Termini Morales. An in Concluſionem influant? ibid.
Termini aliqui recenſentur examine & notitiâ digni. 197.b
Terminorum proprietas, quid ſit? 39.a
Terminos explicare. Quid ſit? 2.a
De Terminis evidenter connexis aut oppoſitis. 223.a
Teſſeræ pacis & belli, quales? An ſit inferioris eligere? 114.b
Objectiones, quæ contra Teſtamentum eſſe poſsunt; An fuerit conditum? & ſi fuit, An validum ſit? 75.a
Teſtamenta, An poſſe fieri admiſerit noſtra Reſpublica? 75.a
Teſtamenta homines vivere poſt mortem ſupponunt. ibid.
Teſtamenta ad cauſas pias. An ſint valida, etſi ſolennitatibus in Jure requiſitis careant? 97.a
Teſtamenta, an præſcindendo à Jure humano ſint poſſibilia? 424.b
Teſtamenta, quæ carent ſolennitatibus requiſitis à *jure*, ſunt invalida. Et quid, ſi eſſent valida? 425.b
Teſtamentorum verba. An & unde reſtringantur? 46.a
Teſtimonium. An poſſit de re probabili proferri? 68.a
Teſtimonium negativum difficulter probari poteſt, 396.b
Teſtimonium dicendi capacitas, an dignitas ſit? 393.a
Quinam à teſtimonio ferendo arceantur? ibid.b
Teſtis unicus, cur non plenè probet? 279.b
An aliquis poſſit eſſe Teſtis in ſuâ causâ? 372.b
Teſtis juratus, quando loquitur extra Articulos, an jurejurando obſtringi à Judice cenſendus ſit? 394.b
Teſtis totam veritatem dicere tenetur, nam dimidiata veritas judicium deformare ſolet. ibid.
Teſtis, qui rem non eſſe affirmat, an puniri debeat? 396.b
Teſtis unicus, ſi verax ſit, an reprobari poſſit? 407.b
De Teſte ſecundo. Quo debeat modo reſpondere? ibid.
Quot Teſtis non teneatur contra parentes deponere, non eſt juris naturæ veritas, ſed Juris privilegium humani. 408.b
Teſtis in nullo caſu mentiri poteſt. 427.a
Teſtis auriti veracitas, an cum innocentiâ rei componi poſſit? 428.a
Teſtis. An *Anteſtans*, an verò tanquam *Superſtes* dicatur? 371.a
Differentia, quæ eſt inter Teſtes & Judices, quid ipſi teſtimonio concludant, quid Judex inferat ex illorum teſtimoniis? ibid.
Teſtes. An multi falſi in Republicâ inveniantur? ibid.
De qualitatibus in teſtibus examinandis. ibid.
Pueri quinquennes v.g. an poſſint tanquam teſtes admitti? ibid.
Ætas matura in teſte ſemper requiritur. 372.a
Impuberes eſſe teſtes non poſſunt, ſed neque ſenes, ſi decrepiti ſint. 372.a
De Teſte ultroneo & ſubornato. 427.a
Teſtes, Exponere quid debeant? 68.b
Teſtes, An & quando duo ad plenam probationem ſufficiant? 108.a
Teſtes. Quot ad convincendum ſint requiſiti? 278.a
Teſtes. Quinam cogi non poſſint? 372.b
Teſtes. Duo vel plures in omnibus circumſtantiis, ſi falſi ſint, convenire non poſſunt. Auriti ad plenam probationem non ſufficiunt: Oculati debent examinari 368.a
Imponere manus ſuper caput erat olim cæremonia juran-

tan-

rantis, 368.b
Teſtes falſi depoſuerunt contra Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum. Unde probaverit Evangeliſta eos eſſe falſos teſtes? 369.b
Aliud eſt Teſtes in circumſtantiâ accidentali diſſentire, aliud in ſubſtantiali. 370.a
Teſtes. Quot ad plenam probationem requirantur? 377.a
Teſtes, ſi bene examinentur, non poterunt impunè mentiri. ibid.
An Teſtiũ infidelitas, & improbitas, poſſit numero compenſari? ibid.
De Teſtibus affirmativis & negativis. ibid.
Teſtes. Quot ad Cardinalium declarationem requirantur? 378.a
Teſtes. Cur in Tribunalibus adjurentur? 385.b
Teſtes. Cur, & de quibus rebus debeant juramentum emittere? 388.a
Teſtes non ſolùm adjurari debent, ſed partes, quarum intereſt, debent citari. 393.b
Teſtes interdum ſine culpâ gravantur. 395.b
Quinam, & in quibus cauſis cogi teſtes non poſſint? ibid.
An Teſtium indignitas, & infidelitas numero compenſetur? 365.a
Probatio per Teſtes. An maneat intra terminos meræ probabilitatis? ibid.
De Teſtium patriâ. An Græcorum teſtimonia in Tribunali admitti poſſint? An etiam Punicorum? 373.b
Teſtium diverſa genera. 375.b
Doctrina de Teſtibus etiam in Judicibus admitti debet, ibid.
Teſtium meliorum, & graviorum authoritas, an ad graviorem infamiam, pœnam-ve requiratur? 396.b
Teſtium nomina, an, & cur in publicatione depoſitionum apud Religioſos ſupprimantur? 407.b
De Teſtibus non juratis. An eorum depoſitio vim habeat? 393.b
De Teſtibus, qui ad perpetuam rei memoriam producūtur. An à ſolo reo, an verò ab Actore produci poſſint? 396.b
Thamaræ cauſa agitur, Suborientes quæſtiones. 341.b Quæſtionis primæ diſſolutio, Secundæ. Tertiæ. Quartæ. Quintæ. 342.a. Sextæ. Septimæ, & Octavæ. ibid.
S. Thomas quid hodie ſcriberet, ſi viveret, de Conceptione? 29.a
Thomiſtarum Sectæ. An aliqnando Angelico Doctori contradicant? 254.b. An debeamus ſemper priores ſequi? 255.a
De Thomiſtis antiquis, 254.b
Quis torqueri poſſit? 283.b
An torqueri is poſſit, quando de corpore delicti conſtat, qui crimina ſimilia olim commiſit? 349.b
An qui rem furto ablatam cuſtodit, torqueri queat? 352.b
An habens claves hamatas? 353.b
An etiam pauper prodigus, & multas pecunias dilapidans? ibid.
Tortura. An ſit medium ſufficiens ad detegendam veritatem? 409.b
An ad torturam veniri poſſit ex dicto unius pueri? 355.a. Reſolutio benigna hiſtoriis variis confirmatur. ibid.
De Torturâ Rei ob levia indicia, multa tamen, Caſus proponitur. 275.b. Reſolutio. 276.a
Totalitas. Quotuplex ipſa ſit? 159.b
Totum. Quotuplex? 206.a
De Toto & Parte; Acceſſorio & Principali; de magis, & minus. 46.b
De Tracondiâ Provinciâ. Ejus Incolæ quales? 3.b
Traconditæ. An habere poſſint Magiſtros, & Concionatores? An etiam Sacramenta recipere? An & conficere? An poſſint Matrimonium contrahere? An ſint dicendi muti? 5.a
Quænam traditio de eſſentiâ matrimonii ſit? 42.a
Traditiones admitti debent. 242.a
Tranſeant Patres. An dici poſſit? 326.a
Tranſitus ad aliam Religionem etiam ſtrictiorem, an ſit conſulendus? 217.b
Tria. An ſint multa? 99.a
De Triangulis. 203.b
Tribonianus. Qualis fuerit? 42.a
Tribonianus. An ipſe cũ aliis Græca Latinis immiſcuerit? An-ne utramque linguam hæc commiſtio corruperit? 182.b
Tribunalia loquuntur, & Judicum verba reſtringunt. Et reus, ut Judicis verbis per tribunal reſtrictis reſpondeat, non indiget Reſtrictione Mentali. 406.b
Tribunal Pœnitentiæ etiam verba Confeſsarii reſtringit. 407.a
De Tributo impoſito à Cæſare Auguſto. De deſcriptione & numeratione Subditorum. 89.b
Tributa. An ſint favores, qui populo conceduntur? Non ergo ſunt ad utilitatem Principis imponenda. 90.
Trojanorum naufragia proponuntur: Æneæ diſcurſus. 101.b
Turpia, an validè promitti poſſint? 383.b
Tutor. Quid debeat facere? Quid verò ſoleat? 183.b. In falſum & verum dividitur, ibid.
Tutorem dare, quis poſſit? 107.b
Tycho, qualis? 347.b

V

VAſalli. An ſint Principi ſimiles? 96.b
Venus, unde dicatur? 34.b
Venuſtas, unde dicatur? ibid.
De Veracitate Principum & Cardinalium. 377.a
Verbum. Quid ſit? 51.a
Verbum. An fuerit ab æterno? 268. Arrianorum diviſio. ibid.
Verbi diviſio, 51.b
An liceat, cum ſeriò loquimur, verba materialiter ſumere? 8.b
Verba omnia otioſa ſunt peccata. 70.b
Verba Eccleſiæ digniſſima ponderatione. 164.b
Verba. An ſignificent ſemper, quantum ſonant? An non aliquando plus, aut minus? Circumſtantiæ adjacentes conſignificant. 323.a
Verba Principum, an tanquam juramenta accipi debeant? 373.a
Verba Principum, quàm veracia eſſe debeant? 381.a
Verba promiſſoria, an poſſint materialiter dici? 383.a
Verba Juratoria proferre, formaliter loquendo eſt jurare. Joannis Bargantini & Luſitanorum opinatio. Oppoſita doctrina, quorumcumque illa ſit, improbabilis eſt, & ab Apoſtolicâ Sede damnata. 396.a
Verba ſuppreſsâ voce dicta orationem clarâ voce prolatam non reſtringunt. 404.b
Verba, quæ ſeorſim poſita ſubjacent æquivocationi, ex conſignificantibus circumſtantiis reſtringuntur. 413.a
Verba Actoris, & Judicis, quomodo in Civili, Tribunali reſtringantur? 414.b
Verba obſcœna & inurbana, qualia ſunt *volo* & *nolo*, modeſtia expunxit à Vocabulario Civili. 416.b
De Verbis Comici ad Pompejum converſi. 9.b
Veritas tranſcendentalis. Quid ſit? An Falſitati opponatur? 13.b
Veritas virtualis, quæ? 17.a. Poteſt aliquis realiter eſſe nocens & virtualiter innocens. ibid.b
Veritas. An aliqua lateat in Ganimedis fabulâ? 121.b
Veritas Propoſitionum accidens eſt. 246.b
Veritas perfecta, quæ à pluribus dicitur. 274.b
Veritates ſpeculativæ, an omnes ſint conditionales? 309.a
Verum. An ſit Bonum? 13.b
Veſtales, quomodo jurabant? 389.b

Ve-

Digitized by Google

Veſtes reſtringant, quia ſenſibiles ſunt & actus purè mentales orationem reſtringerent, ſi ſenſibiles eſſent. 405.a
Veteres. An injuſtè fuerint D. Thomæ obloquuti de creaturæ intrinſecæ neceſſitate differenti? 139.a
Victi, an ſint dimittendi? 287.b
Viæ publicæ nomine, quid ſit intelligendum? 386.b
Violentia. An æquitati præſcribat? 107.b. Quæ inde mala ſequantur? ibid.
Virgo. An ſit Mater Dei? 184.b
Virgo. An fuerit ſine labe concepta? 326.a. An oppoſitum doceat S. Bernardus? An poſſimus S. Thomam deſerere? 326.b
Virtualia. Quomodo opponantur? 158.b
Virtus an ſplendeat? 251.a
Virtutes Morales. An à voluntate diſtinguantur? 233.b
Virtutes diſtinguuntur realiter extrinſecè inter ſe. ibid.
Virtutes interdum malitia finis maculantur. 266.a
Vita eſt mors, & contrà. 82.b
An neſcientes imitati fuerimus S. Athanaſium? ibid.
De vitæ periculo. Decalogus ſtrictiſſimè obligat: at leges humanæ minùs ſtrictè. 145.a
Ulpianus. An hyperbolicè loquutus fuerit? 44.b
Ulpianus. An fuerit bonus Logicus? 77.a
Univerſale. Quid ſit? 34.b
Univerſale. Quomodo fiat? Quomodo contrahatur? ibid.a
Univerſale. Quomodo fiat in Scholâ Expreſſivâ? 206.b
De Univerſali & Prædicabili. 203.a
Univerſalia quomodo fiant? 23.b
An dentur Univerſalia à parte rei ante operationem Intellectus. ibid.
Univerſalia. An pendeant ab Intellectu? 34.a
Univerſalis affirmativa, An, & quando ſimiliter poſſit converti? 123.a
Univerſalis. An particulari contradictoriè opponatur? 161.a. Et cur? Et quid, ſi in particulari ſignum *Aliquis* negativè ſumatur? ibid.b
De Univerſalis unitate. Intrinſeca-ne, an extrinſeca ſit? 34.b. Angelici Doctoris opinio. Illi Scotus adhæret. ib. Eidem autem Ochamus, quem ſequuntur Nominales. 35.a
Univerſalis Diſtributivæ & Copulativæ differentia. 83. &
Univerſalis aſſerentis Converſio. 125.b
Univerſalis affirmativa, quâ lege per Contrapoſitionem convertatur? 125.b
Univerſalis aſſerentis, & negantis oppoſitio & connexio. 103.a
De Univerſali affirmativâ. Quomodo convertatur? 122.b
De Univerſali Negativâ. An, & quando poſſit per Contrapoſitionem immutari? 126.b
Univerſales affirmativæ. An & quando ſimpliciter convertantur? 123.a
Univerſales. Unde naſcantur? 249.a
Univerſalitas duplex: Realis & Moralis. 136.b
De Univerſalitate Expreſſivâ, quæ in expreſſione connotati fundatur. An implicet contradictionem? 22.a.b
De Univerſalitate Morali. 84.b
An ex univerſalitate morali poſſimus in praxi venire ad ſententiam definitivam? 103.b
Univocata, quid ſint? 29.b
In Univocis & nomen & res ſignificata per membra dividentia diſtribuitur. 208.b
Unitas Virtualis, quæ? 18.a
Unitates. An in Binario ſint multæ vel paucæ? 99.b
Volitio & nolitio. Quomodo inter ſe diſtinguantur? 59.b
Volitio & Nolitio. An differant formaliter, an objectivè? 166.a
An ejuſdem rei poſſint ſimul eſſe Volitio & Nolitio ob diverſa motiva? 167.a
De Volitionis & Nolitionis carentiâ. 166.b
Volumen legum. An ſit templum? 190.a
Voluntas, quotuplex? 49.a
Voluntas. An reſtringat? 46.a
Voluntas non tendit in incognitum. 134.b
Voluntas, an ſit libera? An libertas conſiſtat in indifferentiâ? 310.b
Voluntatem mutare. An & quando non liceat? 252.b
Voluntates. An, & quomodo poſſint in homine contrariæ? 166.b
Votum Obedientiæ. An ſit difficile? 320.b
An votum Paupertatis? ibid.
An Caſtitatis? 321.a
Votum ſimplex & ſolenne, an diſtinguantur ſpecie? 324.a
Votum emittere de non peccando venialiter, an expediat? 302.a
De Voti ſolenni & ſimplicis diſtinctione. An qui ſpecificam diſtinctionem negant, Doctori Angelico, & ejus Scholæ contradicant? Quid S. Thomas dicat? 310.a
De Voto Religionis & Caſtitatis. 304.b
Vota ſolennia. An conditionem admittant? 66.b
Vota deciſiva non mutantur. 105.a
Vota Religioſorum, an olim fuerint ſolennia? 325.b
Novitii. An olim vota emiſerint? ibid.
De Votorum commutatione. 304.b
Vox. Quid ſit? 5.b
Omnium populorum voces differebant materialiter, & formaliter coincidebant. 6.a
An voces æquipollentes in adminiſtratione Sacramentorum admittantur? 6.b. Quid poſſit fieri ſtando Juri naturali? ibid.
An voces expertes ſignificationis reperiantur? 7.b
Voces eædē materialiter, formaliter poſſunt diſtingui. 55.a
Voces. An ſint nullæ æquivocæ? 184.a
Voces mutitæ, an reſtringant? 404.b
An hæreſim, blaſphemiam, & calumniam voces mutitæ elidant? ibid.
Voces non ſolùm laſcivæ pronunciari non debent, ſed neque inſinuari eſſe in mente ejuſmodi cogitationes. 417.a
Urbes & Provinciæ. Quomodo definiantur? 194.b
Utilitas publica privatæ ſemper anteferenda eſt. 422.a
Uſapu apud Americanos Dei epithetum eſt. 388.b
De Uſucapione. An ſine notitiâ fiat validè? 134.b
Uxor. An & quibus creditoribus ſit præferenda? 90.b

X

XEnocrates apud Athenienſes injuratus teſtimonium perhibuit. 394.a. 403.a

Z

ZEchinus. An ſit viginti caroleni? 76.a
Zipæus laudatus. 293.b

ILL.^{MO} ET. REV.^{MO} D.

D. IOANNI CARAMVELI

EPISCOPO CAMPANIENSI. &c.

Diſcurſum hunc Dialecticum Politicumq; de Iuribus Satrianenſis Eccleſiæ

DOMINICVS DE RVBEIS D. C.

PRæclarum mihi, Ampliſſime, atque Illuſtriſs. Caramuel, honorem abs te habitum agnovi, quum heri veſperi, advocatione adhibitâ, in litigio, quod Salviani, paucos abhinc menſes, tecum contraxêre, aſſerent[es] à feudis Caſtellari, & Perollæ, quæ ſunt ejus Eccleſiæ, in quâ Epiſcopi munus geris, ſibi quaſdam ſervitutes deberi, me in eo doctiſſimorum virorum numero eſſe voluiſti; ſed præclariſſimo, ampliſſimoque hodie mane honore affeciſti, quando per Dom. Alexandrum Aquilium juſſiſti me, ea, quæ fueram in illo conventu ſermocinatus (quòd valde tibi arriſerint) in ſcriptum redigere, atque ad te dare; etenim eximiæ, immortalique mihi puto eſſe gloriæ Caramueli probari; quod jubes, hoc ſubitò facio; quis enim ſit adeò humanitatis exſors, atque inurbanus, ut Caramueli, ſummo ſtudio, libentiſſimoque animo non obſecundet? Quæſitum eſt jure-ne provocaveris ad S. C. à M. C. quæ decretum ſanciverat. *Capiatur informatio quis ſit manutenendus in ſummariiſſimo poſſeſſorio*. Reſpondi me eſſe maximâ ſpe abrogatum iri hoc placitum, atque in hunc modum ratiocinabar, [Aut conſtitutum hoc probationum neceſſitudinem facit Salvianis, & Epiſcopo: aut ſolùm Salvianis; ſi facit etiam Epiſcopo, eſt omninò abolendum, Duæ ſunt de ſervitutibus comparatæ actiones, una confeſſoria, qu[â] quis vindicat ſervitutem, eamque ſibi deberi aſſerit: altera negatoria, quâ quis vindicat libertatẽ & alteri in prædio ſuo ſervitutem deberi negat. (1) In hoc variant, quod illa probationum neceſſitatem actori imponit, hæc verò minimè (2) itaque, ſivè rei, ſivè actoris perſonam gerat Epiſcopus, decretum injuſtum eſt, quippe quod injuſtum Epiſcopo onus imponit. Antiſtes, neque quà reus aliquid probare debet, cùm per rerum naturam factum negantis probatio nulla ſit (3) neque quà actor, præter rei dominium, quod plenè probatum eſt. *Dominio autem*, inquit Oinotimus (4) *vere, vel præſumptivè probato, non cogitur actor probare rem eſſe liberam; unde hic notandum, quòd licè[t] in aliis actionibus actori regulariter incumbat onus probandi, adeout actore non probante, reus, etſi [nihil] præſtiterit, abſolvatur (5); in hâc tamen actione negatoriâ diverſum ſervatur, ubi agens non tenetur probare libertatem rei ſuæ, ſed ſufficit ſi probet dominium, quo probato, ejus intentio, juris præſumptione, fundata eſt; qualibet enim res præſumitur libera (6): & hæc juris præſumptio relevat actorem ab onere probandi; neq; id mirũ; quia actor agit negativè, reus autem excipit affirmativè, affirmatio autem, non negatio probanda (7)*. Si autem hoc decretum probationum neceſſitatem Salvianis injungit, ſuam ipſummet injuſtitiam palàm facit; cùm enim ab iis probationes requirat, palàm eſt eos ſuam intentionem non impleviſſe; cum autem non impleverint, donec impleant, ſuæ rei libertas eſt Epiſco[po] conſervanda (8) non ſervavit; imò ademit per ea, *quis ſit manutenendus*; decretumque eſt perinde atque lis eſſet, uter rem poſſideret: perinde atque Epiſcopus de rei dominio nullam omnino probationem attuliſſet. Quid quod Salviani ex hoc judicio pellendi erant, iiſque nullum temporis interjectum concedendum ad vera facienda quæ aſſerunt? aſſerunt ſe poſſidere ſervitutes, ſed titulum poſſeſſionis non aſſerunt; quid igitur? demus eos probare poſſeſſionem, num cauſam obtinebunt? *Neque prodeſt*, inſit Oinotimus (9) *etiam ſi quis dicat, & probet ſe eſſe in quaſipoſſeſſione ſervitutis, quia adhuc cogitur probare ſervitutem ſibi conſtitutam eſſe (10) hinc Paulus de Caſtro (11) ſubjicit notabile verbum: quod licèt poſſeſſio in rebus corporalibus relevet aliquem ab onere probandi dominiũ, & titulum (12) & regulariter poſſidens non cogatur dicere titulum (13) tamen quaſipoſſeſſio in rebus incorporalibus, nunquam relevat poſſeſſorem ab onere probandi titulum, quo ſervitus conſtituta eſt, idque fit propter præſumptionem juris, quia qualibet res ab initio præſumitur libera*. Hoc idem docet Merenda (14) cujus aliquot verba referre, operæ pretium eſt. *Tertiò conſiderandum eſt*, inquit, *eam eſſe differentiam inter poſſeſſionem rerum corporearum, & quaſi poſſeſſionem ſervitutum, quod is qui poſſidet rem corpoream, eo ipſo habet plus juris in re, quàm habeat ejus adverſarius, niſi docuerit ſe habere potentius jus in eâ re quam ſit poſſeſſio (15) ut expoſuit ſupra (16) quo factum eſt à jure civili non fuerit conceſſa*

1) *eque Inſt. de act.*
2) *Oinot. ad tit. §.*
3) *l. act. C. de prob.*
4) *Oinot. loc. cit.*
5) *l. qui accuſare C. de edend.*
6) *l. altius: & l. in adib. C. de ſer.*
7) *cit. l. actor.*
8) *Dom. Regene de Marin. reſol. 204. lib. 2. Merend. cõtr. jur. lib. 10. cap. 5. n. 5.*
9) *Oinot. loc. cit.*
10) *gl. ſing. in l. ſi. cuti §. ſed ſi quaritur, ff. ſi ſervit. vendic.*
11) *Paul. de Caſt. ad gl. cit.*
12) *l. ſi. C. de rei vend.*
13) *l. cogi de pet. her.*
14) *Merend. loc. cit.* Adde *Bar. Cujac. Pac. & Gratian. apud eũdem.* Adde itẽ *DD. apud Maſc. concl. 1305.*
15) *§. commodum, Inſt. de interd.*
16) *lib. 6. cap. 20.*

actio

Digitized by Google

actio poſſeſſori rerum corporalium, quia ſcilicet ei ſufficit poſſeſſio ad excludendum ſuum adverſarium (17) *alterum ergo dicendum eſt, vel juris civilis Authores ſecum pugnaſſe concedendo actionem confeſſoriam ei, qui eſt in quaſipoſſeſſione ſervitutis* (18) *vel poſſeſſionem ſervitutis non poſſe per ſe conſervare poſſeſſorem in eo ſervitutis uſu, quem habet, niſi probaverit ſervitutem ſibi, aut rei ſuæ deberi: & hoc eſt id, quod ſignificat Ulpianus* (19) *dum ait* Sciendum in his ſervitutibus poſſeſſorem eundem eſſe juris, & petitorem, *quod utique perperam dictum eſſet, niſi verè petitoris partibus is fungeretur, qui agit confeſſoriâ actione, etiam ſi poſſideat* (20) *huc ſpectant verba Juſtiniani* (21) Quod genus actionis in controverſiis rerum corporalium proditum non eſt; nam in his agit, qui non poſſidet: ei verò, qui poſſidet, non eſt actio prodita, per quam neget rem actoris eſſe. *Senſus enim eſt. Domino rei ſatis eſt negare ſuam rem debere ſervitutem, quia per hoc gravatur ejus adverſarius onere probandi ſervitutem, etiam ſi poſſideat, & proinde in ſervitutibus quaſipoſſeſſio non ſufficit ad conſervandum poſſeſſorem in eâ poſſeſſione, in quâ reperitur, donec adverſarius ipſius probaverit ſuum prædium eſſe liberum, prout facit poſſeſſio rerum corporalium, quæ ſuum conſervat poſſeſſorem in rei detentione, quouſque ejus adverſarius plene oſtenderit rem ad ſe ſpectare* (22) *& conſequenter opus fuit actionem concedere poſſeſſore ſervitutis, per quam ſuum jus retinere poſſit. Hæc autem ideo ſic ſe habent, quia dominus habet fundatam intentionem in dominio rei tribuente ſibi jus liberum circa uſum ſuæ rei* (23) *& conſequenter is, qui habet poſſeſſionem ſervitutis, ex naturâ dominii omninò excluditur, niſi plenè probaverit ſe habere ſervitutem; hoc autem non accidit in rebus corporalibus, quia poſſeſſor negat id, quod fatetur poſſeſſor ſervitutis, id eſt, adverſarium eſſe dominum rei à ſe poſſeſſæ. etſi autem fieri poſſit, ut poſſeſſor ſervitutis habeat ſervitutem, non tamen hoc probatur ex eo quod poſſidet; poſſeſſio enim & proprietas ſunt inter ſe diverſa* (24) *& conſequenter jus incertum poſſeſſoris non poteſt impedire jus dominii certi, in eo conſiſtens, ut nemo utatur re invito domino, & per hoc excluditur diſputatio ex adverſo propoſita, utrùm potentior ſit præſumptio, quod qualibet res præſumatur libera quàm ſit ea præſumptio, quam quaſipoſſeſſio ſervitutis introducit, illico enim ac conſtat illum eſſe dominum fundi, probatur concludenter (ex naturâ ſui dominii) eum poſſe de re ſuâ liberè diſponere, & conſequenter opus eſt poſſeſſori excipere de ſervitute ſibi competente; cum autem reus in exceptionibus ſit actor* (25) *opus eſt ipſi plenè probare ſuam exceptionem* (26) *ſi quis autem dixerit plenè probari ſervitutem ex ejus poſſeſſione, is dubio procul errabit, ut probant leges mox allegatæ.* Quæ cùm ita ſint, causâ caderent Salviani, licèt ſervitutum quaſipoſſeſſionē oſtenderent: quid ergo eſt quam ob rē ejus rei capiatur cognitio, quâ cognitâ Salviani exitū ſperatū habituri nō ſunt? cur tēpus teramus, ludamus operā, omnemq; laborē fruſtremur? nō eſt dāda dilatio ad probandū, quod probatū nō prodeſt, nihil humanæ ſocietati perniciosius, quàm lites nimium differri (27) atq; hinc Paullus (28) curioſè deſcribit diem, ne ſcilicet quid temporis perdatur ad expediendas lites. An Salvianis proficiet, quod affirmant, longo tempore ſe poſſediſſe, habereque præſcriptionem adverſus Epiſcopum? audiamus Camerarium (29). *Non erit inutile indagare*, inquit ille, *an omnia jura feudalia loquentia de præſcriptionibus, ſint hodie à lege iſta correcta; cui quæſtio ſi reſpondere voluerimus, paucis res ipſa poterit abſolvi, animadvertentes legem hanc curſum tantùm temporis conſideraſſe, ut patet ibi* tractu temporis, *quo fundamento nobis propoſito, dicere compellemur omnes præſcriptiones, quæ ſe fundant ſuper ſolo curſu temporis, eſſe hodie correctas; ideò bonus Cauſidicus, minimè dicet ſe poſſediſſe per triginta annos, ſed dicet ſe habere inveſtituram, & loco inveſtituræ præſentandæ probabit curſu temporis triginta annorum præſtitiſſe ſervitia domino ſuo: ex quibus copulativè probatis, probabitur quadam inveſtitura præſumpta, illud autem te latere nolo, nempè ut iſti actus per quos inducitur inveſtitura præſumpta, fiant cum eo, qui de novo poteſt facere inveſtituram veram: ſi autem tali autoritate careret, contradicas.* Ecce igitur quod Salviani præſcriptione tueri ſe nequeunt; tum quia prædia ſunt feudalia, tum quia Epiſcopi ſervitutem iis imponere, citra Romani Hierarchæ, citra Regis conſenſum, non potuiſſent. (30) Ut ut concedamus ſe ita rem non habere, nihilominus ſolum potuiſſet objici præſcriptio Epiſcopo, qui paſſus eſſet labi tempus, non autem ejus ſucceſſori; nemo enim hominū dixerit ne longiſſimo tempore uſucapi feuda, quæ de ſui naturâ deferuntur ad ſucceſſores. (31) Hæc Hart. Piſt. (32) his me verbis edocuit. *Quoniam Agnati* (Epiſcopi) *in feudis ex pacto anteceſſorū jus quaſitū habuerunt prius quā præſcribens poſſidere capit; licèt igitur præſcriptionem contra vaſſallum* (Epiſcoporum) *ſuperſtitem impleverit, atque ex hoc contra ipſum jus ſuum quæſiverit, hoc tamen agnato* (Epiſcopo) *in jure ejus proprio nullum præjudicium afferre poterit, niſi doceatur contra ipſius perſonam præſcriptionem adimpletam eſſe; non enim debet alteri per alterum iniqua conditio inferri,* (33) *neque quis jure ſuo ob alterius incuriam, vel negligentiam privari,* (34) *cum præſertim agnatus* (Epiſcopus) *non ab agnato* (Epiſcopo) *cauſam habeat, neque illi ratione ullâ ſuccedat, ſed jure proximioris agnati* (Epiſcopi) *per mortem penitus extincto, ſequens agnatus* (Epiſcopus) *feudum à primo acquirente, ſuo quodam proprio jure obtineat: ex quo fit, ut jus ipſius penitus diverſum & ſeparatum exiſtimetur à jure anteceſſoris ſui, ut docet Andreas de Iſernia,* (35) *non mirum igitur cur præſcriptio contra defunctum adimpleta, non etiam jus agnati* (Epiſcopi) *penitus diverſum tollat.* Hinc fit, quod neque centeno, neque etiam milleno annorum ſpatio poſſediſſe ſufficeret (36) hinc etiam fit, quod licèt Salvianorum patronus cautiùs egiſſet, atque titulum, proque titulo, longiſſimi temporis uſum allegaſſet, probaviſſetque, (37) probaviſſetq; inſuper ejus clientes fuiſſe ex illâ quaſipoſſeſſione exturbatos, illi tamen in eam reſtituendi non eſſent. *Ubi palam eſt*, inquit Roſentalius (38,) *notorium juris defectum ſpoliato obſtare, non eſt ante omnia, præcipuè autem* (notate) *in res eccleſiaſticas* (39) *reſtituendus. Is cui jus commune adverſatur*, inquit Harthmannus Piſtoris (40) *etiam ſi de jure ſuo probare velit, tamen, antequam id fiat, in poſſeſſione tuendus non eſt* (41) *ex quo notat Ancaranus* (42) *quod lite pendente poſſit poſſeſſor, contra quem facit jus commune, turbari, & violenter expelli ſicuti qui poſſidet vi, clam, precariò, ſequitur* Joannes *Lup.* (43) *& tanquam valde notandum refert Rolandus à Valle* (44) Quamvis autem opinati ſint quidam ex poſſeſſione exactum in illam eſſe reſtituendum, licèt de dominio eijcientis omnino liqueat, eâ ratione adducti, quod rem ſuam violenter invadere non liceat (45.) tamen hæc opinatio, aut rationi non conſonat (46) aut in noſtrâ ſpecie locum non obtinet; tum quia jus Salvianis obſiſtit, ut jam probavimus, tum quia non dicitur rem ſuam violenter invadere, qui eam occupare molientem expellit, aliter neque furem arcere permitte-

17) l. 1. in fin. ff. uti poſſid.

18) l. 5. §. ſi quis mihi. l. ſi eo loco, 9 l. ſi à te emero 26. ff. ſi ſervit. vendic.

19) l. 6. §. 1. eod. tit.

20) l. inter litigantes 62. ff. de judic.

21) in tit. §. æqud.

22) l. 1. ff. uti poſſid.

23) l. in re mandata C. mandat.

24) l. naturaliter §. nihil cōmune. l. pen. ff. de acquir. poſſeſſ. l. 1 §. 1. ff. uti poſſ. l. 2. §. fin. ff. ſi ſervit. vend.

25) l. in exceptionibus ff. de prob.

26) l. 2. eod. tit.

27) l. quidam exiſtimaverūt ff. ſi certum pet.

28) in l. more Romano ff. de fer. & dilat.

29) Camer. in leg. Imperialem de prob. feud. alien per Fred. f. 8. lit. A.

30) tot. tit. de reb. eccleſ. non alienand. & cit. l. Imper.

31) Cam. loc. cit.

32) Hart. Piſtor. lib. 2. cap. 8. n. 56.

33) l. non debet de reg. jur. l. ult. § ſin aut C. de acq. poſſ.

34) l. nam ſatis §. ult. ff. quemad. ſer. amit.

35) Iſern. cap. 1. §. quid ergo, de Inveſt. de re alien. fact.

36) Hart. loc. cit. Roſental. de feud cap. 9. concl. 12 & 84.

37) Juxta dict. Camer. loc. cit.

38) Roſent. de feud c. 10. concl. 41. n. 94. & apud eum DD. Adde c. ſignificaſti de decim. & Afflict. in c. illud de prob. feud. alien.

39) Marſil. ſing. 10 apud Roſenc. ibid.

40) Hart. Piſt. lib. 2. c. 39. nu. 29.

41) c. cum perſona de privil. in 6.

42) Ancar. in cit. c. cum perſona.

43) Joan. Lup. in c. per veſtras de don. int. vir. & uxor.

44) Roland. à Vall. conſ. 89. vol. 2.

45) l. ſi quis in tātā C. unde vi. *46) DD. apud Maſcar. cōcl. 1332.*

mitteretur; tum etiam quia ſpolium factum eſſet nomine Eccleſiæ, quâ in re pro verâ recepta eſt opinio (47.)ſpoliatum non eſſe ante omnia reſtituendum; & ratio eſt, quia ſcil. Prælatus rem Eccleſiæ invadendo, non facit eam incidere in pœnam (48.) Sed quid fruſtra de ſpolio, deque reſtitutione diſputo? num Salviani probarunt ſe poſſediſſe? adduxere quoſdam, & cupidos & conjuratos in quodam irrito, infirmiſſimoque judicio teſtes, ſed (Deus bone!) quot, & quanta mendacia effutiverunt! quid quod ſi graviſſimi eſſent, atque honeſtiſſimi, eſſent tamen Salvianis inutiles? *Quaſipoſſeſſio rerum incorporalium*, inquit Maſcardus (49) *non probatur ex detentione rei, niſi probetur facta ut jure ſuo quis uteretur*; atqui teſtes iſti, ne verbulum quidem hâc de re faciunt, ſicuti nec faciunt de ſcientiâ Epiſcoporum, ut profectò factum oportuit (50) immo factum oportuit de ſcientiâ Regis, atque Summi Pontificis, quorum etiam intereſt iſta prædia Salvianis non ſervire. Quid quod è diverſo Epiſcopus publicis documentis edocuit, non modò ſe, ſed ſuos etiam Deceſſores, omni tempore Salvianos ab iis prædiis depuliſſe: clam verò ingreſſos coërcuiſſe, mulctaſſe? Quid quod manifeſtum etiam, planumque fecit ſuos anteceſſores ſervitutes iſtas iiſdemmet Salvianis locaſſe, imò locaſſe auctionibus factis in foro Salviæ nundinario? Tandem, ut utraque pars, aut neutra iſta probavit; ſi neutra, ſuorum prædiorum erat Epiſcopo naturalis illa libertas, de quâ diximus, conſervanda; eâ ſcilicet ratione, quia dominus habet fundatam Intentionem in dominio rei tribuente ſibi jus liberum circa uſum illius (51) ſi utraque pro eâdem libertate ſancitum oportuit; ſive quia *datâ paritate probationum utriuſque partis, pro libertate eſt judicandum* (52) ſive quia *etiam in interdictis ſive reintegranda, ſive retinenda, ſicut in aliis actionibus, utroque æqualiter, vel actore non probante, reus debet abſolvi* (53). Hæc ſunt, ornatiſſime, atque perfectiſſime Caramuel, quæ in peritiſſimorum illâ Juriſconſultorum congregatione dicebam, dicebamque non ſecus ac ſentiebam, ac ſentio. Eorum quiſque, bene conſideratis, conſtantiſſimiſque argumentis oſtendit juſtam te cauſam habere, tuuſque patronus D. Aquadia, qui orationem ad rem accommodatiſſimam & doctiſſimam edidit, efficiet, ut optimam cauſam, apud optimos illos Senatores obtineas. Cæterùm me tibi obſequentiſſimum, tuæque admirabilis, immortaliſque virtutis cultorem perſtudioſum, ut facis, ama, Vale, ſum, ne Caramuel, vale, & ſalve: ex meo Muſæo, XV. Calend. Februar, M DC LXIV.

47) *DD apud Maſc. concl.* 1334.
48) *Cit. l. ſi quis in tantam*.
49) *Maſcard. & apud eum DD. concl.* 1183.
50) *L. 2. ibique DD, C. de ſervit.*
51.) *Cit. l. in re mandata C. mandati* Videte *Merend*; *loc cit.* & *libr.* 6. *c.* 50.
52) *Barr. deciſ.* 239. *per tot. in l. inter partes ff. de re judic.* Videte *Merend. loc. cit. c.* 28,
53) *DD. apud Barr, ibid.* Videte *Merend. cit. c.* 29,

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Ioannis Caramuel, tunc Satrianenſis Epiſcopi

INSTANTIA

Pro Iuribus ejuſdem Eccleſiæ.

Circumſtantiis omnibus bene perpenſis, & legitimè conſideratis, cauſa eò perveniſſe videtur, ut non de Iure, non de facto, ſed tantùm diſceptetur de Logica. Vel attendite.

Hæc Propoſitio, *Agri, Campi, Montes, & Fluvii naſcuntur liberi & ideò præſumendi ſunt liberi quamdiu ſervitus non ſit ſufficienter probata*, eſt indubitata, nam licet ædificia naſci poſſint alicui ſervituti ſubjecta, non autem agri, Campi, Montes, & Fluvii, quos Deus liberos condidit. Ergo jam non eſt Quæſtio de Iure.

Hæc Propoſitio, *Paulus Lauranus, & Salvienſes paſcendi, lignandi & aquandi in Caſtellario ſervitutem non probarunt ſufficienter* eſt uniformis Patrum conſcriptorum in Sacro Conſilio reſolutioni deciſæ. Sic enim definierunt, qui dixerunt *Manuteneatur Epiſcopus*, ut manifeſtum eſt. Sic etiam definierunt, qui dixerunt, *Detur terminus parti*. Si enim judicaviſſent fuiſſe illam ſervitutem à Salvienſibus ſufficienter probatam, non utique dixiſſent, *Detur terminus parti*; ſed dixiſſent, & dicere omninò debuiſſent, *Baro & terra Salvia Cives manuteneantur*. Ergo omnes quatuor Senatores in hac Propoſitione, *Baro & Salvienſes nondum intentum ſuum probarunt*, convenerunt. Ergo jam non eſt Quæſtio de facto.

Sed quò vertitur cardo difficultatis? Ut videatur quænam ſecundum Dialecticæ leges ex his duabus Præmiſſis conſequentia inferatur: omnes enim, tàm Civilium, quàm Criminalium Tribunalium ſententiæ ſunt concluſiones quædam ex Iure, & Facto, tanquam ex Præmiſſis illatæ,

Illuſtriſſimi Domini N. & N. diſcurrunt & pronunciant ſic,

Agri, Campi, Montes & Fluvii naſcuntur liberi, & ideò præſumendi ſunt liberi quamdiu ſervitus non ſit ſufficienter probata.

Servitus paſcendi, lignandi, & aquandi in Caſtellario non fuit à Barone, & terra Salvia Civibus ſufficienter probata.

Ergo Campi, Montes, & Fluvii Caſtellarii ſunt liberi,

Ergo manuteneatur Epiſcopus & Baro, & Terra Salvia Cives abſtineant.

Videntur conſequentiæ ſuo pondere juxta bonæ Logicæ leges ex datis Præmiſſis profluere.

Cæterùm Illuſtriſſ. Domini N & N. maluerunt diſcurrere & pronunciare ſic,

Agri, Campi, Montes, & Fluvii naſcuntur liberi, & ideò præſumendi ſunt liberi, quamdiu ſervitus non fuerit ſufficienter probata.

Servitus paſcendi, lignandi, & aquandi in Caſtellario non fuit à Barone, & Terra Salvia Civibus ſufficienter probata.

Ergo detur terminus parti &c.

Et quidem non videtur hæc conſequentia poſſe à datis Præmiſſis deduci. Immò contraria deberet ut opinor, inferri.

Vos igitur Patres conſcripti, quos Scientia, Doctrina, & Prudentia reddunt leges & Iura ab omni allucinationis, aut æquivocationis ſiniſtræ expoſitionis ſuſpicione ſecuros, Deum habentes præ oculis, quod hucuſque cum magno Reipublicæ bono & Veſtrarum commendatione Perſonarum, feciſtis, & facere pergitis, cauſæ finem imponite; erroreſque ſi quos fortè commiſit Antiſtitis injuſtè afflicti calamus, qua cœlitus donati eſtis clementia & humanitate condonate.

N O T A.

Et quis hanc Epiſtolam legat, & non videat poſtulare Dialecticam, ut illa, quam poſui, inferatur Concluſio? Iam non erat Quæſtio, *An Baro & Univerſitas terra Salvia manuteneri deberet*? Sed ex altera parte *An ipſis dari deberet terminus*? & ex altera, *An Epiſcopus eſſet manutenendus*? & tamen ſententia, *Baronem, & Univerſitatem manutenuit*.

Digitized by Google

LOGICAE MORALIS LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

DE LOGICA APPREHENSIVA.

Qua Primam Mentis dirigit Operationem.

Quot ſint Mentis Operationes.

DE Intellectualium Operationum numero in Logica Mentali diſputo; ubi examino diverſas Philoſophorũ Sẽtentias. Inſ̃re viam communem tritamque nobis impræſentiarùm placet, eaſque comprehendere Ternario numero: & Logicam, quã *Divinam* olim diximus, quia

Eligitur communis Opinio.

—— *Numero Deus impare gaudet*, per Mentis Operationes diſtribuendo, *Trinam* facere.

De diviſione Logicæ;

Dicamus ergo tres eſſe Mentis Operationes; Apprehenſionem, Iudicium & Diſcurſum, & quia Logica hominem dirigit, ut has operationes eliciat ſine erroris periculo, illam in Apprehenſivam, Iudicativam, & Diſcurſivam dividamus.

in Apprehenſivam,

Eſt autem Apprehenſiva Logica, quæ hominem dirigit, ne in apprehenſionibus ſuis errare poſſit: Iudicativa, quæ hominem dirigit, ne in judicando allucinetur:

Iudicativam,

& tandem Diſcurſiva, quæ hominem dirigit, ne in deductione illationum exorbitet.

& Diſcurſivã.

ARTICVLVS I.

De Terminis.

Vnde dicatur Terminus?
Diverſimodè accipitur.

VOX Latina *Terminus* à Græcã deducitur: & aliter à Coſmographis, aliter à Iuris-conſultis, & aliter à Logicis ſumitur.

Quid ſignificet in Coſmographia?

Fluviis, montibus, arboribus, ſaxis, columnis, &c. terminantur & condiſtinguuntur, Regna, Provinciæ, Campi, Agri, &c. Cicero *lib.* 1. *Offic.* clariſſimè. *Illorum fines ſicut ipſi dixerant, terminavit, in medio relictum quod erat, Populo Romano adjudicavit*. Hinc Arbores aut Lapides, qui fines diſtinguunt, *Terminales* vocantur apud Paulum *libr.* 5. *ſentent. tit.* 22. Ammianum Marc. *libr.* 8. Sicul. Flaccum Hygenum, Briſſ. Prat. Vide leg. 3. D. *de adquirend. poſſeſſ.* leg. 12. D. *fin. regund.* leg. 1. 2. 3. D. *de termin. mot.*

Lapides Terminales, qui ſint?

Eſt autem Terminus, *Signum, quo ager ab agro, aut Provincia à Provinciã diſtinguitur*. Quæ definitio confirmatur autoritate Virgilii, qui ſic cecinit.

Quid ſit in agris Terminus?

Saxum antiquum ingens, campo qui forte jacebat: Virgil. Æn. 12.
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.

Terminus Iuris quid?

Apud Iuriſtas autem *Terminus* eſt tempus triginta dierum, intra quod Iudex Apoſtolos (hoc eſt, literas dimiſſorias) dare tenetur. Vide Marcellum *in leg.* 1. D. *de libell. dimiſſ.* Spieg. Prat. & alios, qui de termino in cauſis tractarunt. Sumitur etiam Terminus pro fine inſtantiæ, ſeu

ſententia definitiva. §. *ſed hodie*. *Inſtit. de ſatiſdat.* Is autem duorum in criminalibus, in civilibus trium annorum eſt. *leg.* 1. C. *ut incert. pet. per temp.* Sed & ſunt ſpeciales cauſæ, quæ poſtulant particulares terminos.

Apud Dialecticos.

Signa, quibus utuntur Logici, vocantur Termini: & ſunt vel actus intellectus, quibus res percipiuntur: vel voces, quibus illæ ſignificantur; vel ſcripturæ, quæ loco dictionum ponuntur. Hinc orta eſt celebris illa Terminorum diviſio, vi cujus alii Mentales, alii Vocales, & alii nominantur Scripti.

Contra Terminos Mentales Objectio.

Dices conceptus mentis non debere vocari Terminos: quia non ſunt ſigna. Et hoc probas (1) nam ſigna debent prius cognoſci, quam nos in alterius rei cognitionem perducant. (2) nam Signi definitio conceptibus mentis non convenit: nam *Signum eſt quod præter ſpeciem, quã ingerit ſenſibus* &c. & tamen actus mentis non ingerunt ſpeciem ſenſibus. (3) nam quando in diſputatione poſtulamus, ut aliquis exponat terminos non ut conceptus, ſed ut explicet voces jubemus, ne lateat aliqua æquivocatio: ergo non ſunt in Logicâ Termini præter voces: (4) nam Authores Terminos à mentis conceptibus ut res diverſas condiſtinguunt: unde Nazarius apud Cæleſtinum Brunum *Quodlib.* 2. *cap.* 2. §. 4. *num.* 10. ſic ait. [Propoſitio neque quoad terminos, neque quoad cõceptus dicitur per ſe nota, ſive ſecundum ſe, ſive nobis; niſi ratione rei per conceptus repræſentatæ.]

Quid ſit terminos explicare?

Satisfit Objectioni.

Reſpondeo juxta ea, quæ ſuperiùs expoſuimus, *aptè terminum in Mentalem, Vocalem & Scriptum dividi*: nec oppoſitum per objecta argumenta probari. Non enim urget PRIMVM: quia falſum eſt omne ſignum debere prius cognoſci: alia enim ſunt ſigna *ut quod*, alia *ut quo*: illa ſunt ſigna cognita, ut fumus, qui eſt ſignum naturale, & prius cognoſcitur, quã in ignis cognitionem nos provehat: hæc vero non ſunt ſigna cognita, ſed objectorum cognitiones. Non urget SECVNDVM, nam ut tolleretur hæc inſtantia *ſenſibus vel intellectui* in ſigni definitione diximus. Non urget, TERTIVM, quia quãdo poſtulamus ut terminos explicet, voces audimus, ergo de vocum articulatione non dubitamus: quæſtio igitur eſt de vocum ſignificatione: ergo de conceptibus mentis, quibus voces ipſæ reſpondent. Ergo ego juſſus terminos explicare, debebo exponere, quid per voces intelligam: ergo conceptus ſeu terminos intellectuales. Sed neque urget QVARTVM, nam certum eſt potiùs competere *Termini* nomen, ſignis externis (vocibus, Scripturis, &c.) quàm conceptibus: nam illæ ſunt ſigna & Termini *ut quod*, iſti *ut quo*. Et huc reſpiciens Nazarius à Terminis conceptus diſtinxit.

An ſigna debeant cognoſci prius?

An à ſolo ſenſu?

Conceptus jubemus explicare.

Signum ut quod & ut quo.

Terminus vel eſt Mentalis, vel Vocalis, vel Scriptus.

Cùm rem aliquam cogitamus, mentalibus Terminis utimur: vocibus autem, quando loquimur; nam, cùm ſpirituales mentis actus, non poſſimus immediatè in ſe ipſis inſpicere, ſignis externis indigemus, ut valeamus illos manifeſtare. Angelos uti conceptibus, quando inter ſe loquuntur (quidquid Veteres dixerint) communis ſtatuit opinio, tametſi in explicando modo Thomiſtæ & Scotiſtæ differant.

Quomodo loquantur Angeli?

An Scripturæ res ipſas, an voces ſignificent?

Apud Latinos Græcoſque, immò etiã apud Hebræos. &c. voces ſunt conceptuum intellectualium ſigna, & ſcripturæ vocum: undè cum literæ non ſignificent immediatè conceptus, aut res ipſas, quas conceptibus repræſentamus, ſed voces, contigit, ut ſcripta Germanicè nec Gallus, nec Hiſpanus intelligat; at ſunt characteres nonnulli, qui res ipſas immediatè ſignificant, ut ſunt iſti Arithmetici 1. 2. 3. 4. & iſti Aſtronomici ☉. ♃. ♄. &c. qui ab omnibus Europæis intelliguntur, & ab unoquoque in idiomate proprio leguntur: hanc enim characterem ☉ vocabit Latinus *Solem*. Hiſp. *el Sol*. Italus *il Sole*. Gallus *le Soleil*. Belga *de Sonne*. &c. & omnes Solem intelligent. Hic ſcribendi modus eſt ſpecialis Sinis qui ultimam Aſiam habitant: quorum Orthographia moleſtiſſima eſt, nam pro dialecto communi triginta millibus literis indiget, & pro Iuridicâ, quæ Mandarinorum eſt, ſeptuaginta millibus.

Characteres res ipſas immediatè ſignificantes.

Sinenſium Orthographia.

Oriuntur interdum voces ex mala lectione ſcripturæ.

Apud Latinos interdum ex Scripturâ malè lectâ prodierunt non pauca vocabula. Pono exemplum. Si etymon quæram vocis *Spurius*, quo te vertas non ſcies: & malles ſubſcribere Calino, quàm divinare aut delirare: ille enim in Lexico Iuridic. verb. *Spurius* hæc habet. (de Spuriis Plutarchus ſic ſcribit. *Spurius* primum nomen eſt apud Romanos, ut Sextus, Decimus, & Cajus. Prima autem nomina non tota ſcribunt, ſed aut una litera ut T. *Titum*, aut duabus ut Cn. *Cneum*; aut tribus, ut Sex, *Sextum* & Ser. *Servium*. Sic *Spurius* ſcribebatur & *Sp.* eos autem, qui ſine patre erant, qui ἀπάτορες Græcè dicuntur, S. P. deſignabant, quaſi *ſine Patre* dicerentur. Hactenus Plutarchus.] Ergo poſteriores Latini cum in libris S.P. reperirent legêre *Spurios* cum legere *ſine patre* deberent. Et hæc nominis *Spurius* derivatio, nam originem non ſumit à linguâ, ſed à calamo.

Spurius unde derivetur?

S. P. Sine patre.

Sicut

Agellius cur hodie dicatur Aulus Gellius?

Sicut in voce *Spurius* male legerunt S. P. & conjunxerunt literas, quas ſeparare deberent, ſic è contra in voce *Aulus Gellius* ſepararunt, quas deberent connectere. Scriptum erat in libris antiquis *Agellius*, & juniores, ut viderentur ſcioli, primam literam juſſerunt ſtare pro prænomine, legeruntque *Aulus Gellius*. Audi Paſcaſium Groſippum, qui in Paradoxis literariis Amſtelodami editis ann. 1659. poſt epiſt. XV. in ſyllabo Authorum ætatis ferreæ ſic inquit. *Agellii (vulgò Auli Gellii) Noctes Attica edita ab Henrico Stephano Lutetia Pariſiorum*. Conſonat Gaſpar Scioppius in Conſultationibus de Scholarum & ſtudiorum ratione, editis etiam Amſtelodami ann. 1660. nam agens de Authoribus ætatis ferreæ ait *Agelli, quem vulgò Aulum Gellium vocant, Noctes Attica cum Henrici Stephani animadverſionibus Pariſiis in 8. ann.* 1585. Hinc jam Critici non Aulum Gellium, ſed Agellium citant, & Paſcaſio & Scioppio conſentiunt unde Gerardus Ioannes Voſſius *lib. 2. de art. Gramm. cap.* 10. ait, *Annianus item apud Agellium lib. 7. cap. 7. jubet dicere* affatim, & ex adverſum.

Paſcaſius Groſippus.

Gaſpar Sciopius

Gerardus Ioannes Voſſius.

An L. adſpiretur?

Sunt & alia nomina, in quibus Iuniores primam literam ſepararunt, quoniam eſſe prænominis notam putaverunt. Audi eundem Voſſium *libr. 2. de Art. Gramm. cap.* 11. §. *porrò* dicentem *L. quoque interdum adſpirari, indicant nomina* Hludovicus, Hlutherus: *quo modo ha voces ſcribuntur in antiquis cod. mſſ. plerique prælo excuſi corruptè edunt pro eo* H Ludovicus, & H Lutherus: *ut aliquoties factum ab Editore Synhod. Pariſienſis de imaginibus*. At non dicenda eſt L adſpirari (N. B.) ſed ab H quaſi à muta feriri; nam à nomine *Hludin* Germanico, juniore deducunt *Ludovicus* neglecta H at veteres dicebant *Clodovaus*, ut adſpirationem eſſe denſam, & ſimilem Græcæ χ ſignificarent.

An ab H. ut à χ feriatur?

De Termino Directo & Reflexo.

Actus intellectus, ſeu Terminus mentalis duplex eſt, Directus, & Reflexus. Directus eſt objecti cognitio, ut cum cogito lignum vel lapidem. Reflexus eſt cognitionis cognitio, ut cum adverto, & cognoſco me lignum, aut lapidem cogitare.

An-ne vox poteſt ſupra ſeipſam reflectere? Poteſt, immò etiam ſcriptura, ut ſi dicat aliquis *dico me dicere*: aut etiam *ſcribo me ſcribere* ſcribat.

SECTIO I.

De Sibilis. *An ſint in mundo homines, qui verba non proferant, ſed ſibilando loquantur? Quo illis modo Orthographia Grammatica, Logica, Rhetorica, & Theologia ſervire poſſent?*

Termini vocales dividuntur in Articulationes, & Sibila. Voces Articulatas proferunt Europæi; & in Aſia, Africa, & America, plerique populi, qui nobis noti. Sibilant apud Promontorium tormentarium (Hiſp. *Cabo de buena Eſperança*) gentes aliquæ, de quibus in ſuis nauticis Expeditionibus Hollandi ſcribũt Ioannes de Mandavilla, nobilis Anglus anno 1322. per Aſiam & Africam peregrinari incepit, & quæ vidit & obſervavit, Italicè ſcripſit & edidit. Vtar ergo hujus Authoris verbis, ut videat Lector, quantam trecentis annis lingua Italica varietatem ſit paſſa. Hic igitur *cap.* 145. habet in titulo. *De l'Iſola, che ſi chiama Tracondia, ove ſon gente, che non parlano, mà ſibilano*. Et in corpore. *Da queſta Iſola* (Mulcha) *ſe va per mare de Iſola in Iſola, ſino à una Iſola, che ſi chiama Tracondia, ove ſono le gente beſtiale, à modo che irrationali, e ſtanno in caverne, che fanno in terra, perche egli non hanno tanto ſenno, che ſapiano fare caſe. Egli mangiano carne de ſerpe, & altre brute coſe. Egli non parlano, mà ſibilano l'uno al altro à modo de ſerpe*. &c. Pergit ulterius, & cap. 148. ingreditur Inſulam Dondinam, & per viciniores excurrens, pervenit ad unam quam non nominat, & ait: *In un' altra Iſola ſono piccole gente à modo de nani; tutti ſono ancora de li Pigmei; Queſti hanno un piccolo buſo in loco de bocca, per li quali egli convengono prendere per uno legno buſato tutto ciò, che egli mangiano, e bevano. Egli non hanno lingua, ne parlano punto; ſalvo, che egli ſibilano, e fanno ſegni l'uno all' altro*. &c. Dedi verba formalia, quia liber eſt rarus, & à multis annis impreſſus.

Non omnes voces ſunt articulata.

An ſint in Mundo homines, qui non articulatas voces proferant?

De Tracondia Provincia.

Ejus incola quales?

An, & ubi Pygmai reperiantur?

Ratio videretur poſtulare, ut priùs de vocibus articulatis, quam de ſibilantibus agerem: illæ enim notiores ſunt, & ordo doctrinæ poſtulat, ut à notioribus ſumant Scriptores exordium; verum quia de articulatis vocibus multa dicturus ſum, & de ſibilantibus pauca, de iſtis nonnulla præmittamus.

Cur priùs de ſibilis, quam de articulatis vocibus agendum ſit?

Oportet, ut apud hujuſmodi homines multa ſit ſibilorum varietas, ut poſſint ſibila varia combinando voces componere quibus ſignificent objecta varia. Poſſent

De ſibilorum varietate.

Vnde poſſet deſumi?

A ſe ipſis.

A conſonis.

A duratione,

A tono,

Fortè ſunt omnia falſa, quæ de Accentuum in Acutos, Graves, & Circũflexos diviſione dicuntur.

De numero Accentuum apud Sinenſes.

An aure exacte ſecernantur?

ſibila multiplicari quatuor modis (1) ſi differentia in ipſa prolatione conſiſtat, nã ſicut apud nos, A,E,I,O,V, differunt, ſic etiam illa inter ſeſe poſſunt diſtingui. (2) non videntur repugnare in ſibilis modi aliqui proferendi, qui ita illa afficiant, ut conſunæ noſtras vocales. (3) diſtingui poſſent ſibila duratione, ſi jam correptim & jam productim proferantur, & inter ſe, ut apud Græcos E ab H & O ab Ω differunt. (4) ſi afficerentur tono muſico, ita, ut idem ſibilus jam ut *ut*, jam ut *re*, jam ut *mi* &c. reſonaret; vel ſaltem alia tonorum differentia: nam Grammatici Hebræi multos accentus numerant, ſed quia accentuũ nomine interpunctiones (commata, cola, hypocola, & puncta) etiam intelligunt, nunc nobis prodeſſe non poſſunt. Iuvarent Græci veteres, ſi vera ſunt, quæ de accentus in gravem, acutum, & circumflexum diviſione ſcripſerunt. Iuvabunt autem Sinenſes, qui eamdem monoſyllabam vocem quinque accentibus diverſis pronunciant. Sic à Sinenſibus didici: ſic in Grammaticis doceo: ſic & apud Gerardum Ioannem Voſſium *lib. 2. Gramm. cap.7.pag.173.* legimus: inquit enim. *Sinenſis tamen ab iis, qui res eorum prodiderunt, quinque tenores habere dicuntur.* At eſt inter aliquos illorum tanta ſimilitudo, ut dum Romæ proteſtarer me nullam differentiam percipere R.P. Martinus Martinius S.I. Apoſtolicus ad illam regionem Miſſionarius, qui me Grammaticam Sinenſem docuit, ſæpe etiam ipſoſmet Sinenſes affinitate prolationis obludi; & ut æquivocationem auferant charactere, digito in aere formato, aliquando juvari.

De literis ſibilantibus

An ſint in Abecedario Hiſpanice?

An in Græca etiam?

An in Hebræa ſimiliter?

An σὰν & σίγμα ſint litera diverſa apud Græcos?

Dixi horum hominum ſibila multiplicari ad ſubſtantiam poſſe, poſſe quo ad modum: nec hoc videri mirum poterit illis, qui benè cognoſcunt valorem, & poteſtatem literarum. Nam Hiſpani (incipio à re mihi notiori) multas habemus literas ſibilantes: ſunt hæ præcipuæ: *ce, ci, ç, ch, s, z.* in literum, *ce, ci, s, tia, x z.* etiam Latini ſibilant: Græci in his, ζ ξ, σ, φ, ψ: qui habuerunt duplicem σ, opinione aliquorum: Hebræi tandem in his, צסזשת, Audi Voſſium lib. 1. de Arte Gramm. cap.32.pag.117. dicentem. *Nihil verò mirandum, ſi Græci, & σὰν, & σίγμα dixerint, cum fecerint hoc Orientalium exemplo; nam Hebreis geminum eſt; S* ש *Sin, &* ס*, Samech à* ש*, ſin, ut diximus, eſt σὰν: à* ס *Samech eſt Samecha undè vocali mutata, & præterea trajectis conſonis, eſt σίγμα. Nec mirum, ſi geminum Hebræis S fuerit, cum non eodem ſemper modo S ſonet. Nam quanto aliter. S, effertur in Belgico.* Salve, *hoc eſt,* unguentum, *quam in Latino* Salve, *hoc eſt* χαῖρε? *Immo cum corruptè vulgò C efferamus ut S in voce* cincinnus, *priori loco alius S, quàm in altera ſyllaba, ſonum audimus. Et fortaſſe eodem modo Hebræis olim* ש Sin, *&* ס Samech *differebant, & ſi paulò aliter vulgò diſtinguant.* Poſui inter ſibilantes literas ת, nam in lingua Syriaca, in qua Illuſtriſs. D. Ioannem Heſronitam, Archiepiſcopum Libanienſem, Inſtitutorem habui, ת ut *ç*, aut ut *t* ante *ia*, ut in voce *Lucretia* proferunt, unde מלכותא, *Regnum*, ſcribunt, & *Malcuço* proferunt.

De litera ת*, quo modo apud Aſſyrios proferatur.*

Scribi-ne poſſint debitis characteribus, quæ ſibilis exprimerentur?

Hæc ſibila poſſent ſcribi, & propriis ſingula characteribus ſignificari. Nam deberet ingenioſus Orthographus conſiderare ſimplicium ſibilorum diſcrimina: & notare poſteà ſpiritus conſibilantes: deinde illa in brevia & longa ſubdividere & poſteà tonos adnotare.

Poſſit-ne fieri vocum ſibilantium Grammatica?

An apud illos, qui loquuntur per ſibila Rhetorica Gratia locum haberet?

Poſſet induſtria ulterius pergere, & conformare integram vocum ſibilantium Grammaticam; & in illa nomina per declinationes, verba per conjugationes opportunas inflectere. Voces hæ ſibilantes ſignificarent ad placitum. Et ſicut inter nos idiomata diverſa reperiuntur, ſic & diverſa poſſent hunc ſibilantem populum ſecernere ab illo aliter ſibilante. Poſita libera ſignificatione ſibilorum illæ linguæ eſſent capaces charitum & ornatuum: poſſent & tropos & figuras diffluere, & habere Rhetoricam, quæ doceret ſibilare eleganter.

An ſcientia ſibilorum idiomate tractari poſſent?

Omnia, quæ Logicus, de articulatis vocibus diceret, poſſet accenſere ſibilis proportione ſervata. Poſſent ergo Συριγμικοὶ dialecticari: de ſcientiis univerſis diſſerere, Vniverſitates erigere, & doctos Profeſſores habere.

Dubia nonnulla proponũtur, quæ ad Theologiam Moralem pertinent.

Veniamus ad Moralia. Quæris. *An ipſi poſſint in Chriſtiana Religione inſtitui? Sacramenta recipere (habere Epiſcopos, & Sacerdotes; miſſas dicere, Sacramenta conficere, & Iuriſdictionem Eccleſiaſticam adminiſtrare?*

De antiquarũ literarum Hebræarum, Græcarum, & Latinarum numero.

Non ſunt multæ literæ neceſſariæ ut integrum idioma formetur. Hebræi ſub initium (videlicet, Adami tempore) tantum habuerunt decem. Græci olim habuerunt tantum ſedecim, ut Voſſius *libr. 1. Gramm. cap. 25. pag. 93.* ſolidè oſtendit. Nec hodiè multò plures habent Germani, qui licet characteribus omnibus, quibus Latini utantur, B.& P. D.& T. F.& V. &c. eodem modo pronunciant. Et nuper Illuſtriſſimus Comes Bernardus Martinitz Bohemiæ Burgravius (Prorex) ita omnia ad numerum quaternarium contraxit, ut quatuor omnia linguæ manus, aut pedis diverſis motibus, aut characte-

An ad exprimenda omnia cujuſcumque lingua verba quatuor characteres ſufficiant?

tibus

ribus exprimerentur. Quam ob rem, eum oſtenderim multos & varios ſibilandi eſſe modos, & modò probaverim paucos ad Idiomatis conformationem ſufficere; ut certum & indubium relinquitur, hos ſibilantes populos, aut habere, aut ſaltem habere poſſe integrum & perfectũ Idioma, quo valeant de omni ente diſſerere. Poterunt igitur doctrinam Orthodoxam addiſcere, & myſteria univerſæ Chriſtianæ Religionis doceri. Habere ergo poterunt Concionatores, qui declament ad populum, carpant vitia, & virtutes promoveant.

An Tracondita habere poſſint Magiſtros & Concionatores?

Nullum eſt dubium de Sacramentorũ receptione quoniam homines ſunt, & gratias divinas recipiendi capaces. Baptizati ergo poterunt, confirmari etiam, per Sacramentalem confeſſionem expiare conſcientias, Euchariſtiam & extremam unctionem recipere. Manet igitur, ut examinemus an poſſint Sacramẽta conficere.

An etiam Sacramenta recipere?

Videretur, quod non: nam ut Concilium Florentinum pronunciat, Sacramenta conſtant rebus & verbis; ergo, qui non loquuntur, conficere Sacramenta non valent.

An & conficere?
An Sacramenta conſtent rebus & verbis?

At hæc Florentini doctrina non ita univerſaliter accipitur, ut prætendit objectio, nam Matrimonii Sacramentum ſine verbis perficitur: & Græci manuum impoſitione multa præſtant; quæ Latini verbis additis operantur expreſſiùs. Ergo etſi hujuſmodi homines muti dicerentur, quidquid de Ordinis Sacramento ſit, poſſent matrimonia contrahere, nam nutus ad hoc Sacramentum ſufficiunt. Sed ſtatim inquiram, an ne eſſe muti dicendi ſint?

An Tracondita poſſint Matrimonium contrahere?

Pronuncio homines, qui paucioribus literis quàm nos; aut aliis literis, quàm nos in ſua pronunciatione utuntur, mutos nominari non poſſe: quam ob rem Tracondii igitur non ſunt dicendi muti, ſed aliter quam nos loquentes. Vnde ſi ſemel eos loquĩ dicamus, cætera neceſſariò ſequuntur: poterunt enim baptizare, &c. nam tunc baptiſmus diceret pro materiali ablutionem, & pro formali verba Tracondii idiomatis.

An dicendi ſint muti?

Si habent idioma, Sacramenta poſſunt adminiſtrare.

Vt hoc meliùs intelligas, caſum curioſum proponam. Convivebant in Bavaria Viri Eruditi, & inter alias quæſtiones ingenioſas, quæ fuerunt propoſitæ, & peritè deciſæ: quidam Theologiæ Profeſſor, hanc ſubjecit examini. [Ruſtici cum veniunt ad Eccleſiam ut matrimonium contrahant, ſic procedunt. Sponſus rogatur à Parocho, an Mariam v. gr. velit in uxorem habere, & ille reſpondet *ſt*. Rogata Sponſa, an Petrum velit in maritum recipere, reſpondet *Mn*. Supponitur fuiſſe validum matrimoniũ, nam uterque ſuo modo ſuum conſenſum expoſuit: quæritur tamen, an ille conſenſus ſit nutibus, aut verbis expreſſus? Dum varii varia dicerent, Illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus N. per Auguſtanam Diœceſim Vicarius Generalis pientiſſimus, ac doctiſſimus Vir, matrimonium illud verbis fuiſſe celebratum aſſeruit; nam Ruſtici Bavari illo modo affirmabant in communi colloquio, & illa ipſa erat corũ lingua communis] ergo idem Epiſcopus eodem modo de Traconditis reſolveret, ſi rogaretur.

De ruſticorum Matrimonio in Bavaria.

An nutibus an verbis contrahere dicendi ſint?

Ad rem noſtrã applicatur hiſtoria.

SECTIO II.

De terminis Vocalibus, & varia illorum diviſione.

SOnus, Vox, *Dictio*, differunt inter ſe tanquam abſtractius & contractius: nec enim omnis ſonus eſt vox, nec omnis Vox eſt dictio; cũ tamen nulla ſit dictio, quin ſit vox, & nulla vox quin ſonus ſit.

An & quomodo nomina Sonus, Vox, & Dictio differant inter ſe?

Et quidem ſonus eſt aer percuſſus, aut melius ex aeris percuſſione reſultans, nam plurium corporum colliſione aer frangitur & ſonus reſultat: ideò venti, tonitrua, maris undæ, & multa alia, ſi quatiantur, ſonum excitant, audiunturque. Non omnis ſonus eſt vox, ſed ille, qui ſpiritu animalis emiſſo, inter dentes & labia cauſatur. Sed neque omnis vox eſt dictio, ſed illa, quæ habet ſignificationem aliquam determinatam. Vnde collige vocem eſſe quid inter ſonum & dictionem, medium, & ab extremis differre.

Quid Sonus ſit?

Quid Vox?

Hinc patet aliquos Veteres rem hanc intelligere nullo modo voluiſſe. Ioannes Calinus verbo *Vox*. [Vox, ut Achelaus primus definivit, eſt aeris percuſſus. Laertius *in vita Archelai*. Dividitur autem in duo: eſt enim animata alia, alia inanimata. Animata quidem animantium: Inanimata verò ſonorum atque crepituum. Idem Laertius *libr. 3. circa fin. in vita Platonis*. Alii vocem definientes dicunt, eam ſonum eſſe, ex ſignificandi propoſito editum. &c.] Nihil placet, errat enim Archelaus, nam vocem cum ſono confundit; animalium enim voces, & inanimarum rerum ſonos audimus & non ſoni, nec animalium quorumcumque voces, ſed humanæ ſunt, quæ eſſe Termini, & Dictiones poſſunt, & ſignificativæ vocari.

Veterum allucinatio.

Archelaus impugnatur.

Quid ſit Dictio?

ET ipſæ ſumuntur dupliciter, materialiter, & formaliter: ſumuntur quidem materialiter, cum ſe ipſas ſignificant: puta,

Significatio vel eſt materialis, vel formalis.

puta, ſi diceremus, *Deus eſt vox diſſylaba:* formaliter verò eum pro re ſignificata, ut ſi dicamus *Deus eſt Sanctus*. Profectò voces materialiter ſumunt Iuris-periti, quoties agunt de etymo, tunc enim exponunt vocem ipſam, non autem rem voce ſignificatam. Materialiter etiam voces legit, qui non intelligit; unde ſcitè Imperator *leg.* 17. D. *de legib.* ex Celſo *lib.* 26. *Digeſt.* verborum materiam (ſonum) à forma (ſignificatione) ſecernit: *inquit enim, ſcire leges eſt, non earum verba tenere,* (id enim & pſittaci poſſunt) *ſed vim, & poteſtatem* (verborum ſcilicet ſignificationem) Materiam à forma verborum videtur diſtinxiſſe Martialis *libr.* 1. *epigr.* 3.

Iuſtinianus ex Celſo.

Quæ tam ſepoſita eſt, quæ gens tam barbara, Cæſar,
Ex qua Spectator non ſit in Vrbe tua,
Venit ab Orpheo caltor Rhodopejus Hemo,
Venit, & epoto Sarmata paſtus equo.
Et qui prima bibit deprenſi flumina Nili,
Et quem ſuprema Tethyos unda ferit.
Feſtinavit Arabs, feſtinavere Sabæi,
Et Cilices nimbis hic maduere ſuis.
Crinibus in nodum tortis venêre Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.
Vox diverſa ſonat populorum, vox tamen una,
Cum verus Patriæ diceris eſſe Pater.

Martialis.

Omnium populorum voces differebant materialiter & coincidebant formaliter.

Et eodem ſenſu habetur in Actib. Apoſtolorum: *Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrigiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenem, & advenæ Romani, Iudæi quoque, & Proſelyti, Cretes & Arabes, audivimus eos loquentes noſtris linguis, magnalia Dei.* Ecce Romæ, ecce Hieroſolymis, erant homines ex omni provincia tunc nota: loquebantur variis linguis exteri, & peregrini, qui erant Romæ, magnalia Cæſaris, & cum exteris & peregrinis, qui erant Hieroſolymæ, Apoſtoli magnalia Dei. Vtrobique conſiderari verba materialiter & formaliter poſſunt. Materialiter quidem ſunt voces populorum diverſæ, eſt vox tamen una formaliter, quoniam diverſis verbis, diverſis linguis idem dicunt.

Act. 2. *Hic etiam voces materialiter ſumptæ diſtinguuntur & formaliter ſumptæ coincidunt.*

Hanc doctrinam altè Iuſtinianus conceperat, cum *inſtitut. lib.* 3. *cap.* 15. obligationes, quæ ex verbis oriuntur expoſuit dicens. *Verbis obligatio contrahitur* (nam licet Deo, & Cœlitibus ſola mente ſe obligari poſſimus; inter nos ipſos, quia non poſſumus loqui conceptibus, uti verbis, aut ſignis obligari debemus: videlicet) *ex interrogatione, & reſponſione, cum quid dari, fierive nobis ſtipulamur, ex qua duæ proficiſcuntur actiones, tam condictio, ſi certa ſit ſtipulatio, quàm ex ſtipulatu, ſi incerta, quæ hoc nomine inde utitur, quia* ſtipulum *apud Veteres firmum appellabatur, fortè à ſtipite deſcendens. In hac re olim talia verba tradita fuerunt.* Spondes? Spondeo. Promittis? Promitto. Fide promittis? Fide promitto. Fide jubes? Fide jubeo. Dabis? Dabo. Facies? Faciam. *Verùm utrùm Latina, an Græca, vel qua alia lingua ſtipulatio concipiatur, nihil intereſt: ſcilicet, ſi uterque ſtipulantium intellectum ejus linguæ habeat: nec neceſſe eſt eadem lingua utrumque uti, ſed ſufficit congruenter ad interrogata reſpondere. Quin etiam duo Græci Latina lingua obligationem contrahere poſſunt. Sed hæc ſolennia verba olim quidem in uſu fuerunt; poſtea autem Leoniana Conſtitutio lata eſt, quæ ſolennitate verborum ſublata, ſenſum, & conſonantem intellectum ab utraque parte ſolum deſiderat, licèt quibuſcumque verbis expreſſus eſt.* Hinc patet verba poſſe materialiter & formaliter conſiderari. Sub primam conſiderationem dicere ſyllabas, quibus componuntur, ſub ſecundam verò ſignificationem, quam habent, unde oritur poſſe, & ſolere differre materialiter (nimirùm literis, & ſyllabis) quæ formaliter (videlicet, ſignificatione) conveniunt. Nam hæ voces *Ego polliceor*, *Yo prometo* Ick beloove ſi materialiter ſumantur, differunt: ſi ſumantur formaliter coincidunt, illis enim Latinus, Hiſpanus, Belga exprimit *ſe promittere*. Poteſt Princeps ex cauſa contractus ad linguam determinatam contrahere: nam hodie Mahometani ex præſcripto Alcorani ſola lingua Arabica, aut vernacula poſſunt ſtipulari, immò inter ipſos quicumque contractus, ſi alia in lingua initur, eſt invalidus. Latini miſſas in Lingua latina debemus dicere, qui ſi fortè alia lingua dixerimus, illicitè, ſed validè celebrabimus. Poſſunt etiã contractus, & quæcumque aliæ publicæ diſpoſitionis verbis formalibus illigari; unde ante Leonianam Conſtitutionem ſpecialem verborum formalium ſtipulatio poſtulabat: & multi hodie Theologi baptiſmum *in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque collatum*, cenſent invalidum tametſi his verbis, *Pater*, *Filius*, *& Spiritus Sanctus* intelligantur. Interim ſtando Iuri naturali, ſeu naturæ rei, & ab omnibus legibus humanis præſcindendo quilibet cõtractus in quacumq; lingua cõtrahẽtibus nota iniri poteſt, oẽ idiomata differunt materialiter, non formaliter; tametſi

Ergo Deum & Cœlites conceptibus, ergo homines verbis aut ſignis obligamur.

Stipulum quid ſit? Quid Stipulatio.

Non verborum materia, ſed forma & ſignificatio curatur

An contractus poſſint ad linguam determinatam alligari?

Saraceni contractu in lingua externa initio non obligantur.

An in Sacramentorum adminiſtratione voces æquipollentes admittantur?

Quid poſſit fieri ſtando Iuri naturali?

metſi enim vocibus diſtinguantur, in ſignificatione conveniunt. Et Imperator hac ſua Conſtitutione nihil addidit, ſed Leonianam limitationem auferens ſtipulationem ad libertatem, quam Decalogus concedebat reduxit.

An voces expertes ſignificationis reperiantur?

HInc ſolvi Quæſtio poteſt, quæ inquirit, an bene termions vocalis in ſignificativum, & non ſignificativum dividatur? Quoniam, ſi agamus de acceptione & ſignificatione materiali, *nulla eſt vox*, quæ non ſignificet, hæc enim *Blictri eſt vox*, eſt vera, & bona Propoſitio: ſi verò de formali ſignificatione, & acceptione ſermo ſit, millenæ voces ſunt ſignificationis expertes, ut *Syndapſus*, *Corcluvius*, & ſimiles.

An ſignificare nihil ſit aliquid ſignificare?

Sed non adquieſcis: immò cõtrà objicis numeros, quos Antonius Guzzius, Vir verè ingenioſus & eloquens, *in ſui Agrophili pag.* 112. eruditè conſcribit. Inſtat enim.

Significare nihil *clamas Dialectice* Blictri:
Sed quæro, hoc nihilum ſignificare, *quid eſt?*
Eſt aliquid, nihilum, quod non eſt: quis neget ergo,
Blictri, *quod nihil eſt, ſignificare* aliquid?

Tametſi videretur ſufficere, ut hæc Objectio ſolveretur, ipſamet ſui Authoris cenſura; nam illam *Sophiſma* vocavit: volo has lineas ſubjungere, ut Dialecticus artificium percipiat, quod ſicut hic, ſic interdum alibi ſplendore Poetico Phœbus obnubilat.

De æquivocatione.

In primo verſu nùlla eſt æquivocatio: tametſi enim hic Hexameter,

Aio te Ajacem Romanos vincere poſſe,

Vnde tollatur?

laboret ancipiti ſignificatione; neſcimus enim, an Romanos Ajax, an verò Romani Ajacem victuri ſint: ambiguam nihilominus impræſentiarum ſignificationem auferunt circumſtantiæ, non enim in Dialectica quæritur, an vox *Nihil* ſignificet Blictri? ſed, an vox *Blictri* ſignificet nihil vel aliquid?

Proponuntur duæ voces Nihil, & Infinitũ *explicatu difficiles.*

Et quid eſt nihil ſignificare? an-ne id exponere quis poterit, quin priùs cognoſcat, quid ſit nihil? Sanè duæ ſunt res (loquor ſic, quia aliter, neſcio) quæ humanæ mentis vires ſuperant, *Nihil*, & *Infinitum*. De alterutra frequenter loquimur: & neutram concipimus bene.

In ultimo verſu *Blictri*, eſt ſubjectum, & relativum *quod*, non afficit *Blictri*, ſed *aliquid*; nam ſenſus eſt, *Blictri ſignificat aliquid, quod nihil eſt*.

Reſpondeo igitur ad Objectionẽ, hanc Propoſitionem *Blictri nihil ſignificat*, ſi accipiatur Dialecticè, non eſſe affirmativam, ſed negativam. Nec miteris, ſi Iudicium Grammaticum à Dialectico diſtingui audias, nam in multis, in quibus poſitivè deberent, Grammatici negativè, & è contrà diſcurrunt. Ponam, ut id demonſtrem, ob oculos voces ſequentes, (1) *Finitum*, & *Infinitum*. (2) *Corporeum*, & *Incorporeum*. (3) *Nullus homo eſt lapis.* (4) *Petrus eſt cæcus*. &c.

Multa, quæ negativa ſunt affirmativè, & quæ affirmativa ſunt, Grammatici negativè ſignificant.

Porrò Finitum Infinitumque contradictoriè opponuntur: ergo alter terminus poſitionem, & alter negationem includit. Sed uter utram? Apud Grammaticos, quis de hoc dubitet? *Infinitum* negativè profertur, nam illud *in* eſt notiſſimus negationis character: & tamen revera *Finitum* negationem, & *Infinitum* poſitionem includit. Vel attende. Lineam finiri, eſt non progredi ulterius: ergo, ſi finis eſt non progreſſus, finis conſiſtit in negativo. Cum autem Infinitum finis negationem importet, negationis negationem, adeoq; rationem poſitivam dicet. Eſt enim negationis negatio formalitas vera & poſitiva.

De Finito & Infinito; nec non de Corporeo & Incorporeo.

Idem de *Corporeo* & *Incorporeo*, nec non de *Materiali* & *Immateriali* eſt dicendum nam illud *in* importat ſpiritualitatem, quę eſt poſitiva.

De Syncategoremate Nullus.

In hac Propoſitione, *Nullus homo eſt lapis*, illud ſyncategorema *nullus*, eſt negatio, quæ in ipſo Grammaticè afficit hominem: at negatio Dialecticè copulam, aut prædicatum afficit; nam hæc Propoſitio, *Nullus homo eſt lapis* æquipollet huic, *Omnis homo non eſt lapis*, aut veriùs huic, *Omnis homo eſt non lapis*.

De Cæcitate. An forma poſitiva ſit?

Et tandem *Petrus eſt cæcus*, quæ eſt affirmativa Grammaticè, Philoſophicè, & Dialecticè eſt negativa: nam æquivalet huic, *Petrus habet cæcitatem*. Et quid eſt cœcitas? carentia viſus. Ergo, & æquivalebit huic, *Petrus habet carentiam viſus*. Carentia autem viſus eſt *non viſus*. Ergo hæ Propoſitiones

Petrus eſt cæcus.
Petrus habet cæcitatem.
Petrus habet carentiam viſus.
Petrus habet non viſum.
Petrus non habet viſum. &c.

coincidunt: & Dialecticè ſunt negativæ:

Quid ſit nihil ſignificare?

Hinc jam meliùs intelligemus Propoſitionem illam, *Blictri ſignificat nihil*; nã, ſi ſignificat, aliquid ſignificat: &, ſi illud aliquid, quod ſignificat, eſt aliquid, nihil eſt aliquid, & aliquid etiam eſt nihil.

An ſit, aliquid non ſignificare?

Dico igitur hanc Propoſitionem, *Blictri nihil ſignificat*. [cui ſimiles ſunt, *Petrus nihil dixit. Ioannes nihil egit, Franciſcus*

ciſcus

ciſcus nihil vidit. &c.] eſſe negativam: quoniam non æquivalet huic, *Vox Blictri habet ſignificationem, cujus terminus & objectum eſt nihilum*. Sed huic, *Vox Blictri non habet ſignificationem; non ſignificat: non eſt ſignificans*. [cui ſimiles ſunt, *Petrus non dixit, Ioannes non egit, Franciſcus non vidit*. &c.

Sanè, quia de voce *Nihil* egi, & illa poteſt formaliter, & materialiter ſumi, ſequentem hiſtoriolam adjungo.

Qua ratio, & ubi Finia ſit?

Quidam Finius (id nomen populo ultra Sueciam vaganti) qui Regi Catholico militabat in Belgio, & ob cauſam multorum opinione affictam, Legionario urgente, & contradicentibus commilitonibus, condemnatus fuit laqueo, & infelici ligno inter Bruxellam & Alnſtum appenſus. Concitabantur de hac ſententiâ crebræ obmurmurationes: & Titius non minimæ authoritatis apud aulam, multos his verbis alloquutus eſt. *Erat hic Scytha Patri N. viro ſancto, Gandavi reſidenti, chariſſimus. Hic pius Aſceta, cùm poſtridie tranſiret illac, & ſuum amicum in patibulo cerneret, ſuffuſus lachrimis interrogavit ipſum dicens. O miſer Finie, an-ne deerant in Scythia arbores, ut hic debuerit invenire patibulum? Varia ſanè ſparguntur de te. Multi te fuiſſe innocentem fatentur: alii contrà ſucclamant. Ego ſũ tuus Amicus. Dic mihi ſincerè, quid feciſti? Et tunc ille, qui jam ab altera die pendebat in patibulo, mortuus licèt & frigidus, reſpondit; nihil.* Vt audierunt circumſtantes, injuſtè fuiſſe damnatum & ſtrangulatum vociferantur: & in Iudicem acerrimè commoti ſunt. Quid tibi, Lector ingenioſe, videtur?

Hiſtoria pulchra, ſed cogitata, proponitur,

Audivi caſum non ſemel viris eruditis proponi, & vidi eoſdem etiam allucinari, & ſtatim rideri: & quia mihi placuit, illum his numeris complexus ſum.

& ad numeros elimata reponitur.

En Scytha funeſta damnatus ab arbore pendet;
Odit quem Princeps, plebs tamen omnis amat.
Quid Scytha feciſti; ut vidi (Leopolde) rogavi:
Et mihi reſpondit mortuus ipſe, nihil.
Ergo erat innocuus: nec enim miracula poſſent
Convicto ſceleris tanta favere reo.

In quo ratio æquivocationis conſiſtat?

Tota hiſtoriæ cogitatæ argutia in vocis *nihil* acceptione conſiſtit: an materialiter, an verò formaliter accipi debeat. Si ſumatur materialiter, ſine miraculo fieri non potuit, *ut mortuus reſponderet nihil*; non enim ſunt in cadavere vires, ut proferat hanc vocem *nihil*. Si ergo ille à viro pio rogatus, ſe nihil feciſſe miraculosè reſpondit, verum dixit; non enim miraculosè pronunciantur mendacia. Ergo erat innocens, & ob invidiam odiumque condemnatus injuſtè. Et hoc plerique ſenſu, cùm primùm audiunt, vocem & hiſtoriam accipiunt. Cæterùm, ſi ipſa accipiatur formaliter, ita ut *reſpondere nihil*, ſit *nihil reſpondere*, ſive *non reſpondere*; tibi non ſolùm humana cadavera, ſed & ſaxa & arbores, ſi interroges, *reſpondebunt nihil*.

An liceat, cum ſeriò loquimur, verba materialiter ſumere?

Hinc oritur Quæſtio graviſſima, *An mihi liberum ſit proferre materialiter verba, cùm voluero? An velim, nolim, debeam illa formaliter ſumere? Et unde hæc proveniat neceſſitas?*

Videretur, quod ſic. Quia, ſi ego, ut me aut proximum recreem poſſum vocem per varios modulos enharmonicè inflectere, cur non potero per varias articulationes alterare? & paritas omnimoda videretur concurrere: ſicut enim per articulationes, ſic etiam per modulos poſſumus loqui, adeoque æquè illas & hos ſumere formaliter & materialiter. Et quidem numeris enharmonicis poſſe homines loqui demonſtrant tubæ & tympana bellica; quæ ſi hoc modo inflentur aut pulſentur milites advocant, ſi tali arma jubent cõferere, ſi tali deſiſtere, quæ omnia univerſis ſunt nota. Virgilius. Æneid. 7.

Paſtorale canit ſignum. & poſtcà,
Tum verò ad vocem celeres qua buccina ſignum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis. &c.
Claſſica jamque ſonant: fit belli teſſera ſignum. &c.

& iterum *libr.* 8.

Hoc ſignum cecinit. &c.

Poſſeque Muſicum notis & modulis exprimere literas, in Steganographiâ uberiùs & liquidiùs expoſui. Ex hoc fundamento quidam vir doctus contendebat, me poſſe ut amico placeam cantare, quin voces ſumam formaliter: & inferebat, me etiam voces poſſe proferre materialiter; ut, ſi ipſi dixero, *Rex tibi tale beneficium indulſit*, ſine intentione aliquid ipſi ſignificandi, ſed tantùm voces has proferendi.

Sub diſtinctione reſpondetur. Per circumſtãtias tollitur æquivocatio.

Reſpondeo tamen Prolationem à Loquutione diſtinguendo: nullæ enim ſunt voces, quas proferre non poſſim materialiter. At loqui materialiter nequeo: quia, cùm loquimur, res intellectas alteri per ſigna externa manifeſtamus. Ergo hæc externa ſigna non materialiter ſumuntur, ſed formaliter. Ergo videndum eſt, an quis loquatur, aut non loquatur

alteri,

alteri, ut an voces materialiter ſumere reſolvamus. Cæterum, quia in communi colloquio, in interrogatione, in reſponſione, &c. negotiis privatis & publicis, &c. in accuſationibus, teſtium examine, ſententiæ prolatione, &c. non niſi formaliter verba ſumuntur, in caſibus iſtis ceſſat quæſtio, quoniam verba aliàs æquivoca per circumſtantias reſtringuntur, & per Reſtrictionem removetur omnis æquivocatio.

Quæſtio proponitur.

Sed hic ſtatim quæris, *An, & cur non poſſit homo verba ſimpliciter proferre, & non loqui; & tamen, ac ſi loqueretur, audiri?* Et, ut rem intelligam, hiſtoriam ſequentem adjungis.

De Chriſtianorum contra Mauriſcos expeditione.

Miſit in Mauros Rex Hiſpaniæ duos exercitus, quibus D. Alphonſum de Aguilar, & Ducem de Vreña præfecit. Ille generosè hoſtes invaſit, & occubuit: hic prudentiùs hæſit, & militem ſuum conſervavit incolumem. Redeuntem interrogavit Rex, ubinam D. Alphonſus permanſiſſet? Tacitè inſinuans, aut utrumque ſimul perire, aut ſimul reverti debuiſſe. Fuis ſtatim tetraſtichis (quæ *Romance* vocantur) infelix concinnata expeditio: & per plateas à pueris decantata. Ibat ad templum Comes, & pone illius majorem portam Sutor hæc cantabat tetraſticha: & voce grandiori illas lineas,

An qui carmina concinit, illa materialiter, an formaliter proferat?

Decidme Conde de Vreña,
D. Alonſo donde queda?

Neglexit Comes, eum proceſſiſſe à conſilio decredens. Eodem loco poſtridie eamdem cantilenam audivit; & tunc Sutoris animum non carere reflexâ advertentiâ ſupponens, rhedam ſiſti præcepit; egreditur, ſedet apud Sutorem in tripode: & cum his urbaniſſimis verbis interpellat. *Iterum, iterumque (amice Sutor) ubi D. Alphonſus manſerit, interrogaſti: & quia, ut puto, tuo intereſt rem tantam diſcere, ut te certiorem redderem huc libenter acceſſi. Scias itaque D. Alphonſum fuiſſe ſtrenuum, ſed temerarium Legionarium. Veteranis Centurionibus contradicentibus eſt ingreſſus in vallem, & à Mauris occluſus cum omnibus ſuis militibus deletus eſt. Ego cautiùs proceſſi, & ſine jacturâ uniùs hominis hoſtes ſubegi, & Agarenos tumultuantes ad obedientiam priſtinam reduxi, & comparavi. Hiſtoriam audiviſti. Illam ergo jam ſcis: non eſt igitur, cur iterum audire velis. Scias ergo, quòd, ſi iterum, ubi D. Alphonſus manſerit, me interrogare audeas, non me tibi verbis reſponſurum, ſed fuſtibus.* Surrexit, & reverſus ad rhedam, quò deſtinaverat progreſſus eſt.

Hiſtoriola ſcitu digna narratur.

Ecce Sutor cantabat: recitabat materialiter carmina; nemini loquebatur formaliter, & tamen ac ſi loqueretur Comiti, auditus eſt.

De verbis Comici ad Pompejum converſi.

Ille etiam Romæ Comicus, qui præſente Pompejo declamavit, *Et in miſeriis noſtris es fælix*. Tametſi de Pompejo non ageret, illum adloqui eſt viſus: nam ad Pompejum omnium converſi oculi ejus felicitatem populi Romani infortuniis nutriri & adolere teſtabantur.

Reſolutio.

Et Ego hîc circumſtantiis bene conſideratis, auderem dicere, fuiſſe & Comiti de Vreña Sutorem, & Pompejo Comicũ loquutum à conſilio, & formaliter.

An ſcripturæ habeant ſignificationem materialem?

Hinc alia quæſtio oritur, quæ examinat, *An & ſcripturæ poſſint materialiter ſumi, & ſe ipſas ſignificare?* Ante reſponſionem hoc apophthegma ingenioſum præmitto. Comes Daurius (vocetur ſic) ad cœnam invitavit amicos: quos tamen valdè parcè tractavit. Die ſequenti manè cùm ſuos hoſpites ſalutare veniret, reperit ſcriptum in muro *Daurius eſt avarus*; & ipſe iracundiâ commotus, ſuâ manu adjunxit, *Qui ſcripſit hoc eſt nequam*. Ecce ſecunda linea habet ſignificationem formalem, & ſignificat primam. Paucis horis poſt, qui primam illam lineam ſcripſerat, cum legeret ſecundam, & in eâ Comitis de ſe judicium, primam, quam ſcripſerat, obliteravit, & manſit ſecunda tantummodò. Ergo debuit illa, nulla enim alia erat, ſignificare ſemetipſam, & ſupra Comitem cadere injuria. Poſſunt igitur ſcripturæ ſumi materialiter & ſignificare ſeipſas.

Tametſi in exemplis, non requiratur veritas, ut ſeitè monet Ariſtoteles, hæc hiſtoriola anno 1647. Pragæ reverà accidit.

De Avibus, quæ loquuntur.

Curioſitatis autem gratiâ interrogas, Quid de Avium vocibus dicendum ſit, quæ imitantur humanas? Apud nos Picæ, Turdi, & aliæ ſimiles aves naſcuntur; Pſittaci ex Indiâ portantur. Martialis *lib.* 14.

De Pſittacis.

Pſittacus à vobis aliorum nomina diſco:
Hoc per me didici dicere, Cæſar ave.

Non omnes æquè dociles ſũt.

Non tamen omnes loqui poſſunt addiſcere: nec omnes eâdem felicitate; alii enim promptiores & alii rudiores videntur: quod *lib.* 2. teſtatur Apulejus his verbis. *Ad diſciplinam humani ſermonis facilior eſt Pſittacus, glande qui veſcitur, & cujus in pedibus, ut hominis, quini digituli numerantur. Non enim omnibus Pſittacis id inſigne, ſed illud omnibus propriũ, quòd eis lingua latior, quàm cæteris avibus, eò faciliùs verba hominis articulantur, patentiore plectro & palato.* Vide Plinium *libr.* 10. *cap.* 42. & Varronem *de re ruſtic. cap.* 9. Lipſius *libr.* 3. *Diſſert.* 1. *ex Stob.* Avium & Philoſophorum voces compa-

Philoſophi non debent loqui ut Pſittaci.

rat, aitque. *Non ut aves, quæ canere aut loqui doctæ nihil ultra voces ſciunt, ſic nobis Philoſophia diſcenda aut habenda. Apage: Sed illa animo induenda eſt, atque etiã (ſecundum Senecam) circumdanda eſt.* Ecce opinione Critici eloquentiſſimi voces ſecundum ſe ſunt nudæ: & etiam mortuæ; cùm illas induimus ſignificatione, animo & vitâ circumdamus: at eædem voces, quæ reſpectu noſtri, jam materialiter, & jam formaliter accipiuntur; Aviũ reſpectu, quia nihil ultra voces ſciunt, expertes ſunt ſignificationis. Pono exemplum. Hollandi, quia Calviniſtæ ſunt, Pſittacos, quos ex Indiâ portarunt, ineptias docent, & inter alias ſinguli ſciunt ingeminare Haerʒuyt Paſ. hoc eſt. *Extra hunc locum Papiſta.* Ad vocem hanc Heterodoxi rident, interdum, non contra Avem, ſed contra dominum iraſcuntur Catholici, cùm tamen illa præter voces nihil omnino ſciat. Illæ igitur ab audientibus, ſi non curentur, ſumuntur materialiter: ſi curentur, formaliter: & tamen neutro modo à Pſittaco, quia non ſolùm neſcit, quid ſignificent, ſed neſcit etiam, An, & quid ſit ſignificatio?

Avium voces non ſumuntur materialiter, ſed ſunt ſignificationis expertes.

Quid Haeretici doceant ſuos Pſittacos?

Termini in Categorematicum & Syncategorematicum diviſio.

TErminus formalis, vel eſt Categorematicus, vel Syncategorematicus, vel Mixtus. Dicitur autem Categorematicus, qui ſolus (ſine alio) ſignificat, & poteſt ingredi in Propoſitionem ut *Homo, Elephas*. Syncategorematicus verò, qui conſignificat, & ideò poſtulat, ut alicui Categorematico adhæreat, ut, *Omnis, Nullus, Aliquis, Non omnis, Nonnullus*. &c. *Vterque, Neuter, Alter* &c. Mixtus autem eſt, qui utrumque continet ut *Nemo*, quod eſt *Nec homo, Nullus homo*. Et hæc Syncategoremata communiter vocantur *Signa*. Mixtus hic terminus frequenter reperitur in Iure: unum aut alterum locum produco. *Nemo* (Nullus homo) *ad littus maris accedere prohibetur piſcandi causâ dum tamen villis monimentis, & ædificiis abſtineat.* Martianus *libr. 3. Inſtitut.* Pluraliter formari non poteſt [Albericus adnotavit ſignum eſſe univerſale negativum; citatq; *cap. nemo, extra de elect. lib. 6.* & *leg. item ſi unus.* §. *item ſi plures.* D. *de arbitris.*] Vide Cajum *leg. qui proprio.* §. *qui altam.* D. *de procurator.* & Vlpianum *leg. nec ullum.* §. *ſed quis.* D. *de pretend. hæredit.*

Nemo, *Nullus homo.*

leg. 4. D. de rer. diviſ.

Omnes *pro Vtroque.*

HIC autem NOTA PRIMÒ *Omnes*, quando de duobus tantum agitur, ſumi pro utroque apud Papinianum *in l. in ratione.* §. *quid tamen ad leg. Falc.* itẽ apud Cajum exemplo Ciceronis dictum legimus *in leg. liber. arbitr.* D. *de adopt.* Sane ſicut *Omnes* pro utroque rarum eſt, ita *Omnes tres, Omnes quatuor*, idonei ſcripſerunt Authores. NOTA SECVNDÒ, *Omne* & *Totum* differre; nam Omne dicitur de rebus diſcretis, ut *Omnis homo, Omne lignum*. At verò *Totum* de continuis, ut *Tota terra, Totum cælum.* &c. Hic autem Poëtæ vocibus aliquando abutuntur. NOTA TERTIÒ, *Nemo* ſumi aliquando pro *Nullus*; nam Vlpianus *libr. 1. de offic. Proconſ.* dixit. *Nemo Proconſulum ſtatores ſuos habere poteſt.* Et certum eſt in his Vlpiani verbis vocem *Nemo* non ſignificare nullum hominem, ſed nullum tantùm, aliud enim eſt dicere *Nullus Proconſulum, & aliud nullus homo Proconſulum.* NOTA QVARTÒ præter hæc Syncategoremata eſſe alia multa, ex quibus aliqua diligemus, ut Propoſitiones, & ſyllogiſmos Morales conformemus, qualia ſunt *Ferè omnes, Plerique omnes, Plures, Media pars, Pauciores, Fere nullus*, Vide inferius.

Differunt Omne, & Totum.

Nemo *pro Nullo.*

leg. 4. D. de officio Proconſulis & legat.

Syncategoremata Moraa.

De Subſtantivo, & Adjectivo.

NON multum hinc abeſt diviſio, qua Terminum in ſubſtantivum, & adjectivum partimur; quoniam nomen ſubſtantivum ſignificat ut *Homo*: adjectivum verò ſignificat, ut *Albus* nam cum vocem *Albus* audimus, ſtatim ſcire volumus quiſnam ſit Albus? Critici interdum, nomina quæ nos ſubſtantiva & Adjectiva dicimus, abſoluta & relativa ſive connotativa appellarunt.

Poſitivum Cõparativum & Superlativum.

Nomen Adjectivum in Poſitivũ, Comparativum & Superlativum dividitur. Poſitivum ab omni comparatione præſcinditur; Comparativum ſubjectum confert cum aliquibus: Superlativum exprimit exceſſum ſupra omnes, ut *Sanctus Sanctior Sanctiſſimus.* Poſtulabat Comparatio, ut de utroque verificetur Poſitivum: quamobrem hanc diſcurrit dicens. *Ego hanc ſententiam judicat eſſe probabiliorem: Ergo oppoſitam judicat eſſe probabilem.* Vide noſtram Theolog. Fundam. num 884. 933 1365. 1604. 1710. 1846. 1855. Nota hic tamen non ſemper hunc rigorem obſervari, ſed nomina Comparativa interdum ſumi adverſativè, & tunc *melius* ex. gr. ſumi pro *minùs malo*. Et firmant hanc Comparativi Nominis acceptionem verba Domini noſtri Ieſu Chriſti. Dixit de Iuda. *Melius eſſet illi, ſi natus non fuiſſet homo ille* ubi *meliùs* ponitur pro *minus malo*, quoniam non naſci non eſt bonum. Sic etiam dixit Apoſtolus, *Melius eſt nubere quàm uri*, & tamen uri non eſt bonũ. Ergo hic melius idem ſignificat, ac *præſtat*, præſtat enim nubere & non uri.

An & quomodo à Comparativo ad Poſitivum valeat argumentatio?

An, & quando Comparativũ adverſativè ſumatur?

Ali-

An & quando calida frigida, & alba nigra vocari poſſint?

Aliqua Poſitiva cum ſummo exceſſu Superlativi comparata exinaniuntur, & ſumunt oppoſitam denominationem:nam res tepida dicitur frigida cum igne qui calidiſſimus collata. Sufficiat nunc paucas lineas exſcribere ex Mellei Doctoris *Sermone* III.de verbis Eſaiæ Prophetę *nu.* 3. Aſſerit ibi Sanctus Pater Chriſtum Solem fuiſſe, Ioannem verò Luciferum, & Præcurſorem, & ait. *Fidelis Lucifer, qui Solis Iuſtitia non uſurpare venit, ſed prænunciare ſplendorem*. Non ſum ego, *inquit*,Chriſtus. Venit fortior me poſt me; cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti ejus. *&c. Ac ſi manifeſtè Lucifer dicere videatur. Quid admiramini intuentes ſplendorem meum? Non ſum ego Sol; longè alium videbitis eum:in ejus comparatione tenebra ſum, & non lux.* Et hic cum tanti Doctoris & Magiſtri licentia, ut res meliùs intelligatur,addamus incerti Autoris numeros, quibus præcedens doctrina clariſſimè dilucidatur, Sic enim cecinit.

An, & quando lucidum cum lucidiſſimo cōpoſitum obſcurum fit?

Siempre al amanecer los rayos rojos
Del Sol por las mañanas,
Son tinieblas Gytanas,
Con la luz comparados de tus ojos.
Y, ſi ſobre la nieve bella y pura
Pones tus blancas manos,
Pareceran de plata paſſamanos
Sobre materia eſcura.
Y en otras occaſiones.,
Parecera que ſon blancos ringlones
Que Apeles en papel negro o morado
Eſcribio ayer con eſpecial cuydado.

Terminus Simplex & Compoſitus.

ITerum Terminus in Simplicem, & Compoſitum dividitur. Eſt ſimplex, & incomplexus *Homo* compoſitus, & complexus *Homo albus. Equus currens velociter.*

Compoſitionis accidentia.

Et hic neceſſariò notandum eſt vocibus in Termini compoſitionem venientibus tria accidere: nam vel prima vox accedente ſecunda mutat ſignificationem, vel illam retinent diſtributivè, vel illam retinent copulativè. Quæ ſi non bene cognoſcatur diſtinctio in multos nos Labyrinthos inducet. Sæpè enim terminus complexus verificatur de ſubjecto,de quo non verificantur ejus partes: ſæpe contra: ut exempla ſubſequentia demonſtrant. Agam igitur

Aliquādo mutat ſignificationem Compoſitio.

Primò de ſignificationis mutatione, quæ in Complexis aliquando invenitur. Tales ſunt iſti Termini *Reſpublica*, Hiſp. *Manjor blanco*, non enim valet conſequentia: *Forum eſt Res, Forum eſt publicum, ergo forum eſt Reſpublica*, vel Hiſpanicè *El pan es manjar, el pan es blanco. Luego el pan es manjar blanco*. Vel è converſo. *Hæc tabula eſt homo pictus. Ergo hæc tabula eſt homo. Ergo hæc tabula eſt picta*, aut etiam *Cadaver eſt animal mortuum: Ergo cadaver eſt animal: Ergo cadaver eſt mortuum*; nam nec forum eſt Reſpublica, *ni el pan es manjar blanco*, nec tabula eſt homo, nec cadaver eſt animal.

Aliquando illam retinet diſtributivè.

Secundo agam de diſtributiva ſignificationis permanentia; nam hæc conſequentia eſt bona, *Homo eſt animal rationale. Ergo homo eſt animal. Ergo homo eſt rationalis* & etiam hæc *Homo eſt animal, Homo eſt rationalis. Ergo homo eſt animal rationale.*

Aliquando illam retinet copulativè.

Tertiò agam de copulativa ſignificationis permanentia, quæ præcipit, ut ex termino complexo ad ſimplices non procedamus: non enim eſt bona conſequentia, *Triangulus eſt* ABCA. *Ergo Triangulus eſt linea* AB *Ergo Triangulus eſt linea* B C &c. Hoc non animadvertens Hugo *lib.2.de Sacram.part.1.cap.*50.apud Ægidium Columnam *in 3. diſt. 1. part. 1. qu.1.art.2.*graviter fuit allucinatus: legerat enim in Athanaſii ſymbolo. *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus* (verbum) *& homo unus eſt Chriſtus.* Et argumentabatur *ſic anima rationalis, & caro* (corpus) *eſt homo. Ergo anima rationalis eſt homo: Ergo caro* (corpus) *eſt homo.* Concedit antecedens & negat conſequentias Ægidius, & §.*Sic etiam* explicans illud *ſicut*, ait ſimilitudinem non debere eſſe quantum ad omnia; quia,ſi eſſet ſimile quantum ad omnia, non eſſet ſimile, ſed idem: unde ſubjungit. [Utraque eſt de conſtitutione humanæ perſonæ: Anima rationalis & Caro; licet utraque natura (Divina & Humana) non ſit de conſtitutione perſonæ Chriſti.] Nota illud *utraque* Ergo in illo Termino complexo *Anima rationalis, & Caro* partes ſumuntur copulativè. Unde licet non valeat dicere, *Homo eſt corpus*, aut *Homo eſt anima rationalis*: valet nihilominus dicere, *Chriſtus eſt Deus*, & *Chriſtus eſt homo* &c.



Nec anima nec corpus eſt homo.

Similitudo non debet eſſe in omnibus, ſed in aliquibus.

Terminus includens & incluſus.

HUC reduci debet Termini includentis & incluſi diviſio, nam corpus includitur in Homine, & tria includuntur in Quatuor: non contra. Sic ſe habent apud Iuriſperitos Iter, Actus, & Via; unde *lib.2.cap.3.Inſtitut.* Iuſtinianus *Ruſticorum prædiorum jura ſunt hæc Iter, Actus,Via, Aquæductus. Iter eſt jus eundi ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi,vel vehiculum. Actus eſt jus agendi,*

Iter Actus & Via.

Quomodo Diſtinctio & Condiſtinctio diſtinguantur?

di, vel jumentum, vel vehiculum. Itaque qui habet Iter, Actum non habet: qui actum habet, & iter habet, eoque uti poteſt, etiam ſine jumento. Via eſt jus eundi, & agendi & ambulandi: nam & Iter & actum in ſe continet via. Aquaductus eſt jus aquaducenda per fundum alienum. Et hic obiter nota illa *condiſtincta* vocari, quæ totaliter diſtinguuntur.

Terminus Acceſſorius & Principalis.

SED & Terminus etiam in Principalem, & Acceſſorium diſpeſcitur, ille eſt, quem is ſequitur. Vnde in Iuris Regula Iuris Canonici dicitur, *Acceſſorium ſequitur ſuum principale*. Vnde, ſi fundus A habeat activam & paſſivam ſervitutem reſpectu fundi B cum fundo A hæc debet tranſire ſervitus. Nam ſi Ager A habeat jus derivandi aquas in agrum B tunc res principalis cenſebitur ipſe ager A & Acceſſorium derivandi aquas in agrum B. Si ergo donatione, emptione, aut teſtamento Cornelius adquirat agrum A, qui eſt res principalis, adquiret profectò eodem titulo rem acceſſoriam, hoc eſt, jus derivandi aquas Agri A (non alius) in agrum B. Audi *loc. cit.* Imperatorem. *In ruſticorum prædiorum ſervitutes quidam computari rectè putant, aquæ hauſtum, pecoris ad aquam adpulſum, jus paſcendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ. Ideò autem hæ ſervitutes prædiorum appellantur, quoniam ſine prædiis conſtitui non poſſunt; Nemo enim poteſt ſervitutem adquirere urbani, vel ruſtici prædii niſi qui habet prædiũ, nec quiſquam debere, niſi qui habet prædium.* Rem autem principalem & acceſſoriam diſtingui realiter, & hanc ab illa poſſe ſeparari, aut illi de novo accreſcere pronunciat Iuſtinianus ſubjiciens. *Si quis velit vicino aliquod jus conſtituere, pactionibus, atque ſtipulationibus, id efficere debet. Poteſt etiam in teſtamento quis heredem ſuum damnare, ne altius tollat ædes ſuas, ne luminibus ædium vicini officiat, vel ut patiatur eum tignum in parietem immittere, vel ſtillicidium habere, vel ut patiatur eum per fundum ire, agere, aquamve ex eo ducere.*

Acceſſoriũ ſequitur ſuum Principale.

Servitus ſequitur prædium non perſonam.

Realis inter Acceſſorium & Principale Diſtinctio.

Terminus Abſolutus & Conditionatus.

ITerum Terminus in Abſolutum, & Conditionarum diſpeſcitur; ille ſignificat abſolutè, iſte cum conditione. Et hic attentè nota, ſicut aliud eſt tempus ſignificare, & aliud cum tempore ſignificare, ut inferiùs exponetur: Sic etiam aliud eſſe vocem pro conditione, & aliud cum conditione ſupponi. Hujus diviſionis vix umbram in Philoſophia invenio: & ideò exemplum ex jure deſumam *liber*, *ſervus* ſunt Termini ſignificationis abſolutæ, quod enim ſignificant, nullam conditionem involvit: at *ſtatu liber* eſt ſervus ſub conditione manumiſſus, quamdiu non eſt purificata conditio. Vlpianus *tit.* 2. apud Cujacium. *Qui ſub conditione teſtamento liber eſſe juſſus eſt* ſtatu liber *appellatur. Quamdiu pendet conditio, ſervus heredis eſt, ſeu alienetur ab herede, ſeu ſuſcipiatur ab aliquo libertatis conditionem ſecum trahit. Sub hac conditione liber eſſe juſſus, ſi decem millia heredi dederit, etſi ab herede alienatus ſit emptori dando pecuniam ad libertatem perveniet, idque lex duodecim Tabularum jubet. Si per heredem factum ſit, quo minus ſtatu liber conditioni pareat, perinde ſit liber, ac ſi pecuniam dediſſet. Extraneo pecuniam dare juſſus & liber eſſe, ſi paratus ſit dare, & is cui juſſus eſt dare, aut nolit accipere, aut antequam acceperit moriatur, perinde ſit liber, ac ſi pecuniam dediſſet.* Hoc tibi ultimum videtur difficile, & ais. Si ille, cui juſſus eſt dare, nolit accipere, liber eſt, nolendo accipere illam pecuniam condonat. Sed mori, non eſt condonare, ergo illo mortuo ſtatu liber hæredi defuncti tenebitur. Sed non &, ut intelligas rationem attende.

Servus liber & ſtatuliber.

Sub conditione libertate donatus, etſi donetur aut vendatur, ſemper ſecum conditionem libertatis importat.

Quando te centum aureos daturum Petro mihi promittis nihil promittis Petro: &, ſi fidem non liberes, mihi facies injuriam, non Petro. Si ego inconſulto Petro obligationem ortam ex tua promiſſione relaxem, liber eris. Sic ſimiliter Paulus, ſi vovet Deo ſe eleemoſynam daturum tali pauperi, nihil promittit pauperi: &, ſi non ſtet voto, ſacrilegus erit, & perjurus, non autem rei alienæ detentor. Si Deus, aut qui ejus vices gerit, paupere etiam inconſulto, diſpenſet; Paulus ab obligatione liber erit. Mariemtemii in Germania eſt obſervantiſſimum Patrum Capucinorum Monaſterium: Arcis dominus ſuos hæredes teſtamento obligavit, ut ſingulis diebus tantam illi Monaſterio eleemoſynam erogent. At ipſe nihil Patribus dedit, quia eſſe Legatarii non poſſunt. Si Patres nolint eleemoſynam illam recipere, invitis dare illam hæredes non tenentur: ſi illud Monaſterium deſtrueretur, ceſſaret obligatio, illi enim loco adligata videtur. Ergo his prælibatis ad ſtatu liberum redeo. Erat manumiſſionis formula. *Stichum eſſe liberum jubeo: Si decem millia Claudia dederit: & ſi per ipſum non ſtet, etſi non dederit.* Hoc reſcriptum nihil donavit Claudiæ. Ergo nullum jus in illam pecuniam ipſa adquiſit; ergo nullum tranſmittet ad hæredem. Si autem ſervus numerare pecunias paratus ſit, & antequam illas recipiat, moriatur.

In promiſſione videndum eſt, cui fiat, nam promiſſor ſoli promiſſario tenetur.

Quomodo ſtant ultima diſpoſitiones ad Patrum Capucinorum utilitatem.

De ſtatu libero.

Si impediatur ne conditionem adimpleat?

tur Claudia, erit Stichus liber, quoniam non ſtetit per illum quo minùs conditionem impleret: nihil tenebitur dare Claudiæ hæredi, hanc enim pecuniæ ſummam ſolvere non tenebatur ex juſtitia & obligatione erga Claudiam, ſed ex præcepto laro à manumiſſore, qui ipſum perſonaliter obligavit ad Claudiam, eujus loco non ſufficitur hæres. Cæterum ſi ex litera Teſtamenti conſtaret illam pecuniæ ſummam quam erat daturus Stichus eſſe legatam Claudiæ, jus ad illam mortua Claudia ad hæredes tranſiret.

An obligetur hæredibus?

ARTICVLVS II.

De Tranſſcendentibus. *Quid, & qui ſint Termini Traſſcendentes. In Reales, & Morales dividuntur. An aliquibus opponi poſsint?*

Qui & quod ſint Termini Tranſſcendentales?

PRædicatum tranſſcendens de omni ente & formalitate prædicatur, ut Ens: quidquid enim in mundo reperitur, corporeum, aut incorporeum illud ſit, & quæcumque, cujuſcumque rei pars, aut formalitas &c. ſemper eſt ens. Ejus autem paſſiones ſunt Veritas, Bonitas, Vnitas, unde Ens denominatur verum, bonũ, unum, [circumfertur dictio REVBAV, quam dicunt Logici omnia prædicata tranſſcendentalia comprehendere, & legi ſic, *Res, Ens, Verum, Bonum, Aliquid, Vnum.*]

De Ente.

ENS vocabulum eſt purè Scholaſticũ & ideò apud Iuriſtas Politicuſque non reperitur. In Poſſibile & Exiſtens dividitur. Vide *Theol. Fundam. num. 96. 97.* exiſtens in Finitum & in Infinitum. Nihil in rebus eſt infinitum præter Deũ, *ibid.* Creaturæ poſſibiles ſimul ſumptæ, nec finitæ, nec infinitæ ſunt, ſed indefinitæ *ibid.* examinatur illud Axioma, *Omne Ens naturaliter eſſe deſiderat*. An ſint formæ, quæ ſenectute corrumpantur & excidant *ibid. num. 154.*

De Re ſi latè ſumatur?

RES ſi abſtractim ſumatur idem ſonat quod *Ens* & eſt frequens in Iure. Generalem ſignificationem habet *in leg. 1. D. ſi cert. pet. leg. rei 1. & 2. D. de verb. ſignif.* Vnde *in Tit. de verb. ſignif.* nec verbum eſt: ergo quidquid dictione, aut verbo poteſt ſignificari. Auſonius in Ædillio

Imperium, litem, Venerem, cur una notat Res?

Et Horatius lib. 1. ſerm.

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Eadem vox, ſi ſtrictè ſumatur, ſignificat apud Cajum, quidquid non eſt perſona, nec actio: nam cum jus circa Perſonas, Res & Actiones *in leg. 1. D. de ſtatu homin.* verſetur, & nihil in mundo ſit, circa quod non verſetur, manet ut quidquid nec perſona, nec actio ſit, *Rei* nomine debeat intelligi.

Si ſumatur ſtrictè.

Quid ſit veritas tranſſcendentalis? An Falſitati opponatur?

VERVM, ut tranſſcendentale eſt, non opponitur falſo, quidquid enim in rerum natura eſt, verè eſt, & in ſuo genere verum eſt. Nam propoſitio falſa, verè eſt propoſitio falſa, habetq; illam verã eſſentiam quæ ut ſit falſa requiritur. Sic moneta falſa non eſſet verè falſa, niſi verè illam haberet eſſentiam, in qua falſitas monetæ conſiſtit. Sic fallax ſanctitas, eſt vera hypocriſis: falſus amicus, eſt verus inimicus. Quamobrem nihil in mundo eſt, quod in ſuo genere verum non ſit.

Quid ſit Bonitas tranſſcendentalis? An malitia opponatur?

BONVM ut tranſſcendentale eſt, non opponitur malo. Omnia enim, quæ in Mundo ad finem à natura intentũ bona ſunt, tametſi mala ſint in aliquo genere particulari. Vnde dicitur *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Vnde ipſamet peccata in genere entis bona ſunt, tametſi in genere moris ſint mala: unde Deus ad totam peccati entitatem concurrens, malitiam ſuo concurſu non tangit.

An Verum ſit Bonum.

VERVM, & BONVM ſe mutuò tranſſcendunt & permeant; & ideò non ſolum à Cicerone, ſed & à Iuriſconſultis Verum pro bono, æquo & juſto uſurpatur, *leg. ſed vir. D. de donat. inter vir. & uxor. leg. omnes de integr. reſtit. leg. ſi fidejuſſ. in fin. de leg. 3. Inſtit. Ex quib. cauſ. major non lic. §. Semel.* Sic verum filium pro juſto & legitimo dixit Labeo *leg. ultim. D. de Iure liber.* Sic etiam ex adulterio natus,

Verum pro Iuſto.

Falſum pro injuſto.

qui

qui injuſtus & illegitimus filius eſt,& falſus appellari poſſet,eſt verè ſpurius: & eſt bonus aptuſque, ut in illum ſuum rigorem exerceant leges, quæ illegitimos à numero filiorum eximunt.

Meritò Bonitati additur Veritas, non enim omnia quæ videntur bona, ſunt verè bona: ſicut nec omnia quæ videntur vera, ſunt verè vera.

Non omnia ſunt qualia videntur.

Tota nitet falſitate Reſpublica: & ſicut ſuperiorum præcepta, ſic etiam inobedientiæ ſubditorum ſanctiſſimis nominibus deſigurantur. Hæc omnia conſiderans Vlpianus *libr. 1. Opinion.* quid facere debeat Præſes exponit his fortiſſimis verbis. *Ne potentiores Viri humiliores injuriis afficiant: neve defenſores eorum calumnioſis criminibus inſectentur innocentes ad religionem Præſidis Provinciæ pertinet.*

Divites pauperculos ſub ſpecie boni Zeli aggrediuntur.

Et quot hodie potentes ſub zeli ſpecie calumnias evomunt, & mendacia inſolentia pro puta ſuſcipi veritate præcipiunt, & obtinent.] *Illicita miniſteria ſub prætextu adjuvantium militares Viros, ad concutiendos homines procedentia prohibere, & deprehenſa coercere Præſes Provinciæ curet.*

Sub auxilii ſpecie proſternunt.

Adagiũ Hiſp. Boſamos manos, que quarriamos vern cortadas.

[Et quoties miſeri concutimur, & cogimur, ſi non ſentire, ſaltem dicere quod adjuvamur! illatas injurias ſentiſcimus, & ulteriorum metu illas favores dicimus, & inferent: gratias agimus.] *Et ſub ſpecie tributorum illicitas exactiones fieri prohibeat: nec licita negatione aliquos prohiberi, nec prohibita exerceri, nec innocentibus pœnas irrigari, ad ſolicitudinem ſuam Præſes Provinciæ revocet.*

Aliqui ſub ſpecie tributi exigendi, furantur.

[nam ſub ſanctis & bonis Principibus, (& quid alibi ſub improbis fiet?) à miniſtrorum avaritia denudamur, excoriamur, exhaurimur. Si nihil eis contribuat Baptiſta cenſebitur Iudas; ſi eiſdem verò manu liberali ſubornet, vel Iudas cenſebitur Ioannes Baptiſta.]

Ille ſolus innocens qui ſubornat.

Et ne tenuis vitæ homines ſub prætextu adventus Officiorum vel Militum limine unico, vel brevi ſupellectili ad aliorum uſus tranſlatis injuriis vexentur, Præſes Provinciæ providebit.

Vt hoſpes ſuſcipiatur domo eijcimur.

[At hodie domo eijcimur, rebus privamur, nec habemus filias, nec uxores ſecuras] *Ne quid ſub nomine Militum quod ad utilitates eorum in commune non pertinet, à quibuſdam propria ſibi commoda iniquè vindicantibus committatur Præſes Provinciæ providebit.*

Sub boni publici ſpecie plurimi rem privatam agunt.

Sed quis eſt iſte, qui providebit? Hic non poteſt, ille non vult. Communia & publica nemini cordi ſunt. Morbo eſt interdum gravior & pernicioſior medicina: & in ea diſcrimen ſitum eſt, quod ille morbus ſit & dicatur, hæc autem alter morbus ſit, & remedium vocetur.

Morbus vocatur Medicina.

In vocabulorum tranſlatione Mundus hodie conſiſtit, ſi conſiſtit; & per bona apparentia in veram & communem perniciem magno pondere labitur.]

Qualibet multitudo eſt una.

VNVM, ut eſt tranſſcendens non opponitur multis nam quæcumque res in ſuo genere eſt una & multæ: nam & hic lapidum cumulus unus eſt, & hic numerus Denarius unus eſt, nec erit Denarius, ſi in numeros duos dividatur. Hinc patet quid reſpondendum ſit interroganti, *An bis tria ſint ſex?* nam hi numeri ſumi poſſunt formaliter, & materialiter.

An bis tria ſint ſex?

Porrò in ſenſu formali bis tria ſunt duo Ternarii,& ſex ſunt unus ſenarius: & duo numeri non ſunt unus numerus. Sicut duo homines non ſunt unus homo. At in ſenſu materiali bis tria ſunt ſex, nam materia, quæ in duobus Ternariis invenitur, illi, quæ ſenario clauditur, æqualis eſt.

Quid ſit Aliquid?

ALIQVID, ut tranſſcendentale eſt, eſt *aliud quid*, & ſola expreſſione ab uno differt: nam unum ſiquidem eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio, unum prout ab alio diſtinguitur erit quid aliud.

SECTIO I.

De Tranſſcendentia Terminorum Moralium.

Prudentia poſtulat, ut interdum ſupponamus res aliter eſſe quam ſunt.

SÆpè Prudentia poſtulat, ut *Aliquid* cenſeamus eſſe nihil, *eum qui vivit* non vivere; *illud quod eſt*, non eſſe: *verum* eſſe falſum; *Bonum* eſſe malũ; *Vnum* multa &c.& ſæpè Prudentia poſtulat, ut à contrario *Nihil* cenſeamus eſſe aliquid; *Eum qui eſt mortuus*, vivere, & *quod non eſt* exiſtere; *Falſum* eſſe verum *Malum* eſſe bonum, & *Multa* unum. Et quidem ut hanc Sectionem ediſſeram librum potero ſcribere; ſed argumenti brevitas præcipit, ut non diffundar, ſed breviſſimè ſingula exponam. Ergo à Terminis, qui realiter negativi ſunt, & tamen moraliter ſunt poſitivi incipiamus.

Ens Virtuale.

Ens Virtuale eſt, quod realiter non eſt ens, prudentum tamen conſideratione, & hypotheſi, ita ſe habet, ac ſi quale dicitur eſſet. Eſt valde generalis definitio, & quæ univerſas Moralitates permeet, & tranſſcendat, & debebit breviter dilucidari.

Moralitatis & Virtualitatis diſcrimen.

Ens Morale & Virtuale differunt, nam *Morale* dicitur, quidquid ad mores pertinet, & in ſimplex & Hypotheticum dividitur; illud eſt, quod à rei veritate, hoc autem quod ab hypotheſi pendet: & hoc in Ethicis *Virtuale* dicitur, & Sectione iſta ſpecialiter dilucidatur. Ergo *Morale*

la-

Digitized by Google

latius patet quàm *Virtuale*. Petrum gladio occidiſti, actum feciſti realem, moraliter malum, in quo nō ſe inſinuat Virtualitas.

An qui non defendit quem debebat defendere occidiſſe cenſendus ſit?

At Ioannem, quem defendere poteras & debebas, occidi permiſiſti. Ajo te Ioannem occidiſſe virtualiter, licet enim illum realiter non occideris prudentum tamen conſideratioue, & hypotheſi, ita te habuiſti, ac ſi illum realiter occidiſſes: non enim ab alio occiſus fuiſſet, ſi à te fuiſſet defenſus. Ergo illius homicidii tu fuiſti cauſa virtualis. Vt exponerem Vlpianum, qui *lib.44. ad Edictum* ſic inquit, *Non defendere videtur* (cenſendus eſt) *non tantum qui latitat, vale ſuſcipere actionem*.

Regula Iuris L. 21.

Ego in Theol. Fundamentali *num.* 182. hoc Scholion ſcripſi. [Et qui non defendit, Patrum Veterum vox, *Si proximum non defendiſti, occidiſti*.

An & quando tacere ſit loquo?

Sanè ſi eſt vera illa Iuris Canonici Regula, *Qui tacet conſentit*, hoc eſt, *Qui non contradicit, quando poteſt & debet aſſentitur*, erit vera hæc propoſitio, *Qui non tuetur, quem poteſt, & debet, occidit*.] Non quidem realiter, ſed virtualiter.

An & quando non defendere ſit occidere?

Quo ſenſu non defendere cenſetur eſſe occidere: eodem defendere Petrum & impedire ne occidatur, eſt Petro vitam dare.

Vitam dare virtualiter.

In eadem Theol. Fundam. num. 1246. ſic ſcripſi [vitam tibi dediſſe dicitur, qui mortem vitavit. Ergo & nummos tibi, qui te à dandi illos neceſſitate & obligatione liberavit.]

Sicut Ens omnia Prædicamenta permeat & tranſſcendit, ſic & Virtualitas, quam ob rem reperiuntur in rebus Dii virtuales; Subſtantiæ Virtuales, Materiæ, & formæ Virtuales, Magnitudines, & Numeri Virtuales, Qualitates Virtuales, Relationes Virtuales, Tempora Virtualia, Actiones, & Paſſiones Virtuales, Vbicationes etiam & Situationes Virtuales, & Habere Virtuale.

Prædicamenta Virtualia.

* Vel dicito, quis virtualem Divinitatem negare io rebus poterit, ſi tamen in Pſalmo legerit. *Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes?* Ergo ſupremi Principes Dii quidam ſunt, non tamen realiter, ſed virtualiter.

Dij virtuales.

Quo ſenſu Moyſi Dominus *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus*, hoc eſt ut paulo ante dixerat, *Ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum*.

Exod. 7. 2.

Moyſes Deus Pharaonis.

Exod. 4. 16.

Fuit igitur Moyſes Pharaonis Deus, nempè virtualiter; non enim revera Deus fuit; at ita ſe habuit, ac ſi Deus eſſet: fecit enim virtualiter prodigia, quæ realiter, non niſi ſolus Deus poteſt facere. Aaron erat os Moyſeos, etiam virtualiter quia per illum, ac ſi eſſet ſuum os populo loquebatur.

Confeſſarius eſt virtualiter Deus.

* Confeſſarius in Confeſſionis Sacramentali tribunali eſt Deus virtualiter, dicit enim *Ego te abſolvo à peccatis tuis*, & à peccatis abſolvere ſolius eſt Dei: unde Iudæi audientes à Chriſto remitti peccata, ſtupefacti exclamabant dicentes, *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?*

Abbas eſt virtualiter Chriſtus.

* In Monaſterio ſuo quicumque Abbas eſt Chriſtus virtualiter, non enim realiter Chriſtus eſt, ſed prudentum (Sancti Benedicti, qui Regulam tulit, & Summorum Pontificum, qui illam approbarunt, & confirmarunt) conſideratione & hypotheſi, ita ſe habet ac ſi Chriſtus eſſet. Audi Regulæ textum. *Abbas, qui præeſſe dignus eſt Monaſterio, ſemper meminiſſe debet, quod dicitur; & nomen Majoris factis implere: Chriſti enim vices agere in Monaſterio creditur, quando ipſius vocatur prænomine dicente Apoſtolo, Accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater.*

Regula cap. 2.

* Hinc patet Proregem virtualiter eſſe Regem, & Procuratorem eſſe virtualiter ſuum Principalem: illum videlicet cujus vices agit.

Prorex eſt virtualiter Rex.

* Et, ſi ſingula Prædicamenta attentis oculis conſiderare placeat reperiemus formalitates univerſas, quas Metaphyſici contemplantur realiter, ab Ethicis virtualiter conſiderari.

Sacramenta habent materias & formas virtuales.

* Omnia enim, quæ de Materiis & Formis Sacramentorum ſcitè Theologi ediſſerunt, ſunt virtualia; nam Sacramentum componitur rebus & verbis, illis ut materia, his ut forma; & tamen hæc compoſitio Entium Virtualium eſt, nam in Baptiſmo ablutio, non eſt materia realis, ita tamen ſe habet, ac ſi eſſet materia: & verba non ſunt forma realis, ita tamen ſe habent ac ſi eſſet forma.

Quantitatis virtualis.

* Dicit Ovidius, *largas Regibus eſſe manus*, at hæc ipſa largitas ſeu magnitudo, non Realis, ſed Virtualis eſt & quando Principes Celſiſſimi, & Altiſſimi denominantur. Celſitudo, & Altitudo, quæ hæc concreta conſtituunt, ſunt virtuales.

Qualitas Virtualis.

* Præterea, Honores, Dignitates &c. ſunt Qualitates virtuales, non enim realiter ſubjecto inhærent, ita tamen ſe habent, ac ſi realiter inhærerent.

Senſus Virtuales.

Regi Intellectus & Voluntas Virtualis ſunt Conſilia; Memoria Virtualis Archivum; Oculi virtuales ſunt Exploratores; Lingua & Aures virtuales ſunt Legati &c.

Filiatio Virtualis.

* Et ad alia tranſeundo, Adoptio eſt Filiatio Virtualis; qui enim à Paulo adoptatur, non eſt revera Pauli filius; prudentum tamen conſideratione & hypotheſi ita ſe habet, ac ſi eſſet Pauli filius.

Relucet præcipuè in Adoptione.

Magiſter *in 3. diſtinct.* 10. apud Ægidium Columnam *ibid. part. 3. qu. 1. art. 2. dub. 9.* ut probet Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſſe naturalem, & non adoptivum Filium Dei, ſic inquit. *Chriſtus eſt Dei filius veritate, non nuncupatione.* Sentit igitur nobiſcum Magiſter, Fi-

lium

Digitized by Google

lium adoptivum eſſe adoptantis filium nuncupatione, non verò veritate. * Etiam Tempus & Quando ſubeunt virtualitates: quoniam, qui fuit captus ab hoſtibus, ſi Romam redeat, nunquam fuiſſe captus cenſetur: illud Ergo tempus quo apud hoſtes fuit, jubetur eſſe nullum virtualiter. * Qui Reipublicæ cauſa abeſt virtualiter manet in Patria, quando ergo eſt abſens realiter, tunc à prudentibus præſens eſſe cenſetur. * Secretarius, qui coram Rege ſcribit, licet realiter ſedeat, virtualiter tamen ſtat: non enim ex privilegio ſedet, ſed quia ſcribere non poſſet, ſtando: ſurgit enim cum primum ſcriptionem abſolvit. * Interdum eſt Agere, & Agere Pati, ſi virtualiter conſideretur; quoniam injuſtus Aggreſſor, ſi occidatur ſuæ propiæ mortis eſt cauſa, reuſque adeoque mortem, quam ſubit ſibi debet imputare, non alii. Ergo ubi patitur dicitur agere: & quando ab invaſo interficitur, ſibi conſciſcere mortem cenſetur. * Tandem pro Poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere; ergo qui in creditorum fraudem aurum, quod realiter poſſidebas, donaſti alteri, illud adhuc virtualiter poſſides, & ille ipſe, qui realiter poſſidet, non poſſidet illud virtualiter. * Sic volui per omnia breviter Prædicamenta diſcurrere, ut Philomuſus videat nihil eſſe in Mundo, in quod nõ ſe inſinuet virtualitas. Habemus de hoc argumẽto Librũ integrũ, qui inſcribitur, *Metaphyſica moraliter, & virtualiter conſiderata.*

Præſentia Virtualis.

Actio & Paſſio Virtuales.

Habere virtuale.

Cum in Virtualis Entis definitione Prudentum meminiſſe libuit, hoc nomine Legislatores & Interpretes intelligere placuit, quoniam Virtualitates ab horum conſideratione dependent: nam Adoptio, ideò eſt Filiatio Virtualis, quia ſic Legiſlatoribus placuit: niſi enim leges publicæ aut privatæ (ad quas contractus reducuntur) darentur, nihil eſſet Adoptio. Et qui Petrum, quem poterat, & debebat, non defendit, ideò occidiſſe cenſetur, quia Prudentes Petrum occiſum eſſe audientes, cauſam interrogant: & ubi diſcunt, ideò periiſſe, quia defenſus non fuit; mortem ei imputant, qui potuit debuitque, & tamen noluit eum defendere.

Qui Prudentum nomine intelligantur.

Nomine Hypotheſis illud ipſum intelligo, quod *Fictionis* nomine Iuriſperiti: qui voce utuntur æquivoca, & invidiæ plena, niſi benè exponatur. Fictiones, quas vocant Legiſtæ, non ſunt Iuris mendacia, ſed Hypotheſes, dicunturque a *Fingo* ſicut enim non mentitur Figulus, cum vaſa fingit, ſic nec Legislatores cum fingunt Iuris Virtualitates. Sed de hoc uberius aptiori loco diſputabimus. Vide *Prodromum*.

Quid Hypotheſis: quid Fictio ſit?

POſui primo loco conceptum Entis nam licet in Peripatu non pateat latiùs Ens, quam Verum, Bonum, Vnumque. Ens dicitur primarius conceptus, cujus Veritas, Bonitas, & Vnitas, ſunt proprietates. At aliter à S. Dionyſio Areopagita docemur, cui Bonum latiùs patet quam Ens. Audi illum *libr. de Divin. nomin cap. 5. num. 1.* dicentem Καὶ γὰρ ἡ τἀγαθοῦ θεωνυμία τὰ, ὅλας τοῦ πάντων αἰτίου προόδοις ἐκφαίνουσα, καὶ εἰς τὰ ὄντα καὶ εἰς τὰ οὐκ ὄντα ἐκτείνεται καὶ ὑπὲρ τὰ ὄντα καὶ ὑπὲρ τὰ οὐκ ὄντα ἐστίν. Ἡ γὰρ τοῦ ὄντος εἰς πάντα τὰ ὄντα ἐκτείνεται, καὶ ὑπὲρ τὰ ὄντα ἐστίν. Corderius. *Siquidem nomen Boni de Deo declarat omnes emanationes Auctoris omnium, & porrigitur hac nominatio Dei à bono, tũ ad ea, quæ ſunt, tam ad ea quæ non ſunt; eſtque ſupra ea, quæ ſunt, & ſupra ea, quæ non ſunt, Nomen autem Entis ad omnia, quæ ſunt extenditur, ac ſupra eſſentias ipſas eminet.* Quam Sanctus Doctor opinionem à fortiori in Moralibus traderet.

An, cur, & quomodo Ens Vero, Bono, & Vno ſit prius?

An apud Theologos Bonum latiùs pateat, quàm Ens?

E*Xiſtere virtualiter illud dicitur, quod revera non exiſtit, prudentum tamen conſideratione & hypotheſi ita ſe habet, ac ſi actu exiſteret.*

Exiſtentia virtualis.

Antiquiſſima eſt hujus Virtualitatis notitia, nam *Eccleſ. 30. 4.* legitur, *Mortuus eſt Pater ejus, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe* quẽ locum in Theol. Intent. num. 487. dilucido. Pater ergo poſt mortem virtualiter vivit in filiis, qui ideò dicuntur repræſentare ſuum Patrem. [Et hic obiter illud *quaſi* conſidera. Quid importat? virtualitatem: nam ille *quaſi non mortuus* eſſe dicitur, qui eſt non mortuus virtualiter: Ergo bene loquuti ſunt Iuriſconſulti cum poſſeſſionem Realem à Virtuali diſtincturi illam *Poſſeſſionem* hanc verò *Quaſi poſſeſſionem* vocarunt: nam poſſeſſio, quæ in Realem & Virtualem contrahitur, eſſe Realis cenſetur, ſi particula *quaſi* non adſit: & eſſe Virtualis, ſi adſit.]

Pater virtualiter vivit in filio.

Quid ſit quaſi vivere?

Quid ſit quaſi poſſidere?

Niſi hanc doctrinam ſupponamus, exponere, quomodo & quando per Teſtamentum transferatur ad hæredem dominium difficillimum, aut certè impoſſibile eſt. Qui teſtamentum condidit, non transfert dominium quamdiu vivit: quando eſt mortuus, non eſt; & ſi non eſt, non operatur: & ſi non operatur, nec ſe exuit dominio, & hæredem inveſtit. Ergo ab hypotheſi Iuris (fictione) dependet Teſtamenti efficacia: niſi enim concedat Reſpublica, ut vivat poſt mortem Teſtator, nunquam transfertur dominium. At non poteſt Reſpublica concedere, ut realiter

Quomodo per Teſtamentum dominium ad hæredem transferat?

poſt

poſt mortem vivas; ergo concedit, ut vivas moraliter, & virtualiter, adeoque ut tua ultima voluntas virtualiter perſeveret hoc eſt, ut quæ revera in rerum natura non exiſtit, ita ſe habeat, ac ſi de facto exiſteret.

Privilegia ſolent eſſe perpetua.

Conceduntur interdum Privilegia: & quia decet conceſſum à Principe Beneficium eſſe perpetuum *Reg. 16. in 6.* corroborantur clauſulis, quæ conſulunt eorum æternitati. Hæc ſolet poni inter alias, *Quod privilegium non cenſeatur revocari, niſi de illo fiat mentio ſpecialis* &c. Tali verborum formula Religioſis Ordinis N. conceſſum ſit, ut ubique poſſint Fidelium confeſſiones excipere. Quid ſi craſtina die inconvenientia experiatur Apoſtolica Sedes, & omnia audiendi Confeſſiones Privilegia Regularibus conceſſa revocet? hæc generalis revocatio Ordinem N. non concernet, cujus non fit expreſſa mentio. Quid, ſi in revocatione inferatur hæc clauſula, *Non obſtantibus quibuſcumque Privilegiis, etſi talia ſint, quæ niſi fiat de illis expreſſa mentio, non poſſint revocari?* Ajo in hujuſmodi revocatione clauſulã agentem de Ordine N. reperiri & adeſſe virtualiter, adeoque illam poteſtatem audiendi ubique confeſſiones, etiam quoad Ordinem N. per hanc revocationem extingui.

De clauſulis virtualiter expreſſis.

Conditio purificatur realiter aut virtualiter.

Conditio aliquando impletur realiter, & aliquando virtualiter. Realiter, cum revera ponitur: virtualiter cum revera non ponitur, ſed à prudentibus poni cenſetur. Pono exemplum. *Lego Petro mille aureos ſi talem ſcripturam intra octiduũ Caſſiodoro tradiderit.* Si illam intra ſtatutum tempus tradat, Petrus realiter conditionem implevit. Si ille cujus intereſt, impedit ne illa tradatur, virtualiter illam implevit, & ideo eſſe impleta cenſebitur, *leg. 161. D. de reg. Iur.* Godofredus *ad leg. 1. C. de inſtit. & ſubſt.* Etiam cenſebitur impleta, ſi illam Scripturam à Petro oblatam Caſſiodorus noluerit recipere *leg. ſi ita hæres 3. D. de condit. inſtit.*

Veritas virtualis.

V*Erum virtualiter illud eſt, quod revera non eſt verum, prudentum tamen conſideratione & hypotheſi ita ſe habet, ac ſi eſſet verum.*

Virtualis veritatis vires quotidie in diſputatione experimur, ſive argumentemur, ſive argumentis reſpondeamus. *Argumentari ad hominem* dicimur, quando non ex veris, ſed ex conceſſis adverſarium obſtringimus: quæ enim ab ipſo admiſſa, tametſi non ſint vera, quantum illam attinet diſputationem, ita ſe habent ac ſi eſſent Principia per ſe nota, nam negari non poſſunt. Si reſpondeas, & *Tranſeat Antecedens* dicas, aut quod in idem recidit, *Illud condones*, non illud cenſendus es abſolutè concedere, ſed dicere. *Condono*, hoc eſt, *Iſtud antecedens eſt falſum: interim illud admitto ac ſi eſſet verum, quoniam ſive concedatur, ſive negetur, mihi obeſſe non poterit:* in hoc ergo caſu illud cenſebitur virtualiter verum. Et hic obiter nota, hoc eſſe inter *Tranſeat*, & *Concedo*, diſcrimen: nam, qui poſitionem aliquam condonavit aut tranſire permiſit, illam debet habere, ut veram in toto illo argumento, adeoque illam idem argumentatori negare non poterit: at eamdem negare liberè aliis poterit, qui poſt illum argumenta reſumant. Qui autem aliquam poſitionem conceſſit, illam toto Diſputationis tempore debet habere ut veram & ſemel conceſſam, non poterit aliis negare.

Argumentum ad hominem.

Quid Tranſeat & Concedo importent?

Poteſt aliquis realiter eſſe nocens & virtualiter innocens, & contra.

Homicidium etſi nunquam commiſſũ, ſi plenè probetur, eſt virtualiter verum, ſed quid faceret Iudex? ſi Claudium privata ſcientia eſſe innocentem ſciat, quem tamen eſſe reum probationes evincant? Iam *nu. 11.* reſpondi. Omnem adhibeat diligentiam, quam Iure illæſo poſſit, ut eum liberet. In hoc univerſi conveniunt. Quid autem, ſi nihil proficiat? Variant Authores. Interim Angelicus Doctor pronunciat illum in caſu virtualiter (civiliter) eſſe homicidam, adeoque poſſe ex Iuris rigore damnari. Tunc igitur hæc propoſitio, *Titius homicidium commiſit*, realiter loquendo falſa eſt: at eadem virtualiter (civiliter) loquendo vera eſt. Vide Theol. noſtram Regularem à *num.* 2510. ubi radicitùs hanc Quæſtionem examino.

Bonitas virtualis.

B*Onum virtualiter illud eſt, quod revera non eſt bonum, prudentum tamen conſideratione & hypotheſi, ita ſe habet ac ſi eſſet bonum.*

An Adami culpa fuerit neceſſaria? An felix? An redemptionem promeruerit?

Sabbatho Majoris hebdomadis, dum benedicit Cereum cantat noſtra Mater Eccleſia, *O certe neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem!* Ecce pernitioſiſſimum Adæ peccatum triplici bonitate inveſtitur: bonum dicitur, quia Incarnationis beneficium invexit: bonum, quia felix fuit: bonum, quia redemptionem meruit. Quo ergo modo, quo ſenſu, illa quæ bona ſunt, acenſeri unquam poterunt infinitæ malitiæ? Non intelligo. Adduntque ignorantiæ meæ tenebras nonnulla, quæ ita certa, ut in quæſtionem revocari non poſſint. Illa profectò, quæ contra mo-

Conſiderantur bona ſingula.

Digitized by Google

tes ſunt impoſſibilibus Iuriſconſulti accenſent; & meritò: vir enim probus inter indecentia & impoſſibilia reperire differentiam non debet. Si ergo, quæ contra morum honeſtatem, impoſſibilia judicantur; & peccata univerſa in morum honeſtatem impingunt: quo Adæ peccatum modo *neceſſarium* ab Eccleſia vocatur? * Peccato nihil dici, aut cogitari poteſt infelicius. In orco & pœna & culpa reperitur. Aufer ab his culpam, & relinque tormenta finis neſcia: aufer ab illis pœnam & relinque culpam: ſanè utrique infelices: verum enim verò, ſi inſtitui deberet collatio, ita adhuc illi eſſent infelices; ut hi, qui ſine culpa deberent in æternum cruciari, poſſent dici reſpectivè felices. Ergo, ſi tanta imbibitur in peccato infelicitas, quomodo illud *felix* ab Eccleſia vocatur? * Culpa etiam audit interdum *meritum*, nam in ejuſdem hebdomadis ſanctæ oratione dicimus, *Sicut in paſſione ſua Ieſus Chriſtus Dominus noſter diverſa utriſque intulit ſtipendia meritorum*. Vbi & Iudæ perditio, & Latronis confeſſio *merita* nominantur. Vnde S. Bernardus *ſerm. 81. in Cantic.* agens de libero arbitrio ſic inquit. *Omne quod feceris bonum, malum-ve, quod quidem non facere liberum ſit, meritò ad meritum reputatur: & ut meritò laudatur, non is tantùm, qui potuit facere mala, & non fecit, ſed & qui potuit non facere bona, & fecit; ita malo non caret merito, tam is qui potuit facere mala & fecit, quam qui potuit facere bona & non fecit.* Duplex eſt ergo meritum, bonum, malum: illud ineſt virtutum exercitio, hoc peccatis. Merentur igitur peccata; ſed quid? ſi gravia ſint, pœnam æternam. Quomodò igitur Adæ peccatum dicitur, talem ac tantum meruiſſe habere Redemptorem.

An & quo ſenſu eſſent felices, qui ſine culpa cruciatus æternos paterentur?

Quanta infelicitas peccati ſit?

Et vitia & virtutes merentur.

Liberi arbitrii deſcriptio.

Peccata virtualiter ſunt impoſſibilia.

Reſpondebo, & ſingula dilucidabo. Peccata realiter loquendo, nec impoſſibilia, nec neceſſaria ſunt. Et Iuriſconſulti, quando illa *impoſſibilia* dicunt, loquuntur in ſenſu virtuali tanti enim Viri probi, & prudentes morum elegantiam & puritatem faciunt, ut eorumdem judicio, quidquid turpe & inhoneſtum ſit, ita ſe habeat, ac ſi eſſet impoſſibile realiter. Et Eccleſia, quando Adæ peccatum *neceſſarium* appellat, loquitur etiam in ſenſu virtuali & hypothetico: potuit enim non eſſe; at ex ſuppoſitione, quod fuerit, ſtando potentiæ Divinæ ordinatæ (nimirum decretis jam poſitis) aliter quam perſonæ Divinæ ſatisfactione deleri non potuit. Vnde ex hypotheſi, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus Redemptoris ſit habiturus gloriam, peccatum neceſſarium fuit: quoniam ſi non fuiſſent, qui poſſent redimi, nec natus fuiſſet, qui eos redimeret. Propter peccatum homo fuit miſer, miſerabiliſque & tametſi non potuerit eſſe felix qua miſer: potuit qua miſerabilis, videri capax; cui Divina ſuccurreret Miſericordia: & hæc ipſa capacitas, quædam felicitas virtualis fuit. Vnde Ovidius, ut duplex malū imprecaretur dixit.

Ada peccatum fuit neceſſarium virtualiter & ex hypotheſi.

Siſq; miſer ſēper, nec ſis miſerabilis ulli.

Nam eſſe miſerum, nec tamen eſſe miſerabilem eſt addita miſeriæ miſeria. Miſero igitur, eſſe miſerabili eſt aliqua in miſeria felicitas. Et tandem homo, quia peccando ſe reddiderat miſerum, pœnam revera meruit: at, quia erat miſerabilis, & Dei erant delitiæ eſſe cum filiis hominum, ita ſe habuit, Deo ſic miſericorditer diſponente, ac ſi talem, ac tantum habere Redemptorem mereret. Ergo etiam hoc meritum virtuale eſt.

Eſt quædam felicitas miſero ſi cui ſit miſerabilis.

An peccata mereantur veniam?

VNum virtualiter illud dicitur, quod revera non eſt unum, prudentum tamen conſideratione & hypotheſi ita ſe habet, ac ſi eſſet unum.

Vnitas virtualis.

Quærit Diana 1. *part. tract. 7. reſol. 40.* An teſtis qui in eodem examine interrogatur de diverſis articulis, & mentitur in ſingulis, unicum vel plura committat peccata? & *reſol. 41.* Quid dicendum ſit de Sacerdote, qui in peccato mortali multis miniſtrat Euchariſtiam? & *reſol. 43.* Quid de illo, qui indignè multorum confeſſiones excipit? & *reſol. 51.* quid de illo qui unico impetu plures blaſphemias evomit? Reſpondet per ejuſmodi actus, ſi ſucceſſivè fiant, non multiplicari peccata. Vnde ſi quis unico impetu impulſus (puta in eodem duello) ter inimicum vulneret non tria, ſed unicum commiſiſſe peccatum. Ita Azorius *tom. 1. lib. 4. cap. 4. qu. 5.* Suarez *de cenſur. diſp. 5. ſect. 3. num. 8.* Sayrus *lib. 2. cap. 10. nu. 9.* Vgolinus *tab. 1. cap. 16. §. 3.* & alii.

Multæ actiones phyſicæ realiter diſtinctæ poſſunt & ſolent eſſe una virtualiter.

Ex hac doctrina evidenter colligitur actiones, quæ ſunt realiter, & phyſicè plures, moraliter, & virtualiter identificari: nam tria vulnera, non niſi tribus ictibus infliguntur, & tamen ſunt unum ſimplex peccatum. Vide noſtram Theol. Fundam. à *nu. 732.*

SECTIO II.

An aliquibus Terminis Tranſcendentales opponantur? Et quinam illi ſint?

RAtio aſſerendi eſt: quoniam Ens, & Non-Ens; Res & Non-Res; Verum & Non-verum, ſeu Falſum; Bonum

Fundamentum Aſſerentis Sententiæ.

&

& Non-bonum, ſeu Malum; Aliquid, & Nihil; Vnum, & Non-Vnum, ſeu Multa opponuntur.

Fundamentum Oppoſita.

Ratio negandi eſt; quoniam prædicatum Tranſcendens illud dicitur, quod de omnibus verificatur: Ergo Ens de Non-ente, Res de Non-re, Verũ de Falſo, Bonum de Malo, Aliquid de Nihilo, Vnũ de Multis prædicatur & verificatur.

Reſolutio. De Nihilo ſimpliciter, & Nihilo ſecundum quid.

Reſpondeo *Ens* & *Nihil* contradictoriè opponi, non aliter ac *Aliquis* & *Nullus*, quoniam *Ens* dicitur, quod in aliquo genere habet eſse, & *Nihil* quod in nullo. Multa ſunt, quæ dicuntur *Non-entia ſecundum quid* hoc eſt in aliquo genere, & hæc non poſsunt dici *Nihil*. Porrò omne *Ens* eſt Verum, Bonum, Aliquid, Vnum. Non dantur multa Nihila, ſed ſi daretur unicum eſset *Nihil* & hoc nec eſset Ens, nec Res, nec verum, nec Bonum, nec Aliquid & tamen eſset Vnum. Profectò ſi eſset Vnum, haberet Vnitatem, ergo & Entitatem, Veritatem, & Bonitatem. Ergo *Nihil* eſt res, quæ repugnat: hoc eſt repugnat dari *Nihil*. Video. Non poſsumus loqui de *Nihilo*, niſi intexendo voces contradictorias. An-ne qui de *Nihil* bene loqui non poſsumus, ut minimum quid *Nihil* ſit concipere mente poterimus? Reſpondeo liberè. Homo finita cognoſcere adſuetus, duas voces labia proferre, quas intelligere mente non poteſt. Illæ ſunt *Infinitum* & *Nihil*. Et exiſtimo, ſicut priorem, ſic & poſteriorem nunquam in hac vita perfectè intellecturum eſſe.

An, ſicut dantur multa Entia, dantur, aut dari poſſint multa nihila?

An habeamus voces, quibus bene loquamur de Nihilo?

An, & cur Creatura non ſint Entia ſimpliciter?

Creaturæ univerſæ ſunt Entia ſecundũ quid, nam ex Ente & non Ente compoſitæ, & ideò ſecundum diverſas conſiderationes ſunt ſimul Veræ & Falſę, Bonę & Malæ, Vnum & Multa, Aliquid & Nihil: & quia hæc non ſunt ſecundum idem, nullam contradictionem importat. Sanè *Ternarius* numerus eſt, qui tres unitates habet, & quartam non habet. Ipſe quatres habet, eſt Ens, eſt Verum, eſt Bonũ, eſt Aliquid: eſt Multa materialiter, & Vnum formaliter: qua verò quartam Vnitatem non habet, neque eſt Ens, neq; Verus, neq; Bonus, neq; Vnus.

Hinc patet, quid debeamus ad dubitandi rationes reſpondere.

Nihil Virtuale.

Nihil Virtualiter illud eſt, quod reverà eſt aliquid; prudentum tamen conſideratione & hypotheſi, ita ſe habet, ac ſi eſſet Nihil.

Quæ realiter ſunt aliquid, aliquando in ſenſu virtuali ſunt nihil.

Solet *nullum* dici, id quod virtualiter nihil eſt. Hinc *nulla aditio*, quæ ita ſe habet, ac ſi nihil eſſet: quæ nullas vires habet. *leg.* 51. §. *ult.* D. *de adquir. rer. dom.* Hinc etiam *nulla ſententia* ita ſe habet ac ſi nihil eſſet. Decem cauſas Nullitatis copioſè ediſſerit ſpeculator, 2. *part. de ſentent.* §. 8. quarum præcipuæ duæ ſunt, (1) ſi lata contra leges aut canones ſit, C. 1. *de re judic.* (2) ſi ab alio lata, quam à vero & legitimo Iudice *C. ſi de re judic. lib.* 6. Io. Bello *Etymol.* Illud Ciceronis 3. *Philipp.* videlicet, *Nullo numero homo*: ſignificat hominem, qui nihil eſt.

Homo, qui nullo numero.

Quâ phraſi uſus eſt Apoſtolus dicens, *Si linguis hominum loquar & Angelorum.* &c. *ſi* &c. *charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Nempe virtualiter, ita enim me habebo, ac ſi eſſem nihil. Nec multũ hinc abeſt alia apud Latinos phraſis, videlicet. *Numerus, non miles.* Et talis dicitur, qui cæteris numerum, non fortitudinem aut vires auget.

Numerus non miles.

In Iure, parum pro nihilo reputatur. Quod firmat Paulus *libr.* 35. *ad Edict.* dicens. *Quidquid fervore iracundiæ, vel fit, vel dicitur, non priùs ratum eſt, quàm ſi per perſeverantiam apparuit judicium animi fuiſſe. Ideoque brevi reverſa uxor, nec divertiſſe videtur.* Vide noſtrã Theol. Fundam. *num.* 796. 1142. 1178.

Ex titul. de diuort.

Quod parum eſt, virtualiter cenſetur nihil.

Tempora à legibus determinata, de momento ad momentum computari debere eſſet Ethicen in Matheſin convertere. Ergo, ſi petas, An-ne ſolennis profeſſio ante annum ætatis ſextumdecimũ, aut nondum anno tyrocinii expleto, emiſſa, ſit valida? Reſpondent omnes, defectum magnum eam invalidam reddere, non verò parvum; quia parum pro nihilo reputatur. Sed hinc alia naſcitur quæſtio, quæ inquirit, *Quantum-ne illud tempus eſt, quod parvum judicabitur? Vbi agitur an valeat actus?* ſtrictiùs omnes diſcurrunt, quam ubi quæritur, An liceat? Salmanticæ cujuſdam profeſſionem fuiſſe declaratam invalidam ob ſex horarum in ætate defectum Villalobus *in ſumm. tom.* 2. *tract.* 35. *diff.* 20. *num.* 4. teſtatur. Ordines ante tempus valide ſed illicitè conferuntur, eum, qui veſpere ætatem complet, poſſe mane eodem die Sacrum Ordinem ſuſcipere docuit Ledeſma: multique unius diei defectum parvam materiam judicarunt. Ad duos dies parvam hanc materiam Villalobus *tom.* 1. *tract.* 11. *dub.* 11. *num.* 2. extendit. Et eſt valde rationabilis hæc ſententia; nam, qui incapax eſt, ut hæres eſſe poſſit, ſi intra diem capax fieri potuerit, hæres denominari poteſt teſte Vlpiano, qui ait, *Cum quo teſtamenti factio non eſt, ſiquidem mortis teſtatoris tempore, vel intra diem cretionis Civis Romanus ſit, hæres eſſe poteſt.* Ita ille *titul.* 22. apud Cujacium *tom.* 1.

An in Ætate aut anno novitiatus detur materia parva aut etiam nulla?

Quantum tempus cenſeatur parvum: adeoq; Virtualiter nihil?

An unus dies cenſeatur nihil?

An unus dies cenſeatur longum tempus?

An tempora in legibus moraliter, an verò mathematicè ſint computanda, & quid parvi temporis nomine in multis caſibus debeat intelligi, noſtra Fundamentalis Theologia à *num.* 397. uberius & exactiùs examinat. Hic interim notari volo in antiquis apud Neapolitanos Inſtrumētis, ut transferatur per donationem aut venditionem dominium, abſolutè requiri Donatorem aut Venditorem, rem quā donat aut vendit, ante celebrationem contractûs per 24. horas pacificè poſſediſſe. Quod expreſsè legitur in Inſtrumento, quo Satrianenſi Epiſcopo Caſtellarii dominium anno Domini 1011. Comes Satrianenſis donavit.

Non eſſe virtualiter.

NON *exiſtere virtualiter illud dicitur, quod reverà exiſtit prudentum tamen conſideratione & hypotheſi ita ſe habet, ac ſi non exiſteret.*

Profeſſio ſolemnis eſt mors virtualis.

Hinc Religioſi mori dicuntur virtualiter, & quâ horâ ſolennem profeſſionem emittunt, ita ſe habent ac ſi realiter morerentur: quam ob rem ipſi ante profeſſionem teſtamentum condere permittuntur; & dignitates & beneficia, ſi qua habebant, ſtatim vacant, ac ſi eſſent corporaliter mortui.

Qui in ſtatua decapitatur, virtualiter occiditur.

Qui in ſtatua ultimo ſupplicio punitur virtualiter à carnifice occiditur, & ita ſe habet, ac ſi realiter eſſet mortuus: vacant officia, ſi qua habet: & bona, ſi non publicentur ad hæredem proximum devolvuntur.

Conditiones interdum habentur pro non poſitis.

Stando Iure naturæ, quæcumque poſita in contractu conditio, ut verè poſita cenſenda eſt: quam ob rem hæc donandi formula, *ſi Cælum digito tetigeris, dono* &c. poſtulat ut ſtetur conditioni, nec donatio ſit valida, quouſque purificetur conditio. At Legiſlatores contractuum authoritati, & morum elegantiæ conſulentes, decreverunt aliquas conditiones, & ſi reverà poſitæ, pro non poſitis cenſendas eſſe. Audi Pratejum. [Conditiones contra Edicta Imperatorum, aut contra leges, vel contra ea, quæ legis vicem obtinent, ſcriptæ; Item conditiones deriſoriæ, vel quæ contra bonos mores ſunt, aut ejuſmodi, quas Prætores improbaverunt, pro non ſcriptis habentur *leg. conditiones de condit. Inſtitut.* Paulus *lib. 3. ſentent. tit. 4.* Contra bonos mores: veluti ſi ab hoſtibus Patrem ſuum non redemerit. Et, ſi Parentibus ſuis, Patronis ve alimenta non præſtiterit *leg. conditiones quæ D. de cond. inſtitut.*] Ergo in caſibus, in quibus diſpoſuere leges, hujuſmodi conditiones non fuiſſe poſitæ cenſendæ ſunt; ſunt enim poſitæ realiter, & tamen non

Et quanam conditiones ha ſunt?

ſunt poſitæ virtualiter: adeoque ita ſe habent, ac ſi realiter non eſſent poſitæ. Vide noſtram Theologiam Fundam. à *num.* 875.

Omnia, quæ non ſunt ad rem, etiam non poſita, aut ſcripta cenſentur.

Illa, quæ ſive adſint, ſive abſint, non mutant judicium, nec prudentis hominis reſolutionem, etſi fortè exiſtant, cenſentur non eſſe virtualiter. Vnde, cum multæ humanæ leges mitius puniant fœminarum peccata, ſexus eſt circumſtantia civiliter conſideranda. Cum autem apud Deum eodem modo maſculus & fœmina judicetur, hæc circumſtantia & differentia in Tribunali Divino non exiſtit virtualiter, hoc eſt, ita ſe habet, ac ſi in rerum natura non eſſet, ut monet Paulus Galatas *cap.* 3. Hinc S. Thomas *in 3. par. qu. 70. ar. 2.* his verbis quartum argumentum efformat: in quo ait. *Carnalis circumciſio debet reſpondere ſpirituali, ſicut figura figurato. Sed ſpiritualis circumciſio, quæ fit per Chriſtum, indifferenter convenit utrique ſexui.* Sed cur? An quia tam maſculus, quàm fœmina ſunt in Chriſto? Non dat hanc rationem Apoſtolus, Non hanc Doctor Angelicus. Sed quam? *Quia in Chriſto Ieſu non eſt maſculus, & fœmina.* At ſunt realiter: ergo non ſunt virtualiter.

An circumſtantia maſculi & fœminæ in homicidio, furto, aut mendacio conſideranda ſit?

Incriminatur Perſonarum acceptio.

Hinc lux Sanctiſſimo Patri noſtro Benedicto, qui *in Reg. cap. 2.* ſic ait. *Non ab eo (*Abbate*) perſona in monaſterio diſcernatur. Non unus plus ametur, quàm alius: niſi quem in bonis actibus, aut obedientia invenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex ſervitio convertenti, niſi alia rationabilis cauſa exiſtat* &c. *quia ſive ſervus, ſive liber, omnes in Chriſto unum ſumus. & ſub uno Domino æqualem ſervitutis militiam bajulamus: quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum &c.* Ergo *æqualis ſit ab eo omnibus charitas, una præbeatur in omnibus ſecundum merita diſciplina. &c.* Conſonat ſibi *cap.* 63. inquit enim. *Ætas non decernatur in Ordine, nec præjudicet: quia Samuel & Daniel pueri Presbyteros judicaverunt.* Ergo in bene gubernato monaſterio inter obſervantem & relaxatum Monachum, ſummam debet differentiam invenire ſuperior: at inter nobilem & ignobilem, ſenem & juvenem, niſi fortè in morbum ſenectus tranſierit, ſi quod diſcrimen ſit, virtualiter debet non eſſe, adeoque in Prelati conſiderationem non venire.

Servitutis circumſtantia aliquando ſub conſiderationem non cadit.

Nullitas Virtualis.

NVllus *virtualiter ille eſt qui reverà eſt aliquis, prudentum tamen conſideratione & hypotheſi, ita ſe habet, ac ſi nullus eſſet.*

Non eſt idem Petrum eſſe *nullum*, ac ni-

Differentia inter Nullum ac nihil.

nihil, ſicut nec eſt idem illum eſſe *aliquem* ac *aliquid*, nam ſi res benè conſideretur, plus negat *nihil*, quàm *nullus*, & minus aſſerit *aliquid*, quàm *aliquis*.

Servus eſt aliquid nec tamen aliquis olim dicebatur Corpus & cur?

Omnis ſervus, ut rem exemplo manifeſto dilucidem, eſt realiter & moraliter *aliquid*. Quia tamen illos non concipiebant ut homines vocabant *Corpora* antiquiores Romani, ita ex Moſchione Atheneus *lib. 5. cap.* 8. Epiphanius *in adnot. ad lib. cui titulus* ἀγχώρωτος, & Majoragius *lib. 1. Miſcel. cap. 12. circa fin.* Quam ob rem cum omnia jus civile ad tres Claſſes, videlicet, vel ad Perſonas, vel ad Res, vel ad Actiones reducat, ſtat ſervos ad ſecundam venire. Vide *Theol. Fundam. nu.* 855. 816. 1161. Spurii civiliter ſunt nulli, & hoc eſt ne pœna, an pœnalitas? *ibid. num.* 1066. infames in ordine ad promotiones etiam ſunt nulli *ibid. nu.* 853. Conſilium unius Conſilium nullius. Vnus teſtis, nullus teſtis &c. *ibid. nu.* 1103. Parva diſtantia nulla diſtantia *ibid. nu.* 1142. An Monachi nulli ſunt? Aſſerit Bartolus *leg. 1. D. de ſtipul. ſerv.* alii negant.

Spurius Teſtis.

Infamis non poteſt peri Religioſus, nec ad Ordines promoveri.

Cur ſervi ſint nulli.

Eſt autem omnis ſervus *nullus* etiam jure Prætorio, & ideò ne quidem extra ordinem computantur. *leg. nullo modo 7. ad leg. Cornel. de falſ.* Sed hoc habent tantum virtualiter: quia realiter aliqui ſunt. Cenſetur autem *nullus*, qui eo genere, quo *nullus* dicitur, non eſt *Civilis perſona*. Et ille non eſſe *Civilis perſona* cenſetur, cui non licet facere, quæ perſonæ civiliter faciunt, ſed quia ſunt duo actionum genera, aliæ enim ad jus, aliæ ad factum ſpectant: ſervus tametſi nullus ſit, quoad illas, quoad his *aliquis* & *perſona*. Delinquere non eſt actio juris, ſed actio facti, hanc ob rem ſervus, qui delinquit, ut perſona delinquit, ut perſona punitur æquè, ac quicumque alius *leg. deniq; Pomponius. D. ne quis eum leg qui hæredi* 44. *D. de cond. & dem. leg. nec ſervus* 41. *de pecul.*

Quando ſervi ſint aliqui. An poſſint peccare & puniri?

Falſitas Virtualis.

F*alſum virtualiter illud eſt, quod revera non eſt falſum, prudentum tamen conſideratione & hypotheſi ita ſe habet, ac ſi eſſet falſum.*

Scite *libello de præcept. & diſpenſ.* inquit S. Bernardus, *Quod probari non poteſt, mihi infectum eſt*, quoniam hæc propoſitio, *Abbas intruſus eſt* (de hac enim Monachi Carnotenſes, qui Mellifluum Doctorem conſuluerunt, agebant) ut ut realiter vera ſit, aut non; ſi probari non poſſit, eſſe virtualiter falſa cenſenda eſt. Hinc patet Iudicem, qui notitia privata ſciat Petrum commiſiſſe homicidium: ſi tamen ille ſe ſufficienter purget, & contra illum nihil ſufficienter probetur, debere ſedere pro tribunali, illumque judicare innocentem. Ergo in tali caſu hæc aſſertio, *Homicidium commiſit*, erit vera realiter, falſa verò civiliter & virtualiter.

Quæ probari non poſſunt cenſentur civiliter non accidiſſe.

Malitia Virtualis.

M*alum virtualiter illud eſt, quod revera non eſt malum prudentum tamen conſideratione & hypotheſi, ita ſe habet ac ſi malum eſt.*

Scandalum duplex eſt: datum receptumque. Dat ſcandalum qui actionem malam dicit, aptam proximum ſcandalizare, ut ſi alicui, ut peccatum admittat, perſuadeat. Recipis ſcandalum, cum abuteris Superioris clementia, & ideò peccas, quia ille eſt injurias condonare paratus. Actio, quæ dat ſcandalum, eſt formaliter mala: actio unde aliquis ſumit ſcandalum eſt formaliter bona, mala autem ſecundum dici. Interim aliquando debemus à tali actione ceſſare, & tunc per accidens erit mala virtualiter; ita enim ſe habebit, ac ſi eſſet mala. Aliud clarius exemplum ſubjiciamus.

Quid ſit Scandalum & quotuplex?

Quid Fidejuſſio ſit?

Fideiuſſio eſt alienæ obligationis in ſe ſuſceptio, qua quis ſe obligat ad eam implendam ſi debitor principalis non ſoluerit Gomezius *tom. 2. cap. 13. num. 11.* Leſſius *de juſt. & jur. libr. 2. cap. 28. dub. 1. num. 1.* Vnde ſi Petrus mille aureos mutuos à Franciſco recipiat, Petrus eſt, qui realiter pecuniam recipit. Petrus qui vi mutui revera illam tenetur ſolvere. Si tamen Ioannes pro Petro fidejubeat, erit virtualis debitor; ita enim ſe habebit, ac ſi ipſemet recepiſſet pecuniam, ita ac ſi mutui contractu ipſemet revera obſtringeretur. Fidejuſſor in cauſa criminali virtualiter reus eſt: & ſi amicus pro quo fidejuſſit, erat homicida, cenſetur ille homicidium commiſiſſe virtualiter: ita enim ſe habet, ac ſi illum commiſiſſet realiter. Ergo, qui revera eſt innocens, virtualiter improbus eſt. Si quæras tamen, *An in cauſa criminali admitti poſſit fidejuſſor?* Reſpondet Leſſius *de Iuſt. & Iure lib. 2. cap. 28. dubit. 7. nu* 41. ex Iulio Claro *libr. 5. ſentent. qu.* 46 *num.* 18. Et communi opinione Doctorum poſſe amicum pro amico fidejubere quoad pœnam pecuniariam, ſi ad talem pœnam reus condemnaretur, non autem quoad pœnam capitis, aut mutilationis, quia nemo eſt vitæ, aut membrorũ ſuorũ dominus. Hæc exceptio non habebat locum apud Ethnicos, qui concedebãt homini in ſe ipſum mortis & vitæ poteſtatem: ſed Ethnicos condemnat Decalogus, qui lege quintâ homicidia interdicit. Cæterum ſi diſpenſaret Deus, etiam quoad pœnam capitis fidejuſſio eſſet valida. Hinc patet, quomodo Dominus noſter Ieſus Chri-

Fidejuſſor eſt virtualiter debitor.

An in criminibus ſit fidejuſſio?

An homo ſit ſuæ vitæ Dominus?

Chriſtus in cauſa criminali & capitali pro genere Humano, quod non erat ſatisfaciendo, fidejuſſerit: nam Deus eſt vitæ & mortis Dominus, & Chriſtus ut moreretus pro omnibus, non ſolùm habuit licentiam, ſed & in communi Doctorum opinione præceptum. Vide tamen Theolog. Fundam. à *num.* 291. Hinc intelligi debet Apoſtolus, qui *Galatis* 3. 13. ſic ſcribit. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Anne maledictum, aut maledictus eſſe potuit, qui eſt infinitè benedictus? Attende, Peccavit homo, & ſe peccando reddidit maledictum. At non erat ſatisfaciendo: & Chriſtus pro illo fidejuſſit: & deſperatam ejus cauſam in ſe tranſtulit. Ergo fidejuſſionis vi fuit peccator virtualiter, nam qui erat reverà innocentiſſimus ita ſe habere voluit, ac ſi ſons eſſet: unde, qui erat reverà benedictus, ita ſe habere voluit, ac ſi eſſet maledictus. Et ad hanc fidejuſsionem reſpicit in Cerei benedictione Eccleſia, dum perſonat Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum, *qui pro nobis æterno Patri Adæ debitum ſolvit; & veteris piaculi cautionem pio cruore detersit.*

Chriſtus in Cauſa capitali fuit fidejuſſor. An habuerit licentiam an præceptum?

Chriſtus fuit maledictum virtualiter.

Pluralitas virtualis.

M*Vlta virtualiter dicuntur illa, quæ reverà non ſunt unum, prudentum tamen conſideratione & hypotheſi, ita ſe habent ac ſi eſſent multa.*

Etſi objecta ſint multa, ſi tamen unus actus voluntatis ſit Suarez & Megala apud Dianam *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 57. eſſe unicum peccatum pronunciant: unde aſſerunt eum, qui unico voluntatis impetu voluit aut multos occidere, aut pluries mulierem cognoſcere, aut pluries furari, aut pluries mentiri; aut pluries Miſſam vel Officium Divinum omittere, unicum commiſiſſe peccatum. Ratio eſt, quia ſicut duæ formæ reales diſtinctæ puro numero eidem numero ſubjecto inhærere non poſſunt, ſic ſimiliter, nec plures formæ Morales. Et per conſequens, nec plures malitiæ. Stando huic doctrinæ, quæ probabilis eſt, & in Phyſicis ab Angelico Doctore defenditur & in Ethicis à Thomiſtis deberet, ille actus erit unicus realiter & moraliter. Verùm enim verò, ſi Scoto ſubſcribere placeat, & aſſerere plures formas reales accidentarias poſſe uni & eidem numero inhærere ſubjecto, de formis moralibus analogicè philoſophabimur, dicemuſque actum illum voluntatis, quo quis voluit decem occidere, eſſe quidem unicum realiter; at verò eſſe decem actus virtualiter, quoniam tametſi realiter unicus ſit, quia ad decem objecta terminatur, & decem concernit injurias, prudentum judicio & hypotheſi ita ſe habet ac ſi eſſet decem. Vide noſtram Theol. Fundam. à *num.* 730.

De actu voluntatis, qui plura objecta malè reſpicit, An ne unicam An vero plures malitias habeat?

Hæc Angelici Doctoris ſententia, quãdo objecta puro ſunt numero diſtincta, locum habet: ſi enim diſtinguantur ſpecie (puta ſi quis unico actu voluerit ſolutam conjugatam & monialem cognoſcere) malitiæ multiplicantur: nam in utraque Schola ſubjectum poteſt ſimul habere plures formas accidentales diſtinctas ſpecie.

Quid ſi Objecta diſtinguantur ſpecie?

ARTICVLVS III.

De Vnivocis, Aequivocis, & Analogis. *Quid ſit Abſtractio? An fiat per intellectum? An dentur res abſtractæ realiter? An in Vnivocatione reperiatur Abſtractio? An, & quomodo Vnivocatio ab Aequivocatione, & Analogia diſtinguatur? Adduntur aliqua de Synonymis & Denominativis.*

De Vniverſalitate expreſſiva, quæ in expreſſione connotati fundatur.

QVI aſſerunt Vniverſalitatem in ſolo communi connotato conſiſtere, contradictoria implicare videntur, & omnem Vnivocationem & Analogiam tollere, & Æquivocationem ſolam admittere.

Probo illud prius. Nam, ſi Petrus, Paulus, & Franciſcus in ſolo connotato conveniunt, quoad intrinſecam entitatem totaliter different inter ſe. At, ſi in connotato conveniunt, non different totaliter inter ſe. Ergo *different*, & *non different*. Contradictoria igitur, ut dicebamus, implicantur. Probatur minor. Nam ſi conveniunt in connotato, quia univerſi homines

An implicet contradictionem?

nes actus intelligendi eliciunt, etiam convenient in intelligendi potentiâ, quæ eſt intrinſeca; omnes enim intelligere, poſſunt. Ergo repugnat, quòd aliqui extrinſecùs in operatione conveniant, & tamen non conveniant intrinſecùs in virtute & potentiâ operandi.

Qui in operatione, etiam in operandi potentia conveniunt.

Probo illud poſterius. Si enim ſemel intrinſeca convenientia negetur, omnes res exiſtentes ſe totis different. Erunt ergo æquivocæ.

An omnes res diſtinguantur ſe totis?

Præterea, Anima Chriſti, aut æquè differt à meâ ac ab Animâ Leonis, vel minùs differt à meâ quàm à Leoninâ. Si primum: ergo tam verum eſt dicere, quòd humanam naturam Verbum Divinum adſumpſerit, quàm quod Leoninam. Hoc autem eſt hæreticum. Ergo debet dici ſecundum. Ergo, ſi minùs illa à mea differt, quàm à Leoninâ, habebit Chriſti Anima aliquid in quo cum meâ & Leoninâ conveniat; aliquid, in quo cum meâ conveniat, & à Leoninâ differat: & tandem aliquid, in quo differat ab utrâque. Ergo potero in eâdem Chriſti animâ has tres formalitates diſtinguere. Et hæc activa diſtinctio nominatur *Abſtractio*, ſeu *Præciſio*. Sed quo illas formalitates modo abſtraham aut præcidam? Iam expono.

An unus homo æquè ab alio differat, quàm à Leone, vel ligno.

Dantur in homine variæ formalitates.

SECTIO I.

De Præciſione ſeu Abſtractione objectivâ.

Quid ſit Abſtractio?

NON poterimus de Vnivocis, Æquivocis & Analogis agere ſine Abſtractionis notitiâ: & hanc ob rem debebimus præmittere, ut dicenda meliùs intelligantur.

N.B. Quid præciſio vocalis ſit?

Dantur præciſiones vocales, quas ſi ſemel bene percallere velimus, non poterimus intellectuales ignorare. Sanè aliud eſt *unam rem dicere, & aliam tacere* (hoc eſt, *non dicere*) & aliud toto cœlo diverſum, *unam dicere, & aliam negare*. Petrus eſt vivens, ſenſibilis, & rationalis; & hoc eſſe verum ſcio, quia percipio, quòd vivat, ſentiat, & diſcurrat. Quid vetat autem, ut ego non totum hoc dicam, ſed aliquid non dicam, vel taceam? Dico, *Petrus eſt vivens*; linguâ ergo expreſſi vitam; ſenſum autem rationemque ſilui ſeu non dixi. Ergo linguâ vitalitatem à ſenſibilitate & rationalitate præcidi, ſeu abſtraxi.

An lingua poſſim unam formalitatem præſcindere ab alia?

Linguæ & mentis collatio.

Quod in linguâ eſt *tacere*, eſt in mente *non concipere*, *non intelligere*. Nam ſicut lingua poteſt unam rem dicere non dictâ aliâ, ſic ſimiliter mens poterit unam formalitatem concipere non conceptâ aliâ. Quam ob rem, ſicut abſtrahit & præſcindit vocaliter, qui unam rem dicit, & tacet aliam, nam hoc ipſo dictam à non dictâ diſtinguit: ſic etiam abſtrahit & præſcindit mentaliter, qui unam formalitatem concipit & non concipit aliam, nam hoc ipſo conceptam à non conceptâ ſeparat & diſtinguit.

Præſcindere mente quid ſit?

Per abſtractionem mentalem fiunt in Peripatu Vniverſalia: nam quando ego conſidero Petrum, Paulum, & Franciſcũ tres eſſe homines inter ſe differentes, non fallor, non decipior; ſunt enim tres homines, non unus homo. Poſtea cùm video omnes tres ratiocinari, conſidero virtutẽ ratiocinandi omnibus tribus communem, quæ à differentiis præciſa eſt una in omnibus, & eſt Vniverſalis. Et, ſi ſumatur in concreto, ut ſit *Habens virtutem ratiocinandi*, vel uno verbo *Homo*, erit Vniverſale, quod poſſit de ſingulis hominibus dici.

Quomodo fiant Vniverſalia?

SECTIO II.

An dentur Præciſiones reales? An Vniverſalia ſint à parte rei? An à rebus, quæ habent ordinem realem, hunc ipſum ordinem realiter auferre poſſimus?

An dentur Vniverſalia à parte rei ante operationem intellectus?

QVæſtio, quæ inquirit, *An dentur Vniverſalia à parte rei?* erat olim difficilis, & à paucis tractata. Realia hæc Vniverſalia à multis impugnari videmus: at ſinguli eò Platonem propellunt, quò magis eorum ictibus pateat: cùm tamen Vir doctiſſimus fuerit, & ſic exponi debeat, ut dixerit, quæ poſſint ingenioſè defendi. Nos controverſiam hanc in Metalogicâ ad ſummam reduximus facilitatem, Materiale Syſtema ad Platonis mentem dilucidando. At eadem in hac Morali Logicâ promovebimus: multa enim Philoſophia Virtualis poteſt, in quibus Realis hæret, ut vel hinc aſſerendum ſit, *Iuriſprudentiam eſſe Phyſica potentiorem*, & quid, ſi addiderim, *& nobiliorem*? Ergo conſidera lineas ſequentes.

An nobilior Phyſica Iuriſprudentia ſit.

An detur potentia ad præteritum?

DE Potentia ad præteritum ſcribunt mirabilia Doctores: omneſque repugnare illam aſſerunt, tanta univerſalitate, ut Hieronymus dixerit, *Deum, licèt omnia poſſit, Virginem poſt ruinam reparare non poſſe*. Sanè Cauſas Phyſicas nõ habere potentiam ad præteritum indubitatum eſt. Quid de Deo dicendum ſit, alibi expendo, & præſentem controverſiam non tangit. At Iuriſprudentia frequentiſſimè in tempora tranſacta ſe inſinuat; & jubet, ut quæ reverà fuerunt, vir-

An illam habeat Deus?

An Iuriſprudentia?

Digitized by Google

virtualiter non fuerint, hoc eſt, ita ſe habeant, ac ſi nunquam fuerint in rerum naturâ: & ſimili animoſitate præcipir, ut quæ reverà non fuerunt, virtualiter fuerint; hoc eſt, ita ſe habeant, ac ſi fuiſſent de facto. Poſſem ſanè diffundi: ſed infinuabo breviter, quæ in Philoſophia uberiori calamo dilucidabo? Petrus exempli gratiâ eſt filius Ioannis, non Ambroſii. At Petrum Ambroſius adoptat. Quid reſultabit inde? ut Petrus virtualiter non ſit filius Ioannis, & virtualiter ſit filius Ambroſii. Ergo Ioannes Petrum non genuit, Ambroſius genuit. Et hîc parcant Iuriſperiti, qui *fictionem Iuris* hanc vocant, nam ubi doctiſſimè ſentiunt, loquuntur male; Virtualitates enim non ſunt fictiones, ſed hypotheſes, quæ prudentum judicio ſubſiſtunt. Addo aliud exemplum. Moritur Arſenius die Dominicâ: & in ſuo teſtamento Petronium hæredem denominat. Dubitat hic an acceptare hæreditatem debeat? Die Iovis ſumit reſolutionem. Ergo tribus diebus (Lunæ, Martis, & Mercurii) non fuit hæres: non enim antequam acceptet, eſt hæres. Acceptat tandem Iovis die. Et quid habebit? ut à momento mortis (adeoque Lunæ, Martis, & Mercurii die) fuerit hæres. Poſſem centena exempla addere, ſed hæc propoſuiſſe ſufficiat.

De filio adoptivo.

Fictio Iuris Hypotheſis vocari debet.

De hærede.

DE Obedientiali potentiâ multa ſcribunt Theologi, quæ lima indigent. Multi latiſſimè illam extendunt, & hanc Concluſionem ſtatuunt, *Poteſt Deus ex quolibet facere quodlibet*. An-ne & hanc chartam convertere in diem cinerum? Minimè. Non ergo *ex quolibet quodlibet* tantâ univerſalitate. At hæc, aut etiam majora poteſt Ethica: Nam inveterata meretrix, ſi ad confeſſionem Sacramentalem veniat, cùm peccatorum ſuorum numerum explicare non poſſit, jubetur exponere tempus, quo in illo ſtatu manſit. Ergo in caſu tempus virtualiter eſt numerus: & explicando tempus, prudentis Confeſſarii judicio ita ſe habet, ac ſi numerum ipſum expoſuiſſet.

Potentia obedientialis.

An prædicamenta tranſcendentiales poſſint?

HÆC & alia ſimilia cogitanti, non videbitur mirum, ſi quæ realiter non diſtinguunt, moraliter diſtinguant: & contrà. Eadem actio phyſica ſolet eſſe virtualiter plures: & plures eſſe una virtualiter. Titium Cajus pugione confôdit: Septem illum occîdit ictibus. Hi phyſicè & realiter conſiderati ſunt ſeptem actiones. At ipſi moraliter & virtualiter ſumpti, ſunt unica actio, unicum peccatum, unicum homicidium. Petrus Sacerdotem interimit; pone, uno ictu. At hæc actio quæ realiter eſt unica, virtualiter eſt duplex; nam eſt Homicidium & Sacrilegium: peccata toto cœlo diſtincta.

Unus actus realis eſt multiplex moraliter, & contra.

RES aliena latiſſimè patet; nam vel eſt terra, vel fluvius, vel domus, vel arbores, vel animalia, vel homines, vel pecunia, vel aliquid ſimile. Eſto genera à ſuis differentiis & ſpeciebus in Metaphyſicâ ratione ratiocinatâ diſtinguantur, aliter diſtinguuntur in Ethicâ: nam Injuſtitiæ, ſeu Furti ratio rem alienam afficit, pretium metitur, at verò differentias, quibus res aliena contrahitur, non attingit, nam fur in confeſſione dicet, *Furatus ſum gravem materiam*; nec tenebitur exponere, an aurum, an argentum, an veſtes, an ligna, &c. fuerit furatus. Ergo res aliena apud Ethicos etſi res generica & univerſalis ſit, virtualiter realiter à ſuis differentiis diſtinguitur; immò ſine differentiis operatur, hoc eſt, actum denominat: hic enim actus, qui rem alienam aufert, à re alienâ *Furtum* denominatur, & tamen à differentiis realibus rei alienæ (nempe, auro, argento, veſtibus, &c.) non contrahitur ad talem aut talem furti ſpeciem; nam omnia furta in lineâ furti ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei. Conſulto duo *in lineâ furti*; nam qui rem ſacram rapèret, non furtum alius ſpeciei, ſed duo peccata (furtum & ſacrilegium) committeret.

Quomodo genera phyſica à ſuis differentiis in Ethica diſtinguantur?

An furta, quæ talia, diſtinguantur ſpecie?

De furto ſacrilego.

ORdo videretur à rebus, quæ exhibentur, ſeparari non poſſe: nam ſi duas ſcripturus ſim literas A & B. debebo ſcribere, vel AB, vel BA. Interim ingenium aliquando in hac lege diſpenſat, & res etiam multas ab ordine quocumque præſcindit. Hine aliquæ Prudentum Reſolutiones natæ, quas proderit breviter ponere.

An ab ordine poſſit præſcindere?

Cajus celeberrimus Iuriſconſultus *lib. 2. inſtitut.* ſic inquit. *Si in teſtamento quis plures ſervos manumiſerat, quam lex concedat, illis tantum libertas debetur, qui priùs ſunt nominati. Quod ſi omnes confuſè nominati fuere, ut ordo nullus pateat, nulli firma eſt libertas. Ideo, & ſi teſtamento manumiſſio adſcripta fuerit in circulo, ut qui prior poſterior-ve nominatur, ſic cognoſci non poſſit, nulli libertas valet.*

De ſervis manumiſſis in circulo.

Iuſtinianus modum deligendorum defenſorum civitatum per circulum in *S. Interim in Authent. de defenſ. civit.*

De electione in circulum.

Auſonius, quem Tiraquellus Medicum, & Poetam facundiſſimum nominat, in libro ſeptem Sapientum Solonem introducit dicentem.

De ſeptem Sapientibus.

De

De more Græco prodeo in ſcenam Solon,
Septem Sapientum Fama cui palmam dedit,
Sed Fama non eſt judicii ſeveritas,
Neque me eſſe primum veſtrum unum exiſtimo
Æqualitas, quod ordinem neſcit pati.
Rectè olim ineptum Delphicus juſſit Deus
Quærentem quiſnam primus Sapientum foret,
Vt in orbe tereti nomen incertum incideret
Ne primus eſſet ne vel imus quiſpiam
Horum è medio prodeo gyro Solon.

Quo ordine ſint recenſendi?

Vt Cajum, Iuſtnianum, Auſoniumque: aut etiam Solonem, & Oraculum Delphicum intelligant, & explicent, *quid ſit manumiſſionem fieri in circulo? delectionem fieri per circulum? in orbe tereti nomen incidère?* ſe cruciant Interpretes, quos poterit hæc Hiſtoria juvare.

Quo modo nomina ſiant in circulo?

Vrbanus Papa, cùm vellet aliquem ex Seraphica S. Franciſci Religione purpura condecorare, periit, ut Ordo ſibi tres proponeret, quos digniores putaret. At Ordo Summo Pontifici reſpondit ſine ordine; nam tria nomina per modum ſphæræ ſcripſit, ne ullus ordo cognoſceretur. Et tunc Vrbanus illis tribus neglectis Generalem Ordinis aſſumpſit, & Cardinalem creavit.

An nomina ſcribi poſſint ſine ordine?

Sed unde habemus hanc hiſtoriam? Eam Angelum *in l generaliter S. ſiquidem ff. de fideicommiſſ. liber.* retuliſſe teſtatur Fely. *in c. cum dilecta col. 4. verſ. per iſtam regul.* & Cardinalis Alex. *in cap. Nicolao col. 1. extravag. de appell.* Sed Tiraquellus Author diligentiſſimus negat Angelum, vel lineam ſuper illum titulum ſcripſiſſe, unde concludit Fely. & Alex. hanc hiſtoriam legiſſe apud alium Authorem.

Sed quomodo ſcripſerunt illa nomina Patres. Tiraquellus hanc delineationem proponit, ut juniores inſtituat. Ergo ex Empedoclis Philoſophia.

An lex de manumiſſione dura ſit?

Sanè illa lex de manumiſſione videtur durior: ſtatuere enim poſſet, ut niſi ſciretur, qui nam priùs, & qui nam poſteriùs nominarentur, manumitterentur ſeniores, aut antiquiores ſaltem; qui enim diutiùs defuncto ſerviverant, viderentur præcedere, niſi Imperatores ad approbandas manumiſſiones eſſent tardi.

Confuſa denominatio.

Sed quid eſt *ſervos nominari confusè?* eſſe inſcribi ſphæræ, aut orbi tereti aſſerit Tiraquellus. At mihi tanta curioſitas, quando moritur dominus, & omnia domi ſuæ tumultuant, loco, & tempori importuna videtur. Vnde exiſtimo alio ex capite poſſe & ſolere confuſionem oriri: puta, ſi in diverſis tabulis ſingulis eſſe manumiſſio conceſſa, nec adeſſet diei, aut horæ character, unde ordo aliquis cognoſceretur.

Delectio per circulum.

Et quid etiam deligi per circulum? Et neſcio cur idem Tiraquellus ad hiſtoriam Patrum Franciſcanorum recurrat, nam non video, cur debeant poſſint-ve nomina delegendorum circulo inſcribi, ut delectio fiat. Acurſium ſe torquere, non autem intelligere prædictum circulum: Bartolum autem *in l. quidam ſub. init. col. ult. verſ. quæro ff. de reb. dubiis,* propius acceſſiſſe teſtatur. Cum eligi per circulum ſit, ubi quatuor ſunt eligibiles ex. gr. nempe A, B, C, D. Si primo anno eligatur A, ſecundo B, tertio C, quarto D, quinto iterum A, & ſic ſine fine. Sed Bartolus ad ſortes recurrit, cum tamen ab electione per circulum differat toto Cœlo ſortitio.

NOTA.

Quales debent eſſe leges?

DE æquivocis Sectione ſequenti diſputabo, & dicet aliquis totum hunc meum Articulum fore inutilem, nam leges concipi debent clariſſimis & determinatiſſimis verbis, quæ ſenſus ambiguos non ſubeant. Sic *libr. 1. Rhetor. cap. 1.* reſolvit Ariſtoteles, cujus verba nobis ſunt opportuna. Maximè *convenit,* ait ille, *ut quæ rectè poſita ſunt leges cuncta ipſæ explicent, quæ explicari queant; & quàm minima Iudicibus relinquant. Primum, qui unum, aut paucos prudentes, qui leges ferre, aut judicare poſſint, facilius eſt invenire, quàm multos. Deinde quoniam longi temporis conſideratione leges feruntur, judicia breviſſimè conficiuntur.* Ego autem leges debere eſſe clariſsimas & determinatiſsimas fateor: eſſe autem tales, nego: & quia multæ ſunt obſcuræ, perplexæ, & ambiguæ, ut omnis adlucinatio & æquivocatio tollatur, Sectionem ſequentem adjungo.

An verbis ambiguis poſſint concipi?

Quid Appellatio ſit?

APpellatio, quæ melius diceretur Affectio, *unam vocem, quæ ad duas poſſet referri, ad alteram determinat, & confuſionem tollit*: nam, ſi dixeris, *Colebatur ibi Pallas aurea corona prædita,* meritò dubitabo an ſtatua, an verò corona aurea fuerit? Dubium accentus tollet, nam ſi *aurea* acuat primam ſic *áurea,* ſtatua fuit aurea: ſi circumflectat ultimam ſic *aureâ,* non ſtatua, ſed corona aurea fuit. Tollet & dubium interpunctio, nam ſi comma præcedat voceam *aurea,* hæc ad coronam: ſi ſequatur, ad ſtatuam refertur, quoniam hæ poſitiones, *Pallas aurea, corona prædi-*

Tollit ambiguitatem Accentus: tollit & interpunctio

ta, nec non *Pallas, aurea corona prædita*, differunt inter ſe. Hinc patet eſſe perniſioſam doctrinam Ciampoli, qui Vrbano VIII. in Secretarii Status dignitate ſervivit. Volebat enim omnia puncta proſcribere: quoniam, aut turbabant Lectorem aut ſua erant opinione ſuperflua. At oppoſitū experientia demonſtrat, & omnium Criticorum conſenſus: unde prodiit jam receptum Axioma, *Bona diſtinctio habet vim Commentarii*, quod licet primò dictum ab Houthemio credatur, admiſſum fuit poſteà à Boſquiero productumque ab Antonio Sandero *in libro illo curioſo, qui inſcribitur*, Bibliotheca Belgica Manuſcripta *pag. 9. ſub fin.* & à me *in ſcholio nu. 362. & in Theolog. Fundam. num. 1091. §. bona* & etiam alibi. Sicut puncta in ſcriptura, ſic pauſæ in voce nos monent ad quod nam ſubjectum dictiones hæ vel illæ pertineant, unde Verſorius Pariſienſ. *in comment. ad tract 9. ſummulárum Logical. Petri Hiſpani ad §. de Diviſionis fallacia pag. 344.* ſic inquit. [Secunda differentia ſumitur ex parte modi proferendi; nam oratio compoſita habet proferri prolatione cōtinua, oratio diviſa habet proferri prolatione diſcontinua, diſcōtinuando dictiones, quę ab invicem dividuntur, & hæc ſunt. Secunda differentia, eſt ſignum primæ, ut dicendo *Omnis propoſitio vera, eſt*: ſi *vera* ponatur in ſubjecto, ſic illa oratio eſt diviſa, & vera; & debet proferri prolatione diſcontinua, faciendo pauſam inter ſubjectum & verbum: ſed ſi teneatur ex parte prædicati, eſt compoſita & falſa, & debet proferri prolatione continua] clariùs. Hæc oratio eſt vera, *Omnis propoſitio vera, eſt*; hæc autem falſa, *Omnis propoſitio, vera eſt*.

An omnia puncta ſint ſuperflua?

An & tollat ambiguitatem pauſa?

Tametſi magna circumſpectione examinari debeat, quod ſubjectum ſingula adjectiva concernant, id ſpeciali cura conſiderandum eſt in negationibus, quarum tranſlatione ſenſus maximè perturbatur. Sit nobis exemplo illud diverbium *Non omnia volumus omnes*. Et quo negatio reſpicit? Tres hinc oriuntur propoſitiones, quæ ſunt toto Cœlo diverſæ, videlicet, *Omnia volumus non omnes. Omnes non volumus omnia. Omnes volumus non omnia*. Vide Theolog. Fundam. nu. 1130.

Præcipuè conſiderare oportet, quam vocem aſpiciat negatio.

SECTIO III.

De Vocum Interpretatione:

Nimia juſtitia quæ?

AVdis in Scriptura, *Noli nimium juſtus eſſe*, & in Politica, *Nimium Ius, nimia injuria*, & quo ſint iſta ſenſu accipienda ſtudiosè inveſtigas. Vno verbo reſpondeo. Leges, ſunt morum Regulæ, & hæ interdum ſuas exceptiones ſubeunt & qui in Theologicis Regulam ſequens exceptionem non curat, *nimium eſt juſtus* & qui in Politicis legem civilem ſequitur & caſus excluſos ignorat, dum *nimium jus* pronunciat, ſubditis, qui Iuſtitiam expectant *nimiam injuriam* infert. Vt rem altiùs intelligas, hominem ob oculos ponam, *Nimium juſtum*.

Herodis convivium.

Apparatu feſtivo Natalem ſuum Herodes celebrat: ad ſolenne convivium Principes, Tribunos, & Summates invitat. Vt hilares eſſent, ingreſſa Herodias, & ad numeros ſaltitans applauſum meruit. Adridet Rex, *Pete à me quod vis*, inquit, *& dabo tibi*. Et promiſſionem juramento firmavit. Conſulit puella matrem, ejuſque voto Indulgens, ait, *Volo ut protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ*. Contriſtatus eſt Rex, quoniam amabat & venerabatur hominem, & rem talem eſſe petendam non præviderat: Interim, ne juramentum temeraret, juſſit excollari innocentem, & dedit puellæ caput Ioannis in diſco. *Marci cap 6.*

Ejuſdem profuſa promiſſio.

Non ſemper omnia includit generalis promiſſio?

Ecce nimiam juſtitiam! ecce injuſtitiam ſummam! Quid agis Rex? An-non ſcis in generali promiſſione illa tua non ea includi, quæ non promiſiſſes, ſi fuiſſent petita in ſpecie? An ignoras, ſcelera non poſſe promitti? An-non percipis, te fore convivis ſcandalo, ſi velis cenſeri jurâſſe, quod impleri non poſſit ſine crimine? Aperi oculos; hæc poſitio, *Debet iuramentum ſervari*. Eſt morum generalis Regula, quæ æquitati eſt obnoxia. Examina primò. Quid juraveris? non enim promiſiſti dare caput innocentis in diſco. Hoc vel inde collige, quod contriſteris: quia ſi hoc fore petendum prævidiſſes, contractioribus verbis te profudiſſes. Vt hoc promiſeris & juraveris: ſcelus perpetraſti jurando, & alterum ſcelus perpetrabis exſequendo.

Non obligat juramentum de malo.

Religioſi vivunt in communi.

Addam & alterum mirabilem Canonū Eccleſiaſticorum Interpretem. Iulianus Apoſtata, cum Chriſtianos plurimos videret in communi vivere, voluit, ut furti reus non eſſet, qui illos rebus exueret: nō enim furatur, qui communia capit. Et cum ſuſpenſionis pœnas in Canonibus legeret ne diceretur brachium ſœculare negare, ſuſpenſionis damnatos à Canonibus Clericos, furcæ juſſit appendi.

Quid apud Eccleſiaſticos ſuſpenſio ſit?

Sed etiam hic, dum nimis vult videri juſtus, in Orthodoxos ſœvit, & atrox facinus nomine pietatis inveſtit. Si qua habent in communi confratres, exteris communia non ſunt: & ſuſpenſionis cenſura à Canonibus lata exercitium Ordinū

reſ-

Non peccabat ignorantia Iulianus. reſpicit, non uſum vitæ. At, ut video, Imperator Apoſtata, non ignorantia, ſed malitia peccabat; nolebat enim rem ipſam intelligere, ut graviùs, & liberiùs noceret.

Æquitas ſuprema legum lex. Hinc patet optimè dixiſſe Celſum, dum *legem ſi ſervum §. ſequitur ad fin. de verb. oblig.* exponeret, ſępè periculosè errari ſub Iuris Scientia, niſi totum ad æquum, & bonum redigatur. Hanc ob rem omnes leges Doctores legi cuidam univerſali *Epiëikeia.* ſubjecerunt, quam Epiëi*k*cian Græci, Latini *Temperamentum* appellant. Budæus. Quod temperamentum niſi ſerves, ex ſummo jure, ut ſcirè nos monuit Terentius, ſumma fiet injuſtitia. Vdalricus Zaſius *tit. 1. num. 6.* Hanc ob rem optimè Iuriſconſultus dixit, *Ius eſſe artem æqui, & boni*. *Iuris finis, & media.* Reſpicit enim bonum commune ut finem, ſed recipit ab æquitate media, qui enim utilitatem publicam per media iniqua indipiſci conatur, vias à Iure præſcriptas non obſervat: æquitas autem interdum ſuadet, interdum præcipit, ut verborum ſeveritas & rigor temperentur. Infert Zaſius. *An-ne ad unguem obſervãdæ ſint leges?* *Non ergo tutum, quod per manus traditur*, Statuta ad unguem eſſe obſervanda, *nam boni, & æqui moderationem exigunt*, per legem, ſi ſervum §. ſequitur ad fin. de verb. oblig.

Iudicum claſſes. Hinc Iuriſconſultos Budæus in duas claſſes dividit; in prima, qui ex æquo, & bono literam moderantur, conſtituit: in altera, qui inexorabiliter literæ adhærent: & ut internoſcantur, præcipit, ut illi epieikeis, hi verò *ἀκριβοδίκαιοι* nominentur. *Regula Doctorum. Doctores Regulæ.* Hiſpani priores, *Regla de Dotores*; poſteriores, *Dotores de Regla* vocamus, & meritò, nam illi ſunt Authores Claſſici, quorum Reſponſa & Methodum ut Regulam diſcurrendi obſervamus; iſti verò, qui dum Regulam ſciunt, & exceptiones neſciunt, ſe & clientes ſuos in inextricabiles labyrinthos propellunt.

Epieikeia leges. An-ne Epieikeia, aut temperamentum eſt exlex? Abſit. Temperamentum à ratione ſumitur; & quia ratio eſt ſuprema lex, non poteſt deſtitui præceptis. Hæc pauca videntur ſufficere.

Suſpenſio. Primum. *Examinanda eſt vocum acceptio.* Patet: quoniam eadem vox aliter in tribunali Eccleſiaſtico, & aliter in Sæculari ſumitur. Et ne novis exemplis utar, *ſuſpenſionis ſententia* in Iudicio Eccleſiaſtico ab Ordinum uſu ſuſpendit: in Sæculari reum in patibulum ducit. Ergo irridebat Eccleſiaſticas cenſuras Iulianus, cũ ab Eccleſia ſuſpenſos, laqueo eſſe damnatos delirabat. *Fictio.* Fictio aliter à Grammatico ſumitur: aliter à Poeta: aliter à Figulo: aliter à Theologo: & aliter à Iuris-peri-

to. Stando rigori Grammatico, qui fingit, mentitur. Poetarum fictiones non ſunt mendacia, quod Lactantius Firmianus clarè oſtendit: ſunt autem Apologi, & Fabulæ, quæ Narrationem ornant, & Lectorem erudiunt, dum recreant. *Novella.* *Fabula.* Huc pertinent Novellæ illæ, quibus Hiſpani mores inſtituunt, & *Hiſtorias penſadas* vocant, ut ab aliis, quas dicunt *Hiſtorias ſucedidas* diſtinguant. *Hiſtoria cogitata.* *Parabola.* Huc ſpectant Parabolæ, quæ in Sacra Scriptura leguntur, quibus, ſi vel mendacii umbram haberent, non fuiſſet uſus Christus, qui tamen in parabolis concionabatur. Vas fingit, hoc eſt, format Figulus, nam & à fingendo nomen habet. *An baptiſmus cum fictione ſit validus?* Theologus, quando dicit eum, qui cum fictione recipit Sacramentum Baptiſmi, validè baptizatum manere, non pronunciat eum, qui fingit (mentitur) ſe velle baptizari, & tamen baptizari non vult, baptizatum manere; ſed ſtatuit eum qui in actuali peccato ſacramentaliter abluitur, manere quidem baptizatum, & ſupernaturali charactere inſigniri, non tamen gratiam baptiſmalem ſuſcipere, quouſque recedat fictio: quo nomine peccatum intelligit. Et fateor me vidiſſe Salmanticæ turbari nonnullos Iuriſtas hac æquivocatione, quouſque Clariſſimus D. Valvoa illos ſedavit dicens, Theologis in Theologicis credendum eſſe. *Hypotheſes Iuris Civilis: an ſint mendacia?* Et tandem in Iure Civili Fictiones vocantur Hypotheſes, omnis mendacii exſortes; nam ſicut ſuccurritur phyſicè pauperi dando veſtes, ſi nudus ſit; cibos ſi eſuriat; potum ſi ſitiat, & eleemoſynam, ſi nummis careat: ſic etiam moraliter, aut virtualiter ſuccurri poteſt, concedendo illi, qui aliqua re indigeat, ut ita ſe habeat, ac ſi illam haberet. *Adoptio. Venia.* Sic illi, qui caret prolibus, conceditur, ut adoptando ita ſe habeat, ac ſi proles genuiſset. Reo, qui peccavit, per veniam à Principe conceſſam indulgetur, ut ita ſe habeat, ac ſi nunquam peccaſſet. *Teſtamentum.* Illi, qui teſtamentum condit, ut poſt mortem vivat, & habeat ultimam voluntatem, quæ moraliter maneat, & ab exſequutoribus teſtamenti (Hiſpanus vocat *Teſtamentarios*) debeat impleri. Quod ultimum clariùs conſpicitur Salmanticæ, quorum Profeſſoribus conceditur, ut uno poſt mortẽ menſe academicè vivant, hoc eſt, recipiant ſtipendia lectionis, ut poſſint decentiùs ſepeliri. *An homines poſt mortem vivant?*

Legum finis. Secundum. *Cognita vera vocum ſignificatione conſiderandus eſt legum finis.* Hic ſemper eſt, publicum bonum: & hoc in honeſtum, utile, & delectabile, in communi opinione dividitur. *Bonum triplex.* Mutantur tempora, mutamur locis, & quæ heri & ibi erant utilia, hodie & hic poterunt for-

An hodie in majore aſſent reverentia Epiſcopi, ſi rebus ad vitã neceſſariis careret?

taſſis nocere. Vnde Illuſtriſs. D. Avilamus in Campanienſi Pontificatu Anteceſſor, Concionator ſubtiliſſimus & eruditiſſimus, voluit ſemel inquirere, cur Eccleſia vocem, *In illo tempore* Evangeliis, quæ in Miſſa cantantur, præmittat? Summaque id fieri providentia reſpondit, ut uno verbo ſatisfaciat Hæreticis, qui Apoſtolicam Sedem eſſe hodie depravatam obganiunt; nec enim Papa ut S. Petrus, nec Epiſcopi, ut Apoſtoli vivunt: ſummè enim illi fuerunt pauperes, hodie ſunt divites: illos famulos habuiſſe neſcimus, hos numeroſo famulitio ſtipari videmus: &c. nec tamen ideò Eccleſiam deformatam videmus, illa enim fuerunt *in illo tempore*, hæc *in iſto*. Mutatis temporibus apprehenſiones & judicia mutantur, & licet olim paupertas ad venerationem conduceret, hodie Epiſcopi ſi non haberent decentes veſtes, & convenientes famulos, deſpicerentur. Manet ergo idem finis *Ordinis reverentia*: mutantur cum temporibus media: tunc enim alia, nunc alia ut conſequamur finem, opportuna videntur. At nunc etiam aliqui Prælati ſolent in exceſſu peccare: hos non excuſo.

Ordinum Monaſticorum finis Charitas.

Melleus Doctor *in lib. de præcept.* aſſerit illa, *quæ ſunt pro Charitatis conſervatione inſtituta, contra Charitatem non debere obſervari*: & meritò: nam finis Monaſticarum legum eſt Charitas: & hoc fine contradictoriè vel contrariè ceſſante, ceſſant conſtitutiones, quæ in hunc finem nos deberent dirigere. Hinc D. Zipæus Monaſterii S. Andreæ, Ordinis S. Benedicti, apud Brugas in Flandria Abbas, qui prius abſtinentiam à carnibus admiſit, & poſtea carnium uſum reſtituit, duplici hodie in Cœlo coronatur (ſic ſpero) laureola: altera, quia carnium uſum abſtulit; altera, quia repoſuit. Sancto provectus zelo, carnes, quæ ter in hebdomade ex privilegio Apoſtolico comedebantur, abſtulit, ut in ſuo Monaſterio Regula ſervaretur ad literam. Optimè fecit. At poſteà ſenes & debiles morbis variis inceperunt affligi; in infirmitorio, quàm in dormitorio, plures eſſe: chorum deſeri: obſervantias regulares omitti: qui erant ægroti, non jam ter in hebdomade, ſed quotidie ex Medici prudentis præſcripto carnium eſu adjuvari debebant: & ipſamet abſtinentia cauſa erat, nec abſtinentia eſſe poſſet. Ergo, tempori, loco, & perſonis devotionem attemperans, reſtituit mores veteres; & ut ter in hebdomade carnes ponerentur, permiſit. Et nunc iterum optimè fecit.

An ſemper & ubique abſtinentia à carnibus carnium uſui legitimo ſit præferenda?

Sicut de Charitate Bernardus, ſic etiã Iurium Interpres debet neceſſariò diſcurrere. Opus eſt, ut ſupponat, *ea, quæ ob bonum publicum ſunt inſtituta, contra bonum publicum non debere obſervari*. Ergo, ſi Conſtitutio duos ſenſus habeat, alterum ſecundum bonum publicum, alterum contra, ille prior ſenſus neceſſariò eſt tenendus, & rejiciendus hic poſterior. Præterea, ubi ſenſus eſt pervius, ſi tamen vel Conſtitutionis ſubſtantia, vel circumſtantia aliqua, mutatis temporibus bono publico officiat, ſubeſt temperamẽto: nam generalis diſpoſitio pro publico bono inſtituta, non includit caſum in quo ſit publico bono nociva. Nam, ſi Iuris Naturalis præceptum jubet, ut unicuique detur quod ſuum eſt, & tamen Petro ſuum gladium poſtulante ut Ioannem occidat, ſubeſt temperamento, & iſtum caſum non includit; hoc ipſum de Humano Iure à fortiori eſt dicendum: quo ſenſu interpretor Iulianum *in leg. ita vulneratus ad fin. ad l. aquil.* dicentem, *multa in Iure Civili contra ſtrictam rationem* (puta, literæ, aut Legiſlatoris voluntatis) *pro communi utilitate eſſe recepta*: nam, ſi mutatis temporibus ſit ad publicum bonum illarum rerum, quæ ob publicum bonum olim jubebantur omiſſio, non eſt habenda ſtrictæ explicationis ratio, ſed admittenda eſt latitudo, quaniam utilitas communis exigat. Hanc ob rem, ut hæc interpretatio authenticè fieret, leges ſecundum loca, & tempora intendendi, & remittendi poteſtatem Prætori conceſſere Romani. Papinianus *libr. 2. Definitionum* & habetur *leg. jus autem 8. D. de juſt. & jur.* (Ius Prætorium, quod Prætores introduxerunt, adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi gratia propter utilitatem publicam: quod & honorarium dicitur ab honore Prætorum ſic nuncupatum.) Quæ verba ſic Ioannes Coraſius exponit. (Prætor ſuis edictis Ius Civile aliquando juvabat, ut cũ ſcriptis hæredibus bonorum poſſeſſionem decrevit *S. t. in fin. de bon. poſſeſſ.* nonnunquã ſupplebat, quod in verbis legis deſiderabatur (hoc enim propriè ſupplere eſt,) quod videlicet in verbis deeſt, ex ſententia replere, *leg. Gall. S. etiam D. de lib. & poſt.*) ut cum actionem utilem dabat, quo caſu nulla erat actio Iure Civili prodita, & tamen æquum erat actionem dari *leg. quia actionem D. de præſcrip. verb.* Interdum emendabat & corrigebat, ut cum liberis emancipatis ab inteſtato *S. emancipati. de hæredit. quæ ab inteſtat.* & alienis poſthumis inſtitutis *d. S. de bonor. poſſ.* contra duritiem veteris legis bonorum poſſeſſionem dedit.) Sed cur hæc omnia? Coraſius ſtatim: (Intereſt quippe Reipublicæ pro rerum occaſionumque varietate Statuta quo-

Monitum Praliminare.

De æquivoco legis ſenſu.

An ſemper debeat dari unicuique quod ſuum eſt?

Quæ, & cur authoritas Prætoribus conceſſa fuerit?

Adjuvabant Ius.

Supplebant.

Emendabant. An emancipati ſuccedant?

Cur publicæ leges mutentur?

quoq; legum variari *cap. non debet de conſang. & affin.*]

Benedictini mutandi accidentalia Regulæ habent authoritatem.

Hac ex cauſa Summi Pontifices conceſſerunt Ordini Benedictino, & liberaliſſimè Congregationi Ciſtercienſi, ut in Sancta Regula ſupplerent, auferrent, mutarent, quæ ſecundum temporis, & loci circumſtantias videretur ad Dei majorem gloriam, & Religioſorum tranquillitatem & ſalutem conducere. Qua Congregatio Caſſinenſis ſuffulta in multis Regulæ rigorem, quem ante annos mille, quando fortiores, & validiores erant homines, noſtri obſervabant Monachi, ætatis præſentis debilitati attemperavit, multas voces ſcitiſſimè interpretando, in quibus Grãmatici expoſitoribus indignarentur. Pono exemplum. Sanctus Pater *Regula ſua cap.* 53. jubet oſculo pacis hoſpites honorari: & Caſſinenſis vocem *Oſculum* interpretãtur amplexum.

Oſculum pacis. An ſit amplexus?

Et quis unquam hanc vocem Author in hac ſignificatione recepit? Nullum quem ſciam reſpondeo, & tamen ajo interpretationem eſſe bonam. Non enim S. Benedictus materiale oſculum dari jubet, ſed urbanitatem ſervari.

Quanti urbanitatem fecerit S. Benedictus?

Immò juſſiſſet illud nõ dari ſi ſui hoc ævi conſuetudo permitteret. Sed quia nemini voluit inurbanus videri, cavit periculo, oſculumque præmiſſa oratione conceſſit. At hodie in Hiſpania nunquam, in Italia rariſſimè ſeſe ſæculares ex urbanitate oſculantur, & ideò oſculo ſucceſſit amplexus. Ergo S. Benedictus, ſi hodie ſcriberet, nec verbum ſcripſiſſet de pacis oſculo, ſed ſolummodò hoſpites supervenientes amplexu honorari juſſiſſet. Ergo prudentiſſimè Caſſinenſes ſic illum Regulæ textum interpretati ſunt; non conſiderantes, quid tunc Sanctus Pater ſcripſerit, ſed quid hodie ſcriberet, ſi nunc Regulam conderet.

Quid ſcriberet hodie S. Thomas, ſi viveret, de Cõceptione?

Hoc modo P. Ioannes de Sancto Thoma, & alii S. Thomæ, & Bernardi locos, in quibus Immaculatę Virginis conceptioni non favere videntur, exponunt: noluerunt enim habere ſententiam, quam non approbaverat Eccleſia: at modo oppoſitam non approbat; immò ne pronuncietur, præcipiendo, reddidit ineffabilem. Ergo hi Sanctiſſimi Doctores, fuerunt enim Virgini devotiſſimi, ſi hodie ſcriberent, communem ſententiam propugnarent. At etiam uterque congruè poteſt, & ſolet exponi; noſtram enim & hoc ævo communem opinionẽ habuerunt, licet alicubi ſubobſcurè loquantur; quæ enim in uno loco obſcurè dicta, debent ab aliis locis in quibus clarè loquuti ſunt, dilucidari.

Hinc ortæ fuerunt conſuetudines, quæ rationabiles dictæ, quæ leges irritant. Nã conſuetudo eſt triplex: videlicet Irrationalis poſitivè, Irrationalis negativè; & Rationabilis.

Tria conſuetudinum genera.

Prima non poteſt contra legem præſcribere, nam multitudo peccantium non tollit obligationem obſervandi Decalogum: nec exorbitantium multitudo facere poteſt, ut in Civilibus.

De lege neceſſaria.

detur contra legem neceſſariam præſcriptio; nam lex humana, ſi neceſſaria ſit, etiam volente expreſsè Principe revocari non poteſt; nam tunc eſt Iuris Divini expreſſio, quod præcipit, ne Princeps omitti illa permittat ſine quibus grave damnũ pateretur Reſpublica. Secunda actus cõcernit (non quidem indifferentes, de his enim non feruntur leges) ſed ad melius: qui ſub duabus lucibus conſiderantur: ſæpè enim, quæ utiliora cenſentur, minùs delectabilia ſunt: & quia tunc ob majorem utilitatem poſſunt leges fieri, & ob majorem ipſæ tranquillitatem caſſari (puta ſi dicat populus, non ſibi tanti utilitatem talem eſſe, ut illam velit tanto labore conſequi) tunc leges conſuetudine mutari poterunt: &, ſi ſciente potente, & nolente impedire Principe, non obſerventur revocatæ putantur.

Quomodo leges per conſuetudinem mutentur; aut tollantur?

Tertia tandem conſuetudo impediri non poteſt: ubi enim lex per accidens bono publico opponitur, ceſſat per accidens, & ejus violatio (hoc eſt, actus contrarius) rationabilis: hoc eſt Decalogo, & naturali dictamini conformis eſt.

SECTIO IV.

De Univocis, Æquivocis, & Analogis: & hinc ſumpta occaſione, de Synonimis, Heteronymis, & Denominativis.

Vocum expoſitio.

VNivocum, *Æquivocum*, *Analogum* ſunt vocum nomina: *Univocata*, *Æquivocata*, *Analogata* ſunt rerum & objectorum nomina, quæ vocibus univocis, æquivocis, analogiſque ſignificantur.

Quid ſint univocata?

Vnivocè conveniunt, & univocata dicuntur, *quorum nomen eſt commune, & ratio nomine ſignificata eſt in ſingulis eadem.* Tales ſunt *Canis*, *Leo*, *Elephas*, *Homo*, quibus nomen *Animal* commune eſt, & ratio hoc nomine ſignificata eſt in ſingulis eadem: & ideò *Animal* appellatur *univocum*.

Animal.

Cur ſint legũ ſcripti Comentarii?

Niſi æquivocationes eſſent in Iure Commentarii non eſſent: nam cum pleræque voces diverſo ſenſu poſſint & ſoleant accipi, ideo neceſſarium fuit, ut Viri Conſultiſſimi leges Scholiis doctiſſimis dilucidarent.

Itaque æquivocata dicuntur, *quorum no-*

Quid ſint æquivocain?

nomen eſt commune ratio verò nomine ſignificata eſt in ſingulis omninò diverſa. Talia ſunt primum ſignum Zodiaci; militare inſtrumentum, quo veteres diruebant muros; & Aries notum animal. Omnibus vox *Aries* communis eſt. At illud, quod in uno ſignificat hæc vox, alii non convenit.

Aries.

Sacerdos.

Sic ſimiliter vox *Sacerdos* eſt æquivoca; convenit Presbytero Chriſtiano (Panormitanus *in cap. ſi Sacerdos de offic. ordinan.*) Ethnicorum Sacrificulo (Paulus. *in leg. Non diſtinguemus.* §. *Sacerdotio* D. *de receps.*) & Iuriſprudentiæ Profeſſori (Vlpianus *lib.7.inſtit.* nimirum *leg.* 1. D. *de Iuſt. & Iure.* Vide Budæum, Spiegelium & Coraſium *ibid.*) & tamen ratio nomine ſignificata eſt in ſingulis omninò diverſa. Apud Chriſtianos *Sacerdotium* Hoſtiam, & Calicem conſecrandi poteſtatem importat, & reſpicit cultum Divinum: apud Ethnicos ſacrilegam dicit ſuperſtitionem, & Diabolicum cultum concernit. Religio Orthodoxa & Ethnica, ſolo conveniunt nomine, quia ſicut verus & falſus Deus differunt toto Cœlo, ſic Fides & Infidelitas, Religio & Sacrilegium nil intrinſecũ habent commune. [Conſultò dixi *intrinſecum*, quia ſæpè oppoſita debent extrinſecè convenire, aut coincidere: nam amor, & odium Dei, in termino ſeu objecto conveniunt: & eadem forma eſt, quam ponit alterum, & negat alterum contradictorium.] Sanè Iuriſperiti & Presbyteri non vocantur *Sacerdotes* univocè: nec enim illi ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, nec iſti, qua tales, Iura docent, aut dicunt.

Sacerdotium.

Ethnicorum cultus eſt Religioſus ſecundũ dici.

De convenientia intrinſeca & extrinſeca.

Aequivoca nihil ſignificant.

Aequivocum non poteſt contrahi.

Vox æquivoca, ſi nihil addatur, nil omninò ſignificat. Ergo non contrahi, ſed impleri debet, & nota id bene; nam Vnivoca contrahuntur: Æquivoca verò non contrahuntur, ſed complentur. Vox *animal* per voces *Rationale*, & *Irrationale* contrahitur: nam ſolitariè poſita, habet ſuam determinatam ſignificationem, quam in compoſitione conſervat: nam ſivè dicam *animal*, ſive *animal rationale*, ſive *animal irrationale*, ſemper *animal* ſignificat *vivens ſenſibile*. Vox autem Ca per voces *put, rdo, nis, lix, ro,* &c. non contrahitur, ſed completur, ut ſit *Caput, Cardo, Canis, Calix, Caro* &c. nam ſeparata, nihil ſignificat, & in compoſitione non habet ſignificationem partialem. Sic ſimiliter vox *Aries* cum dicimus, *Aries Cæleſtis*, non contrahitur, ſed completur: nam ſeparata nihil ſignificat Arieti ſydereo & gregario commune, & in compoſitione non habet ſignificationem partialem, quando enim audio vocem *Aries Cæleſtis*, non per vocem *Aries* priorem, & per vocem *Cæleſtis* poſteriorem ſigni partem intelligo, ſed per totam vocem *Aries Cæleſtis*, totum primum ſignum Zodiaci.

Vox Ca & vox Aries non contrahuntur.

Cur Aequivoca prius ſint diſtinguenda, quàm definienda?

Hinc patet, æquivoca, priùs eſſe diſtinguenda (vel, ut nos loquebamur, complenda) quam definienda, aut explicanda. Complentur expreſsè, aut implicitè; realiter, aut virtualiter.

Complentur dupliciter.

Sane expreſsè & realiter, cùm adiectivum, aut alia vox adjungitur, quæ æquivocationem amoveat. Implicitè verò & virtualiter, cùm æquivocatio tollitur ex circumſtantiis, aut vocibus conſignificantibus. Sic *lingua bovis* vox æquivoca, nam ſignificat talem carnem, & talem florem: in culinâ aut horto non cenſetur æquivoca, ibi enim non coquuntur flores, hîc autem non coluntur carnes. Ergo, ut vides à loco tollitur æquivocatio. Etiam implicitè tollitur cùm dicimus [*Sol eſt in 4. gr. Arietis.*] nam Sol non eſt in Ariete gregario, nec hic menſuratur per gradus.

Lingua bovis, quid?

An Venenum ſit vox æquivoca?

Hinc ſcitè Cajus leg. *Qui venenum.* D. *de verbor. ſignific.* vocem *venenum*, quæ eſt æquivoca, compleri jubet, ut quid ſignificet, intelligatur. *Qui venenum dicit,* ait, *adjicere debet, an malum an bonum ſit? nam & medicamenta venena ſunt, quia eo nomine omne continetur, quod naturam ejus, cui adhibitum ſit, mutat. Cùm id apud nos* venenum *appellamus, Græci* Φάρμακον *dicunt; quod apud illos quoque tam medicamenta, quæ nocent, hoc nomine continentur. Vnde adjectione alterius nominis admonet nos ſummus apud eos Poetarum Homerus*; qui ſic ait. Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα πολλὰ γὰρ λυγρά hu uſque Cajus.

An etiam Φάρμακον?

Homerus.

De actionibus ſingularibus & individuis inquiritur in Tribunalibus.

Si fortè contendere velis, *Venenum*, aut etiam Φάρμακον, eſſe vocem univocam, dicam ut minimum eſſe æquivocam judicialiter, nam in tribunalibus de actibus individuis agitur, non de abſtractis generibus à differentiis & circumſtantiarum concurſu. Ergo ut ſuadeatur, quod Titium Semphronius occiderit, non ſufficit ut probetur, quod illi venenum propinaverit, nam ſunt venena ſalutifera; ſed in ſpecie & individuo probandum eſt quod propinatit illi læthale.

Aequivoca benignius ſunt interpretanda.

DVX Adriæ tam generis nobilitate, quàm doctrina clarus Commentarios ad Plutarchum edidit, qui cum magno hodie applauſu à Viris eruditis leguntur. Et *libr. 3. de virt. Moral.* ait: *Mercurium, qui* ἑρμῆς *dicitur, ſcilicet* Interpres, *non ſinebat Antiquitas effigiari niſi ex ligno quam optimo, reliquos verò Deos ex quocumque, quod quidem nihil aliud innuit, niſi quod legum Interpretes debent*

Non ex quocumque ligno fit Mercurius. Adag. *Sed cur*

bent eſſe bene animati, ut ſint ad lenitatem, non ad ſævitiam proniores; qui ſi fuerint quocumque modo ad malum propenſi diſtrahunt leges ipſas, aut ad crudelitatem, aut ad fraudem, depravantque ſententias legum, ut Principibus placeant & blandiantur. &c. *Nunc autem nulla ratione opitulante, modò neſcio quem Bartolum, aut Baldum in medium afferant, Iuſti & Sanctiſſimi Iudices appellantur perinde ut Pythagorici, qui pro recta ratione dicebant,* Α᾽υτὸς ἔφα, Ipſe dixit: *Ipſe autem erat Pythagoras.*

Carpitur Iudicum aliquorū crudelitas.

Amandæ ſunt à populo leges, &, ut amentur debent eſſe benignæ: nec ab ipſis ſtat Iuriſconſultus qui ſeveris interpretationibus illas crudeles reddit. Vnde Celſus *leg.* 18. D. *de legib.* ſuavitatem commendat, & ait, *Benignius leges interpretandæ ſunt, quo voluntas earum conſervetur.* Nec eſt hæc nova & à Iunioribus inventa circa legum interpretationem benignitas, quoniam Servium Sulpicium, Cicero & alii celebrant, & non *Iuris*, ſed *Iuſtitiæ conſultum* nominant, quod ſuaviſſimus fuerit, legeſque clemēter & benignè illuſtraverit. Huc collimavit Iuſtinianus, cùm leges ſuas lenitate condivit; ſemper enim rigori anteponit clementiam, ut videre eſt leg. 1. *&* 2. C. *de his, qui latron. occult.* leg. *quo naufr.* §. *non tantum, de incend. ruin. naufr.* leg. *Si quis ſervum.* C. *ad leg. Flav. de Plag.* leg. *quicumque* §. *quod ſi ſervus.* C. *de ſerv. fugit.* Vnde plerique omnes Authores (quorum multos adducit Faſinacius *qu.* 133. Caballus *reſol. crimin.* 287.) jubent Iuriconſultis, ne ſeverè leges interpretentur.

Leges eſſe debent amabiles.

Servii Sulpicii in exponendis legibus commendatur benignitas.

NOTA.

De æquivocatione vocis φθορά. *An Iuſtinianus Aptardocitarum hæreſi fuerit infectus?*

Plurimæ controverſiæ oriūtur ex æquivocatione & multæ hac ablata ceſſarent.

MVltæ in Mundo fuerunt rixæ & contentiones, multæ etiam hodie ſunt merâ æquivocatione ſubcollatæ. Arianorum & Catholicorum controverſia fuit ſub initium de re ſumma: ſed poſtea multi Hæretici abutentes vocabulis, & illorum ſignificationem in diſſonos ſenſus obtorquentes, volebant videri Catholici, cum maximè exerrant ab Eccleſia Orthodoxâ. Sed hæc Iuſtinianum non tanguot, in cuius & Iuriſtarum gratiam de voce Φθορά, & Διαφθορά breviter diſputabo.

Quæſtio incidens.

Coincidunt: & pro *labe, lue,* & *vitio* ſumuntur. Et quæritur *An Dominus noſter Ieſus Chriſtus Diaphthoras, aut Phthoras ante reſurrectionem habuerit?*

Reſpondeo primò has voces eſſe æquivocas, & poſſe de vitiis ſeu defectibus naturalibus, & poſſe de moralibus intelligi. Si agatur de moralibus, nullo Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum peccato, nullo morali vitio, nullo peccati fomite, aut cōcupiſcentiæ habitu infectum fuiſſe concors tenet Eccleſiæ Romanæ ſententia. Si verò agatur de naturalibus, dicendum eſt, eum corpus verum & non phantaſticum habuiſſe, & hujus vitæ miſerias tolerasse; dolores in cruce paſſum fuiſſe, verum fudiſſe ſanguinem, ut nos à captivitate redimeret. Quomodo Chriſtus miſerias humanæ naturæ ſit perpeſſus, S. Ioannes Damaſcenus *lib.* 4. *cap.* 21. proponit & expendit his verbis. *Naturales noſtræ paſſiones ſecundum naturam, & ſupra naturam fuerunt in Chriſto, ſecundum naturam enim movebantur apud ipſum, quando permittebat carnē pati, quæ propria. Supra naturam autem, quia non præcedebant in dominio voluntatem naturalia. Nihil enim coactum in ipſo conſideratum, ſed omnia voluntaria, volens enim eſuriit, volens ſitiit, volens timuit, volens mortuus eſt.* Conſonat per omnia Auguſtinus, qui *libr. Progn.* ſic inquit: *Quid eſt, quod Chriſtus in morte turbatus eſt, niſi quia infirmos ſuo infirmitatis voluntaria ſimilitudine conſolatus eſt.* Ecce turbatus, & triſtis fuit, ſed volens. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum.* Iſaiæ 53. Quæ pro hominibus fuerit dignatus pati, *in ſerm. de Natali Domini* perſtringit S. Auguſtinus, & ait: *Homo factus eſt hominis factor, ut ſugeret ubera regens ſydera, ut eſuriret panis, ut ſitiret fons, dormiret lux, ab itinere fatigaretur via, falſis teſtibus accuſaretur veritas; Iudex vivorum & mortuorum à Iudice mortali judicaretur, ab injuſtis juſtitia damnaretur, flagellis diſciplina cæderetur, ſpinis botrus coronaretur, in ligno fundamentum ſuſpenderetur, virtus infirmaretur, ſalus vulneraretur, vita moreretur.* Hæc omnia patiebatur, quia erat homo: & poterat curſum naturæ impedire, quia erat Deus. Poſt Reſurrectionem habet corpus glorioſum, magnis dotibus & prærogativis condecoratum, inter quas impaſſibilitas recenſeri debebit. Contrà Aptardocitæ, tametſi corpus Chriſto ὁμοούσιον noſtro fuiſſe dicerent, illud ſicut poſt reſurrectionem, ita ante reſurrectionem impaſſibilem fuiſſe aſſerebant; & quæ de phthoris, ſeu paſſionibus moralibus ſobriè & ſcitè dicta ab antiquis fuerant intelligebant de realibus & naturalibus.

Chriſtus nullū peccatum commiſit, nullum morale vitium habuit.

Habuit corpus verum: & paſſibile.

Sed quomodo paſſibile?

Chriſti paſſiones erant naturales, quoad ſubſtantiam, ſed obediebant voluntati.

Chriſtus patiebatur miſerias quia volebat: & illas nō pateretur, ſi nollet.

Quanta pro hominibus perpeſſus fuerit?

Chriſti corpus poſt reſurrectionem impaſſibile eſt.

Hæreſis Aptardocitarum.

Nos hodie Theologi, ut linguæ Græ-

cæ

Φθορὰ vox æquivoca, vitium, Paſſionem, & Propaſſionem ſignificat.

cæ æquivocationem in linguâ Latinâ vitemus, pro unâ voce φθορὰ, tres ponimus, videlicet, *vitium*, *paſſionem* & *propaſſionem*. Prima mores concernit, & in Chriſto reperiri non potuit. Secunda miſerias naturæ ſignificat, humanæ voluntati rebelles, quales nos patimur: tertia miſerias voluntati obedientes, quales fuerunt in Chriſto. Phthoras Chriſtus in primo & ſecundo ſenſu nunquam habuit: in tertio ſenſu ante mortem habuit, & poſt reſurrectionem non habet.

Aptardoinatum hareſim Juſtinianus ad mittit & propagat.

Hac hareſis, ut in vita Iuſtiniani inquit Antonius Contius, *paſſim tunc mundum implevit, nec idiotas ſolùm, ſed & Magiſtratus & Hierarchas, & ipſum adeò orbis Imperatorem Iuſtinianum. Hac pluribus exſequi velai, quia qui defunctoriè vitam ejus deſcripſerunt, in hareſim Eutichetis eum delapſum eſſe ſcripſerunt; homines ignavi, & veritatis incurioſi mentiendè veterno ebrii. Neu defuerunt tamen, qui ut eumque piiſſimum Imperatorem excuſatum à crimine impietatis voluerunt, quòd ita pra nimia Chriſti amore ſenſerit, ſeque ita magnificentius de Chriſto aſtimatorum arbitratus fuerit.* Hanc ille hæreſim omni niſu promovit, & propter illam plurimis moleſtiam intulit, ſed tandem ante mortem reſipuit, & Eutychium, quem in exilium miſerat, Conſtantinopolitanæ Sedi reſtitui juſſit, & valdè piè ſe ad Chriſti tribunal præparavit.

Cur id ſeriò Reſipiſcit.

Tota hac hareſis aquivocatione laborabat.

Turbæ omnes illæ, quæ ob hanc hæreſim affixerunt Europam, æquivocatione ſubſiſtebant: quia vox φθορὰ ita à multis accipitur, ut Chriſto concedi non poſſit: ſed debebat Imperator ad ſobrietatem ſapere, & ſe Catholicorum Præſulum magiſterio concredere, & non permittere, ut Novatores doctrinam antiquam pervertere nt.

Quid ſint Analogata?

Analogata ſunt, quorum nomen eſt commune, ratio tamen nomine ſignificata in ſingulis partim eadem, & partim diverſa eſt, ut Medicina, Pulſus, Homo, illis hoc nomen *ſanus* commune eſt: & vocatur analogum, quia ſanitas, quæ eſt ratio illo nomine ſignificata tameſi inſit ſingulis analogatis, habet manifeſtam differentiam in ſingulis, quoniam in Medicina cauſativè, in Pulſu indicativè, & in Homine reperitur formaliter.

Sanus.

Ius eſt nomen analogum.

Hinc patet Ius eſſe nomen analogum. Primò enim ſumitur pro Iuriſprudentia, unde Vlpianus *leg. 1. D. de Iuſt. & Iure*. Ius eſſe artem boni & æqui definit. Secundò eſſe idem quod lex, & à juſſu per apocopen dicitur. Prat. Tertiò ſumitur pro re præcepta. Connanus *lib. 1. cap. 1. nam. 5. ex Paulo*. Quartò ſumitur pro loco, in quo jus dicitur: nam *in jus vocari*, ad tribunal vocari eſt. &c. Sanè omnibus his quatuor analogatis nomen *Iuris* commune eſt, etiam ratio nomine ſignificata (nempè juſtitia, *ut in tit. Inſtitut. de leg. natural. & in leg. final. D. de juſtit. & jur.*) in omnibus reperitur, non autem eodem modo in ſingulis, quoniam eadem æquitas, Iuſtitia in Iuriſprudentia exponitur & diluciatur in lege imperat, in legis objecto præcipitur, & in Tribunali adminiſtratur.

Quid ſit Decalogus? quid Ius naturale? quid Ius gentium? Quid Ius humanū? Quid C anonicum & quid Civile?

Præterea *Ius* ſumptum pro lege, quod communiſſima, & abſtractiſſima voce (eo modo, quo conceptus analogus ab analogatis abſtrahi poteſt) nominatur Decalogus, qua ad Ius Naturale, Gentium, Canonicum, & Civile contrahitur eſt analogū: prout enim homines reales & phyſicos concernit Decalogus *Ius naturale* dicitur; prout homines myſticos, & morales (civitates, provincias, &c.) concernit, nominatur *Ius gentium*: prout habet præcepta generica, quæ ad ſpeciem ſecundum perſonarum, locorum, & temporum reducuntur humanitus, *Ius humanum* vocatur, quod in *Canonicum* & *Civile* ſubdividitur. Differentiæ, quæ Decalogum ad jus Naturale, & ad Ius Gentium contrahunt, nec ſunt contradictoriæ, ut Rationale & Irrationale, quæ contrahunt Animal, & Hominem & Brutum conſtituunt: nec ſunt omninò diverſæ & condiſtinctæ, ut Latrabile, Rugibile, Hinnibile &c. quæ contrahunt & dividunt Brutum, & Canem Leonem, equum &c. conſtituunt, ſed dicunt proportionem & ſimilitudinem: nam ſicut de Iure naturali reſpectu hominum realium (Petri, Pauli, Franciſci &c.) ſic etiam de Iure gentium reſpectu hominum myſticorum (Rerumpublicarum, Provinciarum, Regnorum &c.) philoſophamur: ubi tanta reperitur rationis paritas, & analogia, ut multi Viri docti hæc duo Iura: (Naturale, & Gentium:) confundant; & multi ad alterum illa pertinere pronuncient, quæ alii accenſent & conſcribunt alteri. Ius humanum etiam dicit analogiam: nam ſicut omnia Iuris Divini præcepta majorem Dei gloriam, & hominum utilitatem reſpiciunt; ſic & humana Iura eo modo generica præcepta contrahunt, quo Deus magis laudetur, & meliùs hominum utilitati proſpiciatur. Sic accidit in tertio præcepto Decalogi. Ius naturale præcipit, ut aliquo tempore colatur Deus: non determinat quando Moyſes, Deo præcipiente Sabbata, & alia feſta determinavit, quæ illo ævo aptiora viſa: & ſic genericam legem contraxit, & determinavit. Conſideravit creationis be-

Animal per differentias contradictorias contrahitur Brutum per omnino diverſas.

Iuris naturalis & Iuris gentium diſtinctio.

Ad illa dicit Analogiam Ius humanum.

De tertio præcepto Decalogi cur illud contraxerit Moyſes ad Sabbatum?

beneficium; quia ſeptima die complevit opus ſuum Omnipotens, ceſſavitque ab omni opere quod patrarat. Non reſpexit Mundi redemptionem, quæ nondum fuerat, quia legem tempori attemperabat. At Eccleſia, quia redemptionis beneficiũ eſt creationis beneficio ſublimius; unde in Cerei benedictione concinit, *Nihil enim nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet*, quia die Dominica Chriſtus reſurrexit à mortuis, illam juſſit eſſe feſtivam, ut oremus Deum gratiam, qua in Domino vivere & mori poſſimus, ut poſteà ad gloriam æternam reſurgamus.* Sed & ſunt præcepta, quæ humano Iure reponuntur addita pœna corporali, ut *Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies* &c. in his etiam ſervat analogiam Ius humanũ; nam ſicut Ius naturale & Gentium homicidia, adulteria, furta &c. inhibet ſub peccato mortali Theologico, ſic Ius Cæſareum ſub peccato mortali civili: ut qui hujuſmodi ſcelera commiſerit, mortem animæ incurrat ex præcepto Divino, & mortem corporis ex humano. Ergo in omnibus analogia (ſimilitudo, & proportio) ſervatur.* Petis, an in his præceptis reperiatur contractio ab humano Iure proveniens? Reſpondeo affirmativè. Nam totus Decalogus obligat ad culpam, & ad pœnam. Illam ſtatim, qui illum violat incurrit: hanc etiam in hac vita Deus, quando vult, & qualem vult infligit; & vult puniri humanitùs, qui leges non obſervant Divinas: modum autem, & quantitatem pœnæ non determinat, ſed Principum prudentiæ committit.

Et cur Eccleſia ad dies Dominicas.

Aliquando Ius humanum præcepta Divina exponit & pœnam addit.

Sed & tunc etiam determinat & contrahit Ius Divinum.

DOctrinæ ſimilitudo poſtulat, ut aliquid etiam dicamus de Synonymis, Heteronymis & Denominativis.

Quæ ſint Synonyma?

Synonyma (& meliùs Polyonyma) dicuntur nomina, quæ ſunt ſono diverſa, & tamen habent eamdem ſignificationem, ut *Indumentum* & *Veſtis*, nec non *Gladius* & *Enſis*.

An nomina & attributa divina ſint Synonyma?

Si quæras, An nomina Divina, quæ omnibus tribus perſonis conveniunt, ſint Synonyma? Reſpondebit P. Leo Carmelita *in Logica* aſſertivè: quia ſignificant eamdem Divinitatem. Sed oppoſita ſententia eſt communis & vera: nam, ut ait Ægidius Columna *diſt. 1. part. 1. quæſt. 1. art. 4.* [quia licèt omnia abſoluta in Divinis ſint idem, quod Dei ſubſtantia; quia ibi potentia & voluntas ſunt idem quod ſubſtantia: tamen hujuſmodi plura attributa non ſunt Synonyma, ſed ſummuntur ſecundum aliam, & aliam rationem; vel ſecundum aliam & aliam habitudinem; ratione cujus aliqua dicimus Deum poſſe, quæ non dicimus velle, quia poſſe eſt reſpectu oppoſitorum, ſed velle ſimpliciter loquendo reſpicit alterum oppoſitorũ tantùm &c.] Ergo *Omnipotentia*, *Providentia*, *Prædeſtinatio*, *Iuſtitia*, *Miſericordia*, &c. non ſunt voces Synonymæ, nam licèt eamdem Divinam voluntatem ſignificent; illam ſignificant aliter & aliter expreſſam, & ad alios & alios terminos cõparatam. Divina enim voluntas prout volendo operatur: nam Deo idem eſt velle ac facere (unde Auctor libri de cauſis apud Ægidium *diſt. 1. part. 1. quæſt. 1. art. 4.* ait, *Deus in agendo non habet mediatorem*, hoc eſt, potentiam inter voluntatem & effectum mediam) vocatur *Omnipotentia*; prout Mundum gubernat, *Providentia*; prout Electos ad æternam beatitudinem dirigit, *Prædeſtinatio*; prout præmia & ſupplicia impertitur, *Iuſtitia*; prout ſublevat miſerias pauperum, *Miſericordia*. &c.

In Deo non datur potentia operativa à voluntate diſtincta.

Quid Omnipotentia, Providentia, Prædeſtinatio, Iuſtitia, Miſericordia, &c. ſint?

Apud Ethicos *Ius*, *Lex*, *Præceptum* ſunt voces Synonymæ. Vt exponeret Ius gentium Iuſtinianus ex Pomponio *libr. ſing.* Enchrid. ſubſcripſit hæc verba. *Vt erga Deum Religio, ut parentibus & patriæ pareamus.* Quæ Iura Ioannes Oldendorpius Præcepta appellat, & hoc Scholio erudito dilucidat. [Præcepta Decalogi utriuſque Tabulæ, breviter complectuntur verba Pomponii in leg. 2. D. de Iuſt. & Iur. *Veluti*, inquiens, *erga Deum religio, ut parentibus & Patriæ pareamus.* Quid enim hoc aliud eſt dictu, quàm *Dilige Deum ex toto corde*, ut in priore Tabula, *& proximum tuum ſicut te ipſum*, ut in poſteriore Tabulâ Decalogi, vel authore Chriſto? patria enim in ſe continet omnes proximos.] Ergo (1) *Præceptum* & *Ius* ſunt ſynonyma. Ergo (2) Decalogus eſt conceptus analogus, qui ut dicebamus, in Iure Naturali, Gentium, Humano, Civili, Canonico, ſummâ proportione invenitur.

Lex veluti D. de Iuſt. & Iure.

An voces Ius Lex Præceptum ſint Synonymæ?

Heteronyma dicuntur vocabula, quæ & ſono & ſignificatione differunt ut *Homo*, *lapis*, aut etiam *Annus* & *Adeptio*.

Heteronyma quæ?

Denominativa tandem audiunt, quæ denominãtur ab alio, ut *Theologus* à Theologia, *Iuriſperitus* à Iuriſperitia, *Sapiens* à ſapientiâ.

Denominativa quæ?

Concreta denominari ab abſtractis non contrâ, poſtulat ordo naturæ, quia à priori ſumitur denominatio, & compoſitis priora fuerunt ſimplicia. At ordo doctrinæ à notioribus incipit, & contingere poteſt, ut compoſita ſint notiora ſimplicibus, Vlpianus *lib. 7. inſtitut.* rei naturam ſequitur, aitque *Iuri operam daturum, priùs noſſe oportet, unde nomen Iuris deſcendat*, eſt

An Concreta denominentur ab Abſtractis?

leg. 1. D. de juſt. & jus.

Digitized by Google

eſt autem Ius à Iuſtitia appellatum; ita ut *Ius unde dicatur?* quod priùs dicebatur *Iuſium* poſteà fuerit *Ius* per apocopen dictum. At Iſidorus *Ius* eſſe nomen ſimplex ſuppoſuit, & inde *Vnde Iuſtitia?* *Iuſtitiam*, quaſi Iuris ſtatum dictam putat: quo videlicet modo Cicero *libr.* 2. *de Natur. Deor.* ex Venere potiùs, *venuſtatem*, quaſi ſi ea venus ſier, quàm *Venerem* ex venuſtate dici exiſtimat. *Vnde Venus? Vnde venuſtas?*

ARTICVLVS IV.

De Vniverſalibus, & Prædicabilibus. *Quot Vniverſalium & Prædicabilium claſſes ſint? Quomodo Philoſophi, & quomodo Iuriſconſulti illis utantur?*

Quis fuerit Author Tractatus de Prædicabilibus? TRACTATVS HIC de quinqne vocibus inſcribi ſolet: Author eſt Porphyriꝰ, de cujus patriâ, vita, & moribus multi Dialectici inutiliter tractant. De numero eorumdem multa ediſſerunt, quę *Cur quinque poſuerit?* poterunt à doctis neſciri. Habuerit ille quinque filias, an non? oon eſt res digna examine: non enim ideò Vir eruditus quinque voces poſuerit, ut ſingulas ſingulis filiabus nuncuparet. Iterim plura, quàm quinque Prædicabilia eſſe ponenda, ſtatim demonſtrabimus. Oportet diſ- *An ſint plura?* putationem liane attentè legere, multa enim continet, ſine quibus dialecticari poſſis. In ipsâ aliter quàm Philoſophi loqui ſolent Iuriſtæ, ſed non omnes; multi enim volunt ſubtiliores videri & utuntur Lexico Philoſophico.

SECTIO I.

De numero & Eſſentia Vniverſalium.

COnceptus rei, vel eſt Vniverſalis ut *An Vniverſalia pendeant ab Intellectu?* *Homo*, vel Particularis, ut *aliquis Homo*, vel ſingularis.ut *Hic Homo*, *Petrus*, *Antonius*, *Paulus*. Vniverſalia iuxta communem Peripateticorum opinionem pendent ab intellectu, etiam particularia: Vide Theologiam Fundam. num. 931. & *num.* ttaſ. Ergo aote meotis operatio- *Quomodo fiat Vniverſale? Quomodo contrahatur?* nem omnia ſunt ſingularia. Philoſophus igitur primò Petrum, Antonium, Paulum, &c. contemplans eſſe ſimiles & diſſimiles reperit: & rationem, in qua ſimiles ſunt, ab illâ, in qua differunt, abſtrahens, concipit hominem ut ſic, & iſte eſt conceptus univerſalis; nempè *Homo*. Si autem Homo abſtractus contrahatur hæceitate indeterminatâ, erit *Aliquis Homo*, & vocabitur *Individuum vagum*: Si autem hæccitate determinata, erit *Hic Homo* (*Petrus*) & vocabitur *Singulare*. Hi conceptus univerſales, ut hodie exponuntur cōmuniter, ſunt Ideæ illæ Platonicæ, quas perpetuas Academici dicunt; non quia in Intellectu humano aliqua fingi poſſit *De Ideis Platonicis.* æternitas, ſed quia ab æterno illæ ſunt in intellectu Divino: Verum enim verò hoc ſenſu etiam poſſent æterna dici ſingularia. At puto malè exponi Platonem, ejus enim ſententiâ Vniverſalia ſunt in rebus ante omnem mentis operationem, & realiter à differcotiis diſtinguuotur, ut in *An ſint à mentis operatione independenter?* Metalogica oſtendo.

Vniverſale eſt *unum in multis*; nā ratio hominis, quę vniverſalis eſt, in ſingulis hominibus reperitur. Prędicabilitas eſt notiſ- *Quid ſit Vniverſale? Quid Prædicabile?* ſima Vniverſalis proprietas, & Prædicabile dicitur *Vnum de multis*; nam ratio eadem hominis de ſingulis hominibus prædicatur. Et hîc obiter nota, eſſe Quæſtionem *De Vniverſalis Vnitate. Intrinſeca-ne, an extrinſeca ſit?* celebrem, quæ inquirit *An Vnitas hæc Vniverſalis, intrinſeca, vel extrinſeca ſit?*

Ante Reſolutionem adnotato, Voces BA & BE. habere unitatem intrinſecam, nam habent illud B, utrique intrinſecum & commune. Conveniuot enim in B. & differunt per A & E. Et conſiderato cōtrà, Characteres hos ΦΩΣ, & PHOS intrinſecè nîl habere commune, nec enim in numero, aut in figurâ conveniunt. At habent unitatem extrinſecam; nam in prolatione conveniunt; hoc eſt, eodem modo proferuntur.

Hac doctrinâ præmiſsâ ingreditur Quæſtio, & interrogat, *An Homo & Brutum* (*& idem dicito de aliis ſpeciebus intrinſecè, ut* BA, *&* BE: *an verò extrinſecè, ut* ΦΩΣ, *&* HPOS *conveniant?* Thomiſtæ & Scotiſtæ admittunt Vnitatem *Angelici Doctoris Opinio.* intrinſecam: & adhuc differunt inter ſe; quam enim S. Thomas poſt mentis operationem admittit, hanc Scotus aſſerit eſ- *Illi adhæret Scotus.* ſe ex naturâ rei, & ante mentis operationem reperiri. Nominales cum ſuo Magiſtro Ochamo, Vnitate tantummodò ex-

trin-

Digitized by Google

Eidem autem Ochamus, quē ſequuntur Nominales, opponitur.

trinſecâ contenti ſunt. Non eſt primus, qui hanc ſententiam invenit & docuit Ochamus, nam multis ante eum ſœculis illam tradidit S. Ambroſius: qui libr. 1. de Spirit. Sanct. ſic inquit. *Tres teſtes unum ſunt, ſicut Ioannes dixit, Aqua, Sanguis, & Spiritus; unum in myſterio non in natura. Aqua igitur teſtis eſt ſepulturæ, Sanguis verò teſtis eſt mortis; & Spiritus teſtis eſt vitæ.* Ergo in intrinſeca natura differunt, & in teſtificando, qui eſt actus externus conveniunt, & ideò *unum* eſſe dicuntur. Ergo ſimiliter Petrus & Ioannes, licèt intrinſecè diverſi ſint, eſſe *unum* dicentur in ratiocinando, quia ſimiles actus eliciunt. Sic etiam homo & equus, licèt etiam intrinſecè diverſi ſint, eſſe unum dicentur in ſenſibilitate, quia in eliciendo actus ſenſitivos conveniunt. Et hæc unitas extrinſeca pro rebus Iuridicis dilucidandis, commodior & opportunior eſt.

An D. Ambroſius à Nominalibus ſtet?

Quæ ex Spiegelio habet Calinus *verb. Prædicamentum* non legi poterunt, quoniā rem non attingunt: quæ autem verb. *voces* ex Topico Taboetii deſumpſit ſunt digna, quæ attentè legantur. *Voces Prædicabiles*, inquit, *quinque ſunt: Genus, Species, Differentia Proprium, & Accidens. Inter quas tanta cognatio & affinitas eſſe videtur, ut quamvis Synonyma non ſint, differantque in ratione & vocabulis; cohærent tamen inter ſe viciſſim, ut mutuò quod habet altera tribuat, & communicet alteri: Genus atque communicat ſpeciei, at in primo ſui nominis occurſu definiatur: quia nulla ſine generis interventu ſpecies explicari poteſt. Species etiam communicat generi, at per eam ſpecioſius inſpiciatur & venuſtius atque certius. Speciei quippe beneficio depellitur generalitas priùs incerta informis & confuſa.* Prædicabilium definitiones ſubjungamus.

Prædicabilia ſunt connexa.

Genus eſt, *quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid*; ut *Animal*, quod de Homine & Bruto in quid (eſſentialiter dicitur, ut in his propoſitionibus. *Homo eſt animal. Brutum eſt animal*, videre eſt. Ita in Theol. Fundam. *num.* 925. Quomodo intelligi debeant Clauſulæ generales expono *num.* 1277. Generi per ſpeciem (Vniverſali per particulare, & Toti per partem) derogari *num.* 816. & 925, oſtendo. In generalem conceſſionē, promiſſionē, aut juſſionem, non venire ea, quæ non eſſent veriſimiliter in ſpecie concedenda, promittenda, aut præcipienda ſuadeo. *ibid. num.* 699. 822. 930.

Quid genus ſit?

Species eſt, *quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quid*, ut *Homo*, qui de Petro, Ioanne &c. & ut *Equus*, qui de Bucephalo Alexandri equo, & de Cōcitato Caligulæ equo, &c. in quid (eſſentialiter) prædicatur, cum dicimus, *Petrus eſt homo, Ioannes eſt homo*, &c. vel etiā *Bucephalus eſt equus, Concitatus eſt equus*. &c. Vide Theol. Fundam. *num.* 925. Occurrit hic nova & curioſa quæſtio, quæ inveſtigat. *An admittendæ ſint inadæquatæ ſpecies?* Et ſi illæ admittantur, an Vir & Fœmina dicendi ſint, ſpecie inadæquatâ differre? *ibid. num.* 1161. An Pygmæi & Gigantes inadæquatâ ſpecie diſtinguātur? *ibid. num.* 1702. Et ad mores veniendo. An multa quæ ſpecie reali differunt, ad eamdem ſpeciem Moralem ſpectent? Si enim parum pro nihilo reputatur in Ethica, ſpecies, quæ realiter loquendo parum differunt, coincidere moraliter, cenſendæ ſunt. *ibid. nu.* 1142. An dentur peccata, quæ inadæquatâ diſtinguantur ſpecie? Et, ſi talia fortaſſis dentur, An hæc ipſa diſtinctio debeat in Sacramentali confeſſione explicari? *ibid. num.* 801. diſſero *ibid. num.* 1277. de ſpecialibus clauſulis: &, An magis & minus mutent ſpeciem explico *ibid. num.* 1679. 1683.

Quid ſpecies?

An dentur ſpecies inadæquatæ?

De Viro & Fœmina.

De Pygmæo & Gigante.

An quæ realiter ſpecie differunt ſint interdum ejuſdē ſpeciei moralis?

An dentur inadæquatæ peccatorum ſpecies?

Individuum etiam eſt prædicabile: quod *vagum* dicitur, ut *Aliquis homo*, à Nominalibus confunditur cum Specie: ab aliis inter Speciem & Individuum determinatum collocatur. Hoc Individuum determinatum etiam eſt prædicabile, ut *Petrus eſt hic Homo*. Ago de Individuationis principio *ibid. num.* 802. Inquiro, an hæcceitates ſint æqualis perfectionis *ibid. num.* 1161. oſtendoque *ibid. num.* 813. Privilegium perſonale eſſe ſingulare; perſonam ſequi, & etiam cum perſona extingui.

An individuū ſit prædicabile?

Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus in quale quid: eſt enim de eſſentia ſubjecti, & tamen adjectivè dicitur, ut *Rationale*, quod de eſſentia hominis eſt, & tamen prædicatur adjectivè, ut cum dicimus *Petrus eſt rationalis*. Et quidem Differentia prædicatur de ſpecie, quam conſtituit, & de inferioribus ejuſdem ſpeciei: de ſpecie quidem, cum dicimus *Homo eſt rationalis*; de contentis, & ſubalternatis ab eadem ſpecie, ut cum addimus *Ioannes eſt rationalis. Franciſcus eſt rationalis* &c. In Theolog. Fundam. *num.* 107. examino, an Differentiæ in Genere, & an inferiores in ſuperioribus includaotur? hoc eſt, an includatur in Animali Rationale? & ſi non, an ſaltem includatur in ſenſibili? De hominis & Leoois differentia diſſero *ibid. num.* 105.

Quid differentia?

Differentia eſt duplex infima, & ſuperior (illa dici ſolet ſpecifica, nam ſpeciem

Differentiæ diviſio.

conſtituit: hæc generica; nam de ſpecie ſubjicibili, quæ eſt genus prædicabile enunciatur (Infima eſt *Rationale*, quod Hominem: *Hinnibile*, quod Equum, &c. conſtituit: Superior eſt *Senſibile*, quod conſtituit animal.

Quatuor modi Proprietatum. Quanam hoc Prædicabile conſtituat?

QVATVOR à Porphyrio accipitur modis Proprietas: ad primum pertinet, quæ convenit ſoli, ſed non omni: ad ſecundũ quę convenit omni, ſed non ſoli: ad tertiũ, quæ convenit omni & ſoli, ſed non ſemper. Hæ ad ultimum Prædicabile rejiciuntur: quoniam ad quartum pertinet Prædicabile, quæ in quarto modo ponitur, & convenit omni ſoli ubiq; & ſemper, nam Riſibilitas, quæ Proprietas omnis eſt, omni, & ſoli convenit omni, ubique & ſemper. Hæc autem de ſuo ſubiecto, cujus eſt Proprietas, & de omnibus ſub illo cõtentis prædicatur, ut cum dicimus, *Homo eſt riſibilis; Petrus eſt riſibilis, Paulus eſt riſibilis*. &c.

Proprietatis diviſio.

Eſt etiam duplex Proprietas; infima & ſuperior; infima eſt Proprietas infimæ ſpeciei; ſuperior eſt Proprietas Generis, ſeu ſpeciei ſubalternæ. An-ne à ſuo ſubjecto poteſt ſeparari Proprietas? Vide Theolog. Fundam. *num.* 564.

Non ſolum Genera & Species, ſed etiã illorum accidentia habent ſuas Proprietates: nam Pompejo quidem accidit eſſe Romanum Civem: at Romani Civis proprium in quarto modo eſt, habere filios in poteſtate. Cajus *lib. 1. Inſtitut.* clariſſimè *in poteſtate noſtra ſunt liberi noſtri, quos ex juſtis nuptiis procreavimus: quod Ius proprium Civium Romanorum eſt*.

Lex 3. D. de his, qui ſunt ſui vel alieni Iuris.

Præter Proprietates poſitivas etiam reperiuntur negativæ, quæ eſſentias quodammodo concomitantur; & inter ipſas non habere Proprietates poſitivas, eſt quædam negativa Proprietas. Exemplum faciliùs in Philoſophia Morali, quam in Naturali reperiam. Nam Pomponius *lib.* 10 *ad Q. Mutium*, ſic inquit, *Legati Proconſulis nihil proprium habent, niſi à Proconſule eis mandata ſit juriſdictio*.

Leg. 13. D. off. Proconſ. & Legat.

Quid ſit accidens.

ACCIDENS eſt, *quod prædicatur de pluribus tanquam contingens*, ut album: in his videlicet Propoſitionibus, *Murus eſt albus, Charta eſt alba, lac eſt album*. &c.

Accidentium Claſſes.

Accidentia, alia intrinſeca, & alia extrinſeca ſunt. Intrinſeca intimè inhærent, ut *Albedo*. Extrinſeca ſunt ſeparata, & extrinſecè ſubjectum denominant, ut *eſſe dexterum*. Eadem res reſpectu unius poteſt eſſe eſſentialis, & reſpectu alius accidentalis *ibid. num* 2030.

De pluralitate Accidentium in eodem ſubjecto.

An-ne duo Accidentia pura diſtincta numero, eidem poſſunt inhærere ſubjecto? Negat S. Thomas, aſſerit Scotus, & diſcipuli ſuos Magiſtros ſequuntur. Ab hac Quæſtione reali pendet alia moralis, quæ inveſtigat, an duæ malitiæ, puro diſtinctæ numero, poſſint inficere eumdem actum? Cum igitur ſicut de realibus realiter, ſic de moralibus moraliter philoſophãdũ ſit, negativè Thomiſtæ reſpondere tenentur, & Scotiſtæ affirmativè. Rẽ exemplo dilucido. *Petrus furatus eſt rem ſacram in loco ſacro*, quomodò ergo peccavit? Commiſit furtum: de hoc non dubito; de ſacrilegio inquiro, an ſimplex, an duplex commiſerit? Reſpondet Scotiſta duo illum commiſiſſe ſacrilegia: alterum furando rem ſacram; alterum furtum in loco ſacro committendo. Diſſentit ab illo Thomiſta, & unicum tantum ſacrilegium in illo actu cognoſcit, gravius tamen, quam ſi altera tantum circumſtantia ſuccurreret. Vide Theol. Fundam. à *num.* 720.

An duæ malitiæ eſſe poſſint in eodem actu?

Exemplis doctrina præcedens dilucidatur.

VT OMNIA HAEC ex Iuriſprudentia locum habeant, pono ob oculos Virtutem Moralem, quæ in Iuſtitiam, & alias virtutes, ut genus in ſpecies dividitur. Eſt autem Iuſtitia Virtus Moralis dans unicuique quod ſuum eſt. In hac definitione Virtus Moralis genus eſt, & in cæteris verbis (nimirum, dans unicuiq; &c.) differentia conſiſtit. Quam ob rem hæc Propoſitio, *Iuſtitia eſt Virtus Moralis*, eſt primi Prædicabilis, & *Iuſtitia dat unicuique quod ſuum eſt*, eſt tertii. Iuſtitia ut ſic ſubdividitur in Commutativam & Diſtributivam: illius eſſentia formaliter conſiſtit in æqualitate Arithmetica: hujus verò in proportione Geometrica. Ergo hæc Aſſertio. *Iuſtitia commutativa eſt virtus*, ad primum prædicabile pertinet. At hæc, *Iuſtitia commutativa eſt Iuſtitia*, ad ſecundum ſpectat, hæc autem *Iuſtitia Commutativa eſt commutativa*, eſt identica. Præterea, quia Virtutis eſt Proprietas, quod laudabilis ſit, hæ enunciationes, *Virtus eſt laudabilis, Iuſtitia eſt laudabilis, Iuſtitia commutativa eſt laudabilis*, ad quartum Prædicabile pertinent: & tandem hæ, *Hæc Iuſtitia commutativa adminiſtrata fuit Pariſiis: Illa Neapoli* &c. Prædicabili quinto accenſentur.

De Iuſtitia.

Quid ſit, & quotuplex.

Quo modo in Diſtributivã & Commutativã dividatur?

Quid prima & ſecunda intentionis terminus ſit?

PRO coronide hujus Sectionis addendum Terminos vel eſſe primæ, vel ſecundæ intentionis. Primæ intentionis ſunt, qui ſignificant res ipſas, ut *Petrus, Homo, Animal, Vivens* &c. ſecundæ autem intentionis ſunt, qui ſignificant relationes, & denominationes Logicas, ut *Genus, Species*, &c. *Subjectum, Prædicatũ*, &c. *Major, Minor, Concluſio*. &c.

SE-

SECTIO II.

De Analogis Prædicabilibus.

An Prædicabilium doctrina poſſit de Analogis verificari?

SVnt Analoga ſimillima Vnivocis: & poſſemus, ſi vellemus, de illis quinque Prædicabilia conformare Porphyrianis analoga. Pono exemplum. Ius Divinum Analogum eſt, & in Ius Naturale, & Gentium, ut Analogum in ſua Analogata dividitur. Quid ergo vetat bas Propoſitiones conformare.

I. *Ius Divinum, eſt lex à Deo lata.*

II. *Ius Naturale, eſt Ius Divinum prout hominem realem concernit.*

Conſiderentur hæ propoſitiones, & quatenus ipſæ de Iure prædicata dicantur.

III. *Ius Gentium, eſt Ius Divinum prout hominem myſticum concernit.*

IV. *Ius Naturale, eſt Ius Divinum.*

V. *Hoc Ius Naturale, eſt Ius Naturale.*

VI. *Ius Naturale hominem realem concernit.*

VII. *Ius Gentium, eſt Ius Divinum.*

VIII. *Hoc Ius Gentium, eſt Ius Gentium.*

IX. *Ius Gentium hominem myſticum concernit.*

X. *Ius Naturale eſt indiſpenſabile.*

XI. *Ius Gentium eſt indiſpenſabile.*

XII. *Ius Naturale cordibus hominum inſcriptum eſt.*

XIII. *Ius Naturale Tabulis lapideis inſculptum eſt.*

XIV. *Ius Gentium cognoſcitur ab Vniverſis.*

Ad quodnam Prædicabile hæ Propoſitiones reducantur?

Prima, Secunda, & Tertia ſunt Definitiones, ſimiles his, qui per Genus & Differentiam concinnantur. Quarta, & ſeptima poſſent ad Primum Prædicabile reduci: Quinta, & Octava ad ſecundum: Sexta & Nona ad Tertium. Si indiſpenſabilitas eſt Decalogi proprietas, ut Thomiſtæ propugnant, Decima & Vndecima verè & propriè ad Prædicabile Quartum ſpectant: reliquæ verò ad Quintum.

SECTIO III.

Quomodo Iuriſconſulti hac doctrina utantur?

AD Porphyrii & Peripatus mentem, Vniverſalia & Prædicabilia expoſuimus, & denominavimus. Audire etiam prodcrit aliquos Iuriſperitos, & an verbis tantum à Philoſophis & Theologis differant, examinate.

An Iuriſtæ eis ſentiant?

Quid vox Genus importet?

Primò itaq; occurrunt Franciſcus Hotomannus & Pardulphus Prateius, qui ſic inquiunt (*Genus* (1) appellatum eſſe cujuſque generationis principium, conſtat, ut ſi dicamus, Titium à Semphronio genus habere. (2) Ad hujus itaque ſimilitudinem dictum eſt *Genus* quod de pluribus differentibus ſpecie, in eo quod quid eſt prædicatur, ut *Animal*, *Corpus*, *Actio*, *Poſſeſſio*. Sicut enim unus eſt Principium multis procreatis, qui continentur uno nomine: ita Genus eſt principium ſuis ſpeciebus, quas uno verbo comprehendit, & addita differentia ſic conſtituit, ut æs accepta forma tranſit in ſtatuam, vel in aliam rem. Vt ecce, ſi dicas *Animal eſt*, non intelligitur, an hominem vel equum aſſerere volueris; Genus enim eſt, & utrumque cum pluribus aliis ſpeciebus complectitur. Verum, ſi differentiam addas, puta rationem, facies ſpeciem: veluti *Animal rationale*. (3) Ad dignoſcendum autem, utrum id, quod proponitur, Genus, aut vero Species ſit, ſemper reſpice, an de pluribus dici poſſit? Deinde, an horum plurium ſingula rurſus de multis aliis rectè prædicentur, vel non? tunc enim, ſi plures ſunt Gradus, Genus eſt, ſi dumtaxat unus, Species, quæ de multis individuis & numero diſcretis prædicantur. (4) Porrò Individua unam tantùm, neque ulteriorem ſui partitionem admittunt. Sic actio perſonalis habet ſub ſe actionem ex contractu, & quoniam hæc Actio ex contractu rurſus de multis aliis dici poteſt, agnoſci actionem perſonalem eſſe genus. Verùm actio ex contractu individua ſub ſe concinet, quæ amplius de nullo prædicari poſſunt, ut eſt Actio ex contractu Caii. Actio ex contractu Titii & cæteræ. Quam naturam Generis & Speciei oſtendit Iuriſconſultus *in leg. 2. in princ. D. ſi cert.pet.*) Sic illi. Vide Taboetium *in Topic, mil. for. & leg. diſc.*

Quid Genus & Species ſit?

Quomodo internoſcantur?

An ſint opportuna hæc exempla, alibi examinabo?

NOTAE.

Loquuntur, ut Peripatetici, & voces in ſignificatione præſcripta in Scholis accipiunt, interim placuit aliqua breviter adnotare.

An Caput genealogiæ vocetur Genus?

Ad num. 1. Generationis ſeu Genealogiæ Principium. Caput-ve non appellatur *Genus*, nec oppoſitum probat exemplum ab illis adductum; ſi enim dixerimus, Titium à Semphronio genus ducere, non ideò Semphronium eſſe Genus dicemus, nam tunc Semphronius erit Genearcha, & tota Genealogia erit Genus, quod à Semphronio ducitur. Rationem ergo nominis, non benè probant.

Ad num. 2. benè definiunt & exponun rationem Generis, & quomodò ab ſpeciebus diſtinguatur, & per Differentias contrahatur.

Nova Prædicabilium Definitiones ex Ottomanno & Pratejo.

Ad num 3. Quando dicimus Genus eſt quod prædicatur de pluribus differentibus

Digitized by Google

bus ſpecie, poſſet reponere aliquis ſe benè ſcire *Animal* prædicari de pluribus; ſe autem neſcire, an illa plura ſint Individua, vel ſpecies, adeoque an Animal ſit Genus vel Species neſcire, ut ergo hæc allucinatio tollatur exhibent Regulam, ex qua hæ fortè clariores Definitiones reſultant, videlicet

Quid ſit Genus?

Genus eſt, *quod in quid prædicatur de pluribus, quorum quodlibet etiam prædicatur de pluribus in quid.*

Quid Species eſt?

Species eſt, *quæ in quid prædicatur de pluribus, quorum nullum poteſt de pluribus prædicari in quid.*

Quid individuum?

Individuum eſt, *quod non prædicatur de pluribus in quid.* Aliter, *eſt, quod de unico tantummodò prædicatur.*

An individuũ dividatur?

Ad num. 4. Ajo illos benè ſentire, malè loqui. Si enim Individuum unam tantùm partitionem admittat, habebit ſub ſe ſaltem duo: quidquid enim dividitur, ut minimum in duo dividitur. Ergo de duobus poterit prædicari, quod falſum eſt. Illam ergo periodum lege ſic. *Porrò ſingularia de uno tantum dicuntur, non enim Vlteriorem ſui diviſionem admittunt:* & ideò *Individua* vocantur.

Difficile eſt veram doctrinam exemplis opportunis dilucidare.

De exemplis Moralibus, quæ propoſuerunt, hoc unum dico, eſſe interdum valde difficile manifeſtam doctrinam opportunis exemplis illuſtrare, an omnia benè poſita ſint cum agam de Diviſione Generis in ſpecies examinabo.

Hottomannus Pratejuſque, ut vidimus expoſuerunt Voces, Genus, Species, Individuum in Peripatetica acceptione: at aliter illas Iuriſconſulti accipiunt: ergo hoc Lector admoneri debebit. Præſtat id Spiegelius, qui apud Ioannem Calinum ſic inquit.

Quid ſit Species?

{ Species eſt vox, quæ de pluribus differentibus numero ſeu individuis dicitur (1) ut apud Apellum *Tutela hæreditaria, Additio hæreditatis, Dominium directum, Emptio, Furtum, Obligatio Civilis, Actio Perſonalis, Poſſeſſio naturalis.* &c. Quamquam nonnullis viſum eſt, ut atteſtatur Contiune. *Speciem* individuis comparatam hoc nomine parùm aptè notati:

An hoc ſortiatur nomen, prout ad Genus, an ut ad individua comparatur?

Speciei, namque nomen ſola comparatione ad Genus videtur inditum, dictamque *Speciem* eſſe, quod confuſum & informe genus expoliret & ſpeciendum (ſic enim veteres loquebantur) nobis exhiberet. Ob id Cicero *in Topic.* mavult *formam* (dum à Forma generis locum ducit) appellare. Siquidem ſpecies Individuis comparata, non jam ſpeciei retinet, ſed Generis potiùs accipit faciem. Ciceroni adſtipulatur Gloſſa ult. *in leg. proponebatur* D. *de judic.* ibi *Rei Species*, inquit, *id eſt Forma.* (3)

Quomodo loquantur Iuriſtæ?

Iuris Civilis Interpretes Speciem paſſim appellant *Genus*, & Individuum Speciem: ut hominem, equum, bovem, *Genera*; Titium, Bucephalum, & hũc bovem, Species. Sic loquuntur Apello indicante *leg. 2. in princ. & §. 1. leg. ſi certum pet. leg. non videtur in Iudicem de Iudic. leg. fin. de cond. ob cauſ. leg. oſtentum de verb. ſignif. leg. cum certum de aur. & arg. leg. lege, qui uxori leg. ſpecies eod. titul. & princip. Inſtit. de donationib.* & Iuriſconſulti paſſim *in tractatione legatorum* &c.) Vide Taboetium *in Topic. Militar. for. & legal. diſcipl.*

Etiam hic occurrunt aliqua, quæ debent omninò notari, ut Iuris ſtudioſi profundiùs intelligant Prædicabilia.

Vltimæ ſpecies facili negotio adſignantur.

Ad num. 1. Aſſero hæc exempla opportuna videri: nam ultimas ſpecies deſignare nullam implicat difficultatem.

An differentia deberet dici ſpecies?

Ad num. 2. Dico rationem à Spiegelio adductam potiùs probare differentiæ ſpeciei nomen convenire: non enim confuſũ & informe Genus expolit ſpecies, ſed differentia, nam ſicut in Phyſicis materiam primam non expolit & perficit ſubſtantia completa, ſed forma, & ſicut corpus humanum non vivificat Homo, ſed Anima, ſic etiam in Metaphyſicis Genus (Animal) non determinant Species (Homo & Brutum) ſed Differentiæ & Taleitas (Rationale videlicet & Irrationale) & quid de ratione ſit, voces ſignificant, quod homines jubent & unicuique communis vita hanc legem impoſuit, ut loquatur eum cæteris.

Eſt loquendum cum multis.

Specire quid ſit?

Specio, is, ire. Verbum antiquum eſt: hodie compoſita tantum ſunt in uſu. *Adſpicio, Conſpicio, Deſpicio, Reſpicio, Suſpicio.* &c. Simplex autem *Specio*, & frequentativum Spécito in Amathæa Ioſephi Laurentii reperio.

Quid Species ſignificet?

Vocem quidem Species, inter alia decorem & formam ſignificare certum eſt. Hinc *Specioſus*, pulcher, unde dicitur Chriſtus *Specioſus forma præ filiis hominum.*

Quid Generis & Speciei nominibus intelligant Iuriſperiti?

Ad num. 3. Hoc præcipuè admoneri debebas, nimirum ea, quæ Peripatetici appellant *Individua*, à Iuriſtis, dum ſuo Lexico utuntur dici *Species*: & quæ illi dicũt *Species*, ab his vocari Genera. Conſultò *dũ ſuo Lexico utũtur* dixi: nã ut paulò antè vidimus, qui loqui Philoſophicè volunt, utuntur Lexico Peripatetico. Hinc patet primas omnes ſubſtantias in Iure *Species* dici, ſecundas *Genera*. Vel generaliùs, omnes res individuas & ſingulares, quæ à parte rei poſſunt exiſtere vocari *Species*. Conceptus autem communes & univerſales, qui in mente manent, & ab individuis ſunt præciſi vocari *Genera*.

Sunt Iuriſtæ, vt vidimus, quibus ſola

pla-

Quo modo illa Cujacius expo-nat?

placeat Porphyriana vocum *Genus*, & *Species* acceptio: ſunt quibus utraque (Philoſophica, Iuridicaque) ſunt quibus hæc ultima tantummodò, & ut hoc oſtendam ex Cujacio *ad leg.54.de verb.obligatione* hæc ſcribo. [*Genera* dicimus quæ communi quadam ratione comprehendũtur, veluti, Homo eſt genus ſingulorum hominum: ſinguli autem homines ſunt ſpecies, quæ ſub eo genere continentur, veluti Stichus Pamphilus. Has ipſe etiam Ariſtoteles vocat ἔσχατα εἴδη; illa autẽ τελευταῖα γένη ἐπὶ ἀτόμοις. Genus non dividitur niſi numero: veluti cum generaliter dicimus decem homines, centum homines. Species veluti Stichus dividitur in partes pro indiviſo, non pro diviſo: nam ſtichum, ſi dividas in partes pro diviſo, perdas. Partes illæ pro indiviſo intellectu Iuris conſtituuntur; partes pro diviſo, corpore & facto ipſo *leg.5.D.de ſtip.ſer.* Species etiam dividi poteſt numero, veluti Stichus, in duos Stichos, vel Pamphilus in duos Pamphilos, cum ſunt plures ſtichi vel Pamphili. Sed tunc Stichus pro genere habetur.]

Videntur Cujacius ſubtilitatibus & formalitatibus non delectati, & Æquivocorũ, Vnivocorum, & Analogorum ingenioſas differentias negligère, & omnia reducere ad nomina, & ſic diſcurrere.

Mens Cujacii explicatur.

Nomen vel unam tantum rem exiſtentem ſignificat, ut *Petrus*, & tunc nominatur *Species*, vel convenit pluribus rebus exiſtentibus, ut *Homo*, quod convenit Petro, Franciſco &c. vel *Animal*, quod convenit Homini & Bruto, vel *Ioannes*, ſi multi Ioannes ſint, & tunc dicitur Genus, & breviter à magnis ſe eximit difficultatibus.

Quid ſit dividi pro indiviſo? & quid dividi pro diviſo?

Si quid in partes pro indiviſo, & pro diviſo dividi? Ex verborum appropriatione colligemus. *Stichus*, ait, *dividitur in partes pro indiviſo, non pro diviſo*. At Stichus dividitur non in ſe, ſed in pretio. Ergo in Cujacii Lexico dividi in partes pro indiviſo, eſt dividi in partes extrinſecas, quæ non ſunt in re, ſed in pretio: & dividi pro diviſo, eſt dividi in partes extrinſecas. Sic equus, qui legatur duobus, non debet realiter dividi, ſed vendi, ut dividatur valor: ſi autem tota duobus ſit legata pecunia, hæc poterit in duas partes intrinſecas dividi. Vide inferius.

ARTICVLVS V.

De Terminorum Proprietatibus. *Dilucidantur præcipuè, Suppoſitio, Acceptio, Significatio, Ampliatio, Translatio, Reſtrictio, Diminutio, Appellatio.*

Quid ſit Terminorum proprietas?

SIcut res cæteræ ſic & Termini ſuas proprietates habẽt: ſunt autem hę proprietates, quædam Terminorum accidentia, quæ illos ita modificant, ut ſignificationem, ſi non tollunt ſaltem variant, & alterant, oportet agere de ſingulis in particulari. [Sed cur? An-non jam de illis libr. 1. ſatis fusè tractavimus? cur hic ibi jam dicta repetemus? Reſpondeo, hunc poſſe Tomum ſine altero haberi, aut proſtare, & tunc mancus eſſet, ſi hujus capitis doctrina & eruditione careret. Addo, me hic nil omnino reſcribere; utor enim argumentis diverſis, illaque diverſis teſtimoniis confirmo. &c.]

Cur hic iterum de hoc argumẽto diſſeratur?

SECTIO I.

De Significatione, Suppoſitione, & Acceptione.

An & qualis inter ſignificationem, Suppoſitionem & Acceptionem interſit differentia?

S*ignificatio, Suppoſitio*, & *Acceptio*, tres voces ſunt, quæ tametſi videantur ſynonymæ, & coincidere, aliquam differentiam, ſi benè exponantur, important. Suppoſitio ad loquentem, aut ſcribentem pertinet, Acceptio ad audientem, aut legentem: & utraque latiùs patet ſignificatio, quæ à loquente, & audiente, ſcribente, & legente præſcindit. Rem dilucido hoc clariſſimo exemplo, *Taurus* vox æquivoca eſt: eſt enim nomen animalis, cœleſtis ſigni, & Civitatis, quam leges, quas dedit Hiſpaniæ, reddunt celebrem. Si Petrus, ut locum ſignificaret, verſum iſtum ſcriberet.

Taurus vox æquivoca. Aliter ſignificat, aliter ſupponitur, & aliter accipitur.

Phœbus ubi claro Taurum ſplendore colorat.

&

& tu putares illum loqui de tempore; quoniam in fine Aprilis, & Maij initio Sol Taurum peragit: dicerem vocem *Taurus* ſignificare locum, tempuſque, eamdemque à Poeta poni, vel ſupponi pro loco: & accipi à Lectore pro tempore.

Hanc Significationis, Suppoſitionis, & Acceptionis differentiam non ignorabat Iuriſconſultus, qui *leg.1.de fugit.* ait. *Quod autem Prætor ait,* ſuſcepiſſe, *ita accipimus, ſi ſuſceperit ſervum alienum ad ſe: & eſt propriè* recipere, *refugiū abſcondendi gratia ſervo præſtare.* Ergo in voce *ſuſcipere* tria ſunt conſideranda: primum, quas res ipſa ſignificet: ſecundum, pro qua illam poſuerit, aut ſuppoſuerit Prætor: tertium, pro qua nos illam accipiamus. Quoniam ſi eodem ſenſu, quo Prætor, illam intelligimus, benè diſcurrimus; ſi autem alio, niſi ad id nos æquitas coegerit, malè. Quoniam *Laudatur à Cicerone Servius Sulpicius, appellaturque ab eo non* Iuris, *ſed* Iuſtitiæ conſultus, *quoniam erat ei in interpretandis legibus incredibilis æquitas, & penè Divina*, ait Dominus Dominicus de Rubeis *certam. 1. pag. 11.* Suadet enim æquitas, ut benigniſſimè leges accipiamus & interpretemur.

Quid ſit Servum recipere?

Aequitas interdum cogit, ut verba aliter accipiamus.

Sulpicius laudatur.

Nec illam ignorabat Bonifacius VIII. qui *Regul.57.* in 6. doctrinam hanc generalem præſcribit. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.* Attende. Sit lex Eccleſiaſtica hæc. *Diebus præſcriptis omnes exceptis ægrotis jejunanto.* At ſunt duo infirmorum genera: alii enim indigent carnibus, quia nocivi ſunt piſces; alii qui indigent meliori, & majori alimento, ut vires recuperent. Fortè Pontifex, qui hanc legem tulit, prioris generis ægrotos à lege jejunii non exemit. Ergo tametſi carnes comedant debebunt abſtinendo à cœna, jejunii formam obſervare. Et hoc ſenſu loqnutum fuiſſe Legiſlatorem (hoc eſt, hoc ſenſu verba ſumpſiſſe, aut ſuppoſuiſſe) putavit Leſſius *lib.4. cap.2.dub.6.n.45.* cui adhæret Graffius *p.1.lib.2.cap.37.n.58.* Hoc tamen non obſtante, nam verba legis ſunt obſcura, & ambigua, poſſunt accipi ad ſubditi favorem, contra Legiſlatorem, qui potuit loqui apertiùs & noluit; quam ob rem poſſumus benigniùs verba illa accipere & interpretari: omneſque ægrotos, qui carnibus veſcuntur, à jejunio excuſate; quod facit Henriquez *lib.7. cap.13.nu. 12.* Diana *part.1.tract.9.reſol.25. & tract. 21.reſol.4.* Cotonius *in ſumm.verb.Ieiuniū nu.19.* & alii.

Alii Ægroti indigent ciborum quantitate & alii qualitate.

An qui carnes comedunt jejunare teneantur?

Verba legis, ſi obſcura ſint ad favorem ſubditi interpretantur.

His ſimilia poſſem mille exempla producere; unum tamen adhuc addidero uberioris explicationis cauſa. Anno 1588. Sixtus V. publicavit Bullam *Effrænatam*, contra procurantes abortum: & ſi fœtus animati ſit declarat illos irregulares. Sanè vox *Fœtus animatus*, ſignificationem latā habet; nam tam certò, quam probabiliter, aut dubiè animatum ſignificat. Sed in qua illam ſignificatione poſuit aut ſuppoſuit Pontifex? Fortè has omnes tres abortûs differentias voluit comprehendere; quia Tenor Bullæ eſt ſeverus, & non videtur voluiſſe Pontifex aliquem caſum eximere ab irregularitate. Sic ſentiunt Fagundez *in Decal.tom.1. lib.2. cap.10.nu. 15.* Diana *par.4.tract.2.reſol.25.* Vaſquez, Soarez, Salas, Sayrus, & alii. At Præpoſitus, Moura, & alii, quos citat Diana *loc.cit. reſol.16.* ita Bullæ verba accipiunt, ut in dubio, an fœtus animatus ſit? procurantem abortum aſſerant non incurriſſe irregularitatem.

Vocis Fœtus animati varia ſignificatio.

An in dubio, qui abortum procuravit cenſendus ſit irregularis?

Hæc omnia clariùs in ſenſu metaphorico & Accommodatitio videntur. Addo hæc exempla.

Inundantur in Flandria tempore hyberno prata, ut autumnali herbis abundantius & copioſius luxurient; & ut commodiùs poſſint, diſtinguuntur aggeribus, & aquæ ex his ad illa per rivos, & canales ducuntur, juſſerat Aurelius, Vir dives, inundari ſua prata, & ubi ſuperfluere aquam vidit, inclamavit ad ruſticos,

Prata in Flandria inundantur.

Claudite jam rivos pueri, ſat prata biberunt.

Sunt verba Virgilii in Eclog. & illæ duæ voces *rivi* & *prata*, ſi agamus de ſignificatione, tam propriè, quam per tranſlationem variè uſurpantur. A Virgilio metaphoricè ſupponuntur, ſed propriè ab Aurelio accipiuntur, agit enim de veris pratis, & de rivis veris Aurelius; de metaphoricis Virgilius, dicuntur enim illa verba cantoribus, unde *rivi* vocem, & *prata* ſignificant aures.

Quid voces rivi & prata propriè & quid metaphoricè ſignificent?

Moris eſt in Vniverſitate, ut ſi Rector Magnificus incepta jam diſputatione ſuperveniat Præſes dicat, *verſabamur* &c. & priores ſyllogiſmos ad pauca verba præſtringens ſtatum difficultatis exponat. Hic mos tranſivit ad Conciones, quando videlicet Regia aliqua perſona ſupervenit. Die Veneris Sancto concionabatur Aſſiodorus Bruxellis. Et quia jam incepta concione ingreſſa fuit Maria de Medicis, Chriſtianiſſima Regina Galliæ, ut breviter prius dicta reſumeret Concionator ſic inſit.

Quid academico more importet verſabamur?

Infandum Regina jubes renovare dolorem.

Virgilius Æn. 2.3.

Sunt Virgilii *in Æneid.* numeri, & in ipſis ut video Significatio, Suppoſitio, & Acceptio diſtinguuntur clariſſimè. Primò

De nomine Regina.

enim

enim nomen illud *Regina*, ſecundum ſe conſideratum, habet latiſsimam ſignificationem; Didonem ſonat prout à Virgilio ponitur, aut ſupponitur; & Mariam Medicæam, ut accipitur ab Aſsidoro. Secundò, vox illa *infandus dolor* ſecundum ſe patet latiſsimè; ponitur aut ſupponitur à Virgilio pro animi cruciatu, quem Æneas patiebatur, quando Trojani incendii, & excidii meminerat: & accipitur ab Aſsidoro pro anxietate & lachrymis, quibus Chriſtiani Dominicæ Paſsionis Myſteria recenſemus.

De nomine Dolor?

Sunt, quæ hanc doctrinam exornent, frequentiſſima in Sacra Scriptura teſtimonia, unum, aut alterum produco.

Eccl. 24.
Quæ fuit illa ſapientia quæ ab initio & ante ſæcula fuit creata.

Legimus in libro Sapientiæ *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, & uſque ad futurum ſæculum non deſinam*. Quæ verba in textu de Sapientia increata (Verbo Æterno) intelliguntur: & in Miſſa puriſſimæ Virgini Mariæ ab Eccleſia applicantur. Verba ſingula ſecundum ſe conſiderata ſunt univerſalia & communia, & ſignificant indeterminatim. A Salomone pro Verbo Divino ſupponuntur: & ab Eccleſia accipiuntur pro Deipara. Et hìc obiter nota, verbum *creo*, quæ hodiè apud Scholaſticos eſt *rem produco ex nihilo*, ante Scholaſticos fuiſſe idem, ac *produco*: nam in Sacra Scriptura paſſim occurrit: ſed tamen, nec ſemel ita ponitur, ut ad productionẽ ex nihilo recurrere neceſſario cogamur. Nam ſi objiciat textum, *In principio creavit Deus Cælum & Terram*. Reſpondent Patres Græci illa creaſſe ex chao, quod ex nihilo fecerat: & poterunt reſpondere Latini, materiam primam feciſſe Deum ex nihilo, non autem Cœlum, Terramque: nam hæc fecit educendo formas de potentia materiæ: & hanc eductionem *creationem* à Propheta vocari. Sed de hoc uberius alibi.

Quid creare ſit?

An cœlum terramque Deus ex chao eduxerit? an produxerit ex materia & forma?

Canimus in Pſalmo 88. *Inveni David ſervum meum, oleo Sancto meo unxi eum*. Et hæc verba ad Offert. in Miſſa de Pontifice Confeſſore leguntur. Et ajo illa aliter abſtractim & ſecundum ſe, aliter in Pſalmo, & aliter in Miſſa uſurpari. Primò vox illa *David* habet duas ſignificationes propriam & extenſivam: nam ſicut *Cæſar* nomen fuit proprium Iulii, & poſtea fuit appellativum, & ſignificavit Imperatoriã dignitatem, Iulio, Auguſto, & Succeſſoribus illorum communem: ſic nomen *David* eſt Regis Prophetæ proprium, & quia tam Sanctus fuit, ut dixerit de illo Deus *Inveni hominem juxta cor meum*. Sicut omnes liberales *Alexandros*, & omnes crudeles *Nerones* dicimus, ſic omnes dilectos à Deo, *Davides* poſſumus appellare; nam ſic Eccleſia in Miſſa, ut diximus Pontifices Sanctos appellat. Secundo vox illa *Oleum Sanctum* tam regale, quàm Sacerdotale ſignificat ſecundum ſe. Ergo in hoc verſu aliter ſignificant, aliter ſupponuntur, & aliter accipiuntur vocabula. Præciſæ à Pſalmo, & Miſſa voces *David*, *Oleum*. &c. diverſas ſignificationes habent. In Pſalmo *David* eſt nomen proprium & pro Rege Propheta; & *Oleum* pro regali ponitur, & ſupponitur. In Miſſa *David* eſt nomen appellativum, & pro Sancto Epiſcopo; & *Oleum* accipitur pro Pontificali.

Quid vox David ſignificet? Quid Cæſar?

Quid Alexander, Nero &c.

Quid vox oleum?
Aliter ſignificant aliter ponuntur & aliter accipiuntur hæ voces.

Sunt & loci in quibus non ſolum à ſignificatione, & ſuppoſitione Acceptio, ſed etiam una Acceptio ab alia (nam plures ſunt) diſtinguidebeat. Eſt opportunus ille quem *leg. 40 ſi ſerva S. vet. D. de Iure dotium*, in Pandectis reperio. Illum produco.

An unius & ejuſdem vocis eſſe poſſint acceptiones diverſæ?

Si Spadoni nupſerit mulier diſtinguendũ arbitror. Caſtratus fuerit vel ne (ut in caſtrato dicas dotem non eſſe (dos enim ſequitur matrimonium, & cum caſtrato matrimonium non eſt) *in eo, qui caſtratus non eſt, quia eſt matrimonium, & dotem & dotis exactionem eſſe*. Pandectæ Florentini, *& dotem & dotis actionem*. Sunt verba Vlpiani *ex lib. 33. ad edict.* deſumpta.

Dos ſine matrimonio non datur.

An ſpadones & caſtrati poſſint uxores ducere?

Et hic quærendum (1) eſt quid ſignificet vox Spado? (2) Quo illam ſenſu Vlpianus ſcripſerit, & ſuppoſuerit? (3) Quo eam Iuſtinianus, & ejus Adminiſtri acceperint? (4) Quo illam Acurſius? (5) quo Gloſſæ Author acceperit & intellexerit.

Succurrentes quæſtiones?

Ad primum dico teſtes pendere à nervis, qui *cremaſteres* vocantur. Cùm caſtratur animal ſcinduntur iſti, & teſtes decidunt. Si obtorqueantur hi nervi, redditur homo impotens, quia occluditur ſemini via, & vocatur *Spado*. Hæc nervorum obtorſio, non ſolum ab arte, ſed etiam à natura contingit. Et hinc ſumpta ſimilitudine Authores, qui *de re ruſtic.* ſcripſerunt ſurculos infructiferos *Spadones* per metaphoram dicunt. Columella lib. 1. de arb. *Ejuſmodi ſurculos, qui nihil afferunt*, Spadones *appellant*.

Cremaſteres;

Spado quis ſit?

Quinam rami Spadones vocantur?

Si agamus de illis, qui altero teſticulo privati ſunt, eos volunt aliqui nominari *Caſtratos*, alii hoc nomen illis convenire non volunt, quia Caſtratio fit, ut impediatur generatio, & qui carent altero teſte, generant; & ideò malunt eos *Spadones* vocare. Caſtrati equi ſunt debiliores, integri ut militibus ſerviant judicantur inepti: & Hungari ut mediam viam inirent, equos altero teſticulo privabant, unde etiamnum in Belgio equus qui altero caret

Caſtrati qui?

Caſtrati Equi.
Equi ſemicaſtrati.
Equi Hungarici.

Hon-ſherſpert. halfpert Ruyn Hinhſt

rer Hongherſpert, etiam halfpert: qui utroque Ruyn, & qui neutro Hingſe nominatur. An à Rùyn Belgico vocem Ruín deduxerit Hiſpanus, Critici examinent, ſufficit enim mihi impræſentiarum dicere, illum habere nomina, quibus omnia hæc diſtinguat: eum enim, qui utrumque teſtem perdidit *Capon*; qui alterum *Ciclan*; qui à natura habet quod ſemen emittere non poſſit nominat *Impotente*.

Capon. Ciclan. Impotente.

Spado habet in genitivo Spadonis, vel Spadontis.

Addo & pro Criticis, Cyrillum apud Suidam voluiſſe eſſe σπάδων, ωνος. Plutarchum autem in Demoſth. eſſe Σπάδων, οντος. Sed priorē declinandi modū uſus communis apud Latinos approbat.

Fuit Vlpianus Ethnicus.

Ad ſecundum reſpondeo Vlpianum Ethnicum, non multum fortè de matrimonii fine fuiſſe ſolicitum: & hanc ob rem voluiſſe, ut validè inirent matrimonia, qui haberent teſtes, etſi nec coire poſſent, nec ſemen decidere. Et hujuſmodi matrimonia fuiſſe Gentilium opinatione valida conſtat *ex cap. 39. Geneſeos*; ibi enim Putiphar, nobilis Ægyptius, & exercituum Pharaonis Princeps, licet Eunuchus habebat ſpecioſam uxorem.

Putifar Eunuchus conjugatus.

Olim inter Christianos Spadonum matrimonia permiſſa.

Ad tertium ſuſpicari audebo Iuſtinianū & ſuos veteres Iuriſconſultos vocē illam *Spado* in ea ſignificatione, qua Vlpianus ſuppoſuerat, accepiſſe: quoniam ſub illud tempus, etiam inter Chriſtianos in matrimonio libidinari permittebantur: nondū enim Apoſtolica authoritas, quid eſſet dicendum, reſolverat, accedit, quod cum Tribonianus, qui legibus colligendis, & digerendis præerat, Suida aſſerente eſſet Atheus, & lege pretio figeret, & refigeret, contentus eſſe potuit, ut aliquæ ad ſpeciē juſtæ in Pandectis manerent: & hanc potuit relinquere ſubornatus ab illis, qui dimittere uxores deberent, ſi Spadonum matrimonia illegitima invalidaq; declararentur.

Qualis fuerit Tribonianus?

De Accurſio mendo.

Ad quartū aſſero citari à Gloſſa Accurſium, & ad ejus ſententiam poni hæc verba [Quidam tamen dicunt in Spadone matrimonium eſſe, etiam ſi generare non poſſit, quia vitium eſt accidentale non autem naturale, ut in caſtrato]. Eodem ergo vocem illam Accurſius, quo Imperator, & ejus Adminiſtri, uſurpavit.

An Iuſtinianus Theologis opponatur?

Hanc acceptionem nominis *Spadonis* in lege prædictâ eſſe contra veritatem & æquitatem teſtantur univerſi Theologi. Et Antonius Cotonius *in Summ. Diana verb. impedimentum num.* 20. affirmat [quod impotentes impotentiâ perpetuâ non poſſunt nubere, ne in ordine ad caſtè vivendum quidem: nam de intrinſecâ matrimonii ratione, eſt traditio poteſtatis ad uſum & copulam conjugalem, quam impotentes tradere non poſſunt, cum nō habeant: nec poſſunt matrimonii, vel alterius Sacramenti, aut contractûs eſſentialem rationem ad ſuum ipſorum arbitrium immutare. Accedit Bulla Sixti V. edita ann. 1587. declarans matrimonia Spadonum vel Eunuchorum prorſus evitatorum, cum quibuſvis mulieribus, ſive ſcientibus, ſivè ignorantibus, eſſe & ſemper fuiſſe irrita.]

Quænam traditio de eſſentia matrimonii ſit?

Forma contractuum eſſentiales privatim mutari non poſſunt.

Ad quintum dico Authorem Gloſſæ vocem *Spado* aliter accepiſſe: inquit enim [*Spado* dicitur hic, qui generare poteſt, quia unum ſaltem de teſticulis habet. Alioquin contra Inſt. *de lib. & poſth. leg. ſed eſt quæſitum*. S. *Spadoni*: *& ſupr. de ædil. edict. leg. ſin autem quis ita Spado*] & eſt in hac interpretatione, Gloſſæ Author, à prudentiâ laudandus; nam vocem reſtrinxit, ita ut Theologicæ veritati Iuriſprudentia conſonaret, & Iuſtiniani conſtitutio eſſet juſta: tametſi enim Spadones, qui vel nullum teſtem habent, vel ſemen decidere non poſſunt, nequeant matrimonium contrahere: illi, qui teſtem habent unicum, coire & generare ſolent, adeoque poſſunt validè matrimonium inire. [Et hic obiter nota, quando legitur aliquos ſpadones habuiſſe filios; aut agi de Spadonibus, qui alterum teſtem habent: aut ſi de illis, qui neutrum habent, filios illos fuiſſe adoptivos, aut ſuppoſititios, ſi velis.]

Accipitur vox Spado pro illo qui habet unicum teſtem.

Hic poteſt matrimonium inire.

An Spadones habeant filios & quales?

Maneat igitur in Terminis aut Dictionibus Significationem, Suppoſitionem, & Acceptionem differre: quin etiam maneat ejuſdem vocis ſemel poſitę varias eſſe aliquando Acceptiones.

Concluſio.

Significatio duplex eſt Materialis, Formalis. Significant voces materialiter, quādo ponuntur, aut accipiuntur pro ſeipſis: formaliter, quando pro re ſignificatâ. In hac propoſitione; *Sol eſt monoſyllabum*; Subjectum *Sol* ponitur materialiter: in hac autem *Sol illuminat* ponitur formaliter. In illis Sancti Iſidori verbis *Homo ab humo dicitur*, vox *homo* ſeipſam ſignificat, & materialiter vſurpatur. In illis autem Iuriſconſulti Florentini *Hominem homini inſidiari nefas eſt*. (quæ in ejus *inſtitut. lib.* 1. leguntur, & habentur *leg. ut vim D. de Iuſt. & Iur.*) eadem vox *Homo* non pro ſeipſâ, ſed pro re ſignificata ponitur, & uſurpatur formaliter.

De Significatione materiali & formali. Vox Sol.

Homo undè dicatur?

Addam aliud exemplum ex Vlpiano, qui *libr.* 7. ſuarum inſt. ait. Ivri *operam daturum, priùs noſſe oportet, unde nomen Iuris deſcendat; eſt autem Ius à Iuſtitia appellatum*. &c. Ter in his paucis verbis nomen *Ius* legitur, & quomodo accipiatur, inquiris. Reſpondeo tamen Ius, ut ſuperius diximus, multa ſignificare: in illis autem verbis, *Iuri operam daturum* ſumi

Vox Ius unde proveniat?

Exponitur quando nomen Ius materialiter & quando ſumatur formaliter.

mi formaliter, & Iuriſprudentiam concernere: ut conſtar ex ſequentibus verbis, *Nam ut eleganter Celſus definivit, Ius* (videlicet, cui operam damus) *eſt Ars boni & æqui*. Vnde Ioannes Coraſius [Iuris nomen hoc loco, non Ius ipſum abſolutè demonſtrat, ſed Iuris Civilis ſcientiam &c. Et ita hic locus enucleandus venit: alioqui ſi Iuris verbo, non Iuris ſcientiam, ſed Ius ipſum ſimpliciter intelligeremus, rueret etymus Vlpiani. &c.] In illis verbis, *Eſt autem* Ius à Iuſtitia *appellatum*, & nomen *Ius* & *Iuſtitia* ſumuntur materialiter: nam ibi Vlpianus non de rebus, ſed de vocibus diſserit, ut enim à *lætitia* deducitur *lætus*, ſic à *juſtitia* nomen *Iuſtus*. In illis autem verbis, *Vnde nomen Iuris deſcendat*, quomodo ſumitur vox illa *Iuris* formaliterne, an materialiter? Reſpondeo aliud eſse *nomen Petrus* & aliud *nomen Petri*: cum enim dico, *nomen Petrus* illa vox *Petrus* ſumitur materialiter: cum autem dico *nomen Petri*, dico *nomen quod habet ipſe Petrus*, & ideò illa vox *Petri* ſumi debet formaliter. Ergo eodem modo de verbis Vlpiani diſcurramus. Non dixit *nomen Ius*, ſed *nomen Iuris*, vult ergo, ut cognoſcamus, unde nomen Iuris (nomen quod habet illa ſcientia, quæ eſt Ars boni & æqui) deſcendat. Vide quæ ſuperiùs §. *Et ipſa* ſunt dicta.

Nota id bene.

SECTIO II.

De Significationis Ampliatione.

Apocal. 14.
Quid ſit ampliatio?

AMpliatio eſt quando tempus quodcumque illud ſit, ſumitur pro præterito præſenti & futuro: ut cum Angelus dixit, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Nam illud participium *mortui*, & illud verbum *moriuntur* ad omnia tempora extenduntur, quot quot enim in Domino fuerunt mortui, moriuntur, aut morientur, beati ſunt. Hanc temporum in verbis Ampliationem cognoſcunt & dilucidant Iuriſperiti, unde Alexander Scotus in utriuſq; Iuris Vocabulario ait. [*Eſt*. Hoc verbum interdum etiam præteritum tempus demonſtrat *leg. verbum* erit 123. *de verb. ſignif.*

De Propoſitionibus Veritatis æternæ.

Huc definitiones, & omnes neceſſariæ propoſitiones pertinent, quæ æternæ veritatis vocantur: nam hæc definitio. *Homo eſt animal rationale*, videtur æquivalere huic, *Homo ſemper fuit, eſt, & ſemper erit animal rationale*. Vnde illud Vlpiani, *Ius naturale eſt, quod Natura omnia animalia docuit*, ampliari poterit, ut ſit Ius naturale, *quod Natura à Mundi initio omnia animalia ſemper docuit, nunc etiam docet, ſemperq; aduſq; mundi finem doctura eſt*.

Leg. 1. §. Ius naturæ D. de Iuſt. & Iur.
An etiam nomina amplientur?

Sicut verba, ſic etiam nomina amplientur. Ponam unum ob oculos, ut de cæteris judicium ſit. Stando proprietati ſermonis *Filii* nomine, nec filia, nec nepos intelligitur *leg. 6. D. de teſtam. tutel. §. fin. Inſt. qui teſta. tute. dat*. At verò, quia favores ſunt ampliandi, cum nepotum, aut filiarum intereſt, illos nomine comprehẽdimus. Sanè nepotes *ex leg. 84. de verb. ſignif.* vide Bartolum, & Baldum *in leg. Gallus §. inſtituent D. de liberis & poſthum.* Alciatum *in Comment. ſuis de verb. ſignif.* Zaſium *in tract. ſubſtit.* At verò filias *ex leg. 16. D. de teſtam. tut. leg. 122. de verb. ſignif.* Vtrumque confirmat Vlpianus *libr. 34. ad Edict.* dicens: *Liberos Senatorum accipere debemus, non tantum Senatorum filios, verum etiam omnes, qui geniti ex ipſis vel ex liberis eorum dicantur, ſive naturales, ſive adoptivi ſint, liberi Senatorum, ex quibus nati dicuntur. Sed ſi ex filia Senatoris natus ſit, ſpectare debemus patris eius conditionem.*

Leg. 10. D. de Senat.

An ex matre Senatoria natus, ſit, ordinis Senatorii.

Dices Iuriſconſultum hic in conſequẽtia laborare. Nam partus ventrem ſequitur. Vnde ex ſerva & libero natus ſervus eſt, qui ex libera & ſervo ſemper cenſetur liber. Ergo, ſi matris haberi debet tantùm conſideratio, qui ex matre ſenatoria à parente plebæo ſuſceptus fuerit frui debet honore Senatorio. Quomodò ergo Vlpianus hic filiorum qualitatem, non à matris, ſed à patris qualitate metitur? Reſpondeo ſtandum Reſolutioni Vlpiani, & nullam in ea inconſequentiã, aut contradictionem inveniri. Dicis. Partus matrem ſequitur. Eſto. Ergo Senatorii ordinis eſt, qui ex matre Senatoria natus. Concedo. Ergo qui ex Senatoris filia. Diſtinguo. Si illa Senatorium ſplendorem retineat, concedo. At ſi amiſerit, nego. At quæ plebæo nupſit, amiſit, ut ipſe Vlpianus *lib. 2. de ſenſib.* teſtatur vide quæ inferiùs. Vnde putarem Iuliæ Mammææ filios (nam cum illa diſpenſavit Antoninus Auguſtus, ut licet ignobiliori Viro nuberet, Senatoriam authoritatem conſervaret, ſi quos ex illo matrimonio habuit, ad Senatorium Ordinem pertinere.

Senatoria fœmina, ſi ignobiliori nubat, Senatorium ſplẽdorem amittit.

Leg. 12. D. de Senatorib.

Imperator cum Iulia Mãmæa diſpenſaverit?

An Excommunicationis nomine indefinità ſumpto intelligatur major an minor?

Etiam in Iure Canonico exempla ampliationis reperio, nam quando à Iure, vel ab homine imponitur Excommunicatio, & non additur *Major* vel *Minor*, intelligitur major. Quia tametſi ex Regula XV. in 6. videretur oppoſitum debere ſtatui *Nam odia reſtringi, & favores convenit ampliari*. Vſus & conſuetudo obtinuit, ut in ſententiis, niſi Iudicem agere de mi-

nori conſtiterit, *Excommunicationis* nomine major intelligatur, & ſic olim *in cap. ſi quem de ſent. excomm.* Gregorius IX. definivit his verbis. *Si quem ſub hac forma verborum,* illum excommunico, *vel ſimili, à Iudice ſuo excommunicari contingat, dicendum eſt, eum non tantùm minori quæ à perceptione Sacramentorum, ſed etiam majori excommunicatione, quæ à communione fidelium ſeparat, eſſe ligatum.* Et ſic rem communiter intelligunt Doctores, (Theologi, & Canoniſtæ) & præcipuè Ioannes Monachus, Major, Navarrus, Covarruvias, Abbas, Suarius, Sayrus, Salas, Avila, Alterius, Ægidius, Filliucius, Hurtadus, Sylvius, Toletus, Bonacina, Baſſæus, Cornejus, Machadus, Laymannus, Palaus &c. apud P. Leandrum de Sanctiſſimo Sacramento *tom. de Cenſur. tract. 2. diſp. 1. quæſt. 8. pag. 84. a.*

Quomodo inter ſe diſtinguantur?

Authores pro ampliationis doctrina.

Sicut affirmatio, ſic & negatio ampliari poteſt, & poſitis talibus, aut talibus circumſtantiis, etiam debet. Illud enim. *Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te;* his verbis ediſſeritur, *Tota pulchra fuiſti, es & eris amica mea & macula nec fuit nec eſt nec erit in te.* Nam cum Deipara ſine labe originaria concepta ſit, ſemper decora fuit, & nunquam vel minima macula infecta.

Etiam negationes ampliantur.

SECTIO III.

De Hyperbole.

QVÆ Græcè ὑπερβολὴ, à Cicerone *Superlatio*, & ab aliis *Eminentia* vocatur. Ad ampliationem reducitur nomen enim trahit à verbo ὑπερβάλλω *extendo, amplio.* Aliter illa Poetæ, aliter utuntur Oratores, & cauſarum Patroni; illi enim fidem dicendo ſuperant: hi extendunt quantum fides, & erudelitas patitur. Poetica ſunt, & ideò liberiùs currunt hæc. *Eſt nive candidior: Eſt fulminis ocyor alis: Vox oſſibus hæſit. Qui candore nives anteirent curſibus auras.* Virg. Æneid. 12.

ὑπερβολὴ Superlatio. Eminentia. Superiectio. Huius figuræ uſus.

Etiam interdum Oratores Poeticis ſuperiectionibus, ut cum Quintiliano loquar delectantur. Cicero in Top. *In hoc genere Oratoribus & Philoſophis conceſſum eſt, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab Inferis excitentur, quod fieri nullo modo poſſit, augendæ rei gratia, aut minuendæ, quæ Hyperbola dicitur.* Vide Quintilianum *libr. 8. cap. 6.*

Præſtat ut muta vocem habeant virtualiter: & mortui virtualiter vivant.

Sunt interdum aliqui, qui quod ſuam expectentiam vel fidem ſuperat, aut fabulam aut hyperbolem æſtiment: item, qui ubi reperiunt ſenſum aliquem, quem non capiunt, quod ſupra ſuum captum ſit, hyperbolicum cenſent. Habemus exemplum manifeſtum in Iure: nam *digeſtor. lib. 2. titul. 14. de Pact. leg. 1.* ponuntur Verba Vlpiani *ex lib. 4. ad Edict.* deſumpta. Quoniam ille ſic inquit. *Quid tam congruum eſt humanæ fidei, quam ea, quæ inter eos placuerit ſervare?* & Gloſſa. [Hyperbolicè loquitur: quia Deum colere magis congruit, cum anima ſit rebus quibuſlibet præferenda. ut C. *de Sacroſanct. Eccleſ. leg. Sancimus in fin.* ſic ſuper. *de Iuriſd. omnium Iudic. leg. ſi per errorem,* & C. *de tranſact. leg. non minorem,* & infra, *de act. empt. leg. exempto in princ.*] Et habetur in margine [Bar. approbat; ſed Ca. negat eſſe hyperbolem.]

Multa ſunt ſimpliciter dicta, quæ ab aliquibus cenſentur hyperbolica.

An hic Vlpianus hyperbolicè loquutus fuerit?

Sanè ſenſus non eſt figuratus, ſed pervius: nam vox *fides* hîc per vocem *humana* reſtricta Fidem Theologicam nequit ſignificare: ſumpſit ergo Vlpianus *Fidem* pro veracitate & Fidelitate, quo ſenſu concinnata eſt Regula Iuris *Frangenti fidem fides frangatur eidem,* de quâ fusè Scriptores, & ante pleroſque Cicero *lib. 1. & 3. offic.* & *pro Roſcio Com.* & ut meliùs intelligas, *Quæro primò,* an reddere verâ promiſſionem, & obſervare legem Dei, quæ omne mendacium inhibet, non ſit Deum colere? Ergo, ſi ea, quæ inter nos placuit, ſervo, Deum colo: & ago de ſalute meæ animæ, quæ eſt omnibus aliis rebus præferenda, quod à nemine negatum, fusè probat. *Quæro ſecundò,* ſi ſtare promiſſi non ſit Deum colere *Quid cultus* Dei nomine intelligat? An elicere actum contritionis amoris Dei ſuper omnia, latriæ &c.? Ergo hunc pono caſum: [Petrus promiſit Ioanni ſe daturum hodie centum aureos: & Ioannes promiſſionem acceptat.] Et modo interrogo, quid erit humanæ fidei congruentius orare, lugere, conſcientiam per Sacramentalem confeſſionem expiare, an ſtare promiſſis. Ad hoc tenetur Petrus hodie ſub peccato mortali, & confeſſio non impediet, ut ſatisfaciat Ioanni: & ſi ita fiat, ut ſolutionem impediat, non eſt bona confeſſio, non enim licet violare fidem, & novum peccatum committere confeſſionis prætextu.

Quid ſit fides humana?

An frangenti frangenda?

An non colat Deum, qui ſtat promiſſis?

Nulla devotio non præcepta eſt bona ſi impediat, ut quis obſervet Divina præcepta.

Ipſamet Sacramentalis Confeſſio, quando non eſt præcepta, ita debet fieri, ut præceptorum adimpletionem non impediat.

SECTIO IV.

De Metaphora ſeu Tranſlatione.

TRanſlatio, quæ & Alienatio ſolet dici, contingit, quando propter ſimilitudinem transferuntur vocabula. Ioannes, ut primum vidit, & adoravit Chriſtum dixit *Ecce Agnus Dei.* Et cur illum ſic

Similitudo tranſfert vocabula. Agnus.

ſic vocaret expoſuit, quia ſicut Agnus in Altari, ſic Chriſtus in ara crucis erat immolandus, & Mundi peccata ablaturus.

De vocativo Agnus, qui in miſſa legitur.

Et hic obiter nota non reprehendi tantum, ſed graviter puniri debere, Sacerdotes, qui in Miſſa audent dicere, *Agne Dei, qui tollis peccata mundi* &c. nam dum videri volunt Critici, nec ſunt Theologi, nec Grammatici. Vocativus in *us* fuit in ſecunda declinatione frequentiſſimus, Virgilius *libr.* 8. *Æneid. Corniger Heſperidum fluvius Regnator aquarum*, unde manet *Deus*, qui in vocativo ſimiliter habet *Deus*. Cum igitur *Agnus* propriè animantem notam, & metaphoricè Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum ſignificet; voluit Eccleſia, ut in prima ſignificatione declinaretur, ut *Dominus*, in ſecunda ut *Deus*, nam eum vox *Agnus* ſit terminus Religionis Chriſtianæ, ex ipſa declinatione in Miſſa noſcitur, quo ille ſenſu ab Eccleſia accipiatur.

Vocativus fluvius.

Vocativus Deus.

Cur & quando Agnus in vocativo habeat Agnus?

Fumus.

Sic *fumus*, notæ ſignificationis vocabulum de quo *in lege, ſiquis fuma* D. *ad leg. Aquil. & leg. Sicuti* §. *Ariſt.* D. *Si ſervit. vindic.* per tranſlationem ſonat magnifica promiſſa ſed inania, ut eruditè Eraſmus *in Chil.* exponit. Vnde in Mariæ Medicææ Galliarum Reginæ Cenotaphio ſic luſi:

Qua caret effectu ſi ſit promiſſio fumus,
Cautior Anglorum Rex mihi thura dabat.

ubi duplex reperitur tranſlatio, nam thus pro fumo ſumitur, & fumus pro promiſſione inani. Vide noſtros Conceptus Evangelicos *num.* 533.

Quid apud Hiſpanos ſignificat.

Apud Hiſpanos vox *Humos* in plurali, (*fumi*) prætenſionem arrogantem, & male fundatam ſignificat, ut homo vilis propter divitias ſuperbeſcat, & ut nobilis haberi velit, de hoc dicimus, *que tiene humos de Caballero.* In ſingulari ſumitur pro re vanâ: nam ſi ex levi fundamento grandes conſequentias deducas, *es coſa de humo.* Reſpondebo tantummodò. Vnde putaverim hanc ſemper vocem in malam partem accipi. At modo non ſine admiratione in Deciſione Rotæ, *Veneris* 11. *Maji* 1629. apud Illuſtriſs. D. Donatum Antonium de Marinis Reſol. Iuris *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 10. hæc lego. *Quod* (exceptionis) *tempus, & propter loci diſtantiam, & ferias, quæ inſtabant, atque etiam, quia dabat Prior fumum aliquem boni Iuris, ex arbitrio quod ſuper hoc dixi, maximum Iudicis eſſe, viſum eſt Dominis ad annum extendi poſſe.* Vbi, ut conſpicis *fumus* ſumitur pro probabilitate.

An ſemper in malam partem debeat ſumi?

Fumus *pro probabilitate.*

Sicut Similitudo, ſic etiam Diſſimilitudo extremorum res exprimit alienis vocabulis: unde remiſsè calidum vocari ſolet frigidum cum intensè calido comparatum. Patrum aliqui dicunt Angelos eſſe corporeos, alii eſſe immateriales: & cum maximè videntur differre, conveniũt: nam Angeli, ſi cum infinita Dei immaterialitate comparentur, poſſunt dici corporei; immateriales autem dici debent cum corporibus mundanis collati. Vnde P. Ioannes de S. Thoma *diſp.* 18. *de Angel. art.* 1. *num.* 3. ſic ait, *Intelligebant* (antiqui Patres Angelos) *eſſe corporeos, id eſt, limitatos & potentiales, quia ſolũ Deum purè incorporeum faciebant, id eſt, nullo modo potẽtialem: & hoc ſenſu ceteras creaturas ita eſſe corporeas, quod ad Dei immaterialitatẽ non attingunt.* Sic homines, qui nunc vivimus, ſi cum defunctis comparemur, ſumus, exiſtimus: at verò noſtrum *eſſe*, cum *eſſe* Divino collatum nihil eſt. Audi Ægidium columnam *in* 3 *diſt.* 11. *qu.* 1. *ad* 8. dicentem. [*Ideò dicit Hieronymus & benè* noſtrum *eſſe* ad Divinum *eſſe* comparatum potiùs eſt *non eſſe, quam eſſe.*] Et producit illud Exodi 3. *Ego ſum, qui ſum*, & illud ex Cant. *Videte, quod ego ſum ſolus* &c.

An & quando uni contrario ſi in gradu remiſſo, oppoſita detur denominatio.

An Angeli corporei ſint?

An creatura exiſtant?

SECTIO V.

De Reſtrictione, & Diminutione.

Quid ſit Reſtrictio?

Opponitur Ampliationi Reſtrictio, quæ vocem latiùs ſignificantem (univoca, æquivoca, aut Analoga ſit) ſecundum circumſtantias, & voces conſignificantes contrahit. Nam cum apud Virgilium Æneid. 6. dixit Sibylla Æneæ

Tuq; invade viam, vaginaq; eripe ferrum.

vox *ferrum* reſtringitur, ut enſem ſignificet, non enim quodcumque evaginatur.

Leg. 2. D. de legib.

Sic Martianus *lib.* 1. *Inſtit.* vocem genericam, *animans*, quæ & brutis convenit, addito nomine *Civilis*, reſtrinxit, ut ſolos homines ſignificaret: dixit enim, *Oportet autem eam* (legem) *præſidere* &c. *& ſecundum hoc regulam eſſe Iuſtorum, & Injuſtorum, & eorum, quæ natura civilia ſunt animantium*, hoc eſt hominum.

Animal Civile.

Leg. 8. D. de ſtatu hominũ.

Hæc Papiniani verba, quæ *lib.* 3. *quæſt.* leguntur lucem addunt. *Imperator Titus Antoninus reſcripſit non lædi ſtatum liberorum ob tenorem inſtrumenti malè concepti.* Prima vox *Imperator* latiſſimè patet, & quia multis convenit voce *Titus* contrahitur, & quia adhuc multi Titi fuerunt Imperatores, voce *Antoninus* ultimo determinatur, ut ſciamus de quonam Imperatore egerit Papinianus.

Homa

Leg. 21. D. de ſtatu hominũ.

Homo liber, qui ſe vendidit: manumiſſus non ad ſuum ſtatum revertitur, quo ſe abdicavit, ſed efficitur libertinæ conditionis. Verba ſunt Modeſtini *lib. 7. Regul.* & in ipſis duo lariſſimè patent *Homo*, & *Conditio*, nam homines ſunt, vel ſervi, vel liberti, vel liberi, & conditio, aut eſt ſervilis, aut libertina, aut libera. Vox ergo *homo* voce *liber* contrahitur: & vox conditio voce *Libertina* reſtringitur.

Reſtringunt vocis ſignificationem circumſtantiæ.

Præter voces etiam aliæ circumſtantiæ concurrunt, & vocabulorum latiùs patentem ſignificationem reſtringunt. Sic Religioſus, ſi mulierem cognoverit, benè confitetur, ſi dicat, *Commiſi fornicationem*: nã licet *fornicatio* ſit vox generica, & ipſe debeat ſpeciem peccati perpetrati exponere: ſatisfacit: nam veſtes Regulares conſignificant, & vocem genericam (fornicationem) ad ſpeciem (ſacrilegium) reſtringunt. Prætereà in legibus, & Teſtamentis multæ reperiuntur loquendi formulæ, quæ tametſi univerſaliter conceptæ ſint, à circumſtantiis reſtringuntur. verbi gratia. *Vbi voluerit mater morietur.* Quæ verba *in leg. quintus de ann. legat.* Iuriſconſulti interpretantur, & Spiegelius dilucidat, & exponit his verbis. [Hæc loquutio variè recipit temperamentum: ex antecedentibus ex ſubſequentibus, ex adjunctis, ex circumſtantiis, ut ex Doctorum Reſponſis (vulgò conſilia vocant) conſtat.]

An & unde teſtamentorum verba reſtringantur?

An etiam locus.

Tempus etiam communem vocem determinat, nam in Diplomate à Philippo Rege Hiſpaniæ conceſſo, ſi quæras à quo illud Philippo expediatur? anne à Primo, Secundo, Tertio, aut Quarto? Annus ſubſcriptus dubium tollet. Indifferentiam etiam aufert locus, *nam lingua bovis*, carnem talem in culina, & in horto talem florem ſignificat.

An reſtringat voluntas?

Reſtrictio profectò, & Ampliatio ſumi ſolent à voluntate, quam ex externis, & notis circumſtantiis intelligimus. Externas dixi & notas, nam per actus intellectus, aut voluntatis, ſi purè interni, nulla tollitur æquivocatio, nulla ſignificatio reſtringitur ut ſtatim ſuadebimus. Poſſe per voluntatem extrinſecùs manifeſtam contrahi Propoſitiones probant nonnullę Iuris Regulæ, quibus voluerunt Principes ſubditos gubernari.

De generali conceſſione, promiſſione præcepto &c.

Eſt in ordine LXXXI. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Voluntas igitur, quæ prudenter præſumitur; quam quis haberet, ſi in ſpecie interrogaretur, generalem conceſſionem reſtringit. Eodem modo de voto, & præcepto eſt philoſophandum; quoniam *in generali promiſſione, aut præcepto non veniunt ea, quæ quis, ſi adverteret, aut ab alio interrogaretur non eſſet in ſpecie promiſſurus, aut præcepturus.* Vide Theol. Fundam. *num.* 930.

De toto & parte Acceſſorio & principali de magis & minus.

Per Ampliationem & Extenſionem, qui conceſſit totum, partem conceſſiſſe cenſetur *ibid num.* 931. qui principale dedit, acceſſorium dediſſe *ibid. num.* 933. §. 11. *nu.* 938. & cui licet, id quod eſt plus, etiam quod eſt minus licere *ibid. num.* 932.

Cur reſtringantur odia? an poſſint ampliari? an poſſint favores reſtringi?

Odia reſtringi & favores convenit ampliari. Regul. XV. *ibid. num.* 944. Sed cur? Quia ut nos docet Layman fol. 921. ratio ad ampliandum eſt ſufficiens, quod nulla ad reſtringendum ſit ratio. Hoc enim ipſum voluit Princeps, rationem præcipuè à Clementia deſumens: qui, ſi aliquando id ratio poſtulet, poterit procul dubio præcipere, ut amplientur rigores, favores autem reſtringantur. Prætereà, ſi majeſtatem & gloriam Principis conſideremus *decet conceſſum ab illis beneficium* (privilegium) *eſſe manſurum.* Reg. XVI. Interim, ſi fortè bono publico expediat, ut revocetur, in tali caſu dedeceret eſſe manſurum.

Quomodo reſtringatur reſponſio?

Quomodo ſint intelligẽdi Patres?

Reſponſio per interrogationem reſtringitur: & Patrum, qui Hæreticos impugnarunt, propoſitiones, nunquam intelligentur benè, niſi ad ſenſum eorum, quos refellunt, reſtringantur. Pono exemplum. Damaſcenus *lib. 3. cap. 2.* ſic inquit *Chriſtotocon* (Chriſti Genitricem) *non dicimus Virginem.* Ergone negavit Damaſcenus Virginem eſſe Chriſti matrem? Id viderentur ejus verba innuere, niſi reſtringerentur. Dicebant Neſtoriani purum hominem, qui vocabatur Chriſtus, peperiſſe Deiparam, non verò Deum. Vnde *in eodem lib. & cap.* Sanctus Doctor. *Non enim hominem nudum, id eſt, hominem purum genuit Sancta Virgo, ſed & Deum verum.* Additque *Tantum*, *Chriſtotocon* (Chriſti Genitricem) *non dicimus Virginem*, nempè eo ſenſu, quo dicebat Neſtorius: ſed dicimus *Chriſtotocon* (Chriſti Genitricem) & *Theotocon* (Dei Genitricem) unde illud *tantum* ſubintelligitur & ſumitur ex Neſtorii verbis, & illo adverbio Catholica Poſitio reſtringitur, ut fiat Neſtoriana, & debeat neceſſario negari. Vide Ægidium Columnam *diſt. 4. p. 2. qu. 1. art. 2. ad 5.*

An Virgo Maria ſit Mater Dei?

Quid circa hoc delirabat Neſtorius?

Quid Diminutio ſit?

Similis eſt Reſtrictioni Diminutio, ſed ab illa diſtinguitur, jubet enim, ut partem ſubjecti, non autem totum ipſum terminus prædicatus afficiat. Frequentia ſunt hujus Proprietatis exempla: dabo nonnulla. *Homo albus*, *Enſis inauratus*, *Equus ferratus*, *Prælatus mitratus*, *Puer calceatus.* &c.

Et quidem homo *albus* dicitur, tametſi

cri-

Adjectiva, tametſi abſoluti ponantur, habent partialem tantummodo ſignificationem, quando non totum ſubjectū afficiunt, ſed illius partem.

crines nigros nutriat, & rubra habeat labra.

Enſis inaurati nomine intelligimus illum, cujus ſunt ornamenta inaurata: nam ipſemet enſis (lingula Hiſp. *la oxa*) nec ſolet, nec debet inaurari.

Eſt Equus *ferratus*, qui habet ſoleas ferreas in pedibus, & inde totum animal denominatur.

Mitra ornamentum eſt capitis & Pontificum proprium, & quia aliquibus Abbatibus conceditur, alii Prælati *mitrati*, & alii *non mitrati* vocantur.

In pedes inducuntur calcei, & totus puer *calceatus* dicitur, tametſi in pedibus tantùm gerat calceos.

CAPUT II.

DE LOGICA IUDICATIVA:

Quæ ſecundam Mentis dirigit Operationem.

An, quando, & quomodo in uno vocabulo ſimplici integra Propoſitio contineatur?

QVÆ realiter ſimplex Terminus eſt, interdum integræ Propoſitionis vim habet: aliquando hę voces Ita, Maximè, Non, &c. Petrus, Paulus, &c. ſunt virtualiter integræ Propoſitiones. Quod ut clarè perſpicias, ſequentes conſidera Interrogationes.

Reſponſio per Interrogationē contrahitur.

Haſit-ne in Campania hyeme tota Pompejus. ℞. *Ita.*

Ivit poſteà ad exercitum? ℞. *Maximè.*

Adeptus eſt victoriam contra Cæſarem? ℞. *Non.*

Quis tibi hanc narravit Hiſtoriam? ℞. *Iulius.*

Vubi autem Iulius hæc omnia dixit? ℞. *Hîc.*

Et quis inter fuit & illam etiam audivit. ℞. *Paulus.*

In omni ſemper Propoſitione ſenſus potiùs, quā verba debet cōſiderari.

Vbi ut conſpicis, omnes Reſponſiones, tametſi realiter ſimplicia verba ſint, ſunt virtualiter integræ Propoſitiones. Quod te monere ſub initium volui, ut ſenſum potiùs, quàm verba conſideres, in omnibus Propoſitionibus.

ARTICULUS I.

De Propoſitionis eſſentia. *An ad illam pertineant partes intrinſecæ, quibus ipſa componitur, quales ſunt Nomen, & Verbum, nec non Subjectum, & Prædicatum? An pertineant Copulæ, quarum altera affirmat, altera negat? & An pertineat Materia, quæ in ſignificatione conſiſtit?*

Quid ſit Oratio? & quid ſit Dictio?

ORatio eſt congrua duarum, vel pluriū vocum compoſitio, aut connexio: unde in Peripatu hanc definitionem *Oratio eſt vox, cujus partes ſeparatæ ſignificant*, ut *Senatus, Populuſq; Romanus*. Si partes ſeparatæ ſignificent, & tamen ſimul poſitæ nihil ſignificent, non eſt Oratio, ut *Nix calidus*, & *Petrus vociferabamur*. Huc pertinet lex, *Quinque pedum*, quam poſt alios Alciatus pulcherrimo ſcholio exornavit; quid dici potuerit, oſtendens: non verò quid dictum ſit, explicans. Textus ſic habet. *Quinque pedum præſcriptione ſubmota, finalis jurgii, vel locorum libera peragatur intentio*, quę verba, ſi quis mihi exponere audeat, erit magnus Apollo.

Digitized by Google

pollo. Oratio, quia habet partes realiter diſtinctas, eſt vox compoſita, & correſfertur Termino Vocali, ſeu Dictioni, quã definimus dicendo, *Dictio eſt vox, cujus partes non ſignificant ſeparata*, ut *Roma, Conſul, Imperator*.

Objectiones.

Sed contra utramq; Definitionem argumentaris, & ſic objicis PRIMO. Sunt Orationes quarum non omnes partes ſeparatæ ſignificant, ut hæc *Blictri eſt vox*, in qua prima pars *Blictri* nil omninò ſignificat. Hoc argumento victi aliqui ſic Orationem definierunt *Oratio eſt vox cujus aliqua pars ſignificat ſeparata*. Objicis *ſecundo*. Sunt etiam Dictiones ſimplices, quarum partes ſignificant ſeparatæ, ut *Dominus*, quæ vox, ſi dividatur ſic *Do-minus*, utraque pars ſignificabit: ſi autem ſic, *Domi-nus*, aut etiam ſic *Do-mi-nus*, ſola ultima non ſignificabit.

An in Oratione omnes partes ſignificent?

Reſpondeo ad primum, ſignificationẽ eſſe duplicem, materialem, & formalem: & in Oratione *Blictri eſt vox*, omnes partes ſignificare, nam *Blictri* ſupponitur materialiter, & jubetur ſignificare ſemetipſam. Addo poſſe utramque Orationis Definitionem manu teneri, ſi debito modo intelligatur. Puta, ſi dixeris, *Oratio eſt vox, cujus omnes partes ſeparata ſignificant formaliter, aut materialiter*: aut, ſi ſubjunxeris *Oratio eſt vox cujus aliqua pars ſeparata ſignificat formaliter*.

Quomodo ſignificent Dictionis partes?

Reſpondeo ad ſecundum in Dictione *Dominus* illas partes *Do-minus* ſeparatas habere quidem ſignificationes ſuas, at ipſas non eſſe partes ſignificationis totalis, aliud enim ſignificat *Do-minus*, & aliud *Dominus*.

Aliæ Orationis Dictioniſque definitiones.

Hinc patet clariùs, & meliùs poſſe Orationem & Dictionem definiri; Si dicas, *Oratio eſt vox compoſita, habens ſignificationem compoſitam, cujus ſignificationis partes reperiuntur in partialibus vocibus, quibus illa immediatè componitur*. [Conſultò illud *immediatè* poſitum eſt: partes enim, aut ſunt immediatæ, aut mediatæ: illæ ſunt, quæ immediatè totum componunt, hæ verò ſunt partium partes. Nam Triangulus immediatè componitur tribus lineis; harum autem partes, immediatè componunt ipſas lineas, & mediatè Triangulum. Unde ad Orationem revertendo, illa dictionibus immediatè componitur: ſyllabis autem & literis mediatè.] Si addas, *Dictio eſt vox ſimplex, habens ſignificationem ſimplicem: cujus partes, ſi fortè ſignificent, hæ ſignificationes non erunt ſignificationis, quam habet tota dictio, partes*. Sed objicis, occurrunt plurimæ dictiones, quæ habent ſignificationem compoſitam, quæ tota reſpondeat voci toti, & pars parti quales ſunt *Hircocervus, Equiferus* &c. *Spiritusſanctus, Reſpublica, Roſmarinus* &c. idem enim ſignificant ac *Hircus, & Cervus, Equus ferus, Spiritus Sanctus, Res publica, Ros marinus*.

Objectio.

Voces in Objectione poſita explicantur.

Reſpondeo illas ipſas dictiones eſſe Orationes virtualiter: interim numquam habere ſeparatas eamdem ſignificationem omninò, quàm conjunctas: nam *Hircocervus* eſt animans compoſita ex hirco & cervo: *Equiferus* eſt equus ferus: Angelus Michael eſt Spiritus Sanctus: at verò non eſt *Spiritusſanctus*, nam hæc vox, ſi integra ſit, tertiam tantùm Perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis ſignificat; ſi interciſa, Sanctum quemcumque Spiritum; nempè quemcumque Angelum Glorificatum. Sic enim *Reſpublica*, ſi vox integra ſit, cõgregationem hominum ad leges compoſitam ſignificabit: ſi diviſa rei cuicumque publicæ (*theatro, foro, templo* &c.) poterit convenire. Et tandem *Roſmarinus*, ſi maneat integra, eſt dictio, quæ herbam notam ſignificat: ſi intercedatur marinum ipſa rorem ſignificabit.

Orationis Diviſio.

Oratio eſt duplex: Enunciativa, & Non-enunciativa. Illa (Enunciativa) eſt quæ affirmat, negat-ve, ideoque ſignificat verum, vel falſum, ut *Ulpianus fuit Stoicus*, quæ vera eſt: *Ulpianus fuit Chriſtianus*, quæ falſa. Hæc, (Non-enunciativa) quæ nec affirmat, nec negat, adeoque nec verum, nec falſum ſignificat, ut *Prudentiſſimus Papinianus*.

SECTIO I.

De Enunciatione Mentali, Vocali, Scripta, Tacita.

Unde enunciationis ſubdiviſio naſcatur?

ENunciatio (quæ Poſitio, aut etiam Propoſitio dicitur) componitur Terminis (nam Terminus eſt extremum Propoſitionis, ut ſuperius dicebamus) ergo illi, aut Mentales, aut Vocales, aut Scripti, aut Taciti ſunt (vide quæ ſup.) ipſa ſimiliter in Mentalem, Vocalem, Scriptam, & Tacitam debebit dividi.

Quomodo loquantur Angeli? quomodo homines?

Propoſitio Mentalis, eſt, quam intellectu Homines, & Angeli formamus. Hi loquuntur conceptibus, at Homines, quia aliorum intellectuales actus intueri immediatè non poſſumus, uti ſignis debemus, vocalibus, ſcriptis, aut aliis, ut conceptus noſtros manifeſtemus. Actibus purè internis peccat Homo Theologicè, non civiliter; adeoque quoad actus purè internos, ſicut non poteſt præceptis, aut legibus humanis regi, ſic nec pœnis Civilibus, aut coerceri, aut puniri. Et ratio eſt; quia, ut habet diverbium, *De occultis*

non

non judicat Eccleſia : & à forriori, *nec Reſpublica*:nam propoſitum mente retentum, nec civiliter operatur, nec patitur *leg. ſi majores* 25.*C.de tranſact. leg.*7.*ſi repetendi C.de condict. ob cauſ. dat.* At interdum internus animus ſignis intrinſecis manifeſtatur, & tunc ille per accidens legibus ſubeſt : *leg.non omnes* 5. §. *à barbaris de re militari*. Servus enim, qui actu purè interno fugere voluit, non punitur ; & tamen ipſa fugiendi voluntas punitur, ſi fuerit extrinſecùs manifeſtata.

Leges humanæ de actibus purè internis non dantur.

Vt autem Propoſitionem Scriptam,aut alio quocumque ſigno extrinſeco ſignificatam, & quid *Tacitæ* nomine intelligendum ſit, benè percalleas, *legem* 2. D. *de pactis* proponam, & dilucidabo. Verba ſunt.

Quid Tacita Enunciatio ſit?

Labeo ait, convenire poſſe, vel re (videlicet inter præſentes) *vel per Epiſtolam, vel per Nuncium inter abſentes quoq; poſſe: ſed etiam tacitè* (Faber legit *tacito*) *conſenſu convenire intelligitur*. Ita Paulus *lib.*3. *ad Edictum*.

Conveniunt re ipſa, id eſt, naturaliter, inquit Faber,cum ex diverſis locis in unũ coeunt : & metaphoricè, cùm ex diverſis animi motibus in unum conſentiunt. Cæteri, qui abſentes paciſcuntur per Epiſtolam, aut per nuncium, non re ipſa & naturaliter conveniunt, ſed metaphoricè tantùm, quia venerunt tandem in unam eamdemq; ſententiam, licet non in unum eumdemq; locum.

Quid ſit convenire?

Videtur *convenire re* apud Labeonem eſſe, *convenire realiter, & perſonaliter, quoad locum; & quoad ſententiam verbis, aut ſignis perſonaliter editis; ut, qui præſentes,ſolent*.

Sicut, qui in eodem loco ſunt, verbis, vel nutibus ſic qui in diverſis,epiſtolis,aut nunciis loquuntur : ergo contractus poterunt per literas, aut procuratorem inire.

Quomodo abſentes colloquantur?

Dices, inter contrahentes debet eſſe conſenſus præſens ; non enim voluiſſe ſufficit, ſed omninò requiritur, tunc actualiter velle, quando initur contractus. At accidere poteſt, ut qui heri voluit, quando aut literas ſcripſit, aut nuncium miſit ; hodiè quando in loco diſtante & ſe abſente contractus initur, non velit.Ergo in caſu contractus erit invalidus defectu conſenſus : & omnis contractus erit periculoſus,quia ſemper deeſſe poteſt conſenſus.

Conſenſus præſens requiritur in omni cõtractu.

Reſpondeo rerum, quæ actualem volũtatem poſtulant,alias realem actualitatẽ requirere, alias autem eſſe actualitate Civili & Morali contentas. Sanè realem actualitatem poſtulat Sacramentalis Confeſſio, nemo enim poteſt abſolvi à peccatis invitus. In rebus Civilibus, qui ſuam per epiſtolam, aut procuratorem voluntatem declaravit,cenſetur in priori voluntate perſiſtere, quouſque ſe revocaſſe voluntatem inſinuet ad quem ſcripſit, aut nuncium, vel procuratorem miſit. Aliàs enim inutilis eſt voluntatis mutatio *leg.ſi mandaſſem* 15.*mandat.leg.ſi cum Cornelius* 82.*de ſolut.leg.eum, qui voluntatem* 22. *de probation*. Hinc eſt(1) Sacramentalem abſentis abſolutionem eſſe invalidam, quia ita Chriſtus Dominus Sacramentum inſtituit, ut Presbytero conſtare debeat de reali & actuali conſenſu:(2) venditionem domus v. gr. per procuratorem domino abſente factam, eſſe validam ; quia dominus, ſic diſponente Reſpublica, in priori voluntate quouſque ſe illam retractaſſe inſinuet, civiliter perſeverat: (3) eſſe multas quæſtiones apud Theologos, de Matrimonio per procuratorem celebrato, quia illud alii ut contractum,alii ut Sacramentum conſiderant.

Voluntas actualis eſt aut realis, aut moralis, quæ vocatur Civilis.

An abſens ſacramentaliter abſolvi poſſit?

An domum vendere?

An matrimonium inire?

Stat itaque poſſe hominem per literas & nuncios, & procuratores affirmare, & negare : ſtat etiam Enunciationem aliàs eſſe vocalem, aliàs ſcriptam.

An nutibus contractus fieri poſſint?

Stando Naturali, aut Gentium Iuri non refert quibus verbis declaretur intentio *leg.qui autẽ conſtituit* 14. §.*ult de conſt. pecun.* & hoc non ſolum inter præſentes, ſed etiam inter abſentes *leg.* 1. *locat.leg.* 1. §.*ult.de contr.empt*. Poſſumus etiam loqui nutibus & aliis ſignis, ut patet in Matrimonii Sacramento. Vnde, ſi petenti Parrocho, an Sixtum in maritum acceperet, Vrſula capite adnuat ; iſte capitis adnutus æquipollebit huic propoſitione vocali, *Ego Vrſula Sixtum in maritum accepto*.* Poſſumus & ſolemus loqui tacendo, omittendo, tolerando, patiendo: unde Regula, *Qui tacet, conſentire videtur*, interdum enim multum loquitur,qui nil loquitur : & Principis læſa patientia tarditatem ſupplicii, gravitate, & ſeveritate compenſat. Contra ſcientem & patientem præſcribit rei alienæ poſſeſſor : nam domini patientia, & ſilentium eſt tacita quædam conceſſio : quæ antequam tempus à lege deſignatum labatur, eſt revocabilis & precario ſimillima : at tempore legitimo elapſo fit donationi ſimilis, quæ non niſi rarò, & ex graviſſimis cauſis reſcinditur. Et quidem pati eſſe loqui virtualiter ſupponit Eccleſia, dum ait, *Deus cujus hodierna die præconium, Innocentes Martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt*. &c. Ergo fundendo pro Ieſu Sanguinem illum tacitè confeſſi ſunt.* Poſſumus etiam loqui factis, aliquid ni-

An tacendo loquamur?

An tolerando?

An patiendo?

An & agendo?

mirum ag:ndo quod noſtram voluntatē ſufficien:er inſinuet. *leg.non tantam 5.rat. rem haber.* & pono exemplum. Titius dedit Florētio centum aureos mutuos, & cautionem recepit: poſt aliquot dies, aut illi cautionem reddidit, aut in ejus gratiam combuſit: & ajo hac Chirographi redditione aut combuſtione Titium loqui & dicere, *Ego condono & remitto Florentio centum illos aureos, quos, ut conſtat ex fide hujus chirographi mihi debet.* Titius igitur loquitur tacitè.

An chirographum reddere, aut comburere, ſit debitum tacitè condonare?

Sed dices, eſſentia illius debiti non conſiſtit in ſcriptura, aut cautionis inſtrumento: nam per ſceipruram illam non fit contractus mutui: ſed de contractu, qui priùs erat, teſtimoniū perhibet ſcriptura *leg.4.de pignor. leg.4. de fide inſtrum.* Ergo per redditionem ſcripruræ ab ipſo creditore facta non cenſetur facta fuiſſe remiſſio, cum debitum aliter quam pee inſtrumentum (pee teſtes, ſcilicet) probari poſſit. *leg. qui tabulas 27. §. 1. de furt.leg. argentarius 10 §.fin. de edendo.* Quid, ſi non poſsit? N:c tunc d.bitum remitti cenſebitur, & probarur. Non cenſetur donare, qui ſine teſtibus & ſceiptura dat mutuo Frideeico pecunias: ſed tanti ejus probitatem facere, ut judices aut ſcripturas, aut teſtes, ut ipſe tempore ſuperveniente ſolvat neceſſarios non eſſe. Ergo ſicut Titius heri potuit ſine ulla ſcriptura, aut teſtibus mutuò conſignare centum aureos, quin ideò donare illos cenſeatur: ſic & hodie poteſt ſceipturam eemittere, dicens, ſe tanti nudum verbum Floeentii facere, ut judicet ſcripturam ſuperfluam.

Debitum non conſiſtit formaliter in ſcriptura.

Sed neque in teſtibus.

Reſpondeo non ſolere homines chirographum reddere, niſi quando jus debitū petendi remittunt. Et probatur: nam qui teſtamento chirographum legat, legare cenſetur jus ad illam pecuniam, quæ chirographo continetur. *leg. qui chirographum.59.de leg.1.de leg.* Ergo, qui ſceipturam debitori remittit, debitum remittere cenſendus eſt, & hoc ſive ipſe manu propria, ſive per alium illam reddat *leg. creditricem 7. C.de remiſſ. pign.leg.3. §.1.de liber.legat.*

Quid legat, qui legat chirographum?

Hæc ſolutio ſtando Iuri naturali probabilis eſt, certa autem & manifeſta non eſt: nam hæc conſequentia, *Sic ſolet fieri, ergo ſic eſt factum* non eſt evidens. Vnde Faber non putavit exhauriri objectionem, inquit enim. [Cum non cogatur Ceeditor cautionem & chirographum reddere, niſi ſoluto ſibi debito *leg. qui tabulas 27. de fur.leg.ult.C.ad exhib.* videtur habere debitum pro ſoluto, cum chirographum reddit: aut ſaltem promittere ſe non petiturum, cum petendi viam ſibi præcludit, reddens inſtrumentum, quo fundari poſſet petitio.] Ita ille *in Rationalib. ad leg.Labeo §.1. & ideo D. de pactis.* Nota illud *aut ſaltem.* Ergo non ſenſit Faber per redditionem ſcripturæ certò remitti debitum, ſed aut illud remitti, aut ſaltem Creditorem ſe non eſſe petiturum promittere; nempe in caſu, quo teſtes non dentur: nam, ſi eſſent hi, non ſibi Creditor omnem viam præcluderet ad petendum.

An hæc ſolutio ſit ſufficiens?

Quid ſentiat Faber?

Interim in omni tribunali Civili ille, qui ſcripturam remiſit, tacitè debitum remiſiſſe cenſendus eſt; cùm ex doctrina generali, quæ pro Regula ſtatuit, ut *Inſpiciamus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit,* ut habet Bonifacius Papa *Regul 45.in 6.* tum quia ex Paulo *libr.3. ad Edictum* Iuſtinianus *leg.Labeo §.2. D.de pactis* pronunciavit hanc legem. *Et ideò. ſi creditori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos conveniſſe, ne peterem, profuturamque ei conventionis exceptionem placuit.*

Quid in tribunali decidendum?

Sicut tacendo homines aliquandò loquuntur, ſic & loquendo interdum tacent. Audi Forcatulum *in Penu Iuris Civilis cap.20.* dicentem. [Iuriſconſultus *in leg.de ætate §. quod autem D. de interd. act.* dicit, non videri reſpondiſſe illum, qui non reſpondet πρὸς ἔπος, id eſt, *ad carmen*, idque ex vulgato proverbio, de quo ... Eraſmus citans illud Luciani in Philopſeude, *Nihil* πρὸς ἔπος ad carmen *iſta, ut ajunt, neque ad his interrogabam.* meminit Alciatus *lib. diſpunct.2. cap.10.*] Tacet ergo virtualiter; hoc eſt, ita ſe habet, ac ſi non reſponderet, qui ad rem non loquitur. Contra eos, qui extra materiam garriunt, Acurſius *in Auth.licet C.de natali* teſte Alciato *lib.4. de verb. ſignificat.* utitur illo proverbio. *Quid ad rhombum?* Forcatulus nomine *Rhombi* piſcem intelligit, & ait, (An verò piſcem cogitaverit Acurſius, viderit alius.) At Hydrographi lineas, quas in mappis per maria ſecundum varios ventos ducunt, rhombos (Hiſp. rumbos) nominant. Non ergo piſcem Acurſius, ſed mappam nauticam cogitabat, cum proverbio fuit uſus: illoque, & nos uti poterimus, cum præter rem loquentes, ad lineam redire jubemus.

An, qui loquitur, tacere aliquãdo conſendus ſit?

Quid rhombus ſit?

SE-

SECTIO II.

De Expreſſa Enunciationis compoſitione.

Intrinſeca Propoſitionis partes.

ANtequam varia Propoſitionum genera conſideremus & explicemus, unam proponamus ob oculos, & ejus partes intrinſecas ediſſeramus.

Propoſitio (quo nomine abſolutè poſito Cathegorica intelligitur per Antonomaſiam) tribus partibus conſtat, Subjecto, Prædicato, & Copula: unde in hac, *Manumiſſio eſt è manu datio*, quam tradit Inſtitutionum primo Vlpianus: copula eſt illud *eſt* quod duas connectit partes, quæ vocantur *Termini*, unde nata communis illa definitio, *Terminus eſt extremum Propoſitionis*. Et quidem primum extremum (*Manumiſſio*) nominatur ſubjectum: alterū verò (nempe, *è manu datio*) dicitur prædicatum. In linguâ Latinâ, quæ Articulis caret ſemper ſubjectum ponitur in primo loco: in iis autem linguis, quæ articulis nomina afficiunt, nomen affectum articulo, erit ſubjectum, ubicumque ponatur. Dicit Hiſpanus *Docto es el Principe*, Princeps eſt doctus. *Generoſo es el Rey*, Rex eſt generoſus. *&c.* & Gallus, *Guerrier eſt le Prince, & prompt le cheval*. Princeps eſt bellicoſus, & Equus velox. *&c.* nec aliter Italus, & præcipuè in carminibus, *Guerriero è il Duca. Veloce è il cane.* &c. Omnes ſequuntur Græcum, apud quem Articulus etiam ſubjectum afficit, unde Evangelii Sancti Ioannis capiti primo lux.

lege manumiſſ. 4. D. de juſt. & jure.
Quid ſit Manumiſſio?

Nomen eſt ſubjectum: Verbū eſt copula & prædicatum.

Si in duas partes ſecetur Propoſitio, Ita ut copula ſe teneat ex parte prædicati ſubjectum vocabitur *Nomen*, copula & prædicatum *Verbum*: nec refert habeat unam aut plures voces, nam hîc de poteſtate & valore tractamus. Itaque in hac Propoſitione *Petrus currit*, illud *Petrus* eſt nomen: *currit* verbum: & in hac *Petrus eſt currens*, ſimiliter *Petrus* eſt nomen, & *eſt currens* verbum, licet ſit vox compoſita, quoniam *eſt currens* & *currit* valore & poteſtate idem ſunt. Addo definitiones.

Quid nomen ſit?

Quid Verbum?

Quid ſit tempus, & quid cum tempore ſignificare?

Nomen eſt *vox in recto ſignificans ſine tempore*, ut *Homo*; nam obliqua non ſunt verè nomina, ſed nominum caſus. Verbum autem eſt *vox ſignificans cum tempore*. Et hîc obiter nota aliud eſſe ſignificare tempus, & aliud cum tempore ſignificare: nam *Annus, Menſis, Dies, Hora*, &c. ſunt voces, quæ ſignificant tempus, & tamen non ſignificant cū tempore: nam hoc reperitur in vocibus, *Amo, Amavi, Amabo*; quæ non ſignificant tempus, ſed cum tempore: quia tempus non ſe tenet ex parte objecti, ſed ex parte actionis cum tempore ſignificatæ.

De Subſtantivo & Adjectivo.

Nomen in Subſtantivum & Adjectivū dividitur. Illud per ſe ſtat, & ſine hoc in oratione eſſe poteſt. Hoc contrà, neque per ſe ſtat, neque ſine Subſtantivo, quod vel expreſsè ponatur, vel ſubintelligatur, eſſe poteſt. Subſtantiva ſunt *Imperator, Conſul, Magiſter*: Adjectiva verò *Magnus, Prudens, Eruditus*. &c.

De Proprio, & Appellativo.

Subſtantivum eſt, aut Proprium, aut Appellativum. Proprium dicitur, quod uni ſoli convenit, ut *Petrus*; & Appellativum, quod eſt commune pluribus, ut *Homo, Equus, Oppidum, Mons, Fluvius, Stella*. &c. Logici ſic Proprium à Communi diſtinguunt. Eorum enim ſententia Commune eſt, quod prædicatur de pluribus numero, aut ſpecie diſtinctis; ut *Homo, Animal*. &c. Proprium autem, quod de unico tantùm, ut *Petrus*.

Logicorum Opinio.

Verbi diviſio.

Verbum eſt duplex, Subſtantivum, & Adjectivum. Subſtantivum importat ſolam Propoſitionis copulam, ut in Propoſitione, *Deus eſt bonus*, illud *eſt*. Adjectivum unâ ſimplici voce importat copulam, & prædicatum, ut in Propoſitione *Petrus currit*: illud *currit*, eſt idem enim ac *eſt currens*.

De primi, & ſecundi adjacentis propoſitionibus.

Propoſitionum, in eas quæ ſunt primi adjacentis & ſecundi adjacentis diviſio, non eſt ſubtiliter cogitata: omnes enim re, aut virtute, ſecundi adjacentis ſunt, nam in his *Vlpianus fuit Iuriſconſultus. Papinianus ſcripſit. Paulus fuit*; bina ſubjecto adjacent: in primâ enim ſubjecto, ſeu voci *Vlpianus* copula *eſt* & prædicatum *Iuriſconſultus* adjacent; in ſecundâ voci *Papinianus* adjacet vox *ſcripſit*, quæ eſt duplex virtute, exponitur enim *fuit ſcribens*; & tandem in tertiâ voci *Paulus* adjacent etiam duo: quia verbum *Sum*, ſi ſolum ponatur, eſt adjectivum, & ſumitur pro verbo *exiſto*; ut idem ſit *Paulus eſt*, ac *Paulus exiſtit*, id eſt, *Paulus eſt exiſtens*.

SECTIO III.

An verè dentur Nomina Propria?

An omnia nomina communia ſint?

TIbi datæ Nominum diviſiones & definitiones videntur abſolutè difficiles, & ſuſpicari incipis omnia nomina eſſe Appellativa, & nulla dari propria; & ut id perſuadeas, aut ſaltem ſuadeas, argumentaris ſic.

An Petrus ſit nomen commune?

PRIMÒ; nam, ſi aliquod eſſet nomen Proprium, maximè id eſſet *Petrus*; hoc

enim nomen pro exemplo vulgò ponitur, ab Authoribus, qui diſputant de iſta materia. At *Petrus* non eſt nomen Propriū: Ergo nullum datur Proprium in totâ nominum Encyclopædiâ. Minorem probas. Quod multis convenit, non eſt nomen Proprium: hoc enim de unico ſolo individuo prædicatur. At nomen *Petrus* multis convenit, & de multis prædicatur. Igitur non eſt proprium. Minor probatione non eget: nam cognoſcimus multos, qui vocantur *Petri*: & idem dicito de aliis nominibus *Ioannes*, *Franciſcus*, *Carolus*, &c. nam in ſolâ meâ familiâ, quæ non eſt immenſa, habeo hodie duos Petros, & tres Carolos.

Quomodo nomen proprium differat à communi?

SECVNDÒ, quoniam, ſi eſſent nomina Propria, tot eſſe deberent, quot res individuæ: quia ſingula proprio deberent nomine ſignificari. Sed impoſſibile eſt, ut unaque res individua habeat proprium vocabulum. Ergo non dantur Propria nomina. Probatur minor: nam in ſingulis ſpeciebus individua ſunt innumerabilia; & nullus eſt in Mundo Nomenclator qui infinita nomina poſſit imponere.

Individua ſunt innumerabilia, & non habent convenientia vocabula. Sed neque omnes rerum ſpecies diſtinctis vocabulis ſignificantur.

Confirmatur, Quia multò pauciores ſunt rerum ſpecies, quàm individua ſub quâlibet ſpecie: ſed nullus unquam Nomenclator ſcivit invenire ſufficientes dictiones, ut ſpecies ſignaret: Ergo nullus, ut individua ſignet & diſtinguat, inveniet. Minorem demonſtrabo clariſſimè; nam multæ ſunt res, quæ carent nomine: & ideò, ut illas ſignificemus, circumloquimur, & quod non ſcimus unâ, duabus vel tribus vocibus ſignificamus. Et, quia hunc paravi calamum, ut Iuriſtis ſervirē, multa occurrunt in Iure, quæ nomen communiter receptum non habent. *Adoptio* dicitur eſſe genus, & in duas ſpecies dividi; nam &, qui Iuris ſui eſt, & qui parenti ſubeſt, adoptatur. Illa prior ſpecies *Adrogatio*, dicitur. Sed poſterior quomodò nominabitur? Generis nomine Modeſtinus *libr.* 2. *Regul.* & Iuſtinianus *leg. Filios. D. de adoption.* & nunc Iuriſperiti appellant, quia aliud nomen non habent. *Debitor* & *Creditor* non ſunt correlativa; multa enim, quæ credita non fuerunt, debemus. Ergo caret correlativo nomen *Creditor*, quod æquè latè pateat. Hinc ſcitè Vlpianus *leg.* 4. *D. de praſcript. verb.* citatus: *Naturâ rerum cōditum eſt, ut plura ſint negotia, quàm vocabula.*

TERTIÒ, quia definitio & eſſentia nominis Proprii poſtulat, ut numero Plurali careat. At, quæ à Grammaticis dicuntur Propria, habent pluralem: dicimus enim *Homeros, Platones, Virgilios, Cicerones, Catones*, &c. unde *pro Sext. Roſc.* Cicero. *Duo ſunt iſti Roſcii, quorum alter* (alteri) *Capitoni cognomen eſt.* Et iterum *libr.* 2. *ad Attic.* ſyncategorema *nullus* proprio nomini adfinxit: dixit enim, *Philotimus nullus venit.* Erant igitur multi Philotimi. Et Tirſus de Molinâ (ſub cujus latet nomine ingenioſus, immò etiā Religioſus Theologus) in libro illo, quē *Cigarrales de Toledo* nuncupat, (quem immeritò, ut liberum ſpurium indignum ſui Parentis nomine, exhæredem declarat; nam & Seneca hypocondriacus Philoſophus jocos cōtra Imperatorem Claudium, ut ingenium oſtentaret, ſcripſit) in Cantione, quæ *pag.* 144. legitur, ſic cecinit.

An propria nomina plurali careant?

Plures Roſcii.

Plures Philotimi.

An dedeceat Virum probum & gravem jocos ſcribere?

Tres Corinas la fama en ſus hiſtorias
à quien Pindaro ofreſca tres vitorias
que ſi diò la primera en Grecia a Thebas
nuevas blaſones, y murallas nuevas:
ni yo de Auguſtas ramos
Apolo ciñira ſus Epigrammas.
Invente la otra el Dorico Poëma;
y Ovidio alabe la tercera en verſos,
dando a los ſuyos celebre renombre
de Cleobulina la eloquencia extrema,
canten los Ieroglyphicos diverſos
y ſus Enigmas porque al Mundo aſombre.

Plures Corinæ.

Ergo ſi plures ſunt Corinæ, *Corina* non eſt nomen proprium, ſed commune. Dixit etiam Horatius,

Sint Mecænates, non dèrunt Flacce Marones.

Nulla igitur ſunt nomina Propria.

Plures Mecænates: & plures Marones.

QVARTÒ, quoniam habere Propria nomina, non eſt Græcæ, aut Latinæ Grammaticæ proprium, ſed omnium commune. Ergo, ſi darentur Nomina Propria, in omni illâ Grammaticâ reperirentur. At ſunt aliquæ, in quibus non reperiantur. Ergo. Probatur Minor, nam Bornenſes, qui habitant in Africâ, ſub ultimis finibus Nubiæ, non diſtinguuntur Propriis Nominibus teſte Ioanne Bottero, *part.* 1. *libr.* 3. *pag.* 181.

Bornenſes nomen proprium non habent.

QVINTÒ, quia Hæccitas ſeu Individuatio eſt unica & invariabilis. Ergo, ſi dantur Nomina Propria, ſinguli habebunt unicum, & nunquam illud mutabunt. At multi habent plura, & multi Nomen variant. Ergo vana ſunt, quæ de Nominibus propriis à Grammaticis otioſis dicuntur. Prima Minoris pars eſt manifeſta, illamque probant *Marcus Tullius Cicero, Virgilius Maro, Ovidius Naſo*, &c. noſtraque ætate Principes multa adſumunt.

An nomen proprium ſit unicum & invariabile?

Olim, & etiam hodie multi plura habent nomina.

Digitized by Google

Cancer valde ſeriò laborabat ut ſcriberet. verſus non ſerios inter alios, ingenioſorum conceptuum plenì ſunt, quos Coplas de Ciego appellavit.

munt. *Iſabella Clara Eugenia*, Alberti vxor, Belgii fuit Princeps; hodie *Anna Maria Antonia*, eſt Chriſtianiſſima Regina Galliæ: nata Madriti anno 1635. D. Hieronymus Cancer pompam, quâ fuerunt celebrata baptiſmatis ſacri myſteria, deſcripſit Pentaſtichis, quæ in noſtrâ Rhythmicâ *pag*. 208. leguntur, inter quæ, hæc pauca præſens argumentum concernunt.

Entonces el Cardenal
Eſpinola, a cuyo cargo
Eſtaba el Bautiſmo Real,
Diò de Arçobiſpo ſeñal,
Con hazer ſu officio largo.
Que trahen a la Igleſia mia?
Preguntò dando el Pax vobis.
I tantos nombres oia,
Que dixa el, Ora pro nobis.
Penſando ſèr Letania.
I no me eſpante jamas,
Que hiziese eſta ceremonia,
Si oyò el Arçobiſpo tras
Dominga, Maria, i Antonia,
Vn & cætera de mas.

Apud Sinenſes nomina ſcum ætate mutantur.

Secundam ejuſdem Minoris partem evidenter oſtendo: nam apud Sinas mutant cum ætate nomina homines: alia enim pueris apud ipſos, alia juvenibus, & alia ſenibus convenire dicuntur. Servi apud Romanos nomina cum dominis crebrò mutabant. Illos vocabant παῖδας Græci, Latini *pueros*. Terentius in And. *Puerum* (ſervum) *conveni Chremis*. Et Cicero libr. 1. ad Q. Fr. *Tu ne id veritus es, ne ego iracundiâ aliquâ adductus pueros* (ſervos) *ad te ſine literis miſerim*; conſentit Iuriſconſultus Paulus, *leg. Puer.* D. *de verb. ſignif.* Vox *Puer* tranſit in *Por*, & addita domini nomini, ejuſdem domini ſervum ſignificat, ut Marcipor, Publîpor, Lucîpor, &c. Marci, Publii, Lucii ſervus, &c. Audi *libr.* 33. *cap.* 1. Plinium. *Marcipores, dominorum gentiles victum in promiſcuo habebant.* Conſonat *libr.* 1. Fabius; inquit enim, *In ſervis jam intercedit genus illud nominis, quod ducebatur à domino, unde* Marcipores, Publîpores. *&c.*

Servi dicebantur Pueri: & hodie Hiſpanus famulos vocamus Mozos.

Puer in compoſitione tranſit in Por.

Marcipor.
Publipor.
Lucipor.

Etiam liberi ſecundum tempus & occurrentes cauſas mutabant nomina: nam *Ariſtoteles*, magiſter Ariſtotelis, fuit egregio corporis habitu, & in palæſtrâ ſe exercuit apud Ariſtonem Palæſtritam, à quo primum ob humerorum latitudinem denominatus eſt Πλάτων, quod ita in ſcholis obtinuit, ut altero nomine nunquam citetur. Ariſtotelem audivit *Tyrtanus*, Ereſſi in Lesbo natus: qui deinde *Euphrates*: & tandem ob oris elegantiã, & quaſi divinam eloquentiæ ſuavitatem, *Theophraſtus* cognominatus eſt. Apud

Plato priùs dicebatur Ariſtoteles.

Tyrtanus, Euphrates, & Theophraſtus ſunt idem.

Chriſtianorum mos.

Nomina mutant Religioſi: mutant Summi Pontifices.

Chriſtianos nomen in Baptiſmate impoſitum in Confirmatione aliquando mutatur: & frequentiùs in Religioſorum Ordinibus, quoniam in Profeſſione ſolenni, aut in adſumptione habitus regularis nomina & cognomina mutari ſolent. Obſervant id Summi Pontifices, inter quos Hadrianus VI. quia nomen mutare noluit, viſus eſt ſingularis.

An poſſit ſpecies in ſpeciem converti?

Sextò. Si Nomina Proprium & Commune dantur, diſtinguentur ſpecie. Et ſi diſtinguuntur ſpecie, alterum in alterum tranſire non poterit; nec enim Leo aut Taurus in Aquilam poteſt converti. At Nomina Propria in Communia vertuntur, & contrà. Propria ergo Nomina à Communibus non diſtinguuntur. Minor oſtenditur: quia *Cæſar* fuit nomen primi Romanorum Imperatoris, qui vocabatur *Iulius Cæſar*, &, quia poſteà ejus ſucceſſores hoc nomen adſumpſerunt, & vocati ſunt *Cæſares*, tranſivit in nomen commune, quod ſignificat *Imperatorem*. Idem dicendum eſt de vocibus *Pharao*, *Sophîus*, *Zeriphius*, &c. tametſi enim Pharao, Sophîus, & Xeriphius, in Ægypto, in Perſide, & in Aphricâ homines ſingulares fuerint; indepti Regiam authoritatem, cum coronâ & divitiis etiam nomen ad filios & ſucceſſores tranſmiſerunt. Sicut Proprium in Commune, ſic hoc in illud tranſit, & hunc Græci tranſitum vocant ἀντονομασίαν, ut ait Diomedes. Sic apud Græcos *Poëta* ſignificat Homerum, & *Orator* Demoſthenem: apud Latinos Virgilium, Ciceronemque. Apud Chriſtianos ὁ Προφήτης ſignificat Chriſtum, *Apoſtolus* Paulum. In Scholis *Philoſophi* nomine intelligimus Ariſtotelem, *Geometra* Euclidem, *Medici* Galenum. &c. *Commentator* eſt Averroës, *Collator* Caſſianus, *Magiſter* Lombardus: &c.

An propria hominum nominà tranſeant in appellativa, & contrà?

Hæ ſunt Rationes, quibus ſuadere conabaris non eſſe in Mundo Propria Nomina: ſed Communia pro Propriis adſumi. Non urgeor, & ante reſponſionem aliquid maximè neceſſarium expono.

An Angeli ſpecie poſſint multiplicari?

Sub ſingulis ſpeciebus ſublunaribus poſſe eſſe innumerabilia individua certum eſt. [Conſultò, ago de ſublunaribus, ne ingrediar illam Controverſiam, quæ inquirit, An omnes Angeli diſtinguantur ſpecie? in quâ Thomiſtæ ab aſſerente ſententiâ ſunt, & cæteri fere diſſentiunt.] Nomen Commune eſt quod ſignificat rationem genericam aut ſpecificam omnibus individuis communem. Nomen ſingulare eſt quod tale individuum ſignificat contractìm & determinatè. Non ſolùm

In qualibet ſpecie individua poſſunt habere propria nomina.

Digitized by Google

lùm in ſpecie humanâ, ſed etiam in aliis ſicut individua, ſic etiam Nomina Propria reperiuntur: ut enim Homo eſt *Petrus*, *Paulus*, &c. Sic Equus Alexandri fuit *Bucephalus*, & Equus Caligulæ *Concitatus*. Singuli Montes, Fluvii, ſua habent nomina: ſua ſinguli Planetæ, & notiores Stellæ. Sicut rerum ſpecies ſunt plures, quàm nomina: ſic etiam individua, quæ ſub ipſis clauduntur. Deus ſolus omnibus rerum ſpeciebus, & individuis ex Scientiæ ſuæ infinitate nomina imponit; unde hoc ipſe charactere à Rege Prophetâ deſcribitur, Eſt enim Deus, *qui numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat*. At Homo finitâ mente præditus & memoriâ limitatâ exornatus multarum ſpecierum individua nominibus carere permiſit: non enim habent nomina hirundines v. gr. ut una diſtinguatur ab aliâ. Aliquibus Equis aut Canibus nomina impoſuit, ſed paucis, non enim indigebat pluribus. Ergo de Hominum nominibus propriis diſſeramus.

Solus Deus omnes ſpecies & individua poteſt denominare.

Pſalm. 146. 4.

Attalus Martyr à Tyranno per contemptum rogatus, quodnam nomen haberet Chriſtianorum Deus, reſpondit. *Qui multi ſunt, nominibus diſtinguuntur; qui autem unus eſt, non indiget nomine*: unde inferre licuit, Deum Chriſtianorum non *Iovem*, *Martem*, &c. vocari, ſed Deû. Euſebius *lib. 6. Eccleſ. Hiſt. cap. 3.*

An Deus nomen habeat?

Creavit Deus primum Hominem, eumdemque אדם, Adam, *Hominem* vocari voluit, quamdiu enim erat unicus, ſpeciali nomine non indigebat. Acceſſit divinitùs condita Heva [Putarem Chavam Iuliani Comitis, qui Hiſpaniam Mauris aperuit, filiam, hoc nomine diſtinctam eſſe, nam Hebræorum adſpiratio denſa ח, in χ. vel *ch.* tranſit] Habuerunt filios, & ipſi debuerunt diverſis ſignari nominibus, ut inter ſe dignoſcerentur. Sub initium ſortiti ſunt nomina diverſa homines à diverſis occaſionibus & cauſis ſumpta. Porrò Geneſ. 4. *Eva concepit, & peperit Cain dicens: Poſſedi hominem per Deum*. Et dicitur קין, *Cain*, à radice קנה, *Cana*, quæ eſt *poſſidere*. Et in capitis fine, *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem ſuam, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens, Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occîdit Cain*. Et radix eſt שית, *Suth*, hoc eſt, *Pono*: & inde eſt שת, *Seth*. Hiſque ſimilia exempla, paſsim in Sacrâ Scripturâ leguntur. Hic denominandi infantes mos etiam apud alias gentes obtinuit: nã Iulius primus Romanorum Imperator, opinione multorum ideò *Cæſar* fuit dictus, quòd cæſo matris utero fuerit natus. *Scipio* eſt baculus, cui innitentes ſenes gradum ſtabiliunt. Et P. Cornelius, quòd patrem orbum oculis vice ſcipionis regeret, primus id cognomen ſortitus, & deinceps tranſmiſit ad poſteros. Poſteà oecœperunt nomina avorum ſumere, tantâ curâ, ut indignum cenſuerint nepotem novo aliquo inſigniri vocabulo, quod aliquis avus non habuerit. Hinc Evangelio lux, S. Ioannis Circumciſionem Hiſtoriographus Divinus ſic enarrat. *Factum eſt die octavo: venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam. Et reſpondens mater ejus dixit, Nequaquam: ſed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam, Quia nemo eſt in cognatione tuâ, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum; Et poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens, Ioannes eſt nomen ejus: & mirati ſunt univerſi*, &c. Ergo, ſi fuiſſet in cognatione illâ aliquis, qui *Ioannes* dictus fuiſſet, non haberent cognati, quid opponerent. Sed quid, ſi *Zacharias* fuiſſet vocatus? An-ne tunc *Zacharias* non fuiſſet nomen proprium, ſed commune, pluribus (patri, & filio) conveniens? Reſpondeo, in omni ſignificatione reperiri conſignificativas voces & circumſtantias, quæ nomina determinant & contrahunt. Primò enim conſignificat adjectum aliud nomen, nam *Plinios*, *Senecas*, *Philippos*, &c. diſtinguimus dicendo, *Plinius ſenior*. & *Plinius junior*; *Seneca Philoſophus*, & *Seneca Comicus*; *Philippus Macedo*, & *Philippus Hiſpanus*; Et adhuc in Hiſpaniâ *Philippus Primus*, *Secundus*, *Tertius*, &c. Conſignificat etiam & vocis ſignificationem determinat tempus & locus. Citari enim ſolent duo Theophraſti, quos locus & tempus diſtinguit. Alter fuit Lesbius, Ereſſi natus, diſcipulus Ariſtotelis, & in Lyceo ſucceſſor: alter Germanus; etiam Medicus; qui noſtrorum avorum ætate multos curando occîdit: nam Sennerto aſſerente, ut morbum auferret, alium immedicabilem inferebat, cujus poſteà violentiâ infra annum deberet, qui ab illo curabatur, perire: quod tot fuit demonſtratum exemplis, ut à Rudolpho Cæſare à toto imperio exactus fuerit. Etiam flumina & loca civitates diſtinguunt: ſunt enim plura *Francofurta*, plura *Lugduna*, plures *Mantuæ*, &c. quoniam ex Francofurtis, aliud *ad Mœnum*, aliud *ad Oderam* vocatur: ex Lugdunis aliud *Gallorum*, & aliud *Batavorum* dicitur: ex Mantuis, illa, quæ in Caſtellâ eſt, *Carpentana* audit, ne confundatur cum *Italicâ*. Hinc patet nomina, quæ dicuntur *Propria*, bifariam poſſe

Homo prius nomen proprium non habuit.

Chava Iuliani filia an dicta fuerit Eva?

Nomina imponebantur parvulis ab aliqua circumſtantia notabili, quæ conſiderabatur in partu.

Lucæ 1.

In Baptiſtæ circumciſione, de nomine, q habere debebat, cognati diſputant.

Cur nolebant eum vocari Ioannem?

De circumſtantiis & particulis ſignificantibus.

Adjecta propria nomina illud determinant.

Ejuſdem nominis poſſunt, & ſolent eſſe plures: quomodo inter ſe diſtinguantur?

De duobus Theophraſtis.

Sunt urbes, fluvii, & montes cognomines.

Nomina propria materialiter & formaliter poſſunt conſiderari.

Digitized by Google

poſſe conſiderari; materialiter, formaliterque. Sumuntur materialiter, cùm tantummodò eorum ſyllabæ & literæ cõſiderantur: formaliter verò, quando per voces adhærentes & circumſtantias temporis & loci determinantur. Et, ſi ſumantur primo modo, contingere poteſt & ſolet, ut duo, vel plura Humanæ naturæ individua eodem nomine ſignificentur, & tunc non erunt propria, ſed communia: cæterùm, ſi ſumantur ſecundo modo, erunt propria, & determinata, & unico ſoli individuo convenient.

PRæmiſſis his, quæ ignorari non debent, Rationibus contra Nomina Propria objectis reſpondeamus.

Hinc argumentis reſpondetur.

AD PRIMAM dico nomen *Petrus*, & quæcumque alia duplicitee accipi poſſe: uno modo præciſa à vocibus & circumſtantiis conſignificantibus: alio modo iiſdem vocibus & circumſtantiis affecta & determinata. Primo modo nomina non ſemper ſunt propria, nam crebro ſunt cõmunia accidentia: accidit enim his hominibus, hoc vel illo nomine indigitari: verùm ſecundo modo ſumpta, ſunt propria, & pluribus convenire non poſſunt. Hinc lux veteribus, qui individuum explicabant his verſibus.

Quid individuum ſit?

Nomen, cognomen, cum tempore, patria, ſanguis.
Hæ ſunt quinque notæ, quas non habet unus, & alter.

Hæc, aut alia ſimilia carmina tempore Petri Abaylardi Pariſiis, in gymnaſiis Logicæ circumferebantur: quæ ita Peripatetici exponebant, ut in illis dicerent formaliter conſiſtere Individuationem. In illos Petrus Abaylardus invehitur, oſtenditque ſingula eſſe accidentia, & quia Petrus à Paulo non diſtinguuntur purè accidentaliter, hæceitatem eſſe ſubſtantialem quamdam formalitatem ab his circumſtantiis diſtinctam, quæ naturam ſpecificam contrahit, & perſonam ſingularem conſtituit.

Peripateticorũ error Petri Abaylardi ætate.

Non puto Peripateticos tam pingui Minervâ fuiſſe philoſophatos. Voluerunt, ut opinor, Hæceitatem, quam intuitivè non videbant, per externas paſſiones ſigillare & deſcribere. Et quia ſingulæ ex his circumſtantiis erant communes pluribus, ſumpſerunt quinque ſimul, quarum aggregatum duobus individuis convenire non poſſet. Et hæc profectò, definitio poterit Nomini Proprio adaptari: quoniam Nomen *Petrus* v. gr. per cognomen, tempus, locum, & cognationẽ determinatum, ita huic Petro convenit, ut alii non poſſit competere. Profectò circumſtantiis communibus reſultare adgregatum non commune, homo oſtendit ad Veterum ideam definitus. *Homo eſt animal rationale mortale.* Et ſanè illorũ opinione Rationalitas Homini & Angelo communis eſt. Mortalitas Homini, Bruto, Plantæ, &c. eſt communis. Mortalitas ſine Rationalitate invenitur in Beſtiis: Rationalitas ſine Mortalitate in Angelis: & utraque tantùm in homine.

Poteſt rerum communiũ adgregatum non eſſe commune.

Rationalitas & Mortalitas ſunt ſeorſim communes, & ſimul ſolius hominis propria.

AD SECVNDAM multas in Mundo rerum ſpecies nominibus carere pronuncio: unde multi in Iure reperiuntur contractus, qui à Viris doctis circumſcribuntur, & *innominati* dicuntur, quoniam nomen non habent. Poſſibilia individua ſub ſingulis ſpeciebus eſſe infinita fateor: nego tamen nos indigere infinitis vocabulis: cùm, quia ſola exiſtentia Individua nominibus determinamus: &, quia adhuc hæc multa ſunt, multa uno & eodem nomine materialiter ſumpto ſignamus, quæ tamen inter ſe diſtinguuntur propter conſignificantes nominis circumſtantias.

De contractibus innominatis.

Voces eadem materialiter, formaliter poſſunt diſtingui.

AD TERTIAM ſub eâdem diſtinctione reſpondeo: quoniam nomen *Petrus*, v. gr. materialiter ſumptum, in numero plurali declinatur; nam multos Petros cognoſcis, qui hæc legis. Cæterùm nomen *Petrus* materialiter ſumptum, Proprium nomen non eſt, ſed commune: & ad quintum Prædicabile ſpectat; accidit enim homini *Petrum* aut *Franciſcum* vocari. At idem nomen *Petrus* per conſignificantes circumſtantias contractum, Proprium eſt, & numerum pluralem non habet: nam, ſi *Petri* nomine Hominem A. intelligo, ſicut repugnat dari duos Homines A. ſic etiam dari repugnat duos Petros. Et tũc prædicatum *Petrus* ad nullum Prædicabile Porphyrianum ſpectat; nam hæc Poſitio, *Homo A. eſt Petrus*, eſt identica, in quâ Individuum dicitur de Individuo; æquivalet enim huic, *Homo A. eſt Homo A.* aut huic, *Petrus eſt Petrus.*

Ad quod Prædicabile pertineant nomina Petrus, Ioannes, Franciſc, & ſimilia.*

AD QVARTAM dico, tolli ſocietatem humanam, ſi nomina Propria tollantur: quo enim modo agemus de amicis, inimiciſve, ſi nominibus careant? Nemo tunc poſſet accuſari, aut citari: nemo cõdemnari aut abſolvi: & ideò nego eſſe in Mundo, aut fuiſſe homines, qui nominibus Propriis carerent. Nec oppoſitum apud Ioannem Botterum *pag.* 181. legimus: quoniam ejus verba ſunt hæc. *Ritornando dunque verſo Levante ſi truova ne confini della Nubia Borno, provincia grande con un lago ſpatioſo. Il ſuo Prencipe hà ſotto di ſe varii Signori. L'Anania ſcrive, que hà combattuto alle volte con cento milla ſoldati contra il Rè di Cabi-*

Homines propriis nominibus carere non poſſunt.

Quàm potens ſit Rex Bornenſis in Nubia?

Tiane

Tiene (dice Gioan Leone) da trè mila cavalli foraſtieri. Non grava il popolo d' altro, che della decima de' frutti. Vivono ſenza religione con le mogli communi. Non uſano nomi proprii: ma ſi diſtinguono ſolamente l'uno dall' altro con qualche accidente della perſona : il guercio, il zoppo, il nano. *Il che uſarono anche i Latini, perche quindi nacquero i nomi de'* Flacchi, Frontooi, Naſoni, Cocliti, Craſſi, Pedi, *& gli altri*. Et ex ipſis non colligitur Bornæos carere oominibus propriis, ſed illa à caſu aut accidenti indipiſci. Sibi igitur contradicit Botterus, cùm *eos carere nominibus*, ait, additque *nominibus inter ſe unum ab altero diſtingui*. Et, ut in particulari loquamur, nomen *Claudus* materialiter ſumptum, & ſecundum ſe conſideratum, commune eſt. At verò per conſignificantes circomſtantias contractum, & determinatum ad locum tempuſque, in quo unicus tantum Claudus eſt, unicum ſignificat, & Proprii nominis efficaciam adquirit.

An Bornenſes careant propriis nominibus?

An, quo ſenſu Claudus v. gr. ſit nomen proprium?

Ad qvintam reſpondeo, non eſſe contra naturam nominis Proprii, quod unus, & idem homo ſimul, aut ſucceſſivè pluribus nominibus indigitetur. Primò enim ſi multa cōcurrant nomina, quorū ſingula cōmunia ſint, & omnia ſimul uni ſoli individuo conveniant, omnia ſimul nomen Proprium conſtituent: quod etiam in ſpeciebus accidit: nam ſi eum antiquorum ſententia (olim in Eeeleſia, probabili, jam rejecta) Rationalitas, ut paulò antè ediſſerui communis Angelorum & Hominum eſſe dicatur: vox *Animal* Hominem à brutis non diſtinguet: & vox *Rationalis* non diſtinguet ab Angelis: at utraque ſimul ab utriſque ſecernit, & ſpeciei oomeo Proprium poterit appellari. Sic anno Vrbis conditæ 891. & Chriſti 140. Titus Aurelius Antoninus Pius incepit imperare. Erant tunc io Imperio Romano multi Titi, multi Aurelii, multi Antonini, multi Pii (de hoc non dubito) ſed quia unus tantùm erat, qui hæc quatuor ſimul fuiſſet ſortitus nomina, hæc quatuor ſimul ſumpta nomen proprium illius Imperatoris conſtituerunt.

An Angeli Rationales ſint?

De Titi Aurelii Antonini Pii *nomine: an proprium fuerit?*

De Divinis nominibus.

An non ſint idemtica; & cur?

Nomina etiam pluta ſeorſim ſumpta, eodem, vel diverſo tempore, ſi per conſignificantes circumſtantias limirentur, poterunt ſingularem & individuam rem ſignificate. Talia ſunt omnia Divioa nomina, quæ prout omnibus Perſonis communia totum Deum ſignificant, illum totum ad diverſos termioos & connotata comparando. Hæc Dei nomina non ſunt idemtica, ut Leo Carmelita in ſtudio ſcientiæ Vniverſalis exiſtimat: nam in idemticis nulla debet eſſe diſtinctio, & nomina Divina inter ſe differunt connotatis. Hac arte præventus Propheta Rex Deum exprimit ad opera, quæ ab ipſo ſolo potuerunt fieri, oculos convertendo. Pſalmo enim CXXXIV. eſt ipſe Deus.

Dominus, qui Iacob elegit ſibi, Iſrael in poſſeſſionem ſibi.

Dominus, qui eſt magnus præ omnibus Gentilium Diis.

Dominus, qui omnia quacumq; voluit fecit in Cælo & in Terra, in Mari, & in omnibus abyſſis.

Significatur Deus nomine communi, per actionem, quæ à ſolo Deo fieri potuit, contracto.

Dominus, qui percuſſit primogenita Ægypti, ab homine uſq; ad pecus. Et miſit ſigna & prodigia in medio Ægypti, in Pharaonem & in omnes ſervos ejus.

Dominus, qui percuſſit gentes multos, & occidit Reges fortes. Sehon Regem Amorrhaeorum, & Og Regem Baſan & omnia Regna Chanaan.

Dominus, qui educit nubes ab extremo terra, fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de theſauris ſuis.

Dominus *apud Latinos nomen commune eſt.*

Et in ſequenti Pſalmo, poſtquam eum *Deum Deorum*, & *Dominum Dominorum* dixerat, his illum characteribus exprimit, eſt Deus, inquit, quem adoro, & quem vos adorare debetis,

Ieova, *apud Hebræos eſt proprium.*

Dominus, qui facit mirabilia (miraeula) *magna ſolus* (ſine aliorum auxilio.)

Dominus, qui fecit Calos in intellectu: (nam & alibi dixerat, *Verbo Domini Cæli firmati ſunt*: verbo non quidem vocali, ſed mentali.) *Dominus, qui firmavit terram ſuper aquas: qui fecit luminaria magna: Solem in poteſtatem diei: Lunam & Stellas in poteſtatem noctis.*

אדני*, ſi ſit* Adoni, *hoc eſt* Dominus me*ꝰ*, *determinatur per affixum: ſi ſit* Adonai, *eſt nomen Dei proprium.*

Dominus, qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum: qui eduxit Iſrael de medio eorum, in manu potenti, & brachio excelſo: qui diviſit mare rubrum in diviſiones, & eduxit Iſrael per medium ejus; & excuſſit Pharaonem & virtutem (exercitū) *ejus in mari rubro* &c.

Dominus, qui dat eſcam omni carni. &c. [*& pullis corvorum invocantibus ſe.*] &c.

Dominus, qui numerat multitudinem ſtellarū, & omnibus eis nomina vocat. &c.

Hæc ſunt ſingulariſſima Dei nomina, quæ nomen *Dominus* commune contrahunt, illud ad diverſa tempora, loca, & opera exterioa comparando. Hinc Sanctus Dionyſius Areopagita conceptus eos Divinos hauſit, quibus aureum illud ſyntagma, quod *de Nominibus Divinis* eſt, coodecoravit: hinc S. Thomas, aliiq; qui de eodem argumento ſcripſerunt.

Singula Trinitatis Perſona habent propria vocabula.

Pri-

Characterica Æterni Patris nomina.

Primæ Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis nomina characterica ſunt, *Pater Æternus.* (*Pater Infinitus.*) *Ille, à quo omnis Paternitas denominatur in Cœlo & in Terra.* (*Perſona ingenita, & à nullo procedens.* &c.

Characterica Verbi Divini.

Sunt etiam Chracterica Secundæ Perſonæ nomina, *Verbum Æternum.* (*Verbum Infinitum.*) *Filius Æternus.* (*Filius Infinitus.*) *Ille, cui Immenſus Pater ait, Ego hodie genui te.* [Et hîc Theologi examinent, An opinio quæ docet Verbum Divinum, non ſolum ex cognitione Eſſentiæ, nec Patris, & Filii, ſed etiam ex creaturarum cognitione procedere, probari poſſit ex hoc Prophetæ verſu: ait enim Pſaltes. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te.* Et eſt locus digniſſimus, qui alibi uberiùs expendatur.] *Sapientia æterna*, (& hic obiter nota Sanctam Sophiam, cui Templum Patriarchale Conſtantinopoli conſecrabatur, eſſe Verbum Divinum.) *Genitus, non factus, conſubſtantialis Patri, per quem omnia facta ſunt.* Et

Characterica Chriſti.

characterica Domini Noſtri Ieſu-Chriſti, *Verbum Incarnatum*, (*Virginis Filius*,) *Mundi Redemptor*, (*Qui paſſus eſt ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus, poſteaque reſurrexit tertia die.*) *Qui adſcendit in Cœlos*. (*Sedens ad dexteram Patris Omnipotentis.*) *Vivorum & mortuorum Iudex.* (*Sacerdos* (*Pontifex*) *in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.*) *Sacramentorum Eccleſiæ Orthodoxæ Inſtitutor.* (*Qui ſub ſpeciebus Panis & Vini in Eucharistia Fidei oculis cernitur, & adoratur.*) &c.

Characterica Spiritusſancti.

Tertiæ autem Characterica ſunt *Spiritusſanctus*, (*Qui ab æterno à Patre, Filioque procedit.*) *Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur.* (*Qui loquutus eſt per Prophetas.*) &c.

An Pater, & Filius ſint Spiritus ſancti?

Et hic obiter nota primò nomen Spiritus Sanctus vel eſſe unicam vocem vel duas: & in hoc eſſe aliquam differentiam: nam *Reſpublica*, & *Res publica*, ſi rigorem obſervare velimus, differunt inter ſe; Forum enim, Domus Civica, Eccleſia & ſimilia *Res* ſunt *publicæ*, & tamen *Reſpublicæ* non ſunt: ſic *Spiritusſanctus*, ſi unica dictio ſit, eſt nomen Tertiæ Perſonæ proprium, & nulli alii Perſonæ adtribuitur; at, quia Pater, & Filius ſunt Sancti, & ſunt etiam Spiritus, nomen Spiritus Sanctus diviſum in duas voces, Tertiam Trinitatis Perſonam per adtributionem ſignificat, ſicut *Omnipotens* Patrem, unde credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorē Cœli & Terræ, &c. nam Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritusſanctus: & tamen non tres Omnipotentes, ſed unus Omnipotens. Cæterùm ſi *Spiritusſanctus* eſt unica vox, eſt nomen proprium, & tertiam Perſonam ſignificat.

An nomen παράκλητος ineffabile ſit?

Nota ſecundò nomen Paracletus, Παράκλητος, eſſe ineffabile: quoniam ſcribi ſolet, & proferri non poteſt: ego enim, nec aurem, nec linguam habeo, ut producam penultimam, & antepenultimam acuam. Multæ ſunt in Lingua Græca voces ſimiles, quas hodie proferre neſcimus. An-ne habuerunt expeditiores linguas Veteres? Minimè: quoniam Latini olim Poetæ, ut ſervarent accentum, corripuere penultimam: & ut ſervarent quantitatem, eamdem acuerunt. Conſideretur vox ἄλβυλα, in qua Martialis ut *al* acuat, *bu* corripit, *Epigr. libr. 4.* ſic cecinit.

An etiam ἄλβυλα?

Quid ſicca redolet palus lacunæ,
Crudarum nebula quod Albularum.

Et alibi,

Albula fundit aquas.

Quanta ſit penultima ſyllaba in voce Paracletus?

Et, ut ad vocem *Paracletus* redeamus, Sanctus Ambroſius illud κλη corripuit, ut ut ſervaret accentum, dicit enim in Hymnis,

Cum Spiritu Paráclete.

in quo verſu primus pes eſt ſpondeus, & tres ſequentes Iambi. In Hymno verò *Veni Creator*. Hos duos verſus reperies.

Qui Paraclêtus diceris. &c. non Parácletus.
Surrexit, ac Paráclete. &c. non Paraclêto.

De voce ἰδέα. An legitimè poſſit proferri?

In ſecundo κλη corripitur, ut maneat accentus in ρά: in primo autem producitur, & etiam acuitur κλῆ. Vocem ἰδέα, & multas alias ſimiles, ineffabilibus etiam adjungo: quis enim acuere ſyllabam ſecundam poterit, quin ejus brevitati præjudicet?

Vox Tenebræ in Hymnis Eccleſiaſticis non antepenultimā ſed penultimā acuit: debemus enim tenébræ, & non ténebræ ſcribere.

Et hic obiter nota (nam argumenti ſimilitudo poſtulat, ut vel per paſſum a mea linea digrediar) vocem *Tenebræ* non ſemper in hymnis habere locum ubi Metrica poſtulat, non enim videntur fuiſſe typorum (ſaltem, in ordinis noſtri Breviariis) Correctores exacti; nam ſemper acuunt primam, cum ſecundam aliquando deberent, quando videlicet *ne* protrahitur, ut verſus ſequentes demonſtrant.

Fer. 2. *Cedant tenébræ lumini.*
Fer. 3. *Aufer tenébras mentium.*
Fer. 4. *Nox & tenébræ, & nubila.*
Sabbat. *Quidquid tenébris horridum.*

Et quoniam metrum poſtulat, ut ſemper protrahatur ſecunda, non occurrit in Hymnis verſus aliquis, in quo acuatur legitimè prima. Sed relinquendo Metrica, redeo ad lineam.

An vox Paracletus ſit communis?

Nota tertiò vocem *Paracletus*, in rigore ſumptam, non eſſe nomen Proprium, ſed Commune: ſignificat *Conſolatorem*, & omnibus tribus Perſonis convenit; ſingulæ enim, diſtributione accommoda, diverſis favoribus homines conſolantur. Dicebat Diſcipulis ſuis Ieſus, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum, Spiritum veritatis*. &c. Conſiderat Doctor Melliflaus illud *alium* & quia erat bonus Logicus, ſciebat hoc pronomen formalitatem poſitivi in utroque extremo ſupponere, ſcitè ait, *Non dixiſſet alium Paracletum, niſi eſſet & ipſe Paracletus*. Non enim potuiſſet quis dicere, *Venit ad Philippum alius Rex*, niſi eſſet Philippus etiam Rex. Vnde Petrus Abaylardus, cum Aſceterii Monialium, quod erexerat, Templum Paracleto dedicaſſet, proteſtabatur, ſe illud Vni, & Trino Deo conſecraſſe: nam Deus quà Vnus & Trinus, eſt Conſolator, & ſingulæ tres Divinæ Perſonæ ſunt Conſolatrices. Interim vox *Paracletus* perſonaliter ſumpta, eſt nomen Proprium, tertiamq; ſolum Perſonam Trinitatis ſignificat.

Ioann. 14. b. De Logica D. Bernardi.

Templum ab Abaylardo Paracleto, hoc eſt, Deo Conſolatori dedicatur.

Characterica Beatæ Virginis nomina.

Poſt Deum nihil in Mundo purius, ſanctiuſque Beatiſſima Virgine Maria. Ejus characterica nomina ſunt. Θεοτόκος, (*Deipara*) *Dei Genitrix*, (*Virgo Mater*.) Et id ſignificare volumus, cum illam *Virginem ſingularem* vocamus: eſt enim in ipſa ſingulariſſimum, quod illibata Virginitate fuerit Mater: (*ſine peccati originalis labe concepta*.) *Filia Dei Patris: Mater Dei Filii: Sponſa Spiritusſancti: Templum Sacrariumque totius Sanctiſſimæ Trinitatis* &c. Et hic obiter nota in voce Θεοτοκος ſignificationem cum accentu ex activa in paſſivam mutari: nam ἡ θεοτόκος eſt *Fæmina Deum generans*, & ὁ λόγος θεότοκος, eſt *Verbum à Deo genitum*, & ſicut epitheto illo paroxytono Immaculata Virgo, ſic hoc proparoxytono Æterni Patris Filius ſignificatur.

Vocum Θεοτόκος & Θεότοκος ſignificatio.

Sicut in Deo & Deipara, ſic in aliis poterimus nomina characterica repetire, contrahendo nomina communia per circumſtantias ſingulares. Conſidera hæc pauca, è multis, quæ poſſumus afferre.

Characterica nomina S. Ioannis Baptiſtæ.

Sanctus Ioannes Baptiſta. *Præcurſor Domini*. (*Vox clamantis in deſerto*.) *A Chriſto Domino in Matris Ventre ſanctificatus*. (*Qui in Iordane Chriſtum baptizavit*) *Ab Herode, quoniam contra Adulterium concionabatur, decapitatus*. (*Quo nullus in mundo ſurrexit major*.) Non dicit Textus Sacer, *Inter natos mulierum non fuit major Ioanne Baptiſta*, ſed *non ſurrexit major* quoniam illo Ieſus-Chriſtus, & Angelorum Regina majores fuerunt; at ipſi nunquam ſurrexerunt, quoniam nunquam ceciderant. Vnde qui audeat Virginem Matrem originaria labe inficere, niſi illam Ioanni poſthabuerit (quod nunquam faciet, ut opinor) ut hoc teſtimonium opportuna interpretatione dilucidet, debebit multum adlaborare.

An aliquis illo fuerit major?

Sanctus Petrus Apoſtolus. *Primus Eccleſiæ Pontifex* (*Primus Chriſti Vicarius*) *qui fuit tam humilis, ut dum crucifigeretur, habere caput voluerit, ubi Deus habuerat pedes crucifixus: cujus pietatem ita honoravit Dominus, ut in cruce habuerit pedes, ubi Deus crucifixus habuit caput*.

Characterica S. Petri Apoſtoli.

Sanctus Paulus. *Apoſtolus* per antonomaſiam. (*Prædicator gentium*.) *Ob Beati Stephani orationem cœlitus ad Fidem Orthodoxam converſus, ut prædicationis ſuæ efficacia infideles converteret*.

Characterica S. Pauli Apoſtoli.

Sanctus Ioannes Evangeliſta. *Filius adoptivus Deiparæ à Chriſto Domino inſtitutus*. (*Cui Deus in cruce patiens Matrem Virginem Virgini commendavit*.) Et ſic alios Sanctos poterimus prærogativis characterieis ſignificare. Sed eadem arte ad hiſtorias profanas recurrendo, exprimere poterimus alios. Sequentia accuratè conſidera.

Characterica S. Ioannis Evangeliſtæ.

Romulus. *Vrbis conditor*. [Eſt apud Virgilium *Evander Conditor Vrbis*, ſed Romani à Romulo annos ab Vrbe condita numerarunt.]

Characterica Romuli.

Scipio Africanus, *Everſor Carthaginis*, nam ſicut faciendo alii, hic ſe, deſtruendo, Africam, reddidit celebrem.

Scipionis.

Annibal. An-ne Carthaginenſis, an verò Hiſpanus appellabitur, qui Amilcaris Carthaginenſis filius, natus fuit in Hiſpania. *Qui ſibi per Alpes igne & aceto viam aperuit*. (*Qui Titum Sempronium Conſulem apud Trebiam profligavit*.) *Qui Flamminium ad Traſimenum lacum fudit*. (*Qui Paulum Æmilium & Terentium Varronem apud Cannas devicit*.) Capillos albos, quibus naturæ Providentia ſenes honorat, *canas* Hiſpanus nominat; & quia Annibal apud Cannas victoriam celebrem indeptus eſt, quando aliquis ſenex contra ætatis ſuæ gravitatem & authoritatem aliquam procatur Amaryllida, illum monet, ut deſiſtat, his verbis.

Annibalis.

Perdeis el tiempo: porque
No ay en nueſtros horizontes
En las batallas de canas
Annibales vencedores.

Monitum contra laſcivum ſenem.

Fabius Maximus. (*Qui ſine ſanguine ſola moroſa cunctatione Annibalem attrivit*.) dixerat enim Ennius.

Characterica Fabii.

Vnus homo nobis cunctando reſtituit Rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Securiùs civitas cunctando, quàm pugnando defenditur.

Vnde

Vnde Poeta Anglus Owenus.

Defenſa eſt parva maxima Roma mora.

Charaſteriſtica Imperatoris Iuſtiniani.

Iuſtinianus Imperatoc. *Qui Achbide natus ad Imperatoriæ lauri gloriam ſummo militum applauſu pervenit.* (*Qui Dardaniam muro in quadrum muniens, & in ſingulis angulis turrim ædificans* Tetrapyrgiam *appellari curavit.*) *Adoptivus Iuſtini filius, & Imperii conſors, & poſt eius mortem ſucceſſor.* Ideò illum in Inſtitutionibus,& Codice ſimpliciter *patrem* appellat. (*Qui ex innumeris Prudentum antiquorum reſponſis, & Caſuum decretis novum Ius concinnavit, quod* Civile *dicitur, & in toto Imperio Romano obſervatur.*) *Qui tam generoſo zelo Fidem Orthodoxam defendit, ut malueris bellum* Parthicum *periculoſum & difficile inire, quàm adoptare Coſroem, Cabadis Perſarum Regis filium, ne Chriſtianū Imperium Ethnicis iterum ſubjiceretur.*

De cauſa belli Parthici.

Charaſteriſtica Vlpiani.

Vlpianus. *Tyrius Iure-conſultus. Qui Hadriani Imperatoris ſcriniis præfuit. Qui tanto, nam erat Ethnicus, odio in profeſſores Chriſtianæ Religionis exarſit, ut Codicem ſpecialem ediderit, in quo omnia Imperatorū Decreta, quæ contra Chriſtianos fuerant fulminata, conjunxerat. Qui tandem cum Gallias adminiſtraret, ſeditione oborta interfectus eſt.*

Edicta Cæſarū contra Chriſtianos colligit.

Quid requiratur, ut ſint circumſtantiæ charaſteriſtica?

Porrò voces & circumſtantiæ, quę loco nominis Proprii ponuntur, tam ſingulares eſſe debent, ut alii nullo modo conveniāt: nam, ſi epitheta cooptari poſſint pluribus, perſonam illam individuam, non poterunt ſignificare. Canit Ovidius.

Phœbus adeſt, ſonuere tubæ, ſonuere pharetra:
Signa Deam noſco per ſua; Phœbus adeſt.

Per tubarum & pharetrarum ſonitum eſſe Phœbum præſentem cognoſcebat: qui tamen id ipſum non cognoviſſet, ſi in aliorum Deorum adventu etiam pharetrę & tubæ reſonarent.

Quomodo nomina appellativa habeant propriorum virtutem?

Nomina Appellativa per voces & circumſtantias determinata, habere vim Propriorum Nominum, ac propterea eſſe Nomina Propria virtualiter, conſtat ex his, quæ hucuſque diximus: & modo iterum probatur clariſſimè ex *Imperialium Inſtitutionum lib.2. tit.13.* in quo diſponitur, ut filius, vel inſtituatur hæres, vel nominatim exhæredetur. Verba legis ſunt hæc. *Qui filium in poteſtate habet, curare debet, ut eum hæredem inſtituat, vel exhæredem nominatim faciat: alioquin, ſi eum ſilentio prætererit, inutiliter teſtabitur.* &c. Et, ut illud *nominatim* intelligamus, Imperator ſic ait. *Nominatim autem quis exhæredari videtur, ſive ita exhæredetur,* Titius, filius meus, exhæres eſto: *ſive ita,* Filius meus, exhæres eſto, *niſi adjecto proprio nomine: ſcilicet, ſi alius filius non exſtet.* Et Gloſſa in margine *Item aliis modis.* &c. Ecce *Titius* eſt vox quæ multis convenit; idem dico de voce *Filius*: idem de voce *meus*, interim omnes tres ſimul non niſi uni ſoli individuo conveniunt. Præterea vox iſta *Filius meus*, ſi pater multos filios habeat, æquivocationem inducet, & Proprii nominis virtutem non habebit. Cæterùm, ſi pater unicum filium habeat contracta per aliorum filiorum carentiam nomini Proprio æquipollebit, poteritque pro nomine proprio ſubſtitui.

Quid ſit filiū nominatim exhæredem facere?

SECTIO IV.

De Identica Propoſitione.

Quid identica propoſitio ſit?

QVando idem realiter & formaliter dicitur de ſe ipſo, Propoſitio eſt Identica. Si res eadem in ſubjecto aliter, & aliter, in prædicato concipiatur, non eſt propoſitio identica, quoniam ſubjectum formaliter diſtinguitur à prædicato. Hinc patet non eſſe identicam propoſitionem, in qua de definito definitio, aut de definitione definitum prædicatur, ut *Homo eſt animal rationale,* ſeu *Animal rationale eſt homo.* Quando verba ſynonyma inter ſe prædicantur, propoſitio eſt identica ut *Gladius eſt enſis.* de identicis in Theolog. Fundam. *num.* 855. 900. 909. 925. 952. 1202. 1273. 1309. diſputavi.

An ſynonyma prædicentur identicè?

An velle idem ſit ac non nolle?

An-ne illa Regula Iuris Civilis, *Ejus eſt non nolle, cujus eſt velle,* eſt identica? * Dubito primò, an aliqua correctione indigeat? fortè enim irrepſit illud *non*, & tolli debet: undè genuina lectio ſit, *Ejus eſt nolle, cujus eſt velle,* cujus enim voluntas ad alicujus rei valorem requiritur, noluntas ejuſdem rei valorem impedit: cujus autem voluntas non requiritur, noluntas obeſſe nō poteſt. Pono exemplum. Aurelia vult nubere, & frater ejus contradicit. Quid inde? Ejus eſt nolle, inquam, cujus eſt velle: at fratris voluntas non eſt neceſſaria, ut ſoror nubat: ergo fratris noluntas ſororis matrimonium impedire non poteſt. * Si nulla Regulæ adhibeatur correctio, quærendum eſt, quomodo voluntas & noluntas, volitio & nolitio diſtinguantur? Sanè Hercules noſter Logicus voluntatem ſemper velle perſuadet, & verbis his, *Petrus noluit legere,* Petrum voluiſſe non legere ſignificari, demonſtrat. Tota ergo differentia eſt à parte objecti, non à parte actus, iſte

Quomodo volitio & nolitio inter ſe diſtinguantur?

enim ſemper volitio eſt. Excluſo igitur actu illo poſitivo, qui vulgò vocatur *nolitio*, ſi *nolle* ſit *non velle* tunc *non nolle* erit *non non velle*; & quia duæ negationes affirmant, *non nolle* erit *velle*. Ergo tunc illa Regula, *ejus eſt non nolle, cujus eſt velle*, æquivalebit huic, *ejus eſt velle, cujus eſt velle*.

Quænam per libellum expediantur?

Clariùs eſt idemtica hæc, *Omnia, quæcumque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum expediri non poſſunt*. Vlpianus *lib. 2. de officio Proconſ.* Et quid eſt quæſo, rem per libellum expedire? Sine cauſæ cognitione expedire. Eſt ergo hæc regula, aut idemtica, aut parùm differt ab idemtica.

De eo, qui tacet?

Dubitari etiam poteſt, an ſit idemtica Regula CLII. Iuris Civilis, *Qui tacet non utique fatetur; ſed tamen verum eſt, eum non negare*, quæ eſt ex Pauli *libro 56. ad Edict.* deſumpta. Conſonat Regula XLIII. Iuris Canonici, *Qui tacet, non fatetur, ſed neque negare videtur*. Breviùs. *Qui tacet, nec affirmat, nec negat*. Vide noſtram

Quid eſt tacere?

Theolog. Fundam. *num* 817. 924. 925. 952. 1273. Sed quid eſt tacere? non loqui: at affirmare eſt loqui; negare eſt loqui: ergo qui tacet, nec affirmat, nec negat. Vnde, ſi benè conſideretur, non multum differt ab Idemtica. Sanè, qui tacet realiter (& nota hoc benè) nec fatetur realiter, nec negat realiter; & hoc eſt certum. Et

An poſſit aliquis, tacere, & non tacere ſimul?

qui moraliter fatetur, aut moraliter negat, non tacet moraliter; & hoc etiam eſt certum. Ergo qui tacet realiter, interdum moraliter non tacet.

SECTIO V.

De formali Propoſitionum Eſſentia.

Quænam poſſint de propoſitione poſtulari?

IN Propoſitionibus conſiderari debet Forma, Materia, Qualitas, Quantitas, ut reſpondeamus interrogantibus, *Quæ eſt hæc Propoſitio? In qua eſt materia? Qualis eſt? Quanta eſt?*

Quæ ſit formalis propoſitionis eſſentia?

Qui interrogat, *Quæ ſit propoſitio?* inquirere cenſetur de forma, & reſpondere debet, affirmativam, aut negativam eſſe. Eſt autem affirmativa Propoſitio, cujus copula eſt *eſt*: negativa verò, cujus copula eſt, *non eſt*: ut *Petrus eſt doctus*, & *Ioannes non eſt dives*.

Negatio duplex.

Negatio eſt duplex; videlicet negans, aut infinitans: illa cadit ſupra copulam, ut *Ioannes non eſt ſenex*; hæc ſupra ſubjectum, ut *Aliquod non homo eſt ignis*. Sed quid de illa dicemus, quæ prædicatum afficit? Infinitantem eſſe, aſſerit cõmunis opinio: at Hercules Logicos nullas eſſe negativas perſuadere conatur: contendit enim *Petrus eſt non doctus*, & *Petrus non eſt doctus*, æquipollentes eſſe.

Negatio malignantis naturæ, quæ?

Negationem negantem aliqui hac curioſa deſcriptione dilucidant. *Negatio negans eſt negatio malignantis naturæ, quæ omnia, quæ poſt ſe invenit, deſtruit*, quæ copulativè, non verò diſtributivè verificatur: nam negatio negans negat totum prædicatum, non verò ſingulas partes prædicati. Sanè hæc propoſitio, *Equus non eſt animal rationale*, eſt vera: at verò

Quo ſenſu neget omnia?

illud *non* non negat ſingula, quæ ſunt in prædicato, ſed omnia copulatim ſumpta: non enim negat Equum eſſe animal, ſed eſſe tale animal, nimirum rationale.

Reducitur ad mores Negationis deſcriptio.

Hanc deſcriptionem *in Conceptibus Evangelicis cap. de Metaphyſica num* 341. eſſe peccati imaginem excellentiſſimam affirmo, & de mortali prædico; hoc enim omnes dotes & prærogativas, quæ invenit in anima, aut expellit, aut deſtruit.

Omnia peccatum deſtruit.

Extinguit Charitatem, & Gratiam; nec non Fidem, & Spem occidit: nam Fides

Fidem occidit.

ſine Charitate (& idem de ſpe dicito) mortua eſt. Eſt Fides, non viva, ſed informis; adeoq; Fides, quæ ante peccatum erat viva, cadaver.

Optimi Politici Monachi.

Vt hanc ad Politicam Deſcriptionem traducam, moneo Virgilium Marchionẽ Malvezzium, ſæpe dixiſſe Monachos veros Politicæ Magiſtros eſſe. Sunt ingenioſi: vivunt in communitate, & à Majoribus expertiſſimis Viris communis vitæ Regulas aſſiduo magiſterio docentur. Apud ipſos hoc inculcatur Dogma, *Optimum in Monaſterio officium eſt, eſſe amicum*

Quodnam ſit optimum Officium?

Abbatis. Ei, qui in gratia eſt Abbatis, omnia domeſtica benè ſuccedunt; & negatio hujus gratiæ, *eſt negatio malignantis naturæ, quæ omnia, quæ poſt ſe invenit, deſtruit*. Sive ingenium colas, ſive doctri-

Quanti facienda ſit gratia Prælati?

nam habeas, ſive virtutibus exornetis clariſſimis, ſi gratia Abbatis careas, promotionem deſpera: nam ſunt in quacumque Communitate ingenioſi, docti, virtuoſiq; multi, & multi, & inter dignos ille promotioni proximior, qui magis gratus.

Quanti facienda gratia Principis?

Hinc, Malvezzio jubente, ingrediamur in Aulam. *Quod eſt ſummum in toto regno miniſterium?* Eſſe amicum Monarchæ. Qui ejus gratia fulcitur, omnia poteſt: & ſi Politicum Cœlum turbetur, & tota regio procelleſcat, eſt à fulmine liber. Hujus gratiæ negatio, *eſt negatio malignantis naturæ, omnia quæ poſt ſe invenit, deſtruit*. Si linguis hominum, & Angelorum loquar, ſi docti & indocti me celebrent, ſi egregias dotes habeam, & tamen extra Monarchæ gratiam ſim, habebo occaſiones plurimas exercendi patientiam, ſemper enim invenientur digniores,

qui

qui adſumi poſſint: ſemper aptiores, qui debeant in negotiis & officiis impendi.

Concluſio Moralis.

Ergo, ſiquidem hæc ſunt evidentia, ubicumque fueris, provide primò, ut maneas in Dei gratia; ſecundò, ut Principis gratiam conſerves; & hac duplici gratia ſuffultus, nil mali in mundo timeas, nil boni in Palatio deſperes. *Sed redeamus ad Logicam.*

Interrogatio habet vim negationis.

SOlent aliqui Propoſitiones negativas addito interrogationis puncto deſigurare. Dixerat Catholicè Auguſtinus, *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* ut bona hominum opera eſſe neceſſaria ad ſalutem conſequendam oſtenderet: & Ioannes Calvinus, qui delirat oppoſitum ut illa eſſe ſuperflua probet, hoc teſtimonio abutitur, & ait, *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te?*

An interdum Num? & Non æquivaleant?

Hinc patet voculas eſſe cognatas *Num?* & *Non*; ſæpè enim interrogando negamus. Confirmant id Achillis verba. A caſtris ipſe diſceſſerat propter Bryſeida ſibi ab Agamemnone ademptā: & dum ab Vlyſſe oraretur ut ad commilitones rediret, exclamavit, *Numquid Atrida ſoli uxores amant?* Homeri verſus Græcos in Calino reperies voce *Non ſoli*. Hoc Achillis dictum Sextus Cæcilius refert, & etiam ad amaſias extendit, & citans Homeri carmen non ſcripſit, H' MOY'NOI &c. *Num ſoli* &c.? ſed OY' MOY'NOI &c. *Non ſoli* &c. Quod annotavit Horomannus dicens. *Quod cum interrogatione pronunciavit Achilles, hic* (Sextus Cæcilius) *negativè retulit*. Ergo hic etiam interrogativa & negativa coincidunt *leg.* 13. *D. de adult.* Ecce hic Sextus Cæcilius mutavit interrogationem (H') in negationem (OY') ne ſenſum mutaret: & ibi Ioannes Calvinus mutavit affirmationem (.) in interrogationem (?) ut ſenſum mutaret, & Auguſtino hæreſim impudentem imponeret.

An aliquando ἦ & οὐ coincidant?

SECTIO VI.

De Propoſitionum materia.

Quotuplex ſit?

ETiam ſpectat ad eſſentiam, & eſt quintuplex. Neceſſaria, Repugnans, Contingens, & Infallibilis, & Convertibilis. Vnde interroganti, in quanam materia ſit hæc propoſitio, *Homo eſt animal*, hinc habes, quomodo debes reſpondere.

Quid neceſſaria ſit?

Eſt autem NECESSARIA MATERIA, quādo repugnat, ut prædicatum non conveniat ſubjecto, ut, *Animal eſt vivens*, eſt enim impoſſibile eſſe in mundo animantem, quæ non vivat.

Quid repugnans?

Eſt REPVGNANS, quando eſt neceſſarium, ut prædicatum non conveniat ſubjecto, ut *Homo eſt lapis*, impoſſibile eſt enim ut homo ſit lapis.

Repugnantia, Impoſſibilitatis & Neceſſitatis connexio.

Impoſſibilitas, & Repugnantia coincidunt; illa enim eſſe impoſſibilia dicuntur quæ repugnant; & contra. Si bene conſideretur etiam ſuo modo Neceſſitas, & Repugnantia coincidunt. Nam, ſi negativas poſitiones tollamus, jubeamuſque, ut negatio, quam vocabant *negantem*, prædicatum afficiat, tam erit neceſſaria, hæc *Homo eſt animal*, quam hæc, *Homo eſt non lapis*. Præterea, ſi juxta communem opinionem philoſophemur, neceſſaria dicentur, quæ neceſſariò ſunt: repugnantia verò, quæ neceſſariò non ſunt.

Quid ſit contingens?

Eſt CONTINGENS, quando prædicatum eſt accidentale & poteſt convenire, & non convenire ſubjecto, ut *Homo eſt albus*: quoniam albedo eſt accidens, quod poteſt & ſolet abeſſe abſque corruptione ſubjecti. Poteſt ad hanc reduci liberam: nam agens liberum ab intrinſeco habet, ut poſſit operari, & non operari.

De libera.

Dubium occurrens.

Petis in quanam materia ſit hæc propoſitio, *Corpus habet animam?* eſſe in Contingenti reſpondeo: nam licet anima ſubſtantia ſit, accidit corpori illam habere, aut non habere. Nam & veſtes ſubſtantiæ ſunt, & accidens habere illas.

Infallibilis.

Eſt INFALLIBILIS quando prædicatum poteſt non convenire ſubjecto, ſed tamen conveniet certiſſimè, ut *Petrus, qui eſt prædeſtinatus ſalvabitur*; poterit enim peccare, & non ſalvari, at nihilominus infallibiliter ſalvandus eſt. Prævíſio & prædictio libertatem non tollit: Et tamen, ſi Divina ſit, infallibilis eſt. Dixerat Petro Chriſtus, *Antequam Gallus cantet ter me negabis*. Nullam hæc revelatio Petro neceſſitatem impoſuit: poterat non negare Dominum, at erat certiſſimum, quod ille eſſet liberè Dominum negaturus.

Infallibilitas libertatem non tollit.

An præſcientia opponatur?

Præſcientia & libertas viſæ ſunt Ciceroni contrariæ: unde dicebat futura, ſi libera ſunt, præſciri à Deo non poſſe, & ſi à Deo præſciuntur non ſunt libera. Hanc etiam doctrinam Wiclephus, Huſſius, Lutherus, Calvinus & alii Novatores admiſerunt: quibus, quod mirum eſt, Bayus, & Ianſenius adhærent. At vero hoc Dilemma aliter Cicero, & aliter noſtri Hæretici expediunt. Sic enim argumentatur Cicero.

Aut futura hominum opera non erunt libera, aut non præſciuntur à Deo.

At verum eſt, quod erunt libera.

Ergo falſum eſt quod præſciantur à Deo.

Ciceronis argumentum contra Dei præſcientiam.

Vt ergo hominibus libertatem concederet, Deo præſcientiam negavit: unde apud

apud Auguſtinum, *ut homines faceret liberos, fecit ſacrilegos*. Hæretici ſic eodē abutuntur dilemmate,

Novatorum Argumentum contra humanam libertatē.

Aut futura hominum opera non erunt libera, aut non præſciuntur à Deo.

At falſum eſt futura hominum opera à Deo non præſciri: nam Divina ſcientia adſequitur omne futurum.

Ergo verum eſt quod futura hominum opera non erunt libera.

Catholicorum Reſolutio.

At Catholici dicimus eadem futura hominum opera à Deo ſine jacturâ humanæ libertatis præſciri: non enim neceſſitatem ſed infallibilitatem Divina Præſcientia in objecto requirit: qualem omnes actus humani & angelici habent.

An Ariſtoteles cognoverit infallibilitatem?

Ariſtoteles caruit infallibilitatis notitia, & ideo Syllogiſmorum modos eſſe neceſſarios aſſeruit: ſed falſus fuit, nam infallibiliter concludunt, & carent omni neceſſitate, ut inferiùs videbis.

Quid convertibilis?

Eſt tandem CONVERTIBILIS, quando ſubjectum & prædicatum æquè patent: ut *Omnis homo eſt rationalis. Ergo omne rationale eſt homo*. Non ſolùm cum ſpecie differentia convertitur, ſed & proprietas, unde adſonando Cajo *libr. 1. Inſtit.* dicemus. *Omnes Cives Romani habent in poteſtate liberos*. Et inferemus, *Omnes igitur, qui habent in poteſtate liberos, ſunt Cives Romani*, hoc enim Civium Romanorum eſt proprium. Et hîc obiter nota nos, cùm dicimus propoſitionem eſſe in materiâ convertibili, agere de Converſione ſimplici: ſunt enim variæ Converſionis genera, quæ his poſitionibus competunt, illis verò non competunt, ratione formæ.

leg. 3. D. de his, qui ſunt ſui vel alieni juris.

SECTIO VII.

De Tempore Propoſitionum. An Aliqua carere poſſit?

Quid Tempus ſit? An componatur ex indivisibilibus, an verò ex partibus diviſibilibus in infinitum? Stet-ne, an fluat Præſens? De Anni revolutione. An mentiantur illi, qui hodie v.gr. paſſum fuiſſe martyrium talem Sanctum concinunt, cùm tamen ille paſſus ſit ante mille, vel plures annos? Quid dicendum, de feſtis translatis.

TEmpus, ut 1. *de Invent.* inquit Cicero, *eſt id, quo nunc utimur (nam ipſum quidem generaliter definire, difficile eſt) pars quædam æternitatis, cum alicujus annui, menſtrui, diurni, nocturni-ve ſpatii certâ ſignificatione.* &c. In motu perpetuo conſiſtit; nam ſicut undam unda in fluvio, ſic horam hora, & atomum atomus pellit. Ideò *irrevocabile* & *irreparabile* dicitur. Virgilius 3. *Georg.*

Tempus perpetuò fluit: redire neſcit.

Et fugit intereà, fugit irreparabile tempus.

Et *libr. 10. Aeneid.*

Stat ſua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vita.

De compoſitione continui.

An illud ex partibus ſemper dividuis, an verò ex punctis indiviſibilibus componatur, inter Zenoniſtas & Peripateticos acriter controvertitur. Eſt illorum quoddam ratiocinium, quod rarò aut nunquā habuit ſolutionem convenientem. Illud propono. [Nihil eſt præteritum, quod non fuerit præſens, Nihil eſt præſens præter unicum inſtans indiviſibile. Ergo totum tempus præteritum componitur ex inſtantibus indiviſibilibus.] Sed meâ ſententiâ habet ſolutionem clariſſimam: &, ut magis opponamur Zenoni, indiviſibilia univerſa negemus; & conceſsâ majori, minorem eſſe falſam dicamus: non enim tempus præſens eſt inſtans aliquod indiviſibile ſtans, ſed pars fluens: nam præteritum eſt tempus quod fluxit; præſens, quod fluit; & futurum, quod fluet. Quæ omnia eleganter dilucidat Ovidius *lib. 15. Metamorph.* dicens.

Argumentum pro ſententia Zenonis.

An dentur puncta?

Temporis Deſcriptio.

Cuncta fluunt, omniſque vagans formatur imago.
Ipſa quoq; aſſiduo labuntur tempora motu,
Non ſecus, ac flumen: neq; enim conſiſtere flumen.
Nec levis hora poteſt, ſed & unda impellitur unda,
Vrgeturq; eadem, veniens, urgetq; priorem.
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterq; ſequuntur,
Et nova ſunt ſemper; nam quod fuit ante relictum eſt.
Fitque quod haud fuerat; momentaque cuncta novantur.

Tempus flumini ſimile.

Eodem conceptu præventus S. Baſilius *de fame & ſiccitate* perorat: inquit enim. *Fluunt tempora, nec moratorem exſpectant: feſtinant dies ignavum ceſſatorem præcurrentes. Et quemadmodum fieri non poteſt, ut decurſum fluvii ſiſtas*, &c. *ita neque tempus neceſſariis circuitibus impulſum cohibere queas, aut elapſum ad caput revocare.* &c. Eraſmus *in ſimilit.* imitatur. *Sicut undam unda perpetuò propellit: ita diem dies trudit.* Et Lipſius *Cent. 1. Epiſt.* 55. ſequitur. *Vt in flumine unda undam trudit, nec unquam revocat elapſam, dies diem trudit, nec reparat amiſſam.*

Revocari non poteſt.

Ecce illuſtrium Virorum ſententiâ tēpus fluit: & quod fluxit eſt irreparabile

&.

An natales Sanctorum dies redeant?

& irrevocabile. Et quidem, ſi hoc eſt verum, quomodo canamus in Hymno

Anni recurſo tempore
Dies illuxit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Polum migravit præpotens?

quomodo in Oratione dicimus, *Deus, qui hodiernam diem Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli martyrio conſecraſti?* quomodo in aliâ, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui hodiernâ die carnis eductum ergaſtulo Beatiſſimum Confeſſorem tuum Benedictũ ſublevaſti ad cælum?* quomodo in aliis aſſerit hodiernâ fieri die, quod factum eſt ante mille vel plures annos? An-ne illa dies reparatur nunc, & revocatur? Reſpondeo realiter illam revocari non poſſe: ſed tamen addo eam revocari virtualiter. Et, ut hanc reſponſionem bene intelligas, ſubſcribo hæc pauca.

Dies poſſunt redire moraliter.

Olim in Aegypto non erant anni, menſes, aut hebdomades.

Olim apud Ægyptios nullæ erant temporum revolutiones: nec enim ſub initiũ anni, menſes, aut hebdomades cognoſcebantur. Palæphatus περὶ ἀπίστων. *pag.* 130. de primo ferri inventore diſſerens, à Math. Radero translatus ait. *Mortuo Vulcano regnum ſuſcepit Aegyptiorum Sol, Vulcani filius, illudque rexit dies* 4477. *qui annos conficiunt* 12. *menſes* 3. *dies* 4. *Nam Aegyptii aliam tunc temporis rationem ignorabant: omnia enim annis diei orbita definiebant. Duodenûm verò menſium numerum tunc demum deſcripſerunt, cùm vulgò mortales Regibus vectigales haberi cœperunt.* Si permanſiſſet antiquus ille dies numerandi modus, nulla eſſet dierum revolutio, niſi illa fortè quæ ab Arithmeticâ ſumeretur, quæ per numerum Denarium decurrit. Succeſſu temporis impoſuerunt vectigalia Principes; & quia fructus curſum Solis reſpiciunt, debuerunt ab illo annum ſumere, & illum in menſes dividere, qui ſignis Cœleſtibus correſponderent. Et, quia erant ingenioſi, ut annum exprimerent, ſerpentem in circulum actum, & caudam mordentem pinxerunt: ut ex Cyrillo narrat Pierius Valerianus *libr.* 14. *pag.* 130. E. Et ſanè in hoc curioſo hieroglyphico mordet ultimam caudam ſerpens, ut ſciamus in eodem puncto, ſeu momento annum finem & initium habere: quoniam poſt unum circulum aut revolutionem incipit ab initio. Annus ſequens non eſt idem realiter cum præcedenti; interim quoad ſolennitates, ita ſe habet, ac ſi eſſet idem. Ideò, quia 25. Decembris natus eſt Dominus, illa in omnibus annis dies dicitur Nativitatis, quia prudentum æſtimatione ita ſe habet, ac ſi eſſet ipſa: nam in illâ Nativitatem celebramus. Idẽ dicendum eſt de Dominicâ Circumciſione, Epiphaniâ, &c. idem de Sanctorum Martyriis, quoniam illorum triumphos annuâ ſolennitate & devotione celebramus.

Tempus per dies menſurabatur.

Cur apud Aegyptios inventi fuerint anni?

Anni ſymbolum.

Anni præcedentis, & ſequentis diſtinctio.

Anni revertuntur moraliter.

An, qui Sanctorum Natalitia annis ſingulis colunt, mentiantur?

Hæc quæſtio *in diſt.* 4. *de conſ. Quaris.* proponitur, & his verbis reſolvitur. *Sæpe ita loquimur, ut Paſcha appropinquante craſtinam, vel perdiſſenam, vel perendiſſenam Domini paſſionem dicamus, cùm ille ante multos annos paſſus ſit: nec omninò niſi ſemel ipſa paſſio facta ſit. Nempe ipſo die Dominico dicimus, Hodie Dominus ſurrexit, cùm ex quo reſurrexerit, tot anni tranſierunt. Cur nemo tam ineptus eſt, ut ita nos loquentes, arguat eſſe mentitos, niſi quia iſtos dies, ſecundum illorum, quibus hæc geſta ſunt, ſimilitudinem* (in meo Lexico, analogiam, aut virtualitatem) *nuncupamus, ut dicatur ipſa dies, qua non eſt ipſa revolutio temporis, ſed ſimilis ejus, & dicatur illo die fieri propter Sacramenti* (myſterii, & ſolennitatis) *celebrationem, quod non illo, ſed jam olim factum eſt in alio.* Ergo convenîmus, etſi Gratianus & Patres unde habuit, verborum negligentes, alio modo loquantur.

Unius anni partes cum alterius anni partibus ſervant analogiam.

De feſtis Sanctorum tranſlatis.

Et hîc obiter nota, in noſtris choris Cantores, qui chorum dirigunt, in Feſtis translatis (nam multa in Quadrageſimâ transferuntur) illud tetraſtichum, *Anni recurſo tempore,* &c. omittere; unde error trãſivit ad Breviaria impreſſa; quòd non eſſet illa dies, quâ ille Sanctus martyrium ſubiit, aut Confeſſor obdormierit in Domino: cùm tamen iſtæ dies non ſint ipſæ realiter, in quibus hoc, vel illud accidit; ſed ſint ipſæ virtualiter, in quibus ſolennitas agitur. Ergo ſicut Paſcha, & Quadrageſima, & omnia feſta, quę *Mobilia* dicuntur, non ſemper in eoſdem dies incidunt, & tamen in illis noſtræ Redemptionis myſteria repræſentantur, ita etiam in Feſtis translatis, *Anni recurſo tempore,* debebit dici, quia ſolennitas, quæ præcedenti anno aliâ die acta, hoc anno tali, & non aliâ die, celebratur, ſeu repræſentatur.

An in ipſis dicatur, Anni recurſo tempore, &c.

De mobilibus feſtis.

Tempus triplex. De propoſitionibus præſentis temporis.

TEmpus eſt triplex: Præteritum, Præſens, & Futurum. Propoſitiones ſuas communiter Dialecticus ad præſens reducit. Et hîc interrogas, Primò, An verbo præteriti & futuri uti poſſit? & Secundò, An eſſe Propoſitio, quæ careat tempore, adſignabilis ſit?

Reſpondeo ad primum, aptiores eſſe, ut ſerviant Logicæ, Propoſitiones, quarum terminos verbum *eſt* copulat, illis, in quibus termini verbo *fuit*, aut *erit* copulantur. Et ratio eſt, quia præſens di-

cit

Digitized by Google

De propoſitionibus præteritis.

eſt tantummodò unum *nunc*, & determinatiſſimum eſt: at præteritum, futurumq; immenſam latitudinem habent. Sanè *Eſt*, & *Non eſt* ſunt incompoſſibilia, nec ſimul poſſunt verificari: at *Fuit*, & *Non fuit*: nec non *Erit*, & *Non erit*, cùm eſſe poſſint de diverſis inſtantibus, eſſe poterunt ſimul vera, aut ſimul falſa. Sic iſtæ duæ Propoſitiones,

Eſt, & Non eſt.

Fuit, & Non fuit.

Nero fuit Optimus Imperator,
Nero fuit Peſſimus Imperator,

Neronem fuiſſe bonum, & fuiſſe malum verũ eſt.

etſi opponi videantur, cohærent omninò, & convertificantur. Alſtedius *Encyclopæd. libr. 32. cap. 21. pag. 97.* ſic inquit (Sextus Domitius Nero ſucceſſit anno Chriſti 54. Ab initio gubernationis ad annos quinque bene ſe geſſit, unde Proverbium, *Quinquennium Neronis*. poſteà paulatim degeneravit, ſe totum aurigationibus, diſcurſitationibus nocturnis, comeſſationibus, & libidinibus turpiſſimis, cædibus item immaniſſimis, &c.) Prior ergo propoſitio de quinquennio illo primo, & poſterior de ultimis ejuſdem annis, in quibus fuit diſſolutiſſimus, verificabitur.

Poſſunt nihilominùs fieri Contradictoriæ de præterito, ſi vel momentum temporis determinetur, vel adverbiis univerſalibus (*ſemper* & *nunquam*) utamur. Tu ſequentes conſidera.

Propoſitiones oppoſitæ ratione temporis.

I. *Ioannes in inſtanti* M. *fuit Romæ.*
II. *Ioannes in inſtanti* M. *non fuit Romæ.*
III. Petrus nunquam fuit Neapoli.
IV. Petrus aliquando fuit Neapoli.
V. *Petrus ſemper fuit Neapoli.*
VI. *Petrus aliquando non fuit Neapoli.*

Prima & ſecunda ſunt Contradictoriæ, & habent vim ſingularium propter illud inſtans M. ad quod exiſtentia Petri determinatur. *Contradictoriæ.*

Tertia & quarta ſunt contradictoriæ: item quinta & ſexta. Adverbia *ſemper* & *nunquam* ſunt univerſalia: *aliquando* verò, & *aliquando non* particularia.

Tertia & quinta, nam utraque adverbio univerſali eſt prædita, ſunt contrariæ, & poſſunt eſſe ſimul falſæ. *Contrariæ.*

Denique quarta & ſexta, adverbia particularia præ ſe ferunt, & ſunt ſubcontrariæ; & ideò poterunt eſſe ſimul veræ. *Subcontrariæ.*

Et eodem prorſus modo de futuri temporis propoſitionibus philoſophandum eſt.

An Verbum ſemper ſignificet cum tempore?

Reſpondeo ad ſecundum, non ita neceſſarium & eſſentiale eſſe Verbo ſignificare cum tempore, ut non poſſint reperiri Verba, ab omni tempore abſtracta. Sanè *eſt*, quando exprimit exercitium eſſentiæ ſeu prædicatorum eſſentialium, & æquivalet verbo *ſat*. non ſignificat cum tempore. *Eſt* etiam, quando exiſtentiam Divinam totam ſimul in æternitate ſignificat, non concernit tempus: ſed exponitur per verbum *ſyt*. Hæc autem breviter inſinuaſſe ſufficiat: de quibus uberiùs in Pentalogo, ſeu Syntagmate de quinque vocibus (nimirùm, *Sam, Sem, Sym, Som, Sum.*) diſputatur.

ARTICVLVS II.

De Propoſitionum Qualitate. *Veritas & Falſitas ad Propoſitionum qualitatem ſpectat. Propoſitio Vera tranſire in Falſam poteſt. An detur Propoſitio, quæ utrumque ſit? an etiam, quæ neutrum ſit? De ſubjecto non ſupponente. De Fictione, & Mendacio. Quomodo inter ſe diſtinguantur?*

Affirmare aut negare, pertinet ad Propoſitionum eſſentiam.

Eſſe veras aut falſas eſt accidens.

ESSE Aſſerentem aut Negantem ad eſſentiam pertinet Propoſitionis: eſſe autem Veram aut Falſam eſt ejus accidēs. Quando enim vera in falſam convertitur, mutatur extrinſecè; quando autem affirmativa in negativam, mutatur intrinſecè. Hæc enim Propoſitio *Petrus non currit*, eſt negativa, & ut in affirmativam tranſeat, debet perdere illud *non*, quod eſt intrinſecum: ut autem ex vera in falſam tranſeat, mutatio non debet in ipsâ fieri, ſed in Petro; currente enim illa erit falſa, non currente erit vera.

SECTIO I.

An una & eadem Propoſitio tranſire ex verâ in falſam poſſit: aut contrà?

RESpondeo affirmativè; & ut oſtendam

leg. 2. § Poſtea autem. §. Exactis. D. de origine Iuris.

dam & dilucidem, lineas aliquas ex Pomponio *libr. ſingul. enchirid.* ſubſcribo. *Leges quaſdam & ipſe* (Romnlus) *curiatas ad populum tulit: tulerunt & ſequentes Reges*: &c. *Exactis deinde Regibus lege Tribunitia omnes hæ leges exoleverunt, iterumque cœpit populus Romanus incerto magis jure & conſuetudine aliqua uti, quàm per lata lege: idque prope viginti annis paſſus eſt. Poſteà, ne diutius hoc fieret, placuit publica authoritate decem conſtitui Viros, per quos peterentur leges à Græcis civitatibus, & civitas* (Romana) *legibus fundaretur*. Hac hiſtoriâ præmiſsâ ob oculos pono iſtam Propoſitionem, *Romani legibus gubernantur*. Ajo illam tempore Romuli, & Regum ſequentium fuiſſe veram: ab uſque exactis Regibus per annos viginti fuiſſe falſam. & tabulis Græcis admiſſis iterum fuiſſe veram. Eadem ergo Propoſitio ex verâ in falſam, & ex falsâ fuit in veram converſa.

An ſemper fuerint legibus Romani gubernati?

SECTIO II.

An detur Propoſitio, quæ nec vera, nec falſa ſit?

RAtio negandi eſse poſset; quia repugnar duas contradictorias eſse veras: repugnat etiam unam & eamdem propoſitionẽ eſse ſimul veram & falſam. Ergo ſimiliter repugnat nec eſse veram, nec falſam: nam hæc tria ſunt inter ſe neceſsariò connexa.

Reſpondeo quæſtionem hanc, aut in ſenſu reali, aut in virtuali proponi poſse: & ideò illam nos in utroque conſiderabimus, & dilucidabimus.

In ſenſu reali.

Agendo igitur de ſenſu reali, dico omnem propoſitionem, in quacumque materia, & de quocumque tempore illa ſit, eſſe veram, aut falſam: & quia de propoſitionibus de præterito, & præſenti nulla eſse videtur difficultas, de ſolis illis, quæ ſunt de futuro libero aut contingenti diſputabo. Dixit Petro Dominus Noſter Ieſus Chriſtus, *Ter me negabis*. Erat hæc propoſitio de futuro libero, & tamen erat vera, quia tametſi Petrus Chriſtum non negare poterat, illum erat infallibiliter & certò negaturus. Doctrinam hanc, quæ veriſſima eſt, tradidit Iuſtinianus *libr. 3. Inſtit. cap. 15. de verbor. obligat.*, cujus verba ſubjicio. *Conditiones, quæ ad præteritum vel præſens tempus referuntur, aut ſtatim infirmant obligationem, ut omninò non differunt, veluti, ſi Titius Conſul fuit, vel, ſi Mævius vivit, dare ſpondes. Nam, ſi ea ita non ſunt, nihil valet ſtipulatio, ſi autem ita ſe habent, valet. Quæ enim per rerum naturam ſunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta ſint.* Hoc teſtimonium adduco, & expono in Theolog. Fundam. *num.* 861. Senſit ergo Imperator Veritatem quoad ſe, & Veritatem quoad nos debere neceſsariò diſtingui: nam hæc aſsertio, *Rex Perſarum dormit*, ſecundum ſe conſiderata eſt nunc vera, vel falſa: & tamen nobis ignota, adeoque quoad nos neutrum eſt. Cujacius in margine ſcripſit. [Et ſtatim agi ex ea (ſtipulatione) poteſt, etiam antequam cognoverint contrahẽtes eam conditionem fuiſſe veram, ut Stephanus ſentit *in leg. 37. de reb. cred.*] Et poſtea uberius in Notis Imperatoris verba dilucidat, dicens. [In præteritis, vel præſentibus rerum naturam intuemur, non inſcitiam noſtram. In futuris inſcitiam noſtram, non rerum naturam intuemur. Nam, & quæ futura ſunt, in rerum natura certa ſunt, nihil denique naturæ rerum incertũ eſt; & quodcumque fit, id per rerum naturam certum erat, priuſquam fieret: cum & quæ futura ſunt δυνατὸν ſit fieri, quæ tamen vetus eſt Philoſophorum quæſtio. Naturæ autem hominum ea, quæ futura ſunt, pœnitùs incerta, & incognita ſunt: nam etſi præterita, & præſentia complures ſcire poſſint, propterea quod jam vera ſunt, aut falſa: futura tamen, ne unus quidem ſciat: quamvis ea prudentes viri provideant ſæpè, ſed aliud eſt ſcire, longè aliud providere. Alia igitur eſt natura rerum, alia hominum: huic futura incerta ſunt, illi certa omnia & explorata ſunt.] Et quidẽ *Natura rerum* nomine, illam intelligit, quam Theologi *Naturantem* appellant, hoc eſt, Deum: hic enim ſolus cognoſcit certò omnia futura. Vnde in Iobo legitur, *Dicite, quæ futura ſunt, & dicemus, quia Dii eſtis vos.*

Aliæ propoſitiones ſunt veræ quoad ſe, aliæ quoad nos.

An propoſitiones de futuro contingenti habeant veritatẽ vel falſitatem?

Futura interdum providemus, at non eſt ſcientifica hæc proviſio.

Natura eſt Deus.

In ſenſu virtuali.

Agendo autem de ſenſu virtuali omnes illæ, quæ cognoſci non poſſunt, quantum eſt ex ſe, hominum reſpectu, ita ſe habent, ac ſi nec veræ, nec falſæ eſſent: adeoque nec veræ, nec falſæ cenſentur; unde virtualiter nec veræ, nec falſæ dicuntur. Quamobrem, ubi nullius intereſt; nimirum, ubi nec de damno, nec de utilitate alicujus perſonæ agitur, hujuſmodi enunciationes & veritate & falſitate judicantur carere. Cæterùm, quia Charitas poſtulat, ut omnis cenſeatur eſſe innocens, quamdiu non probetur contrarium: & hoc rationi naturali inſiſtendo, quia prior eſt actualis innocentia, quàm culpa, & ideò manuteneri debet reus in ſuæ innocentiæ poſſeſſione, quamdiu per ſufficientem culpæ probationem ab illo ſtatu non detruditur, hinc omnis propoſitio

Digitized by Google

Factum debet probari: nec cenſendum eſt aliquid fuiſſe factum, niſi ſufficienter probetur.

ignora, quæ in damnum alicujus ſi admitteretur, reſultaret, aut affirmativa, aut negativa ſit, cenſetur falſa. Vnde, ſi accuſetur Antonius, quod carnes die Veneris comederit, & Miſſam die Dominica non audierit: utrumque Accuſator probare poſitivè debebit: nam aliàs, & cenſebitur non comediſſe carnes interdictas, & Miſſam audiviſſe indictam: nam ut *lib. de precept.* ait Bernardus, *Quod probari non poteſt, mihi infectum eſt*, hoc eſt, nec culpabiliter factum, nec culpabiliter omiſſum eſt.

Præmia & ſupplicia Veritatis probationem ſequuntur.

Si detur lex de re facienda: quæ videlicet facientibus præmium, & omittentibus pœnam præſcribat: ſicut non debetur Auſonio præmium, niſi rem ſe feciſſe probaverit; ſic nec puniri poterit, niſi illum rem non feciſſe probetur. Pono exemplum. Eſto lex. *Omnes cives in muro, ut propugnetur, ſunto. Qui adſtiterint numero Nobilium accenſentor: qui affuerint jure civitatis privantor.* At probari non poteſt Petrum in muro fuiſſe nec non fuiſſe. Ergo, nec puniri ille poterit, nec præmio donari debebit. Ergo in caſu hæc Aſſertio, *Petrus in muro fuit*, realiter loquendo erit vera, vel falſa. At eadem propoſitio virtualiter erit non vera, non enim ita haberi poterit, ut præmium inferat: & virtualiter erit non falſa, non enim ita regeri poterit, ut Petrum in condemnationem propellat.

De Matrimonio & aliis contractibus conditionatis. An ſint validi, ſi conditio ſit futura, & nunc ignota?

In Theologia Fundam. *num.* 870. S. *Difficultas* proponitur, *an matrimonium conditione de futuro ſubnixum, ſit validum?* unde decidi poterit, *An-ne validi contractus alii ſint, ſi futura conditioni innitantur?* Gaſpar Hurtadus *tract. de Matrim. & Cenſur. diſp. 7. difficult. 7.* duas proponit ſententias, alteram aſſerentem, & alteram negantem: & ipſe aſſerenti ſubſcribit. Stando igitur ſententiæ, quam Hurtadus reprobat, Donatio hac formula concepta. *Ego nunc dono tibi hanc arcem, ſi verum eſt, quod anno ſequenti ſis in Conſulem Civitatis eligendus*, & Matrimonium his verbis initum, *Ego te nunc in uxorem recipio, ſi verū eſt, quod tua Amita tibi decem aureorum millia ſit in teſtamento legatura*, Et Votum his verbis expreſſum, *voveo nunc me quotidie auditurum miſſam, ſi verum ſit, me ætatis annum ſexageſimum ſuperaturum*, nullum effectum operantur: quia cùm conditio ſit ignota, nec vera, nec falſa enunciatio cenſebitur, adeoque erit actus invalidus. Et hæc opinio eſt facilior, & in praxi expeditior. Cæterùm in Hurtadi ſententia actus erit validus, ſi conditio ponenda ſit; & illam eſſe ponendam aut non ponendam nunc erit verum; tametſi non mihi notum, ſed ſoli Deo.

De donatione.

Quam ob rem, ſi tibi donavi in inſtanti A equum ſub conditione ponenda in inſtanti F & iſta in inſtanti F purificetur, donatio fuit valida, & tu ab inſtanti A fuiſti dominus equi: & ego quamdiu manſit ignota veritas cognitionis non potui illam eamdem arcem alteri donare, vel vendere, quia forſitan erat tua: nec debui tibi illam conſignare, quia forſitan erat mea.

De Matrimonio.

Idem conſpicitur in Matrimonio. Si illud contractum fuerit anno elapſo, & modò purificetur conditio, erit validum: at non incipiet eſſe validum à tempore, quo purificatur conditio, ſed à tempore quo initū fuit. Ergo, ſi Carolus Antoniam in uxorem ducat ſub conditione futura: antequam purificetur conditio, non poterit conſummare matrimonium, quia fortè conditio non ponetur; &, ſi hæc non ponatur, matrimonium erit invalidum, & Antonia non erit ſua uxor, & nemo tangere poteſt non ſuam. Sed neque poterit antequam purificetur conditio, aliam ducere, quia fortè matrimonium eſt validum. Ergo quaſi inter terram, cœlumq; debebit ab aere pendere.

An vota ſolemnia conditionē admittant?

Idem de voto dicendum erit: & quia magnis implicabitur difficultatibus talis devotio, conditionem futuram vota ſolennia non admittunt.

Cæterùm in ſenſu virtuali, ſi Petrus domum Ioanni dedit, aut Carolus Antoniam duxit ſub conditione de futuro, iſtæ propoſitiones,

Poſitiones, quæ nec vera, nec falſa cenſentur.

A. *Petrus eſt hujus domus dominus.*

B. *Petrus non eſt hujus domus dominus.*

C. Ioannes eſt hujus domus dominus.

D. Ioannes non eſt hujus domus dominus.

E. *Carolus, & Antonia ſunt ſimul matrimonio conjuncti.*

F. *Carolus & Antonia ſunt cœlibes.*

antequam purificetur conditio, nec veræ cenſebuntur, nec falſæ. Erunt igitur non veræ virtualiter, & non falſæ virtualiter. Porrò non cenſebitur vera Aſſertio A. quia in nullo tribunali permittetur Petro, ut vendat aut diruat domum hanc, antequam conſtet de conditione. Sed neque cenſebitur vera enunciatio B. quia ſi Petrus non eſſe dominus diceretur, Ioannes eſſe dominus, adeoque hanc domum poſſe vendere, aut alienare, quod falſum eſt. Et pariformiter de propoſitionibus C & D philoſophandum erit. Denique aſſertio E vera cenſeri non poterit, quia aliàs poſſent conſummare matrimonium antequam purificaretur conditio,

Digitized by Google

ditio, quod nemo admittet. Sed neque eadem aſſertio E poterit cenſeri falſa, quoniam tunc aſſertio F eſſet vera; & poſſent illi, non obſtante matrimonio rato, ad novas nuptias tranſire, quod concedi non poteſt. Ergo virtualiter loquendo hæ omnes enunciationes, & aliæ illis ſimiles, antequam purificetur conditio, nec ſunt veræ, nec falſæ.

Quodlibet eſt, vel non eſt.

Dices, quidlibet vel eſt, vel non eſt: & ſicut repugnat, quod detur aliquid, quod nec ſit, nec non ſit. Ergo ſicut in ſenſu reali nulla eſt propoſitio quin ſit vera, aut non vera, ſic in ſenſu virtuali nulla erit, quin etiam ſit vera, aut non vera.

Duæ contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul veræ.

Reſpondeo Contradictoriarum oppoſitionem eſſe indiſpenſabilem, at in ſenſu virtuali non eſſe contradictorias, quas tu judicas contradictorias eſſe. Opponuntur ſanè contradictoriè iſtæ propoſitiones,

A. *Propoſitio hæc eſt vera.*
B. *Propoſitio hæc non eſt vera.*
C. Propoſitio hæc eſt falſa.
D. Propoſitio hæc non eſt falſa.
E. *Propoſitio hæc eſt vera.*
F. *Propoſitio hæc eſt falſa.*

Opponuntur A & B, nec non C & D, quia quod altera aſſerit, negat altera. Sed & E & F etiam contradictoriè opponuntur, nam idem eſt propoſitio falſa, quam non vera. Et in iſtis formulis contradictio invenitur. In his autem,

G. *Propoſitio hæc à me judicatur vera.*
H. *Propoſitio hæc à me non judicatur vera.*
I. *Propoſitio hæc à me judicatur non vera.*

Duæ contradictoriæ poſſunt ſimul non judicari veræ: at non poſſunt ſimul judicari non veræ.

aperire debebimus oculos, ne fortè allucinemur. Nam inter G & H eſt contradictio formalis: inter G & I eſt objectiva; & ideò nec G & H, nec G & I poſſunt ſimul admitti, nec ſimul negari. Tandem H & I poſſunt eſſe ſimul veræ, & tunc H infertur ab I, & non contrà: quæcumque enim propoſitio judicatur non vera, non judicatur vera: non autem quæcumque non judicatur vera, judicatur non vera, nam poterit nec judicari vera, nec judicari non vera: quoniam hæ duæ aſſertiones,

K. *Hæc propoſitio,* Turca ſedet, *à me non judicatur vera.*
L. *Hæc propoſitio,* Turca ſedet, *à me non judicatur non vera.*

nullam oppoſitionem dicunt; quia, ſi ego, utrum hæc propoſitio, *Turca ſedet*, ſit vera, aut falſa, ignoro, nec illam judicabo veram, nec illam judicabo falſam, ſeu non veram. Hoc adfirmo P. Ignatii Derkennis S.I. viri quidem doctiſſimi authoritate qui à me conſultus ſcripſit, opinionem illam, quam cenſurandam propoſueram, *ſibi potiùs non videri improbabilem, quam videri probabilem*. Ergo nec videbatur probabilis, nec improbabilis. Lege noſtram Theologiam Regularem *nu.* 1461. S. vix.

Ens virtuale quid ſit?

Res in ſenſu virtuali non accipiuntur ut ſunt à parte rei, ſed ut à prudentibus ſupponuntur, & judicantur: & ideò Ens virtuale definitur eſſe, *quod non eſt realiter quale dicitur, prudentum tamen hypotheſi, & judicio ita ſe habet, ac ſi quale dicitur eſſet*. Quam ob rem tametſi impoſſibile ſit rem ſimul eſſe, & non eſſe, aut ſimul nec eſſe, nec non eſſe; & licet impoſſibile ſit, ut rem eſſe, & non eſſe ſimul judicem, non autem impoſſibile, ſed facile & frequens eſt, ut nec judicem rem eſſe, nec judicem rem non eſſe: nam Sineuſem, de quo nunquam actum fuit in noſtro tribunali, nec judicavi eſſe innocentem, nec non eſſe innocentem.

SECTIO III.

De Veracitate, & Mendacio. Poteſt eadem Propoſitio eſſe verax & falſa, poteſt eſſe mendax & vera.

Quid ſit poſitio vera? quid falſa? quid ſit verax? quid fallax, & mendax?

A Veritate Veracitas, & à Falſitate mendacium, ſi rem benè mediteris, diſtinguitur. Vera eſt aſſertio, quæ ita rem adnunciat, ut eſt in ſe; Falſa quæ rem aliter adnunciat, quam eſt in ſe. Aſſertio autem, aut potiùs homo, qui illam pronunciat, dicitur Verax, ſi aſſerit, quod eſſe verum putat, etſi fortè ſit falſum: mendax autem vocatur ſi aſſerit, quod falſum eſſe putat, etſi fortè ſit verum. Vnde patet Veracitatem cum Falſitate, & Mendacium cum Veritate per accidens poſſe componi. Hæc doctrina eſt certiſſima, & à Patribus antiquis tradita. Auguſtinus *in Enchirid.* [& habetur 22. *qu.* 2.] *Is, qui mentitur, contra id, quod animo ſentit loquitur, voluntate fallendi*. Nam *mentior* dicitur à mente, & *mentiri* eſt contra mentem ire: *mendacium* verò latiùs patebit, ſi, ut multi volunt, non à mentiendo, ſed à menda dicatur. Et idem S. Pater *de verbis Apoſt.* [& habetur 22. *qu.* 2. *Homines S. intereſt.*] ſic inquit. *Intereſt* (perpendere) *quemadmodum verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit, niſi rea mens.* Qui enim neminem vult decipere, non mentitur. Conſonat *lib.* 2. *ſuper Hierem.* Hieronymus. *Aliud eſt jurare falſum, aliud in dolo. Non enim omnis, qui aliter facturus eſt, quàm promittit, in dolo jurat. Licet* enim

Mentiri *eſt contra mentem ire*

Paulus promiſit, quod non implevit, cur nõ fuerit mentitus?

enim Apoſtolus Corinthiis promitteret, Veniam ad vos, *non tamen in dolo juravit, aut mendacium promiſit. Hic autem in dolo jurat, aut mendaciter promittit, in cujus mente eſt, non ſic facturum, ut promittit. Ille autem qui promittit falſum, quod putat verum, nec in dolo jurat, nec mendaciter promittit.* Et Iſidorus *in Synon.* [& habetur 22. *qu.* 2.] *Omne genus mendacii ſummoperè fuge: nec caſu, nec ſtudio loquaris falſum: nec ut praſtes, mentiri ſtudeas, nec qualibet fallacia vitam alicujus defendas. Cave mendacium in omnibus.* Audi iterum Auguſtinum, qui *ſuper pſalm.* ait. *Aliud eſt* mentiri, *& aliud* (tacendo) verum occultare: *ſicut aliud eſt* falſum dicere, *& aliud* verum tacere, *ut ſiquis non velit ad mortem hominem prodere, paratus eſſe debet verum* (tacendo, non autem negando) *occultare, non falſum dicere; ut neque prodat, neque mentiatur: neq; occidat animam ſuam pro corpore alterius.* Nota illud verbum *occidas animam*, nam mentiri in Tribunali, etiam à juramento præſcindendo, eſt mortale.

Aliud eſt veritatem occultare tacendo, aliud negando.

An aſſerere ſine mendacio poteſt, quæ ſunt probabiliter vera?

Quæ probabiliter eſſe vera credideris, affirmare abſolutè poteris ſine mendacio: nam Deiparam originaria labe caruiſſe, ſine mendacio aſſerimus, & tamen non niſi probabile eſt. Et hic oportet Dubium à Probabilitate diſtinguere. Bernardum *ſuper Cant. ſerm.* 17. de hoc argumento diſſerentem auſculta. *Aliud eſt ſub incerto hoc vel illud opinando ſentire, aliud eſt temerè affirmare quod neſcias. Eſt enim qui dubiè profert mendacium* (falſum) *nec mentitur: & eſt, qui veritatem, quam neſcit, affirmat, & mentitur. Nam & ille, non quidem quod non eſſe, ſed ſe quod credit dicere dicit, & verum dicit, etſi hoc non verum ſit, quod credit; & iſte cum ſe certum, unde certus non eſt, dicit, verum non dicit, etiam ſi verum ſit, de quo aſſerit.*

An non poteſt dicere certò eſſe vera.

Sanè, qui probabiliter aliquid ſcit, poteſt illud aſſerere: ſi autem ſe illud certò ſcire affirmaverit, mentietur. Quam ob rem, interrogatus, an viderit, an audierit, an certo ſciat, niſi ingenuè, & germanè loquatur, mentietur.

Dices hanc doctrinam, ut ut vera ſit, eſſe in jure periculoſam, nam inde ſequeretur, poſſe hominem de re, quam probabiliter eſſe veram crediderit, in Tribunali teſtimonium proferre. * Reſpondeo hoc ex illa inconveniens non ſequi; nam in judicio teſtes cauſam ſcientiæ rogantur, & illam explicare tenentur. Pono exemplum. Petrus vir probus & omni fide dignus narravit tibi ſe vidiſse Claudium à Ferdinando occidi. Tu prudenter credis. Peccabis fortè in caſu contra charitatem, aut alias virtutes, prout circumſtantiæ ſecretum poſtulent; non tamen mentieris ſi dicas, *Claudium occidit Ferdinandus.* Veniamus modò ad Tribunal, in quo examinaris, ut teſtis. Non rogaris, quid opineris, ſed quid ſcias; & hoc ipſum (nempè, Claudium à Ferdinando fuiſse occiſū) te non ſcire, non probabile, ſed manifeſtū eſt. Rogaris etiam, an videris, vel audieris: & te hoc non vidiſſe, ſed audiviſſe certum eſt. Ergo in Tribunali nihil aliud ſine mendacio & perjurio poteris dicere, quàm, *Claudii morti non interfui: eum occidi non vidi. audivi tamen à Petro, quem virum eſſe probum judico: ſe vidiſse Claudium occidi à Ferdinando.* Ergo præſens doctrina nulli eſſe poteſt Tribunali nociva.

An de re probabili poſſit teſtimonium proferri?

Teſtes debent exponere, an viderint, aut audiverint id, quam teſtantur.

Varia ſunt genera Mendaciorum. Ex Auguſtino enim *cap primum* 22. *qu.* 2. hæc recenſentur. Primum eſt capitale mendacium, quod in doctrina Religionis committitur. Secundum, ut ſi aliquem lædat injuſtè; quod tale eſt, ut nulli proſit, & obſit alicui. Tertium, quod proſit alteri, ita ut obſit alteri, quamvis non ad immunditiam obſit corporalem. Quartum ſola mentiendi fallendique libidine, quod merum mendacium eſt. Quintum, quod fit placendi cupiditate, de ſuavi eloquio. Sextum genus, quod nulli obeſt: veluti, ſi quiſpiam pecuniam alicujus injuſtè tollendam, ubi ſit, neſcire ſe mentiatur. Septimum genus mendacii eſt, quod & nulli obeſt, & prodeſt alicui; veluti, ſi nolens hominem ad mortem quæſitum prodere, mentiatur. Octavum genus mendacii eſt, quod, & nulli obeſt, & ad hoc prodeſt, ut ab immundicia corporali aliquem tueatur.

Mendaciorum claſſes.

Omnia hæc revocantur ad tria: nam Mendacium, vel eſt Pernitioſum, vel Iocoſum, vel Officioſum. Pernitioſum dicitur, quod alicui nocet; Officioſum, quod prodeſt; Iocoſum, quod ſine alicujus damno, aut utilitate ſola animi relaxandi gratia pronunciatur. Adde mendacium mixtum, puta, ſi mendacium dixeris, quod proſit Petro, & noceat Paulo.

Reducuntur ad tria.

Veteres, qui non omne mendaciū culpam eſſe aſſeruerunt, non ſemper videntur in re erraſſe; multi enim exempla ponunt, quæ conſignificantes circumſtantiæ liberant à mendacio. & tunc videntur benè ſentire, & malè loqui; mendacium enim vocant, quod non eſt mendacium.

An aliquod mendacium veteres à peccato excuſaverint?

SE-

SECTIO IV.

De Mendacio Iocoſo.

Omnia mendacia ſunt peccata.

IN hoc aliqui adlucinantur. Omne mendacium eſt peccatum; nam, ut Auguſtinus *ſuper Ioann.* ſcitè ait, *Quomodò Deus Pater genuit Filium* (qui eſt Via, Veritas, & Vita) *ſic Diabolus lapſus, genuit quaſi filium, mendacium* (nam per illud à Via, Veritate, & Vita homines ſeparat.) De Pernitioſo & Officioſo jam dixi: interim hæc pauca verba ex Auguſtini Enchiridio adhuc addere placet. *Mihi non abſurdum videtur,* ait, *omne quidem mendacium eſſe peccatum: ſed multum intereſt, quo animo, & de quibus rebus quiſque mentiatur. Non enim ita peccat, qui conſulendi* (ecce Mendacium Officioſum) *quomodo ille, qui nocendi* (ecce Pernitioſum) *voluntate mentitur.* Et ut ſciamus differre gravitate Pernitioſa Mendacia ſubjungit, *Nec tantum nocet, qui viatorem mentiendo in adverſum iter mittit, quantum is, qui viã vitæ mendaci fallente depravat.* Et habetur 22. *qu.* 2. §. *Mihi autem.*

Sunt proles Diaboli.

Officioſa mendacia leviora peccata ſunt, quàm pernitioſa.

Pernitioſa inter ſe differunt gravitate.

Iocari poteſt duobus modis.

Supereſt, ut de Iocoſo diſſeramus. Iocoſam hiſtoriolam narras, vel ut illam Petrus credat, & poſteà inter amicos illum rideas: velut Petrum, qui falſum eſſe ſcit, & falli nequit, verborum elegantia recrees, aut etiam inſtruas. Si primum, ſeriò jocaris, & mentiris, quoniam proximũ decipis. Si ſecundum, non mentiris, ſed parabolam, aut hypotheſim narras: nam ad mendacium animus decipiendi requiritur. De hoc ſecundo jocandi modo *lib. qu. in Gen.* agebat Auguſtinus, cum dixit, *Mendacia à Mendacibus ſeriò aguntur, non joco* (nam qui jocatur, ut decipiat, ſeriò vult decipere) *Cum autem, quæ non ſunt, tanquam ſint, joco dicuntur, non reputantur mendacio.* Quæ verba etiam apud Gratianum 21. *Quod autem* leguntur. Hinc patet Æſopi fabulas, & Hiſtorias illas cogitatas, quas vocamus Novelas, Comœdias, Parabolas, &c. non eſſe mendacia; non enim ſcribuntur, ut Lectorem decipiant, ſed, ut recreent, aut inſtruant: ſcit enim Lector non recenſeri res, quæ acciderunt, ſed quæ ab Ingenioſo Authore feliciter ſunt cogitatæ: nam & Prophetæ in Antiquo, & Chriſtus in Novo Teſtamento Parabolis utuntur, ut nos inſtruant, quod non fieret, ſi illæ labe mendacii laborarent.

Si primo procedas mentiris: &, ſi ſecundo, non mentiris.

An omnis qui mentitur, ſeriò agat?

An fabula, comœdia, Novella, Parabola, &c. mendacia ſint?

Propheta & Chriſtus in parabolis loquuti ſunt.

Dicis Auguſtinum priorem retractaſſe ſententiam, & etiam jocos ſine animo fallendi dictos illi, qui ſcit jocos eſſe, damnaſſe: Et, ut id probes, *ex Comment. in Pſalm.* verba ſequentia adducis. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*] *Sunt mendacia quædam pro ſalute, vel commodo alicujus; non malitia, ſed benignitate; ut obſtetrices, quæ dixerunt pro filiis Iſrael falſum Pharaonè. Hæc autem mendacia* (Officioſa dicuntur, &) *non in re, ſed in dolo laudantur: & qui ſic mentiuntur, merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari. Eſt etiam mendacium Iocoſum, quod non fallit: ſcit enim cui dicitur, cauſa joci dici. Et hæc duo genera non ſunt ſine culpa, ſed non cum magna. Perfectis non convenit mentiri, nec pro temporali vita, cujus morte ſua, vel alterius occiditur anima. Licet autem, ſi non falſum dicere, verum tacere; ut ſi quis non vult hominẽ ad mortem perdere, verum taceat, ſed non falſum dicat, nec pro corpore alterius animum occidat.*

An mendacia officioſa laudanda?

An joci, qui neminem fallunt ſint mendacia?

An pro ſalvanda vita aut anima poſſit dici mendacium?

An mentiendo Ægyptia Obſtetrices peccaverint?

Ex his Auguſtini verbis tria infers. PRIMVM, ſenſiſſe Sanctum Patrem, non omnia mendacia Officioſa eſſe peccata: videtur enim Ægyptias accuſare obſtetrices, cum ait, *Qui ſic mentiuntur, merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari.* SECVNDVM, ſenſiſſe etiam jocos (narrationes falſas, quæ ſine animo fallendi dicuntur perſonæ, quæ eſſe falſas cognoſcat, & ideò non ſit in periculo, ut poſſit falli) eſſe mendacia, & peccata parva. Id enim innuere videntur illa verba, *Hæc duo* (mendaciorum) *genera, non ſunt ſine culpa, ſed non cum magna.* TERTIVM, peccata majora, & minora S. Doctorem contra Stoicos, qui omnia æqualia putabant, admiſiſſe: non autem venialia, & mortalia: nam illa, quæ vocat *parva*, vel *non magna*, ejus ſententia occidunt animam. Et hoc ſignificant illa ultima verba, *Nec pro corpore alterius animam occidat.* Et ſibi conſonat, nam *lib. de vitior. & virtut. conflict.* (& habetur 22. *qu.* 2.) ſic inquit. *Nec artificioſo mendacio, nec ſimplici verbo oportet quemquam decipere: quia quomodolibet mentiur, occidit animam.* ADDIS, in illis verbis, *Hæc autem mendacia* (Officioſa) *non in re, ſed in dolo laudantur,* eſſe ſphalma: nam in mendaciis Officioſis res ipſa (bonum proximi) & non dolus (deceptio) laudatur. Vnde putas ſic Auguſtinum ſcripſiſſe, *Hæc autem mendacia, in re, & non in dolo, laudantur.*

An joci & fabula mendacia ſint?

An omnia peccata ſint æqualia?

An ſaltem omnia ſint mortalia?

Reſtituitur locus Auguſtini.

An Medico mentiri liceat?

Reſpondeo ad primum Officioſa peccata, eſſe bona, Ethnicos crediſiſſe & docuiſſe. Nam Plato, qui inter Philoſophos veteres, quod Theologica ſubtiliter ediſſeruerit, *Divinus* dicitur, *lib.* 3. *de Republ.* docet, *Mendacium concedendum eſſe Medicis, aliis verò minimè. Medici quippe, ut ægrotorum animos conſolentur, promittunt ſæpè ſanitatem, etiam in ipſo mortis* ago-

Digitized by Google

agone, ne animam deſpondeant. Et poſteà *in Dial. de Iuſto*. Conſiderans militaria mendacia eſſe utilia Reipublicæ, ait, *Mentiri, decipere, lædere, offendere, injuſtum eſt: hoſtes autem offendere juſtũ, item per fraudes decipere*. Hæc opinatio etiam poſt Chriſtum obtinuit apud aliquos, ſed jam ab univerſis tanquam impia damnatur.

An etiam militi?

Proderit audire Gregorium qui verbis his mendacium Obſtetricum diluсidat. *Nonnulli Obſtetricum mendacium conantur aſſerere non eſſe peccatum; maximè, quia illis mentientibus ſcriptum eſt, quod ædificaverit eis Dominus domos: in quo magis recompenſatio cognoſcitur, quàm mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, præmiſſa culpa mendacii in terrena eſt compenſatione declinata*. Conſidera illud ſyncategorema *nonnulli*. Et collige non defuiſſe S. Gregorii ævo, qui mendacia officioſa non eſſe peccata putarent.

An ſint peccata officioſa mẽdacia?

Ego quæſtionem ſic expedio. Aſſero dari inter humanos actus aliquos, qui ſimul ſint boni & mali: & in illis numero officioſa mendacia. Illæ porrò Obſtetrices fuerunt cum Hæbræorum utilitate ex clementia naturali mentitæ, & earum officioſum mendacium, quà mendacium fuit malum, & quà officioſum bonum. Et quà malum pœna dignum, & qua bonum præmio. Et Iuſtiſſimus Deus, qui in alterâ vitâ Ethnicis fœminis dare coronas ſtante æquitate non poterat, voluit, ut in hac vitâ haberent præmium, ne vel minima moralis bonitas congruo præmio deſtitueretur. Hinc venio ad Auguſtinum. *Qui ſic* (officiosè) *mentiantur*, inquit, *merebantur, aliquando ab omni mẽdacio liberari*. Quoniam, qui ſic (officiosè) mentiuntur, aliquid merentur de congruo; & poterit Omnipotens Deus, non intuitu doli, ſed officii concedere, ut aliquando habeant auxiliatricem gratiam, quâ ab omni mendacio, etiam officioſo, præſerventur.

An unus & idem actus poſſit eſſe ſimul bonus & malus?

An mendacia officioſa, bona & mala ſint ſimul?

An, & quid mendacia officioſa mereantur?

Reſpondeo ad ſecundum, mendacia jocoſa eſſe peccata: & niſi per accidens magna ex illis ſcandala obventura, prævideantur, eſſe venialia. Addo, jocos, qui ſine animo decipiendi dicuntur, ſi habeant finem honeſtum (nempe, utilem inſtructionem, & modeſtam & ſobriam recreationem) qualem Æſopi fabulas habere, certum eſt, finis bonitate cohoneſtari, & eſſe moraliter bonos. Cæterum, quia ſæpe, non ſolùm bono fine carent, ſed etiã leviter malum habent, eſſe leviter malos, & de his loqui Auguſtinum, cùm dixit, *Non ſunt ſine culpa, ſed non tam magna*. Tunc enim ſunt verba otioſa, quæ à Chriſto Domino condemnantur. Sanè jocis ſuos terminos prudentia præſcribit, & peccatur in exceſſu circumſtantiis perſonæ, loci, & temporis, conſideratis. Sanctus Benedictus in Regul. cap. 4. *Multum loqui non amare. Verba vana, aut riſui apta non loqui. Riſum multum, aut excuſſum non amare*. Et cap. 6. *Scurrilitates verò, vel verba otioſa, & riſum moventia, æterna clauſura in omnibus locis condemnamus: & ad tale eloquium diſcipulum aperire os non admittimus*. Ecce joci, ſi in exceſſu peccetur, levia peccata ſunt, non autem in mendacii, ſed in decentiæ genere; qui enim hiſtrioni fortè licent, in Sacerdote condemnantur. Dixi eſſe peccata in alio genere, nam ipſa interdum taciturnitas peccatum eſt, & tamen niſi ita taceat quis, ut virtualiter loqui cenſeatur, nec verax, nec mendax eſſe poteſt. *Qui enim veritatem* (negativè, & non loquendo) *occultat, & qui mendacium profert, uterque reus eſt: ille, quia prodeſſe non vult; iſte, quia nocere deſiderat*: teſte Anſelmo *in epiſt. ad Corinth*. Ecce, qui tacet, peccat: non quidem, quia mentitur; ſed in alio genere, quia prodeſſe non vult.

An mendacia jocoſa ſint peccatum?

An omnes joci, fabulæ, &c. ſint mendacia?

Omnia verba otioſa ſunt peccata.

De riſu, & ſcurrilitate.

An, & quando poſſit aliquis tacendo peccare?

Reſpondeo ad tertium, librum *de vitiorum, & virtutum conflictu*, qui à multis adtribuitur Auguſtino, ab aliis accenſeri Iſidoro. Quidquid ſit, non occiditur anima per quodcumque mendacium, ſed per grave. Eſt autem gravis culpa in Tribunali mentiri, etiam ut proximus liberetur à morte. Nam mentiri Reipublicæ res gravis eſt: & in tribunali ſemper juramentum exigitur; & mendacium, etiam quãdo eſt leve peccatum, ſi juramento firmetur, in grave ſacrilegium tranſit. Dico igitur Auguſtinum, vel Iſidorum agere de illo, qui in tribunali officiosè mentitur, is enim, ut à morte corporeâ eripiat amicum, animam ſuam occidit per peccatum mortale.

De Authore libri de virt. & vitior. conflictu.

An mentiri in tribunali ſit res gravis?

Ad illud, quod addebas in fine, nihil aliud occurrit, quàm obſervationem tuã laudare. Nam in mendacio officioſo duo poſſunt conſiderari. Res ipſa, quæ ex illo reſultat (proximi utilitas) & dolus, quo ipſum formatur. Duos enim ſibi præſcribit fines, qui officiosè mentitur, nempe decipere unum, & prodeſſe alteri: & hos duos fines eſſe ſubordinatos conſtat: quia Obſtetrices Aegyptiæ mentitæ ſunt, ut Pharaonem deciperent: eumque deceperunt, ut Hebræos infantes à morte liberarent. Ergo non dixit Auguſtinus, *Hæc autem mendacia, non in re, ſed in dolo laudantur*. Sed dixit, *Hæc autem mendacia in re, & non in dolo laudantur*, ut tu profundiſſimè obſervas.

Mendacium officioſum duos fines ſubordinatos habet.

SE-

SECTIO V.

De errore: qui eſt Falſitas ſine Mendacio. An duæ Contradictoriæ, dictæ ab eodem homine, poſſint eſſe Mendacia ſimul?

Erroris cauſa, quæ?

Ignorantia duplex.

An omnis ignorantia craſſa ſit peccatum?

ERror ſemper conjungitur cum ignorantiâ: & hæc eſt duplex, ſuperabilis & inſuperabilis. Ignorantia inſuperabilis & invincibilis naſcitur ex imperfectione naturæ, quæ finita & caduca, & veritatem in multis invenire non poteſt. Vincibilis, eſt craſſa & ſuperabilis, & oritur à voluntate. Ille enim, qui veritatē addiſcere poteſt, & non vult, laborat ignorantiâ craſsâ. Non omnis ignorantia craſſa eſt peccatum, ſed illa tantùm, quæ rerum eſt, quas ſcire debemus. Ideò antequam judicium de erroris moralitate feratur examinare oportet, an ignorantiā rerum, quas ſcire tenemur, ſequatur.

Quâm ſint periculoſi errores in materia Fidei?

Quales Lectores S. Auguſtinus deſideret?

Scitè & eruditè Auguſtinus *libr. 1. de Trinitate*; cujus verba proportione ſervatâ, ad omnia & ſingula, quæ ſcire debemus, protrahi poſſunt: inquit enim. *Vbi quæritur unitas Trinitatis (Patris, & Filii, & Spiritûſſancti) nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid invenitur. Nō pigebit me, ſicubi hæſito, quærere; nec pudebit, ſicubi erro, diſcere. Quiſquis ergo hoc audit, vel legit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum: ubi pariter hæſitat, quærat mecum; ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur ſimul Charitatis viam, tendentes ad eum, de quo ſcriptum eſt, Quærite faciem ejus ſemper.*

De ignorantia rerum quas nō tenemur ſcire.

An ſit peccaminoſa?

Otioſitas eſt mala & peccatum.

Sunt etiam multa, quæ laudabiliter addiſcit homo, & aliàs negligit ſine culpâ. De his *in Enchirid.* Auguſtinus. *In quibus rebus nihil intereſt ad capeſſendum regnum Dei, utrùm credantur, an non? utrùm vera putentur, an falſa? in his errare, & aliud pro alio putare, non eſt arbitrandum eſſe peccatum; aut, ſi eſt, minimum eſt, atque leviſſimum.* Et benè: nam multi ſunt in Cœlo Sancti, qui non didicerunt Geometriam v. gr. quam ex nullo capite tenebantur addiſcere. Hæc ignorantia, etſi craſſa & vincibilis, aut etiam affectata, non eſt peccatum mortale, nam id omnes fatentur: ſed neque ex ſe eſt veniale, tametſi de hoc dubitet Auguſtinus. Conſultò dixi *ex ſe*; nam, ſi aliquis malit indulgere otio, quàm Geometriam addiſcere, in ipſo non Geometriæ neglectus, ſed otioſitas carpenda erit; nā tempus à Deo nobis conceditur, ut bene impendatur; non autem illud bene impendit, qui in lecto ſtertit, aut de inutilibus confabulatur: & poterimus dicere huc vertiſſe oculos Auguſtinum, cùm dubitat, an hujuſmodi ignorantiæ veniali aliquâ culpâ inficiantur.

De illo, qui errat in re, quam nō tenetur ſcire.

Qui de re, quam non tenetur ſcire loquitur, & dicit, quòd verum eſſe putat, etſi fortè fallatur, non mentitur, quia ſecundum mentem, quam habet (aliam enim habere non tenetur) pronunciat.

De illo, qui errat in re, quam tenetur ſcire.

An duæ contradictoria poſſint ſimul eſſe mendacia.

Qui autem agit de re, quam ſcire tenetur, & tamen neſcit, eſt in miſero ſtatu; ſæpe enim aſſerat, aut neget, mentitur. Pono caſum. Petis à Calviniſtâ, An Chriſti verum corpus, & verus ſanguis ſit ſub ſpeciebus Euchariſticis? Adnuat, renuat, mentietur. Si adnuat, loquitur contra mentem, quam habet: nam linguâ dicit *Eſt*, & mente *Non eſt*. Si renuat, mentietur ſimiliter; nam ejus verba ſunt *Non eſt*. Et hæc in mentem, quā habere debet, impingunt. Licèt enim credat non eſſe, debebat oppoſitum credere. Vnde ejus verba (affirmativa, aut negativa ſint) erunt contra mentem: videlicet, aut contra illam, quam actu habet, aut contra illam, quam debebat habere.

Inter affirmare & negare, datur medium.

Infers. Ergo neceſſario mentietur & peccabit. Et probas. Quia inter affirmare & negare non datur medium. Reſpondeo, inter affirmare & negare eſſe medium tacere. Nec enim, ut plus modò dicam, poſtulat argumentum.

An homo in ſtatu eſſe poſſit, in quo ſeu faciat, ſeu omittat, peccet?

An tunc neceſſario peccabit?

Sed tu mutas materiam, & progrederis. Ponis ob oculos Ethnicum, qui putat hîc & nunc thus eſſe adolendum Iovi: & ais, Si non adoleat, peccat, quia operatur contra dictamen, quod habet: ſi adoleat, peccat, quia operatur contra dictamen, quod debet habere: inter *adolere*, & *non adolere* non datur medium. Ergo neceſſariò peccat.

Eſſe Ethnicum voluntatis & non neceſſitatis eſt.

Ego verò, ut ſtatum Ethnici bene cognoſcas, alium caſum ante ſolutionē præmitto, & dirimo. Petrus non habet cibos, Paulus habet. Si hos non ſumat, inediâ peribit, & peccabit: ſi ſumat, furtum admittet, & peccabit: inter *ſumere*, & *non ſumere* non datur medium: ergo neceſſariò peccabit. Et tamen neganda eſt conſequentia; quia Petrus poteſt & debet illos cibos petere, aut emere: &, ſi illos petendo aut emēdo adquirat, nec fame morietur, nec furabitur.

Modò ad Ethnicum redeo. Eſt Ethnicus, quia vult; & laborat voluntariâ ignorantiâ, & habet illud dictamen, *Adolendum eſt Iovi*, quia vult. Fiat ergo Orthodoxus, quod poteſt, & deponat falſum illud dictamen, & adſumat oppoſitū,

Non eſt adolendum Iovi; ut debet facere. Et ab hoc miſeriarum labyrintho egredietur: tunc enim non debebit neceſſariò peccare. Ex hypotheſi autem quod maneat Ethnicus, adoleat, aut non, neceſſariò peccabit: at hypotheſis eſt ipſi libera; nam poteſt ad Catholicam fidem converti: unde neceſſitatem, ſi quam habet, ipſe ſibi imponit liberrimè. Sicut qui liberè non comedit, liberè ſe occîdit, licèt mors ex inediâ neceſſariò ſequatur.

SECTIO VI.

De ſubjecto non ſupponente.

Quænam ſit propoſitio de ſubjecto nō ſupponente.

ALiud eſt Propoſitionem eſſe falſam, & aliud de ſubjecto non ſupponente: nam hæc *Angelus eſt mortalis*, falſa eſt: hæc autem, *Angelus viridis eſt mortalis*, nec vera, nec falſa, ſed de ſubjecto nō ſupponente eſt: nam Angelus viridis non datur. In Theolog Fundam. *num.* 1277. eſſe de non ſupponente ſubjecto dixi iſtā Pauli Propoſitionem. *Quod quis, dum ſervus eſt, egit, proficere libero facto non poteſt.* Ita ille *libr. 2. ad Edict.* Senſus eſt. Ea, quæ ab homine facta, dum ſervus fuit, eidem poſteà, ſi liber fiat, prodeſſe non poſſunt. Cui videntur ſimilia, Ea, quæ à filio familias facta, eidem poſteà, ſi emancipetur, prodeſſe non poſſunt. Ea, quæ à Monacho facta, eidem poſteà, ſi à votis liberetur, prodeſſe non poſſunt. Agimus autem de illis rebus, quæ nec à ſervo, nec à filio familias, nec à monacho validè fieri poſſunt. Ajo vocem illam *facta* accipi realiter, & civiliter poſſe. Primo ſenſu ſervi, filii familias, & monachi operari poſſunt, & ita illæ & ſimiles propoſitiones habent ſubjectum ſupponens: ſecundo autem ſenſu de ſubjecto non ſupponente ſunt, quoniam ſervi, filii familias & monachi nihil faciunt civiliter; nimirùm in illis caſibus, in quibus ipſi ſunt civiliter operandi incapaces.

l. quod quis. D. de reg. Iur.

An Iuriſconſulti Pauli aſſertio ſit de ſubjecto non ſupponente?

SECTIO VII.

De Fictione Iuris.

DE Veritate & Veracitate diſputavimus: Enunciationes falſas, mendaces, & de ſubjecto non ſupponentes eſſe diſtinctas, & diverſas oſtendimus, nunc oportet de Fictione & Præſumptione diſſerere, & quales ſint Propoſitiones, quæ Iuris fictionem, & quæ Iuris præſumptionem important, declarare.

An Iuris fictiones ſint mendacia?

Oſtendimus ſuperiùs Iuris fictiones nō eſſe Iuris mendacia: nam ſicut non mentiuntur, qui præſcindunt, vel abſtrahunt, ſic etiam non mentiuntur, qui aliquid jubent, aut præcipiunt ſupponi. Cum igitur omnes Iuris fictiones ſint quædam Iuris ſuppoſitiones, & hypotheſes, mendax eſſet, qui illas mendaciorum nomine dedecoraret.

Quid ipſa ſint?

Porrò contrà Iuris fictionem non datur, nec poteſt dari ulla probatio: nam, ſi Petrus ſit Ioannis adoptivus filius, non eſſet audiendus, qui vellet probare & oſtendere non eſſe filium realem, hoc enim Iura & Legiſlatores concedunt, ſed filium realem ſupponendo volunt, ut Petrus, qui Ioannis non eſt realis & verus filius, ita ſe habeat in his, aut illis caſibus, ſeu materiis, ac ſi filius realis & legitimus eſſet. Interim, ſi aliquis probare vellet, non jam Fictionem Iuris eſſe fictionem, ſed Petrū, vel à Ioanne re vera adoptatum non fuiſſe, vel invalidè fuiſse, audiri necesſariò deberet.

An contra Iuris fictionem admittatur probatio?

Nec eſt proprium & ſingulare in Iure per fictiones (hypotheſes, ſeu ſuppoſitiones) procedere: nam hoc in omni ſcientia reperitur: & ideò breviter diſcurremus per aliquas.

Primò Grammatica habet plurimas fictiones, ſeu ſuppoſitiones. (1) Significatio ad placitum eſt trāſſubſtantiatio quędam moralis, vel virtualis; vi cujus ſignū ſignificans virtualiter in rem ſignificatam convertitur, & tranſubſtantiatur, aut veriùs tranſeſſentiatur. Poſitis Conſecrationis verbis, ut alibi uberiùs oſtendimus, ſub ſpeciebus Panis, & Vini eſt realiter Corpus, & Sanguis Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Et poſito populi placito ſub ſpeciebus viſibilibus hujus vocis *Sol*, & hujus characteris ☉, eſt virtualiter & moraliter ipſemet Sol, nam illa vox, & iſte character verè & realiter non ſunt Sol, ita tamen in communi colloquio ſe habent, ac ſi verè, & realiter Sol eſsent: unde Ariſtoteles affirmat, ideò voces inventas fuiſſe, quia, cum homines non poſſent res, dum colloquerentur, proponere, invenerunt voces, quæ pro rebus ſubrogarentur. (2) Omnia nominum genera ſunt quædam fictiones (ſeu ſuppoſitiones) Grammaticæ: qui enim apud Latinos juſſit, ut *Sol* eſſet generis maſc. & *Luna* fœmenini, Sydera quæ omni ſexu carent, ſexu eſſe prædita, & in maſcula & fœminea inter ſe diſtingui ſuppoſuit: voluitque Solem ita in Grammaticis concordantiis ſe habere, ac ſi eſſet mas; & Lunam ita ſe habere, ac ſi eſſet fœmina. Etiam Solem à Luna ſexu Germanus Nomenclator diſtinguit, ſed quia Sol eſt Luna ſpecioſior, Solem fœmeninorum, Lunam maſ-

Quid ſit ſignificatio?

An ſit fictio Grammatica?

Cur homines utantur vocibus?

Genera, quæ habent nomina rerum inſenſibilium, ſunt fictiones Grammaticæ.

maſculinorum claſſi adjungit. Belga aliter hac hypotheſi uſus, utrumque nomen fœmeninum vult eſſe; ipſi enim Sol eſt *de Sonne*, & Luna *de Manne*. At Georgiani (populi ſunt, qui in Aſia Iberiam, ſeu Mengrillam habitant) nomina non diſtinguunt in genera, ut nos doceant humanas has fictiones (ſuppoſitiones) neceſſarias non eſſe, & quæ ab uno populo admittuntur, poſſe non admitti, aut non cognoſci ab alio. Omitto cætera.

Generibus Georgiana Grammatica caret.

Secundò Orthographia habet etiam fictiones (hypotheſes.) Scripturæ ſupponuntur pro vocibus, & paſſim dicimus, *Auguſtinus ait*, *Ambroſius inquit* &c. cum tamen mortui ſint, & realiter loqui non poſſint. Ergo, cum librum legimus, Authorem virtualiter loquentem audimus. Præterea Polygraphia, aut etiam Steganographia, quid aliud quam fictiones, ſeu ſuppoſitiones graphicas contemplantur. Si enim hoc Abecedario uti placeat.

Fictiones Orthographica.

Fictiones ſeu hypotheſes Steganographica.

Poteſtas. u m n o e p q r s z t
Figura. A B C D E F G H I L M
b a d c f h v t i x k l
N O P Q R S T V u X Y Z.

Pax tecum, *legitur* Dux venit.

Lemma hoc *Pax Tecum* erit occultum, & legi debebit *Dux venit*. Hac arte fuit uſus Hieremias, ut enim liberè contra Babylonios ſcriberet, uſus fuit Alephbetho ſequenti.

Seſek, *legitur* Babel.

אבגדהוזחטיכ
תשרקצפעסנמל

Ecce fingit (ſupponit) eſſe ת, כ eſſe ש &c. & *cap. 25. verſ. 26.* ſcribit ששך, *Seſeck*, & tamen ex hypotheſi debet legi בבל *Babel*. Et quidem has fictiones (hypotheſes) ingenioſè dilucidavit Abbas Ioannes Trithemius, quē anno 1635. commentario illuſtravimus, & Coloniæ Agrippinæ apud Cornelium Egmondanum edidimus. Vide etiam de eodem argumento Guſtavum Selenum (hoc eſt, Principem Lunæburgenſem) Abbatem Ioannem d'Eſpiets, & alios, qui poſt me prodierunt.

Hieremias explicatur.

Tertiò luxuriat per tropos, & figuras Rhetorica, & eloquenter loquitur, cui *prata rident*, *fontes murmurant*, *venti rugiunt*, *antra mugiunt* &c. quæ phraſes realiter veræ non ſunt, ſed ob fictionem (hypotheſim) ita ſe habent, ac ſi eſſent veræ.

De tropis & figuris Rhetoricis.

Quartò aliquas ſyllabas produci, aliquas corripi certum eſt: at omnes medias habere quantitatem, quam ipſis Veteres adſignarunt, fictio (hypotheſis) eſt. In vocibus *legebam* & *legabam* mediam produci video: at primam in *legebam* corripi, in *legabam* produci non video. Non ergo hæc differentia eſt realis: ſed eſſe fingitur, hoc eſt, ſupponitur. Ergo fictiones (hypotheſes) ſunt pleraq; omnia, quæ docemur in Metrica.

An ſyllabarũ quantitas in fictione conſiſtat?

Quintò vix reperitur Author, qui Proſodiam ſcripſerit, qui de Accentu gravi, acuto, & circumflexo non diſſerat. Sed ubi ſunt accentus illi? In charta, in calamo, non in lingua. Non aliter *doctrîna*, quàm *doctrinà* profertur: non aliter *ſermônis*, quàm *ſermónes*: non aliter *erudîte*, quàm *eruditè*. Ergo Authores alias ſyllabas gravari, alias acui, alias circumflecti fingunt (ſupponunt.) Quod ſi fortè homo reperiretur, qui ſciret hos accentus in Lingua Latina diſtinguere, vix id poſſet in Græca, in qua eſt major accentuum, & quantitatum parallaxis. Vnam ſolam vocem in exemplum propono. Παράκλητος vox eſt mirabilis pronunciationis: acuit ſecundam, protrahit tertiam. Non acuit tertiam. Sed, quia acuere, eſt protrahere: protrahit tertiam, & non protrahit tertiam. Et quidem contradicere audebit fortè aliquis ſciolus: ſed nō, qui Philippum Melanchton, & alios Criticos in Grammaricis legerint.

An omnia quæ de accentibus dicuntur, ſint ficta?

An vox παράκλητος proferri poſſit?

Sextò Regula falſæ poſitionis, quam vocat Arithmeticus, quid eſt aliud, quam fictio, ſeù hypotheſis, ex qua prodigia, & miracula prodeunt? Numerum, quem ſcit eſſe falſum, adſumit, & per eum ad veri numeri cognitionem tranſcendit.

Fictiones Arithmetica.

Septimò Logarithmica multa fingit (ſupponit) quibus admiſſis ſupputatio quæcumque, ut ſcitè inquit Keplerus, nō eſt tam facienda, quàm facta. Comes Ioannes Neperus fingit (ſupponit) numerum ſummum (ſinum totum) qui ſolet eſſe 100,000. aut etiam 10;000,000. eſſe nihil: cæteros omnes numeros eſse minores nihilo; & ex hac fictione (hypotheſi) omnes Arithmeticas, & Trigonometricas Quæſtiones ſumma facilitate, ſumma felicitate & ſecuritate decīdit.* Huic affines ſunt Algebra, & Anarithmica, quæ fingendo (ſupponendo) & ignotas quantitates, ac ſi eſsent notæ adſumendo graviſſimas controverſias expediunt.

Fictiones Logarithmica.

An numerus maximus ſit nihil?

Fictiones Anarithmica.

Octavò Aſtronomia fingit (ſupponit) orbes & epicyclos, qui non ſunt, & hac via Planetarum, & affixorum Syderum motus & diſtantias metitur. Machinas, quas ut Planeta promoveatur, delineat Theoricas ſeu Hypotheſes vocat, Fictiones poſset, non enim hujuſmodi in Cœlo Planetario ſunt orbes, ſed tamen ita ſe habent Sydera, ac ſi illi eſſent, & per illos procurrerent. Audire proderit Ioannem Hevelium, qui *in Selenographia cap. 7. pag.* 158. ſic inquit. *Non poſſum autem certè non mirari, primò quidem Ingenium Huma-*

Fictiones Aſtronomica.

Quanto ſint ingenio delineata?

num tales hypotheſes excogitare & invenire potuiſſe: ſi nimirùm talis equidem ordo atque conſtitutio corporum ibidem in Cœlo adſit. Secundò, etiamſi planè alia ab opinione noſtra diverſa conſtitutio, figuræ, ordinis, motus Cœli Syderei detur, nihilominùs, mirari oportet, has ab hominibus excogitatas, & quaſi fictas hypotheſes, talem arctiſſimam habere affinitatem, cum Cœlo, & Stellis ipſis; adeò ut harum adminiculo motus Cœleſtes, licet poſt aliquot ſæcula futuros, certiſſimè prædici, & supputari poſſint. Ex quibus perſpicuè patet, has hypotheſes non eſſe deliria Aſtronomorum, uti Philoſophus quidam exiſtimat; cujus nomen honoris ergo indicare nolo. Porrò fictiones ſunt, non mendacia, non deliria: magno, diuturno labore ſunt inventæ, ſummo ingenio elimatæ; ita ut ſolus Keplerus in ſeptem Planetarũ excentricitatibus commenſurandis inſumpſerit viginti annos; & tamen Mundo dedit hypotheſes, quæ adhuc limam deſiderant, & aliqualem correctionem ſperant.

An ſint deliria?

Quanto Keplerus tẽpore ſuas ſuppoſitiones perfecerit?

Nonò ipſa Theologia multa fingit (ſupponit) ut ad ignotarum veritatum cognitionem perveniat. Celebres ſunt nonnullæ. Hæc poſitio, *Spiritusſanctus non procedit à Verbo*, falſa eſt: & tamen adſumitur, ut altiùs innoteſcat Perſonarum diſtinctio; unde Scholaſtici interrogant, *Utrum, ſi Spiritusſanctus non procederet à Verbo, diſtingueretur ab illo?* Etiam eſt falſa hæc enunciatio, *Adamus non peccavit*, & tamen utiliter ſupponitur, ut Incarnationis cognoſcantur motiva, unde ingenioſè quæritur, *An, ſi Adamus non peccaſſet, humanam carnem Verbum Humanum adſumpſiſſet?* Progrediamur. Dixit Inſipiens in corde ſuo, *Non eſt Deus.* Nihil enim poteſt ſtultiùs & inſipientiùs aſſeri: tam enim manifeſtè cognoſcitur ex Omnipotentia Divinitas, ut ſit impoſſibile oculos ad Cœlum ſubrigere, & illos cauſam non habere putare. Interim Doctiſſimi Viri, ut Moralitatum eſſentias meliùs, & exactiùs cognoſcant, fingunt (ſupponunt) hanc aſſertionem, *Non eſt Deus*, & interrogant, *An, ſi non eſset Deus, & tamen eſsent homines, eſsent actus morales?* & ſi eſſent, *An, & quomodo, & unde in bonos & malos diſtinguerentur?* & concludunt, in hypotheſi, quæ impoſſibilis eſt, non poſse Theologicam ullam reperiri malitiam, hæc enim in inobedientia conſiſtit, & ſi non eſset lex, nec eſse poſſet hujuſmodi prævaricatio: ſic enim à Paulo docemur. Hoc tamen non obſtante in humanis actibus bonitas & malitia Philoſophicæ reperirentur, actuum eſsentiis adhærentes: nam præſcindendo à Deo Ingratitudo eſt mala, & Gratitudo eſt bona; at hæ moralitates non ſunt Theologicæ à Lege Divinâ præciſæ.

Fictiones Teologicæ.

De Spiritusſancto.

De Adamo.

An eſſe Deum ſit per ſe notũ?

An, ſi non eſſet Deus, eſſent Moralitates?

De bonitate & malitia Philoſophica.

Hinc jam ſcire poterimus, quid ſint Fictiones, ſeu Hypotheſes Iuris: non enim ſunt antiqua Legiſlatorum, aut mendacia, aut deliria, ſed prudentiſſimæ ſuppoſitiones, quibus Ius Gentium, & Civile fundatur. Fingit (ſupponit) primo loco Prudentia multos homines congregatos, eſse unum hominem, quem vocat *myſticum*, ut à reali (Petro, Paulo, &c.) benè diſtinguat. Secundò, hujus hominis myſtici caput eſse Patrem familias (Principem, Regem, &c.) & poſteà alia membra congrua proportione determinat. Tertiò, Decalogum, quem cum homine reali comparando *Ius naturale* dixerat, cum homine myſtico conferendo *Ius gentium* nominat; & vult, quod hic homo myſticus colat Deum, nomen Divinum non irrideat, Feſta ſanctificet, Superiorem honoret, alii non noceat &c. Quartò, quoniam Decalogus (ſive ut Ius naturale, ſive ut Ius gentium concipiatur) non omnia præcepta in ſpecie determinat, nec omnibus tranſgreſſoribus pœnas præſcribit, nec media, ut illa præcepta obſerventur adſignat, eadem Prudentia Ius humanum (Canonicum, Cæſareum, Civile &c.) ſtatuit, quod locorum temporum, & perſonarum conſideratis circumſtantiis procedat (1) determinando Decalogi leges genericas: nam verbi gratia tertium præceptum eſt *Feſta ſanctifica*, quæ autem ſint Feſta, & quo debeant modo ſanctificari, illud non exprimit: & tamen olim in lege Moyſeos Sabbata, & aliæ dies deſignabantur: & hodie dies Dominicæ, & Sanctorum præcipuè ſolennitates, &c. deſignantur, & illas ceſſatione ab opere ſervili, & miſſæ auditione celebrare jubemur &c. (2) imponendo negligentibus, & contemnentibus pœnas, quæ convenientes viſæ. (3) Erigendo templa, hoc eſt, ſubminiſtrando media, ut huic præcepto Chriſtiani faciliùs ſatisfacere poſſint. &c.

Quid ſint Fictiones Iuris?

Fingitur homo myſticus.

Iuris naturæ & gentium diſcrimen.

Ius humanum, quid præſtet?

An indifferentiam Divinorũ præceptorum determinet?

An tranſgreſſores puniat? An media ſuggerat?

Hinc patet contra Fictiones (Hypotheſes) has inſtitui probationem non poſſe, ut conſtat ex Gloſſa *in cap. 2. de arbitr. in 6. in verſ lex. circa fin.* in ea enim abſens fingitur (ſupponitur) præſens, & contradicens, quod ſcitè dilucidat & probat Felinus *in cap. quanto. de præſumption.* Alexander *in conſil. 158. in fin. in 2. volum.* D. de Marinis *tom. 1. lib. 1. Reſolut. cap. 27. num. 9.* & alii. Et ratio eſt, quia Fictio (Hypotheſis) id quod eſt certò falſum, verum eſſe ſupponit, ut habet Gloſſa *in leg unic. §. accedit in verſ. præſumatur C. de rei uxor. action.*

An contra Iuris fictiones veniat admittenda probatio?

Porrò

Quo ſenſu debeat id intelligi?

Portò quando dicimus contra Iuris fictionem probationem non dari, non dicimus non poſſe eſſe quæſtionem de facto, an videlicet Fictio (Hypotheſis) aut ſit à Republica admiſſa? aut hic & nunc Petro conveniat? ſed dicimus contra ipſammet Fictionem (Hypotheſim) non poſſe moveri quæſtionem. Et hoc exemplo opportuno dilucido.

Objectiones, quæ contra Teſtamentum eſſe poſſunt.

Ioannes adire vult hæreditatem, & capere bona Petri defuncti, aſſerens ſe eſſe deſignatum in teſtamento Petri heredem. Ajo contra Ioannem tres poſſe excitari quæſtiones. Prima eſt; Illum non eſſe hæredem: vel quia Petrus teſtamentum non condidit, vel invalidum condidit ob defectum alicujus neceſſariæ ſolennitatis. Secunda: in hac provincia non eſſe admiſſa teſtamenta, ſed defunctorum omnium bona ab inteſtato ad cognatos proximiores defluere. Tertia, teſtamenta eſſe chimœras, & mendacia, nam hominē vivere poſt mortem mentiuntur, quod eſt evidenter falſum, & contra conſcientiam certam, quam habemus ab humanorum morum perturbatoribus confictum.

An fuerit conditum? & ſi fuit, an ſit validum?

Ex his tribus Quæſtionibus prima eſt poſſibilis, & in tribunalibus frequens; multi enim morte præventi teſtamenta non condunt, multi invalida condunt: & de hoc non agunt Iuriſconſulti, quando contra Iuris fictiones non dari probationes affirmant.

An teſtamenta poſſe fieri admiſerit noſtra Reſpublica?

Secunda eſt poſſibilis: nam olim fuerunt populi, qui non admiſerunt teſtamenta: & hodie, tametſi nullum cognoſcamus, qui illa non receperit, Mundus eſt magnus, & fortè ſunt aliqui, aut etiam multi, qui illa non cognoſcant, aut approbent. Vt ut ſint, teſtamenta non ſunt æternæ veritatis conceptus, ſed pendent à populi placito; & licet hodie in Hiſpania admittantur, poſſent cras Hiſpani convenire, ut poſt mortem propinquior in hæreditate ſuccedat, omni jure condendi teſtamentum excluſo. Ergo neque de hac agunt Iuriconſulti, quando contra Fictiones (Hypotheſes) Iuris probationes rejiciunt.

Teſtamenta hominem vivere poſt mortem ſupponunt.

Ad tertiam venio, quæ rejicienda eſt, qui enim ſupponit, non mentitur. Sciunt Legiſlatores hominem poſt mortem non vivere realiter, nec dicunt illum vivere realiter, ſi enim hoc dicerent, curreret adverſariorum argumentum. Sed quid dicunt? Se ad moribundorum ſolamen velle ſupponere hoc, quod verum non eſt, nimirum, mortuos aliquo tempore poſt mortem vivere, & tunc teſtamentum ultima voluntate firmare. Vivit ergo illo poſt mortem tempore homo, non realiter, ſed virtualiter, nam prudentum diſpoſitione & ſuppoſitione ita ſe habet, ac ſi realiter viveret.

Sed neque contra aliarum Artium fictiones venit admittenda probatio.

Portò, cui contra Iuris Fictiones (Hypotheſes) probationem inſtituere placuerit, æquali jure vel injuria poterit contra Grammaticas, Orthographicas, Polygraphicas, Steganographicas, Rhetoricas, Metricas, Proſodicas, Arithmeticas, Logarithmicas, Algebricas, Anatithmicas, Aſtronomicas, Theologicas &c. fictiones (hypotheſes) argumentari. Poſſet argutari

An contra fictiones Grammaticas?

Primò contradicentes nomen *Sol* eſſe maſc. gen. & nomen *Luna* fœm nam Planetæ & Sydera ſexum non habent. Sed reſpondebo ridendum & non impugnandum eum, qui Stellas neutri generi adſcriberet, dicendo *Sol eſt lucidum, Luna eſt candidum*: ſtatuunt enim Critici Planetarum, & Syderum nomina habere ſexum, non realem, ſed virtualem; quoniam ex Grammaticorum fictione (hypotheſi) ita ſe habent, ac ſi ſexum haberent.

An contra Orthographicas, & Steganographicas?

Secondò contra dicentes literas poni pro vocibus, aut hos characteres pro aliis: nam literæ non ſunt voces, nec unus character eſt alius. Sed ridebo ſimiliter, & dicam ſtando tranſſubſtantiationis fundamento, ſicut ſub ſpeciebus Panis eſt realiter Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & eſt totus realiter ſub ſpeciebus Vini: ſic ſimiliter poſita tranſſubſtantiatione virtuali Solem, qui realiter eſt in Cœlo; ſub ſpeciebus vocis *Sol*, aut ſcripturæ *Sol*, aut characteris ☉, eſſe virtualiter, & moraliter. Addam ſcire Orthographos has literas *Sol* (ſeu proferantur, ſeu ſcribantur) non eſſe Solem: ſed, & ſcire ex Nomenclatorum fictione (hypotheſi) ita ſe habere, ac ſi eſſent Sol. Eodem modo de Polygraphiæ & Steganographiæ ciphris diſcurram: literæ enim שסך & כבל materialiter differunt, at juxta Alephbethum בש, את *Ath-baſç* ſcribitur ת & legitur א: ſcribitur ט & legitur כ. Ergo ט materialiter non eſt ב; at ex Steganographiæ fictione (hypotheſi) eſt virtualiter ב: hoc eſt, ita ſe habet, ac ſi eſſet ב.

Quid ſit ſignificatio?

Ciphra omnes conſiſtunt in fictione & hypotheſi.

An prata rideant, lætentur ſegetes, &c.

Tertiò, contra pratorum riſum, ſegetùm lætitiam, fontium murmur &c. quia hæ ſunt operationes animantum, cùm tamen nec prata, nec ſegetes, nec fontes ſenſibilem animam habeant. Sed reſpondeo, Rhetores (r) ſumere voces in ſenſu conjugationis Hebrææ הפעיל, *Hiphil*, hoc eſt, *Fecit facere*, unde prata dicuntur ridere, ſegetes lætari, &c. quia riſum, & lætitiam ſuo adſpectu concitant. (a) eoſdem nihil affirmare, ſed ſupponere; & in hypotheſi non poſſe inveniri mendacium.

Hebræorum Hiphil.

De ſyllabarum quantitate.

Quartò argutari contra ſyllabas poterunt, nam in vocibus *legebam* & *legabam* primæ ſyllabæ ſimiles ſunt. Verum reſpondet Metrica, quidquid in re ſit, aut non ſit, illas differre ſe ſupponere; nec poſſe ob hypotheſim argui.

De accentibus.

Quintò quidquid contra doctrinam de accentibus dixerint, reſpondebo ſuppoſitiones illas eſſe utiles, ut caſus à caſibus diſtinguantur &c.

De falſæ poſitionis Regula.

Sextò, quando regulas falſæ poſitionis conſiderant, & ipſam denominationem urgent, nihil objiciũt, quod urgeat Arithmeticum. Reſpondeo enim in falſa poſitione nihil aſſeri, ſed aliquid incertum, aut falſum, ut veritas innoteſcat, ſupponi.

De logarithmis

Septimò, ſiquid contra logarithmos objiciant, illos aſſero eſſe numeros hypotheticos, & ideò nomen à ratione ſortitos: dicuntur enim λογαρίθμοι, quod ſint numeri quidam rationales, quos mens ingenioſa ſupponit.

De hypotheſibus Aſtronomorum.

Octavò, nam multa contra Aſtronomiã objici ſolent, aſſero eſſe omnes hypotheſes poſſibiles, multas æquipollentes, & nullum Authorem aſſerere Planetas ſic, aut ſic de facto moveri, ſed ſic poſſe: nam & Tycho Brahæus, cujus ſyſtema hodie à pleriſque admittitur, non illud ut certum, ſed tantùm ut probabile tradidit, hoc eſt, ſuppoſuit; illud ornans hoc Lemmate, *Quid ſi ſic?* ut innueret, ex illa hypotheſi nihil impoſſibile inferri.

An ut theſes ponantur?

De Theologicis ſuppoſitionibus.

Nonò, non eſt cur Adverſarii has propoſitiones condemnent, *Spiritusſanctus non procedit à Verbo, Adamus non peccavit. Non datur Deus.* Falſæ ſunt, impiæ ſunt, exſecrabiles ſunt. Cæterùm, quæ ſine impietate nequeunt aſſeri, poſſunt ſine ſacrilegio ſupponi: immò hæc ſuppoſitio eſt laudabilis, & neceſſaria interdum, ut meliùs cognoſcatur veritas.

Hinc ergo patet meritò aſſerere Iuriſconſultos contra Iuris fictiones (hypotheſes) probationem admitti non poſſe: qui enim in regno Neapolitano dicunt unum zechinum eſſe viginti carolenos; zechinum eſſe nummum aureum, carolenos argenteos eſſe non ignorant. Non aſſerunt aurum eſſe argentum, vel contrà quia in communi ſententia diſtinguuntur ſpecie, & ſicut multi canes realiter non ſunt unus homo, ſic multi argentei realiter non ſunt unus aureus. Quid ergo dicunt? Fingi (ſupponi) à Republicâ viginti carolenos eſſe unum zechinum, adeoque coincidere virtualiter; hoc eſt, diſtingui quidem realiter, prudentum tamen judicio ita ſe habere quoad contractus, ac ſi idem eſſent. Sic ſimiliter, ſciunt Adoptionem non eſſe Generationem realem, ſed quia hoc Legislatores ab omnibus voluerunt ſupponi, ex hac oriri hypotheſi aſſerunt, ut Adoptio ſit quædam Generatio virtualis; hoc eſt, ita ſe habeat, ac ſi eſſet Generatio realis. Vnde qui adoptat, erit pater virtualiter, hoc eſt, ita ſe habebit, ac ſi eſſet pater: & qui adoptatur erit filius virtualiter, hoc eſt, ita ſe habebit ac ſi eſſet filius. Sic tandem ſciũt in teſtamento moribundum non dicere *do*, ſed *dabo*, nimirum quamdiu vivit: ſciunt dominium non transferri per *dabo*: ſciunt defunctum nõ poſſ dicere *do*. Sed quia ad morientium ſolamen, & utilitatem ſupperſtitum Reſpublica fingit (ſupponit) defunctos aliquo adhuc tempore poſt mortem vivere, & in hoc de bonis ſuis diſponere juxta Teſtamenti clauſulas, pronunciant hujus ſuppoſitionis vi bona illa poſt teſtatoris mortem ad hæredes tranſire. In quo nihil eſt falſum, quod oppugnari poſſit, defunctum enim, qui teſtamentum condidit, poſt mortem vivere, & de bonis ſuis diſponere, non aſſerunt Legislatores, ſed ſupponunt.

An zechinus ſit viginti Caroleni?

An aurum ſit argentum?

Quid præſtet adoptio?

An moribundus dicat Do.

An dominium transfertur per Dabo.

An vivant poſt mortem defuncti?

ARTICVLVS III.

De Reali & Morali Propoſitionum Quantitate. *Deſumptus eſt ex Epiſtolâ inſcriptâ Eximio & Reverendiſſimo Dom. Don Carolo de Thomaſiis ex Palma Duce Clerico Regulari, &c. Viro doctiſſimo, & Authori chariſſimo.*

Vbi & quando concepta ſcripta & edita fuerit noſtra Moralis Logica?

MItto Moralem Logicam (Carole ingenioſiſſime) Ethicarum mearum Speculationum primâ partem, Salmanticæ in Hiſpaniâ cõceptam, Lovanii in Belgio promotam, & tandem Pragæ in Bohemiâ imprimi juſſam, ſed ſupervenientibus hoſtium copiis præpeditam, nã ſilent Muſæ, cùm reboant tubæ, & tonant militares bombardæ. Poſt annos ſedecim impreſſa fuit me abſente & dum relego tranſmiſſa folia, nonnulla optarem dici fuſiùs, immò & nonnulla clariùs. Sed quoniam tota hæc Scientia Syncategorematibus inſiſtit Ariſtoteli ignotis, operæ pretium erit de illis tecum diſſerere, & aliqua copioſiùs & uberiùs præfari. Multa ſunt, ob quæ, ut opinor, erit tibi hoc Syntagma pergratum, amas enim Authorem, & ideò benigno Iudicio honorabis has paginas. At ipſæ ideò chariores erunt, quia contra hæreticos non paucas Fidei Veritates adfirmant, & contra Catholicos nonnullos antiquos (nam hodie eſt omnis terra labii unîus & ſermonum eorundem) Deiparæ Immaculatam Conceptionem tuentur. Vt ergo confundantur Hæretici; juventur Catholici, promoveatur Ethica, & Virtualis Logica ſecuro fundamento erigatur, patere, quæſo, ut tua ſtudia interpellem, & coram te diſcurram de Morali Propoſitionũ Quantitate.

Quid illa contra Hæreticos & quid pro Catholicis; præſtet?

Confundit Hæreticos Logica; & præcipuè Moralis.

SECTIO I.

De Quantitate ut ſit.

An Vlpianus bonus Logicus fuerit?

ME juvat frequenter Vlpianus, & in hac Diſputatione præcipuè: fuit enim Vir doctiſſimus, & tametſi non ſcripſerit Logicam, Logicè ſcripſit. Ipſe itaque *libr. 6. Fidei commiſſ.* (& habetur *leg.* 20. S. *Quoties.* D. *de Iuriſdict.*) ſic inquit. *Quoties de Quantitate ad Iuriſdictionem pertinente* (de quâ Iudex eſt laturus ſententiam) *quæritur; ſemper quantum petatur, quærendum eſt; non quantum debeatur.* Duas ecce Iuriſconſultus Quãtitates diſtinguit: alteram debiti, alteram petitionis: & illarum diſcrimen exemplo manifeſto dilucido. Ad aureos quinquaginta tantùm, Civitatis Defenſoris poteſtatem & authoritatem Codicis Iura extendunt. *leg.* 1. C. *de defenſ. civit.* eamdemque Iuſtinianus *lege noviſſima.* §. *& judicare. de Defenſ. civit. col.* 3. protrahit ad trecentos. Ergo ſupra hanc ille ſummam non poteſt inſtituere judicium, nec validam ſententiam proferre. Sed quo modo hæc ad praxim doctrina reduci poterit? Si Antonius Ioanni debeat quadringentos, & tamen Ioannes non niſi quadraginta poſtulet, cauſam cognoſcere poterit Civitatis Defenſor. Cæterum, ſi Antonius debeat quadraginta, & creditor quingentos poſtulet, illam cauſam admittere Defenſor non poterit: ut enim cauſa in ejus tribunal introducatur, quantum petatur, non quantum debeatur, attenditur.

Quantitas duplex: debita & poſtulata.

Quantas cauſas poſſit Defenſor expedire?

Hinc ad Logicam. Duplex eſt in propoſitionibus Quantitas, altera veritatis, quæ videlicet propoſitioni debetur, altera prædicationis, quæ propoſitioni adſignatur. Nam in hac propoſitione *Aliquod animal eſt ſenſibile*, verè prædicatum *ſenſibile* de animalibus omnibus verificatur, ſed actu non de omnibus prædicatur, ſed de aliquo. Sic ſimiliter, *Pietas* aliquibus hominibus tantùm, non autem univerſis competit, nam multi improbi ſunt, & tamen hæc propoſitio, *Omnis homo eſt pius*, eſt univerſalis, quia tametſi non de omnibus verificetur, de omnibus tamen prædicatur, quoniam Logicus non quantum verificetur, ſed quantum prædicetur, conſiderat.

In Logica duplex eſt Quantitas Propoſitionum: alia enim eſt Quantitas prædicationis, & alia Quantitas verificationis.

Prætereà, iterum eſt duplex Logica Quantitas: videlicet Activa, & Paſſiva: dicit enim & dicitur Enunciatio. Hæc

Eſt duplex iterum: videlicet activa, & paſſiva.

enim

enim propoſitio, *Virgo Maria eſt ſine peccato concepta*, hodie dicitur ab uuiverſis, & tameo de uoica ſola perſona dicit prædicatum. Et ipſa non eſt univerſalis, ſed ſingularis; quoniam Logicus in propoſitionum quantitate non cooſiderat numerum illorum, à quibus propoſitio dicit in ſubjecto.

Termini aliter quoad Probabilitatem: & aliter quoad Quantitatem uſurpantur.

Hinc patet hos terminos, *Propoſitio, magis, æquè, & minùs communis*: aut etiam *magis, æquè, & minùs frequens*, aliter accipi, cum de Probabilitate: & aliter eum agitur de Quantitate: illa enim eſt communior extrioſecè, & autheoticè, quæ à pluribus dicitur & propugnatur: & hæc eſt, qnæ vulgò dicitur Probabilior: illa autem eſt communior Quaotitative, quæ plures dicit in ſubjecto, quæ de pluribus dicit prædicatum.

Stat igitur Logieum, eum de Propoſitionum diſputat Quantitate, noo conſiderare quantitatem verificationis, nec illorum numerum, à quibus paſsivè propoſitio defenditur: ſed quantitatem, ſeu numerum, quem illa activè dicit, & in ſubjecto præſefert, & de quo dicit activè prędicatũ. Pono exemplũ. Hęc propoſitio, *Plures Patres crediderũt, & aſſeruerũt Virginẽ Mariã nõ caruiſſe labe originali*, poteſt activè & paſſivè conſiderari. Priori ſenſu conſiderata dicit pro ſubjecto *Plures*, & de pluribus dicit prædicatum: & ideò eſt activè commuoior, & frequentior: & ideò eſt *quantitativè communior*. At eadem propoſitio hodie dicitur à paucioribus, plerique enim exiſtimant, veteres Patres aut ſiluiſſe, aut coorra definiiſſe. Ergo paſſivè eſt minus communis, & minus frequentior: & ideò eſt *minùs communis in genere probabilitatis*.

Pauciores hodie dicunt, plures olim dixiſſe Deiparam originarium contraxiſſe peccatum.

SECTIO II.

Syncategoremata, quæ ſint, & quo ſenſu accipiantur?

Syncategoremata illa ſunt ſigna, quæ conſtituunt Terminos Syncategorematicos. Quot illa ſint?

SEX ſunt, quæ hucuſque à doctis ſunt io ſcholis recepta: *Omnis, Aliquis, Nullus, & Aliquis non*. Alii addunt *Hic & Hic non*. Hæc ſyncathegoremata vocantur à Latinis ſigna, & Propoſitiones conſtituunt, videlicet,

Omnis	Vniverſ. affirm.
Nullus.	Vniverſ. negat.
Aliquis.	Particul. affirm.
Aliquis non.	Particul. negat.
Hic.	Singular. affirm.
Hic non.	Singular. negat.

Quot ſint genera Propoſitionum?

Hinc oriuntur quatuor genera Propoſitionum: aliæ enim ſunt Vniverſales, ut *Omnis homo eſt animal. Omne animal eſt ſenſibile*: aliæ Particulares, ut *Aliquis homo currit, Aliquis Muſicus modulatur*: aliæ Singulares, ut *Hic equus hinnit, Bucephalus vehit Alexandrum*. Accedunt, & Iodefinitæ, quæ omni ſigno, aut ſyncategoremate carent, ut *Animal eſt vivens, Leo eſt animal*.

Et omnes hæ Propoſitionum claſſes in Affirmativas, & Negativas ſubdividuntur.

Omnia ſunt pervia, & univerſis nota, nec uberiori indigent explicatione. Iorerim aliquid occurrit, quod Particularis Propoſitionis quiditatem poterit dilucidare.

De Propoſitione Particulari.

Dico primò hanc Propoſitionem *Aliquis homo eſt animal*, præciſivè, & non excluſivè, ſeù negativè ſumi: quoniam, ſi excluſivè ſumeretur, redderet hunc ſenſum, *Aliquis tantùm homo eſt animal*. & eſſet falſa, non enim tantum aliquis, ſed omnis homo eſt animal.

De Vago, ſeu Indeterminato Individuo.

Dico ſecundò Individuum vagum eſſe idem, ac terminum particularem: *vagum* enim dicitur, quod ſit individuum indeterminatum.

Indeterminatio eſt duplex: quoad ſe, & quoad nos.

Individuum indeterminatum, vel eſt determinatum quoad ſe: & iodeterminatum quoad nos: vel eſt indeterminatum utroque modo: tam quoad ſe, quàm quoad nos. Vellem habere voces, ut hæc duo diſtioguerem: interim, donec meliores ſuggeras, primum vocabo *vagum quoad ſe*: ſecundum *vagum quoad nos*: & tertium *dupliciter vagum*, tam quoad ſe, quàm quoad nos.

Porrò in hac Propoſitione, *Aliquis equus currit*, ſubjectum eſt vagum quoad nos: quia quoad ſe ille, qui currit eſt equus determinatus, aut mihi ignotus, aut ſaltem verbis hujus Propoſitionis non expreſſus. [Exemplum individui vagi quoad ſe, & determinati quoad nos, non facili negotio reperies: nec eſt, cur te in illius perquiſitione fatigeris.] In hac autem Propoſitione, *Aliquis equus requiritur ad equitandum*, Equus eſt terminus indeterminatus dupliciter, neque enim quoad nos, neque quoad ſe eſt determinatus: tametſi enim aliquis equus ſit ad equitandum neceſſarius, nullus poterit in particulari deſignari, qui ſit neceſſarius: nam equus A non eſt tibi ad equitandum neceſſarius, quoniam uti potes equo B: & ſimiliter equus B non erit neceſſarius, quia equo A, vel alio quocumq; uti poteris.

De Indeterminatione compoſita.

De Singulari Propoſitione Identica.

Hæc Propoſitio *Petrus eſt hic homo*; ſi illud ſyncategorema *Hic* dicit Peitcitatem, eſt identica: ſi hæceitatem ut ſic, ut ſit de Petro, Paulo, & aliis prædicabile, ut ſi dicas,

Fran-

Petrus eſt hic homo.
Paulus eſt hic homo.
Franciſcus eſt hic homo. &c.

vel quod in idem recidit,

Petrus eſt homo ſingularis.
Paulus eſt homo ſingularis
Franciſcus eſt homo ſingularis. &c.

tunc *Hic homo*, ſeu *Homo ſingularis*, eſt idem, ac *Aliquis homo*, & illæ Poſitiones tranſeunt in has,

Petrus eſt aliquis homo.
Paulus eſt aliquis homo.
Franciſcus eſt aliquis homo &c.

& Nominalium ſententiâ *Aliquis homo*, formaliter eſt idem ac *Homo*.

SECTIO III.

Moralia Syncategoremata explicantur.

Qualia ipſa ſint?

HOC nomine intelligimus illa, quibus utitur Ethicus, ſed quia communibus, & in Peripatu receptis [nimirum *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis*, *Hic*, &c.] etiam utitur, illa etiam Moralium claſſi accenſeri debebunt, & impræſentiarum breviter dilucidari.

De Propoſitione Univerſali.

Vniverſalis Propoſitio dicitur, quæ omnia ſubjecta complectitur, ut *Omnis homo eſt animal*. Et quidem hujuſmodi Propoſitiones in materia neceſſaria ſemper ſunt veræ: in repugnante ſemper falſæ; in contingenti rarò veræ, rarò enim omnibus eadem accidunt. Huic adjunge univerſalem negativam: ut *Nullus homo eſt animal*, *Nullus equus eſt albus*, quæ in materiâ neceſſariâ ſemper eſt falſa, in repugnante ſemper vera, in accidentali rarò vera, rariſſimum enim eſt, quod aliquod contingens prædicatum nulli inſit. Præter Vniverſales, de quibus diſputant univerſi Dialectici, etiam has ſuperiùs poſuimus.

Varia Logicarũ Propoſitionum Quantitates.

Fere omnes homines currunt.
Plures (Plerique) currunt.
Media pars currit.
Pauciores currunt.
Fere nulli currunt.

Quibus & has addidimus.

Multi currunt.
Pauci currunt.
Rari currunt.
Aliqui currunt.
Aliquis currit.
Hic homo (Petrus v.g.) currit.
Homo currit.

Omnes hæ Propoſitiones, & ipſis ſimiles, ſunt particulares: nam & ſingulares particularibus adjudicantur: nihil enim ſingulare eſt, niſi particulare aliquod determinatum.

Conſiderantur præciſivè.

Conſideremus illas præciſivè. Et quidem in materiâ neceſſariâ omnes ſunt veræ: qui enim in ſenſu præciſivo dicit, *Aliquem hominem eſſe animal*, non negat cæteros eſſe animalia, ſed præſcindit. In materiâ repugnante omnes ſunt falſæ. In contingenti habebunt etiam verificationẽ contingentem.

Conſiderantur negativè.

Eaſdem propoſitiones conſideremus negativè: nimirùm excludendo & negando illa, quæ non dicunt expreſsè. Hoc modo ſumptæ, in materiâ neceſſariâ omnes ſunt falſæ: reddunt enim hunc ſenſum.

Fere omnis homo eſt animal, & aliquis homo non eſt animal. hoc enim importat illud *Fere*.

Plerique (plures) homines ſunt animalia, & pauciores non ſunt animalia.

Media pars hominum ſunt animalia, & cæteri non ſunt animalia,

Pauciores homines ſunt animalia, & plures non ſunt animalia.

Fere nullus homo eſt animal, hoc eſt, *Aliquis eſt animal, & fere omnes non ſunt animalia.*

Sic ſimiliter, *Aliqui (rari: pauci: multi:* &c.*) homines ſunt animalia, & cæteri non ſunt animalia.*

De materia impoſſibili ſeu repugnante.

In materiâ repugnante omnes etiam ſunt falſæ: quod evidenter videbis, ſi loco nominis *animal*, poſueris *equus*: ut ſi dixeris. *Fere omnes (plerique: plures: media pars: pauciores: fere nulli: aliqui: rari: pauci: multi:* &c.*) homines ſunt equi.* Omnes inquam propoſitiones iſtæ falſæ ſunt, quia *Nullus homo eſt equus.*

Vera conſideratio in Iure ſerviat.

Supereſt, ut dicamus has Propoſitiones Morales, ut in praxi ſerviant, debere eſſe in materiâ contingenti, & negativè, non autem præciſivè ſumi.

His Syncategorematibus ſua loci & temporis correſpondent adverbia, quorũ magnus eſt uſus, & ideò neſciri non debent.

Adverbia Syncategorematica ſignis Syncategorematicis correſpõdentia.

Omnes	Vbique	*Semper*
Fere omnes	* * *	*Fere ſemper*
Plures	* * *	*Pluries*
Media pars	* * *	* * *
Pauciores	* * *	*Rariùs*
Multi	Paſſim	*Sæpe*
Pauci	* * *	* * *
Rari	Vix	*Rarò*
Aliqui	Alicubi	*Aliquando.*
Fere nulli	Fere nuſquam	*Fere nunquã*
Nulli	Nuſquam.	*Nunquam.*

Habes ob oculos tres vocum columnellas, quarum Prima exhibet nomina Syncategorematica, de quibus agebamus. Secunda loci adverbia proponit, & notat ſtellulis locos, in quibus Latinus Nomenclator

Digitized by Google

clator non formavit adverbia. Profectò

Adverbia loci exponuntur.

Vbique, eſt omni in loco.
Paſſim, eſt aliquibus in locis.
Frequenter, videtur non differre à *Paſſim*.
Vix, eſt in raris locis.
Alicubi, eſt In aliquo loco.
Fere nuſquam, in fere nullo.
Nuſquam, autem in nullo.

Rem, quæ in fere omnibus locis proſtat, dicitur *ubique vel fere* inveniri. At rem in pluribus locis, in media locorum parte, in locis paucioribus aut paucis eſſe non ſcirem adverbiis exprimere. Tertia columnella temporis adverbia proponit: videlicer

Adverbia temporis exponuntur.

Semper, in omni tempore.
Fere ſemper, fere in omni tempore.
Pluries, pluribus vicibus.
Rariùs, paucioribus vicibus.
Sepè, multis vicibus.
Frequenter, eſt etiam temporis adverbiũ, & idem ſignificat ac *Sapè*.
Rarò, raris vicibus.
Aliquando, aliquo tempore.
Fere nunquam, in fere nullo tẽpore.
Nunquam, nullo in rempore.

Etiam hic Nomenclator fuit avarus aut negligens, non enim rem mediâ vicium parre, aut paucis accidiſſe vicibus exprimere voluit adverbiis.

Quid Pauci *&* Panciores *ſignificat?*

Plus ſignificat vox *Panciores*, quàm *Pauci*; & *Rariores*, quàm *Rari*: quoniam acceptio reſpectiva ſignificationem producit. Si ex decem millibus auferas quatuor millia pauciora auferes; & tamen quatuor millia non ſunt pauca: & contrà *Simillimus* minus dicit, quàm *Similis*.

Omnes, *realiter*.

Quæ per libellum expediri poſſint, quæ non poſſint?

INter Regulas rectas, quæ obtorqueri non ſolent, ut ſenſum doctrinalem & univerſalẽ nobis reddant, eſt lex LXXIV. ff. *de reg. jur.* quam his verbis concepit Iabolenus.

Omnia quacumque cauſa cognitionem deſiderant (requirunt) *per libellum expediri non poſſunt.*

Sumitur ex *l. necquidquam. S. 1. de off. proconſ.* ubi, ſiqua Decius eruditè nos docet, ſingula ex Iaſone tranſcripſit. Continet Regula demonſtrationem ſui ipſius, & ideò debet per ſe nota vocari: qui enim illam negare audeat, implicabit terminos contradictorios: debet enim probari ſic.

An hac Regula ſit per ſe nota?

Per libellum expediri negotium, eſt expediri ſine cauſa cognitione.

Ergo tunc omnia quacumque cauſa cognitionem requirunt, per libellum expediri poſſent.

Quando, omnia quacumque cauſa cognitionem requirunt, poſſent ſine cauſa cognitione expediri.

Huic Legi ſunt ſimiles omnes iſtę Propoſitiones.

Qua habent albedinem, non carent albedine.

Homines, quia eſſentialiter & neceſſariò habent rationalitatem, rationalitate carere non poſſunt.

Cauſa, qua neceſſariò partis adverſa citationem requirunt, ſine citatione expediri non poſſunt.

Cagnoli opinio.

Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 679. a.* ſic inquit. [Si hujus Regulæ verba tantummodò conſideranda eſſent, interpretatio Regulæ haud difficilis videretur: quia ea, quæ exigunt cauſæ cognitionem, ſicque adverſarii præſentiam ſeu vocationem, ne injuſtè gravetur aut lædatur, per ſupplicem libellum expediri non poſſunt, ſed vocanda ſir pars, & ſolenniter procedent, juxta *l. nam ita divus. ff. de adopt. l. de uno. ff. de re judic.* & *l. fin. C. ſi per vim aut alio mod.* ubi negotiorum merita partium aſſertione panduntur. Facit *l. mincrum. C. de prad. min.* & *l. divus. C. de in integr. reſtit.*] Conditionalis eſt iſta expoſitio: quæ tamen Cagnolo non placet: imò aſſerit illam nulli placere.

An de re indubitata ſiant leges?

Sed cur? quia ſequeretur intolerabile abſurdum, ut putat: nimirùm Regulam hãc infallibilem eſſe. Ejus verba ſunt hæc. [Sed quia hoc modo intelligendo, lex eſſet de indubitabili, ideò rejicitur talis interpretatio per omnes. *in d. §. Vbi decretum. l. nequidquam.*] Et ego ita ſum ſtupidus, ut putaverim illam tantummodò legis interpretationem eſſe bonam, quæ indubitabilem & infallibilem doctrinam traderet; ſed jam à Cagnolo doceor interpretationem ejus modo debere rejici, & eam præferri, quæ legem reddat fallibilem & dubitabilem. Sed & hallucinatus olim fui, cùm vituperari potiùs quàm laudari Petrum Liſerium Præſidem Pariſienſem dixi hoc Gallico-Latino Anagrammate.

An ſit glorioſum lites quarere & invenire?

Pierre Liſer. ἀναγρ. Lites reperi.

Petrus Liſerius

nam ſi Liſerius etiam in rebus elatis & manifeſtis lites, reperit, eſſet proculdubio alter

Iannes Brino. ἀναγρ. Ruina bonis.

Ioannes Brino

Cæterùm, quia, quæ me docet Hieronymus Cagnolus, non diſco, antiqua præjudicia retineo, & aſſero, tunc optimè leges exponi, cùm ſine verborum violentiâ illas reddere ſenſum clarum, & indubitatum jubemus.

Quomodo exponi leges debeant?

Hujus Legis uſus eſt in Capitis; & poteſt illuſtrari hoc exemplo. Comparet

coram

Digitized by Google

Quæ aliquis pacificè poſſidet ſine cauſæ cognitione non poſſunt alteri adjudicari.

coram Prætore Cajus, & poſtulat ſibi adjudicari domum Blandii in ſolutionem pecuniarum, quas aſſerit ſibi à Blandio deberi. Litium moleſtias deteſtatur, & ideò poſtulat cauſam ſine ſtrepitu Iuris per ſimplicem libellum expediri. Sed Prætor Cajo.

CA | *Omnia quæcumque cauſæ cognitionem deſiderans* (requirunt) *per libellum expediri non poſſunt.*
PI | *Sed petitio iſta tua cauſæ cognitionem deſiderat* (requirit.)
TIS. | *Ergo evidens & manifeſtum eſt illam per libellum expediri non poſſe.*

Leges vel definitivæ vel præceptivæ ſunt: illarum differentia explicatur.

VT illorum tollatur præjudicium, qui dicunt omnem legem eſſe de re dubiâ & incertâ, adnotato eſſe legum Humanarum duo genera, nam aliæ ſunt Definitivæ, & aliæ Præceptivæ. Illæ nihil novi præcipiunt, & vel veritatem ex naturâ rei certam, vel aliquod Decalogi præceptum ob oculos ponunt & exponunt: Hæ rem, quæ duobus aut pluribus modis Iure naturali aut gentium illæſo poſſet fieri, conſideratis loci, temporis, & perſonarum circumſtantiis, & publicū bonum intendentes, ad unum determinatum modum contrahunt, ut obvietur abſurdis, & ſtatuatur vitæ uniformis regula, & ſciant ſinguli certò & determinatè quid debeant facere aut non facere.

Vtraque in Iure civili reperiuntur.

Leges prioris generis plurimæ reperiuntur in Iure, & huc ſpectat Titulus *de origine Iuris*, qui totus eſt Hiſtoricus; & quantus eſt, ea enarrat, quæ olim Romæ ſunt facta, & vix aliquod præceptum continet. Poſterioris ſunt etiam plurimæ, quas cùm in Iure extare illi non negent, non eſt, cur hæreamus in re clarâ.

Vniverſalis aſſerens.

MVltæ univerſales Poſitiones reperiuntur in Iure. Cajus *libr. 1. inſtitution.* (& habetur *leg. 1. D. de his, qui ſunt ſui vel al. iur.*) ſic habet. *Apud omnes peræquè gentes animadvertere poſſumus dominis in ſervos vitæ, necisque poteſtatem fuiſſe.* Ecce unam aſſerentem univerſalem.

Vniverſalis negans.

Pergit, additque unam univerſalem negativam. *Hoc tempore*, addit, *nullis hominibus, qui ſub Imperio Romano ſunt, licet ſuprà modum, & ſine cauſa in ſervos ſuos ſævire.* Olim igitur domini ſervos habebant, ut res, non ut perſonas: adeoque ſicut bovem, ſic & ſervum poterant ſine cauſa interimere. Videntur Veteres Romani, non ſervos, ſed mancipia habuiſſe: nam ſervi occidi nequeunt, ut in Theologia Intentionali perſuadeo.

An ſervi ſint res, non perſonæ?

Vniverſalis poſitio nihil excipit.

VNiverſalem omnes nullo dempto comprehendere, certum eſt. De*Logica Moralis Lib.II.*

An Chiromantiam commendet Iob?

monſtrat id Patriarcha Iob *cap. 37.* dicens. *Qui in manu omnium hominum ſignat, ut ſinguli noverint opera ſua.* Non volo examinare, an hoc teſtimonium faveat Chiromantiæ: nam illa eſt non ars, ſed manifeſta inertia & vanitas & ſacris literis ſuffulciri non poteſt. Vide S.Thomam, Lyranum, Mercerum, Vatablum, & Pinedam, quos citat, & ſequitur Leſſius *de Iuſt. & Iur. libr. 2. cap. 43. dubit. 7. num. 48.* Agit de libero arbitrio Patriarcha: nam in mano nostra eſt (*Hiſp.* en nueſtra mano eſtà) id quod poſſumus facere, vel omittere. Et veniendo ad Logicam, nos docet Iob, tunc prædicatum verificari *de omni*, quandò *de ſingulis* verificetur: ſi enim, vel unus homo ſit, qui non ſit albus, non erit verum dicere, *Omnis homo eſt albus.*

Adverbia Vniverſalia.

De adverbiis Syncategorematicis.

SYncategorematicis nominibus correſpondent adverbia, ut ſuperiùs expoſuimus; & adverbium *Semper* noſtram mentem illuminat, ut multa radicitus intelligamus. Et quia Reverendiſs. D.Carolus De Thomaſiis, ex Duce Palmæ Clericus Regularis, mihi in Maria chariſſimus, hac via Orationem Angelicā dilucidavit, illius inſiſtendo veſtigiis dicam & Ego aliquid ad gloriam Angelorū Reginæ. Dabo ergo Epiſtolam, quam Per-Illuſtri & Clariſſimo D. Petro Rodriguez Cortès, in magna Curia Vicariæ integerrimo Iudici, Calendis Ianuariis ſcripſi.

D. Petrus Rodriguez, libro doctiſſimo Marianam Cōceptionem tutatur

MIhi hujus anni auſpicia feliciſſima ſunt (Clariſſime & Eruditiſſime Domine) lego enim devotum & doctum librum, quem *Diſcurſo Politico ſobre la Concepcion* inſcripſiſti, & legendo proficio; nam melior & peritior reddor. Omnibus ille prodeſſe poterit, & ideò hortari audebo, ut in Editione feſtines. Deipara, cujus honorem ingenioſè tueris, impetret tibi à Filio vitæ annos plurimos, ut ſudoribus tuis Eccleſiam, & Scholam illuſtres.

Quomodo ſignū Omnes ſit univerſale.

Puncto in primo de Syncategoremate *Omnes* copioſiſſimè diſputas, illud exuis Metaphyſica univerſalitate, Morali inveſtis, ut idem ſonet ac *Fere omnes*, & uno ictu, magna ingenii dexteritate illato, oppoſita arma frangis, & omnes Adverſarios enervas. Patere, ut illud celebre in Peripatu Protheorema, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, tranſeat in hoc Afecticum, *Qui ſunt amici uni tertio, ſunt amici inter ſe*: amo enim Angelorum Reginam, quam & amas; & quia eidem

Vera amicitia origo.

devotos omnes diligo, te obſequioſa veneratione proſequor, redamari deſidero, &, ſi occaſio ſuccurrat, impendi. In mea Morali Logica diſſero de Vniverſalitate Morali, illumque Articulum tuo nomine & inventis honoro, nam & tu Moraliter dialecticaris, totum librum ad hunc Syllogiſmum reducendo.

D. Petri liber ad ſynopſim reducitur.

Potuit Filius præſervaſſe Deiparam.
Decuit Filium hoc facere.
Filius igitur fecit.

de cujus Ego viribus & efficacia in Metalogicis *num.* 1648. uberiùs diſputo. Anni hodie veteris incipit revolutio, & quia ad Amicos in obſervantiæ teſſeram Xenia mitto, nolo ut hæc ſine dono aliquo iter ineat Epiſtola, & ideò adjungo Orationē Angelicam, unico verbo *Semper* dilucidatam. Syncategorema *Omnes*, ſi ſumatur moraliter contra paucos antiquos, qui tali ſanè fide, qualem Pater Hippolytus Marraccius demonſtrat in illo erudito libello, qui *Fides Cajetani* inſcribitur, militat defenſivè: adverbium *Semper* Metaphyſicum rigorem conſervans, offenſivè, & utrumque in primo Conceptionis inſtanti Deiparam triumphantem de originaria labe, ad ſummæ culmen puritatis perducit. Lege & Vale.

De ſyncategorematibus Sēper & Omnes.

Orationis Angelica Dilucidatio.

AVE *ſemper Maria*, hoc eſt, Maris Stella: nam ſemper fuiſti naufragantium hominum Cynoſura, pulchra ut Luna, electa ut Sol; clemens, pia, & dulcis Orthodoxis; at Schiſmaticis Hæreticiſque terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. Ave inquam puriſſima Stella; ſemper, (ergo & in primo tuæ creationis inſtanti) coruſca, ardens, illuminans; nunquam tenebroſa; nunquam aut eclipſata, aut maculata.

AVE MARIA *Maria maris ſtella, ſemper lucida.*

Ave gratia ſemper plena; nec enim vel unicum momentum fuit, in quo te defecerit Divina gratia.

GRATIA PLENA.

Quia *Dominus ſemper fuit tecum*; nempe antequam eſſes præveniendo, in Conceptione præſervando, poſteà condecorando, nunc coronando: ideò Dominus noſter Ieſus Chriſtus eſt ſemper *Emanuel*, hoc eſt, ſemper nobiſcum Deus.

Cur ſit nobiſcū Deus?

Semper benedicta tu in mulieribus: nempe, ſemper à Deo, qui in ipſamet infuſione animæ ſua te benedictione ſanctificavit: & ſemper ab hominibus, qui antequam eſſes, providentia præſaga dedicarunt altaria Virgini parituræ: dum beares terras, Apoſtolica manu Tuo Sanctiſſimo Nomini erexerunt Statuas: & nunc ſuper copioſos Angelorum exercitus in Empyreo triumphanti humili devotione templa conſecrant.

BENEDICTA &c. *Maria benedicta: ſed à quibus?*

Et ſemper à Te benedictus (& Te ſemper benedicens) *fructus ventris tui Ieſus*. Illum ſemper benedixiſti; Tuum enim in prima vitæ atomo, rationis uſu prædita, & Divina revelatione illuminata, Præſervatorem adoraſti. Semper te benedixit puriſſimus ventris tui fructus Ieſus: nec fuit inſtans, in quo Cœleſti illius deſtituerêris benedictione. Semper fuit tibi Ieſus, ſemper Salus, ſemper Vita; ne vel ob originariam luem in ipſo Conceptionis momento eſſes emortua, vel ob actualem labem, etiam levem, ægrota in puriſſimo totius vitæ decurſu.

BENEDICTUS. &c. *Fructus ventris Mariani benedictus.*

Sancta Maria: ſemper Pura, ſemper Immaculata; ſemper Virgo, ante partum, in partu, & poſt partum integra & illibata: Mater Chriſti, qui non per vitæ merita, & ſupervenientem apotheoſim, fuit Divinitatem conſequutus, ſed per Hypoſtaticam unionem ſemper fuit Deus, *ora ſemper pro nobis peccatoribus*: nam ſepties in die cadimus, & Deo ſemper imperfectè ſervimus: & tametſi ſemper præveniamur, juvemurque magno auxiliorum, & gratiarum profluvio, ſemper ingrati ſumus, & nunquam peccare ceſſamus.

SANCTA &c. *Maria ſemper ſancta.*

Ora pro nobis *nunc*, hoc eſt, *in hora mortis noſtræ*; vita enim humana, eſt mors quædam continua; & noſter ad vitam introitus eſt verè interitus; quoniam in primo vitæ anhelitu originariam mortem incurrendo interîmus. Ora, inquam, pro nobis: nam tuo potentiſſimo patrocinio ſuffultis ipſe interitus erit introitus ad beatitudinem, in quâ tuo ſemper perfruemur conſortio, hoc eſt, in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORA. &c. *Vita eſt mors & mors vita.*

NOTA.

ERIT, cui placeat hanc Orationem uberiorem reddere, & teſtimoniis Patrum exornare. Hæc pulchra, & digniſſima ponderatione ſuccurrunt.

Sanè illud ſyncategorema *ſemper* in uno S. Athanaſii ſermone reperiri, & ibi eodem, aut ſimili modo verba illa *Gratiâ plena*, dilucidari, me monuit Illuſtriſsimus D. D. Gabriel Santander Archiepiſcopus Hydruntinus: qui de hoc argumento feliciſſimè ſcripſit, in libro, qui lucem exſpectat.

An noſtiantes S. Athanaſium fuerimus imitati?

Omnes Dæmones audito nomine meo fugiunt. Verba ſunt Angelorum Reginæ apud S. Brigittā *lib. 6. Revelat.* quod etiam nos docuit S. Bonaventura *in Speculo* his verbis. *Non ita metuunt hoſtes viſibiles caſtrorum aciem copioſam, ſicut infernales* Po-

Quam ſit efficax patrocinium Deiparæ?

Fugat dæmones

Poteſtates Mariæ vocabulum, quod multis poſſet exemplis adfirmari.

Omnis gratia conceditur per Virginis manus

Scimus, quod gratiam nullam nos Deus habere intendit, niſi priùs per tuas manus, ô Maria, tranſeat. Bernardus *ſerm.3. in Vigil. Nativit.* Nota illud *Scimus*. Ergo Melleus Doctor, non loquitur probabilia, ſed certa. Nota illud *intendit*. Ergo Mariæ oratio eſt medium, ut conſequamur gratiam, & gloriam. Nota illud *nullam* realiter ſumi, & non moraliter: quoniam ſi ſumeretur moraliter, non concluderet, quod deſiderat, S. Bernardus.

Deipara patrocinium eſt efficax.

Maria nobis dicitur facta advocata, quæ penès Deum noſtra negotia efficaciter pertractat. Idem S. Doctor *in ferm. de Aſſumpt.* Si *efficaciter*, non quidem ſine effectu. Si *pertractat*, quæ tractare incipit, ad finem felicem perducit.

Ab ea ſpes & ſalus peccatorum dependet.

Si quid Spei, ſi quid Salutis in nobis eſt, à Maria noverimus redundare. Idem Mellifluus Pater.

Suſtentat cœlū terramque.

Cœlum, & Terra jam diu ruiſſent, niſi Maria precibus ſuſtentaſſet. S. Fulgentius *lib.4. Metholog.*

Multos qui damnari deberent, liberat.

Sæpè, quem Dei Iuſtitia damnat, Matris Miſericordia liberat. Richardus à S. Laurentio *libr. de laudib. Deipar.* Et iterum illud *Eccleſiaſt. cap.24.* videlicet, *Quaſi Platanus exaltata es*, exponens, ait. *Bene ad inſtar Platani Maria, quia protectionis ſuæ ſtato, Iudicis Dei iram retundit.*

Cur facta fuit Mater?

Ideò data eſt tibi omnis miſericordia, & Mater Dei facta es, propter ſalutem miſerorum. S. Dionyſius. Illud *Omnis* realiter ſumitur, non moraliter, ut cum D. Bernardo concludamus.

Plura per Matrem facit De° quàm per ſe ipſum.

Multa petuntur à Deo, & non obtinentur, quæ petuntur à Mariâ, & obtinentur: & hoc, non quia Virgo ſit potentior, ſed quia Deus ſic eam honorare decrevit, ut ſciant omnes, omnia per ipſam impetrari poſſe à Deo. S. Anſelmus. Syncategoremata *Omnes* & *Omnia* accipiuntur realiter, ita ut nullus, & nihil excludatur.

De S. Anſelmi Logica.

In hujus D. Doctoris Logica, quando agitur de Angelorum Reginæ patrocinio, ex potentia inferri poteſt actus, ut ſi dicas,

Omnia per Mariam poſſunt impetrari.

Ergo omnia impetrantur de facto.

alibi enim exclamat, *Omnis peccator ad te converſus, & à te reſpectus, impoſſibile eſt, ut pereat*, ubi illud ſignum *Omnis* ſumi etiam debet realiter. Ait iterum. *Quod tu Virgo velis, nullatenus fieri non poterit*. Hoc eſt, *nunquam non fieri poterit*. Etiam hic illud *nullatenus* ſimiliter univerſitate reali fruitur.

An Sancti majora miracula faciant, quàm Chriſtus: & cur?

Maria plus poteſt de Deo, quàm Deus ex ſeipſo. S. Bernardinus Senenſis *ferm. 61.* Nec loquitur temerè: nam Deus, tametſi Omnipotens grandiora decrevit per Sanctos (& à fortiori per Matrem) quàm per ſeipſum. Sunt verba Chriſti in Evangelio. *Et majora horum facient*. Hic aptiſſimè adducitur Solis & vitri ſimilitudo.

Sol plus poteſt per vitrū, quā per ſeipſum.

Nihil enim in creaturis potentius Sole, nihil vitro fragilius; interim Sol per vitrum comburit, & liquat metalla, quod non poterat per ſe ipſum. Quo videtur Eccleſia reſpexiſſe, cum Deiparam *Speculum ſine maculâ* appellat, & iterum ipſe Bernardinus, cum ait, *Ex Mariâ, tanquam ex ſpeculo, Divinæ Bonitatis radii ad nos copioſiùs deveniunt.*

Maria ſpeculum.

Potens eſt Virginis auxilium ad ſalutem obtinendam, & non indiget alio interceſſore. S. Hieronymus. Certè, ſi alio non indiget, non jam ſolùm ſufficiens, ſed efficax ejus auxilium eſt.

Auxilium Mariæ efficax.

De Vniverſali Copulativa.

Vniverſalis Diſtributiva & Copulativa differentia.

Differt à Diſtributiva Copulativa: Quando enim prædicatum convenit ſingulis, tunc eſt Vniverſalis Diſtributiva, ut *Omnis homo eſt rationalis*, nam hoc prædicatum *Rationalis* de ſingulis verificatur: nam hic homo eſt rationalis, & ille eſt rationalis, & ſinguli, ut ſupra dicebam, ſunt rationales. Quando autem prædicatum non convenit ſingulis, ſed omnibus ſimul, dicitur Vniverſalis Copulativa, ut patet in hac propoſitione, *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, non enim Petrus eſt duodecim, nec Ioannes, nec alius eſt duodecim, ſed omnes ſimul ſunt duodecim. Vt facili negotio alteram Vniverſalitatem ab altera diſtinguas adnotato (1) Vniverſalem Copulativam ſemper poni in plurali, non enim dicimus, *Omnis Apoſtolus eſt duodecim*. Ergo pluralis, quæ poteſt in ſingularem tranſire, eſt Diſtributiva, nam cum *Omnes homines ſunt rationales*, dicimus, poſſumus etiam dicere, *Omnis homo eſt rationalis*. Adnotato (2) *Omnis* in Diſtributiva eſſe idem ac *Quilibet* idem ac *Singuli*. Nam hæc enuntiatio, *Omnes homines ſunt rationales*, poteſt tranſire in hanc *Quilibet homines ſunt rationales*, aut etiam in hanc *Singuli homines ſunt rationales*.

N. B. Vbi ſignum Omnis, aut Omnes in Quilibet transire non poteſt, Propoſitio eſt Vniverſalis Copulativa.

Multa conveniunt omnibus, quæ ſingulis convenire non poſſunt.

Ex his collige multa convenire in Cõmunitate omnibus ſimul, quæ non conveniunt ſingulis; immò, quæ ſingulis convenire non poſſunt. Martianus *lib.3. inſtitut.* (& habetur *leg.2. D. rerum diviſ. leg. riparum 5. §. Vniverſitatis eodem titul.*) rem dilucidè exponit. *Quædam naturali Iure communia ſunt omnium quædam Vniverſitatis, quædam nullius, quædam ſingulorum*. Cognovit igitur Martianus jure

 ipſo

ipſo naturæ dividi rerum omnium dominia, quod in Theolog.Intent.*num.* .perſuadeo, Cajus *lib.de rerum quotid.* idem ipſum ex Iure Civili collegit, *quoniam Vniverſitatis ſunt, non ſingulorum, quæ in Civitatibus ſunt theatra, ſtadia, & ſiqua alia ſunt communia civitatum. Itemque nec ſervus communis civitatis, ſingulorum pro parte intelligitur, ſed univerſitatis* &c. Ergo Romæ non poteſt dicere hæc Amphitheatri pars mea eſt, illa Ciceronis &c. Sed debet dicere ſe, & cæteros cives ſimul eſſe unum hominem myſticum, qui eſt dominus totius Amphitheatri. Ergo in Monaſterio ditiſſimo, ſi ſint multa aureorum millia numerata pecunia, non poteſt Petrus dicere, *tot* aurei ſunt mei, tot Ferdinandi &c. ſed nihil eſt meum, nihil eſt Ferdinandi &c. ſed omnia ſunt Communitatis. Eſt autem Communitas ille homo myſticus, cujus membra ſunt ſinguli Religioſi. Hanc doctrinam dilucidat Caput XXXIII. Regulæ S.Benedicti, in quo hæc lego. *Nequis præſumat* &c. *aliquid habere proprium, nullam omninò rem neque codicem, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omninò* &c. *Omniaque omnibus ſint communia, ut ſcriptum eſt, nec quiſquam ſuum eſse aliquid dicat, aut præſumat.* Interim, quæ in Monaſterio ſunt, habent dominum, videlicet Communitatem.

Quæ civitatis Romanæ ſunt, ſingulorum non ſunt.

Quæ Monaſterii, non ſunt ſingulorum Religioſorum.

Quomodo Omnes, *&* Vniverſi *diſtinguantur?*

Vt hæc meliùs intelligas, proderit inter *Omnes* & *Vniverſos* differentiam cognoſcere. Spiegelius ſic inquit. [*Vniverſus*, quaſi omnis ad unum verſus, id eſt, ſine aliqua exceptione. Et in ſingulari quidem idem eſt, quod *Totus*, ut *Vniverſus ager*: in plurali ſignificat *omnes conjunctim*: nam ſi dicamus, *Omnes ſibi domicilium conſtituerunt*, intelligitur domiciliũ ſibi unumquemque conſtituiſſe: ſi verò dicimus, *Vniverſi ſibi domicilium conſtituerunt*, ſignificatur omnes ſimul unũ ſibi pro omnibus domicilium feciſſe. Vide *leg.quoties in fin.famil. erciſcund. leg.talis ſcriptura §. final.de legat.* 1.] Sed Spiegelii pace, illa propoſitio, *Omnes ſibi domicilium conſtituerunt*, niſi aliquid addatur, habet ſenſum ancipitem; ſciri enim non poteſt, an diſtributiva ſit, an copulativa: tolleturq; amphibologia, ſi dicamus, *Omnis ſibi domicilium conſtituit*. Conſonat Connanus *lib.4.cap.9.num.*13 dicens: [*Omnes* dupliciter dicitur: primò pro ſingulis: & hoc modo fieri poteſt, quod vult Socrates, nimirùm, ut omnes (ſinguli) dicant, *Hoc meum eſt; Hoc non eſt meum*. Vnuſquiſque enim ſuum dicit filium eumdem, & ſuam eamdem uxorem. Secundo modo dicitur tamquam *Omnes*, & *Vniverſi*. Sic nunc loquuntur, qui communibus utuntur uxoribus, & liberis: itemque res ſuas ipſorum eſſe dicunt, ut univerſorum, non ut uniuſcujuſque.]

OMNES, *moraliter*.
FERE OMNES.

NON ſemper Syncategorema *Omnis* omnem includit: interdum enim ſumitur moraliter, ita ut ſignificet *fere omnes*, quin tollat ut aliqua, vel aliquæ perſonæ excipiantur. Multa habentur in Sacra Scriptura teſtimonia, in quibus ſyncategorema *Omnes* ſumi debet moraliter: & clariſſimũ *in cap.* 2. *Eſther.* quod ad breviſſimam ſynopſim reduco.

Sanè Reges *ferre legem* dicuntur: nempè *in Hyphil* (nota eſt Idiomatis Hebraici coniugatio: nam verbum LABAN, ſignificat in *Cal*, LABAN, *Fuit candidus*; in *Pihel*, LIBEN, *Dealbavit*; in *Hiphil*, HILBIN, *Fecit, ut alius dealbaret*.) talem enim debent pronunciare legem, quam ferre poſſit populus; & tenentur cooperari majeſtate & prudentia, ut illam ferat: ſunt enim Tyranni, & non Principes, qui impoſſibilem & intolerabilem legem ſtatuunt: immò etiam, qui poſſibilem & tolerabilem, ſi in modo, & tempore exorbitant: tenentur enim Superiores omnes circumſtantias perpendere, recogitantes prudentiſſima verba Innocentii III. ponderari jubentis, *Quid liceat ſecundum æquitatem, quid deceat ſecundum honeſtatem, quid expediat ſecundum utilitatem*. Et habetur *cap. Magnæ* 7. §. *Et quidem tria de voto, & voti redemptione*. Sunt enim non Regiæ, ſed Tyrannicæ leges, quæ contra æquitatem, honeſtatem, & utilitatem dicuntur. In hæc tria capita peccabat illa, quam protulit Aſuerus Rex, ab Amane ſeductus. Hic enim in Mardochæum iratus, ne illum non perderet, curavit Hebræos omnes occidi. ibi. *Literæ ſignata ipſius* (Regis) *annulo Miſſæ ſunt per Curſores Regis ad univerſas provincias, ut occiderent, atq; delerent omnes Iudæos, à puero uſque ad ſenem, parvulos & mulieres una die*. Vocem illam *Omnes* realiter intelligens Eſther, ut ſibi proſpiceret Regem adiit, qui ut Sacer Textus ait, *terribilis erat aſpectu*, & ſuffuſa lachrymis deprecata fuit vitam nempe *c.* 19. & tunc? *Convertit Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem, & feſtinus, ac metuens exſilivit de ſolio, & ſuſtentans eam ulnis ſuis donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur. Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere, non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex cõſtituta eſt*. Quid ais Aſuere? contradi-

Amanis ... daos fur

Diploma

Vox Omnes moraliter ſ... pta.

ctoria involvis. Si pro omnibus lex pronunciatur, etiam Eſtherem tangit: &, ſi hanc non concernit, pro omnibus non pronunciatur. Ajo ſignum illud *Omnes* in lege Aſueri, non ſumi metaphyſicè, ſed moraliter, ita ut idem ſit, ac *fere omnes*, cui non opponitur *Aliquis non*, unde hic Syllogiſmus.

Syllogiſmus in Darii non eſt efficax, ſi major ſumatur moraliter.

Omnes Iudæi occidi debent,
Eſther eſt Iudæa,
Ergo debet occidi.

ut eſſe in *Darii* putetur, non eſt efficax: nec hæ duæ Poſitiones

Omnis, & Aliquis non, non ſunt termini contradictorii, ſi Omnis ſumatur moraliter.

Omnes fœmina occidi debent,
Aliqua fœmina occidi non debet.
vel, *Aliqua fœmina non occidi debet.*

non ſunt contradictoriæ: quoniam Vniverſalis illa non ſumitur metaphyſicè, ſed moraliter, nec erit falſa, tametſi prædicatum uni aut alteri ſubjecto non conveniat.

Sed nec eſſet contradictio, ſi Omnis ſumeretur univerſaliter, & nullum excluderet.

Poſſemus etiam inter legem & privilegium diſtinguere: ita, ut illud *pro omnibus* legem concernat, & nullam perſonã, adeoque neque ipſam Eſtherem, excipiat: illud autem *non pro te* concernat privilegium: ita, ut quæ ex lege deberet mori, ex privilegio ſervaretur. Quod ipſum in Beatiſſimâ Virgine Mariâ locum habet: nam ſtando legi communi debuiſſet etiam ipſa originariam labem incurrere: at verò fuit ex ſpeciali privilegio præſervata. Vnde patet inter *Omnes condemnantur*, & *Eſther non condemnatur*, nullam eſſe contradictionem: nam mutatur ſenſus, prima enim propoſitio ex vi legis, ſecunda ex vi privilegii verificatur.

An omnes nullo dempto, velit Deus ſalvos facere?

HVC retulerunt multi Veteres, illam Theologicam Prothesin, *Deus vult omnes homines ſalvos facere*, quam Auguſtinus multis & adverſis modis expoſuit, ut in omnibus legimus libris, qui diſputant de Prædeſtinatione. At ego, quia tametſi ex Dei parte nullam inefficaciam admittam, nihilominùs aſſero in efficacem & inefficacem denominatione à medio (gratiâ) ſumptâ Divinam voluntatem diſtingui: hanc Prothesin eſſe metaphyſicè veram pronuncio, nec eſſe aut fuiſſe in mundo hominem, quem Deus non velit ſalvum facere; nam omnibus nemine dempto concedit Deus auxilia ſaltem ſufficientia ad ſalutem.

Quomodo in Deo voluntas efficax ab inefficaci diſtinguatur?

Hanc ob rem hac doctrinâ non utar, ſed recurram ad alias, ut Moralem Vniverſalitatem poſſim dilucidare.

Vniverſalia ſunt hæc verba, quæ *cap. 14. Numer.* leguntur; videlicet. *Quoniã ſicut loquutus ſum, ita faciam omni multitudini huic peſſimæ, quæ conſurrexit adverſus me, in ſolitudine hac deficiet, & morietur. Igitur omnes viri, quos miſeras Moyſes ad contemplandam terram, & qui reverſi, murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quod eſſet mala, mortui ſunt, atque percuſſi in conſpectu Domini.* Conſidera verborũ generalitatem & univerſalitatem. Nota illud, *omni multitudini*, & illud *omnes viri*. Eâdem generalitate loquitur Deus *cap. 26. in fin.* ibi enim legimus, *Prædixerat Dominus, quòd omnes morerentur in ſolitudine.* Et tamen non omnes mortui ſunt: nam *cap. 4.* habemus, *Ioſue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone, vixerũt ex omnibus, qui perrexerant ad conſiderãdam terram.* & tandem clauditur *cap. 26.* his verbis. *Nulluſque remanſit ex eis, niſi Caleb filius Iephone, & Ioſue filius Nun.* Ergo, ſiquidem hæ duæ propoſitiones,

Omnes dicuntur obiiſſe, & tamen aliqui mortui non erant: ergo illud Omnes ſumebatur moraliter.

Omnes mortui ſunt.
Ioſue & Caleb mortui non ſunt.

non ſunt contradictoriæ, priorem eſſe univerſalem moraliter, & æquivalere huic, *Fere omnes mortui ſunt*, certum eſt.

Soli Ioſue & Caleb in terram promiſſam intrarunt.

QVando agimus de peccato originali multæ Poſitiones ſuccurrunt, quarum non eſſe metaphyſicam Vniverſalitatem, Regina Angelorum perſuadet, ſine maculâ culpæ concepta. Præcipuas recenſebo.

Vniverſales omnes propoſitiones, quæ Deiparam habuiſſe originalem culpam videntur probare, debẽt ſumi moraliter, & ſic nihil evincunt.

I. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* ad Roman. cap. 5.

II. *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ* (gratia) *Dei*. ad Roman. cap. 6.

III. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, primæ ad Corinth. c. 15.

Hæ, & aliæ ſimiles ſunt obſcuræ & incertæ Poſitiones quoad nos, in quarum expoſitione PP. Dominicani Dialecticum rigorem obſervabant: cùm tamen Patres Franciſcani Moralem inveniant latitudinẽ & aſſerant ſe congruenter literam interpretari *ex l. licet D. de recept. arbitr.* Surd. *conſ. 280. num. 8.* Oſaſcio *deciſ. 169. num. 2.* Mattienzo *ad l. 11. tit. 7. gloſ. 8. nu. 3.* Caſtillo *tom. 5. cap. 89. nu. 155.* omnes enim hi, & alii innumeri Authores ſtatuunt, textum, qui duos habere ſenſus poteſt, exponi ſenſu congruentiori debere. Sanè hæc Poſitio.

Quo ſenſu debeant accipi, inquirunt?

Omnis homo eſt conceptus in originali peccato.

ſi ſumatur in rigore Dialectico, falſa eſt (1) quia Adamus & Eva non ſunt in peccato concepti. Sed de illis quæſtionem

non

Nec Adamus, nec Eva, nec Deipara, nec Chriſtus habuerunt culpã originalem.

non inſtituunt Theologi. (2) quia Chriſtus Dominus concipi in peccato non potuit: nam ſine hypoſtaſi non eſt Chriſtus, & hypoſtaſeos ſanctitas opponitur omni peccato: (3) quia tametſi Angelorum Regina concipi in peccato potuerit, fuit tamen à peccato originali præſervata. Illa igitur Poſitio, *Omnis homo* &c. ſumi debet moraliter, ita ut æquipolleat huic,

Fere omnis eſt conceptus in originali peccato.

quæ ſemper erit vera, tametſi nonnulli excipiantur.

Doctor Aguilar de Terrones in quodam funeteo Panegyrico, cujus meminit Doctor D. Petrus Rodríguez Cortés, Propoſitiones proponit, videlicet,

Poſitiones nonnulla moraliter univerſales

I. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.*

II. *Deum nemo vidit unquam.*

III. *Omnes naſcuntur filii iræ:*

IV. *Omnes concipiuntur in peccato originali.*

V. *Omnes peccaverant in Adam.*

VI. *In Inferno nulla eſt redemptio.*

quas aſſerit eſſe Vniverſales moraliter, & exceptionibus manifeſtis obnoxias. Ejus verba ſunt hæc.

De his Propoſitionibus. De Aguilarii Sententia.

No vi Regla tan general, como aquella, Statutum eſt omnibus ſemel mori. *Regla general es,* Deum nemo vidit unquam. *A Dios nadie le vió en carne mortal: y con todo ay Santos, que dizen, que Moyſes, y S. Pablo le vieron en eſta vida.* *Regla general es,* Omnes naſcuntur filii iræ. *Todos nacen en peccado: y ſe ſacan el Bautiſta, y Ieremias, que nacieron ſantificados. Regla general es, que todos incurrimos en el peccado original, y exceptuoſe la Virgen. Regla general es, que en el Infierno no ay redempcion, y dice S. Iuan Damaſceno, que Trajano deſpues de eſtar alla, ſalió,* & addit D. Cortés, *tenga eſto la probabilidad, que tuviere.*

An omnes homines ſint morituri?

Neſcio cur primam poſitionem Aguilarius poſuerit: non enim proponere poteſt exemplum, quo illam eſſe obnoxiam exceptioni perſuadeat: nec enim Enoch, & Elias à lege generali eximuntur: rapti enim ſunt & vivunt, morientur tamen: ergo & illis ſtatutum eſt etiam ſemel mori. At Apoſtolos hanc eamdem Poſitionem moraliter intellexiſſe certum eſt: nam in Evangelica Hiſtoria apud Ioannem habetur. *Exiit ſermo inter Fratres* (Apoſtolos) *quod Diſcipulus ille non moritur* (non eſt moriturus.) *Et non dixit ei Ieſus,* Quia non moritur. *Sed,* Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te? *Hic eſt Diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his.* &c. Ecce Apoſtoli non ignorabant ſtatutum eſſe omnibus hominibus ſemel mori, & tamen quin vim contradictionis ſentiſcerent, Ioannem opinabantur moriturum non eſſe: ſentiebant igitur illam eſſe Poſitionem moraliter univerſalem.

Ioann. 21.

Apoſtolorum ſententia.

An aliqui plures fuerint mortui?

Sed & ex alio latere eamdem Poſitionẽ conſideras, & omnem omninò hominem eſſe moriturum ſupponens, recognoſcis illam voculam *ſemel*, & interrogas, An univerſaliter hoc verum ſit? An forte aliqui iterum, & iterum defuncti fuerint?

Mortui reſurgunt:

A mortuis ſuſcitat Chriſtus filiam cujuſdam Principis *Matth. c. 9. n. 25.* Lazarum *Ioann. 11. 12. a. b.* & cum obiit in Cruce, *Matth. 27.* ut prodigia adderentur prodigiis, *terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, reſurrexerunt; & exeuntes de monumentis per reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Fortè, & alios ſuſcitavit à mortuis Ieſus, non enim omnia quæ patravit miracula, ſunt ab Evangeliſtis ſcripta. Apoſtolos etiam mortuos ſuſcitaſſe legimus in diverſis hiſtoriis. Sed & multi Sancti in Veteri, & Novo Teſtamẽto vitæ reſtituerunt defunctos. Et inquiris, An iſti poſteà iterum mortui ſint? Ergo, ſi aliquis bis ſunt mortui, omni homini ſemel mori ſtatutum non eſt.

an-ne iterum morituri?

Lazarum poſt ſuſcitationẽ adhuc fuiſſe mortalem, aſſerere videtur S. Ioannes, nam *cap. 12. b. 10.* dicens. *Cogitaverunt autem Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent; quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum.* Et Melleus Doctor, illud, *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur,* &c. exponens expreſsè aſſerit illos, qui è tumulis egreſſi, ut Chriſto reſurgenti ſervirent, fuiſſe iterũ morituros: unde ſine dubio tenendum omnes iterum diem objiſſe.

Adverbium Semel biſariã poteſt ſumi.

Hinc ad illud Lemma, *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*, revertendo, aſſero vocem *ſemel*, aut ſumi præciſivè, aut negativè: præciſivè, ut idem ſit, ac *ſaltem ſemel*: negativè, ut idem ſit, ac *tantùm ſemel*. Si primum; nihil vetat, ut illud Lemma, dicatur eſſe realiter univerſale, quotquot enim bis fuerunt mortui, etiam ſemel ſunt mortui. Si aſſeratur ſecundum: illud *omnibus* habet moralem univerſalitatem, & pro *fere omnibus* accipi debet.

An Moyſes, Paulus, & Benedictus in hac vita viderint eſſentiam Divinam?

Secundam, ita univerſalem Patres ſtatuunt, ut Moyſem & Paulum excipiant: noſtri Ordinis Doctores ab hac Regula generali eximunt S.P.N. Benedictũ, quem

etiam

etiam dum viveret Divinam eſſentiam vidiſſe propugnamus, tanta nimirùm devotione & affectu, ut vix, aut ne vix quidem prima Angelici Doctoris Pars diſputanda Salmanticæ, aut Compluti exponatur, quin Quæſtio Princeps ſit, *An S. Benedictus viderit Divinam eſſentiam?* Pro affirmatrice parte proferimus S. Gregorium, *qui lib. 2. Moral. cap. 35.* ſic inquit. [Cum Vir Dei Benedictus, quieſcentibus adhuc fratribus, iuſtans vigiliis, nocturnæ orationis tempora prævenifſet, ad feneſtram ſtans, & Omnipotentem Deum deprecans, ſubitò intempeſta noctis hora reſpiciens, vidit fuſam lucem deſuper cunctas noctis tenebras effugaſſe, tantoque ſplendore clareſcere, ut diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiaſſet. Mira autem res valde in hac ſpeculatione ſequuta eſt: quia ſicut poſt ipſe narravit, omnis etiam Mundus, velut ſub uno Solis radio (atomo) collectus, ante oculos adductus eſt.] Vide meum Dominicum *n. 616.* Vnde in Lect. VII. Reſponſ. tota hæc hiſtoria reponitur his verbis. [Intempeſtæ noctis hora Vir Dei, inſtans vigiliis aſſiduæ orationis, velut ſub uno Solis radio, omnem mundum collectum conſpexit: Videnti enim Creatorem, anguſta eſt omnis creatura.] Hinc inferunt communiter noſtri Theologi S. Benedictum Divinam eſſentiam conſpexiſſe, cujus comparatione (eſt enim immenſa) totus Mundus vileſcit, & eſt puncto ſimillimus.

Quantus ſit totus mundus cum Dei immenſitate collatus?

Tertia etiam eſt moraliter univerſalis: nam prӕter S. Ioannem Baptiſtam & Hieremiam, de quibus in Sacra Scriptura, potuit Deus alios in Matris utero ſanctificare: & poſſet dici hunc aliquibus favorem feciſſe, ſi graves rationes ſuccurrerent. S. Æphrem Syrus in quodam ſermone Moyſem in matris ventre ſanctificatum aſſerit, & quia non probat, poſſet quis ſuſpicari fuiſſe in illa provincia, illo ævo, hanc ipſam opinionem communem: ſi enim eſſet ipſius ſingularis illam accuratè probaviſſet. Nonnulli Ciſtercienſes Doctores huc S. Bernardum accenſent, nec putant ſe carere fundamento probabili; nam *Sanctus ab utero*, in hymno dicitur, nec cenſeri probabiliter poſſunt eſſe evidenter falſa, quæ cantantur à Religioſis Choris in Officio ab Eccleſia approbato.

An præter Hieremiam & Baptiſtam alii fuerint in utero ſanctificati?

Quid de Moyſe?

Quid de S. Bernardo ſtatuendum ſit?

Quarta ſimiliter eſt univerſalis moraliter, nam Deiparam hodie eximit ab originaria peccati labe Chriſtiani Orbis devotio, cui ſe opponere videretur temeritas Seſſione V. agit de peccato originali Tridentinum Concilium: & licet non aſſerat & definiat Deiparæ Conceptionem fuiſſe Immaculatam, adeoque hanc quartam Poſitionem eſſe univerſalem moraliter, pronunciat non conſtare, quod ſit univerſalis realiter, ait enim *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam*: quam tamen deberet neceſſariò includere, ſi eſſet certum hanc poſitionem, de quâ agimus, eſſe univerſalem realiter, & metaphyſicè.

Deipara originali culpa caret.

Et hic adſis mihi, quoniam diſcurro ſic. Docebat Pelagius, poſſe hominem ſine ulla Dei gratia omnia peccata, etiam levia, vitare: aliqui Pelagiani: etſi gratiam admitterent, ſentiebant cum gratiæ concurſu, poſſe hominem fieri impeccabilem. Hos generosè aggreditur S. Auguſtinus, & probat *ſepties in die juſtos cadere*. Et poſtquam multa univerſim dixerit, ad Deiparam convertit oculos, & ait *ſe non velle in hac generali doctrina Mariam claudere.* Tunc ſic. Hanc conſequentiam,

An in hac vita poſſit homo omni carere peccato?

Auguſtini de Deipara impeccantia ſententia.

Auguſtinus dixit, ſe non velle in illa Regula generali, ſepties in die cadit juſtus, *Mariam claudere.*

Ergo Maria actuale peccatum non admiſit.

eſſe bonam ante Concilium Tridentinum judicavit Eccleſia: omnes enim Catholici illam vel leviſſimum peccatum commiſiſſe negarunt, ut idem Concilium *ſeſſ. 6. can. 26.* his formalibus verbis teſtatur, *Siquis hominem ſemel juſtificatum dixerit, amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere. &c. poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.* Ergo etiam hæc erit bona conſequentia.

Deciſio Trid. Concilii.

Concilium Tridentinum dixit non eſſe ſua intentionis in univerſali de peccato originali decreto Virginem Immaculatã comprehendere.

Immaculata igitur Virgo caruit peccato originali.

De Immaculata Conceptione Deipara.

Has duas conſequentias ingenioſiſſimè & efficaciſſimè componit, & perpendit Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dominus D. Gabriel Santander, Archiepiſcopus de Orranto, vir verè doctiſſimus, in abſolutiſſimo Opere de Immaculata Conceptione, quod jam jam in lucem emittit, ut videat clarè poſteritas hanc ſine luce controverſiam à plurimis fuiſſe agitatam.

Archiepiſc. de Orranto, laudatus.

Quintam eſſe metaphyſicè univerſalem etiamnum multi admittunt, & puriſſimam Angelorum Reginam in Adamo peccaviſſe contendunt: habuit enim, ut ajunt, ab Adamo debitum, ut caderet, & à gratia privilegium, ne caderet. Alii contra, ut longiùs ipſam à peccati macula ſeparent,

An in Adamo peccaverit?

etiam

Digitized by Google

etiam debitum negant, & conſequenter debebunt ſtatuere hujus quintæ Aſſertionis univerſalitatem non Logicã, aut Metaphyſicam eſſe, ſed Moralem.

An ex inferno animas Deus poſſit extrahere? an extraxerit ullam?

Sextam communiter Doctores, ut metaphyſicè univerſalem accipiunt; non, quod extrahendi ex inferno aliquam, aut aliquas animas potentia careat Deus, ſed quod à potentia ad actum conſequentia non valeat, & facta debeant ſufficienter probari. Mirum, S. Ioannem Damaſcenum manu à Tyranno exciſâ, & ab Angelorũ Regina reſtituta ſcripſiſſe deliria. Interim D. Cortes dubitat, ut vidimus, an Damaſceni doctrina ſit probabilis. Ego tutius ambigerem, An hoc ipſum Damaſcenus ſcripſerit?

AD univerſalitatem moralem etiam pertinet *leg. 2. D. de reg. jur.* quam his verbis Vlpianus tradidit.

An mulieres munia publica obire poſſint?

Fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ ſunt; & ideò nec Iudices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec procuratrices exiſtere.

Abbatis expoſitio rejecta.

Circa hujus legis intelligentiam adnorito Abbatem *in cap. dilecti de arb.* mihi dicere, ubi maximè textum dicitur dilucidare, fœminas ab officiis civilibus arcendas docet, ſed civilium nomine virilia intelligit, & quæ virilia ſunt? ad quæ ex conſuetudine fœminæ non admittuntur. Vnde, ſi colligantur omnia, *fœminæ arcentur ab officiis, à quibus arcentur.* Nihil diſco.

Cur ab officiis publicis arceãtur fœminæ?

Ergo audiamus Baldum, qui ut doctiſſimus, hanc quæſtionem ſolidè & eruditè tractat. Nam *in l. quoties C. de ſuis* quatuor rationes ponit. (1) Propter honeſtatem, quæ non patitur, ut fœminæ Virorum cœtui ſe immiſceant. (2) propter fragilitatem conſilii: nam, ut dicit Hiſpanus, *El conſejo de la muger es poco, y quien le toma loco.* (3) propter lubrica vota, cum ter mutentur in hora. (4) propter periculum ſecreti, quia tacere non poſſunt. Hæ rationes non ſunt metaphyſicè, ſed moraliter univerſales, quoniam [1] taliter poſſunt circumſtantiæ diſponi, ut ſine indecentia fœmina adſit Virorum conſortio; [2] & aliquæ viſæ, quæ integrè & maturè judicent; [3] & in habita reſolutione perſiſtant [4] & ſecretum obſervent: ſed, quia hæ valde ſunt raræ, non tollunt, ut omnes ab officiis civilibus arcendæ ſint.

An hæ rationes evidenter concludant?

Omnes videlicet moraliter, vel ut ex Baldo Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 562. nu. 3.* loquitur regulariter. Vnde hoc poterit formari argumentum.

FAL | *Moraliter & regulariter loquendo omnes fœminæ ab officiis publicis arcendæ ſunt.*
LI | *Sed Theodoſia eſt fœmina.*
TIS | *Ergo moraliter & regulariter certum eſt, illam arcendam eſſe.*

Hæc autem certitudo non tollit, quominus ex Principis privilegio, aut hæreditario, aut alio ſimili jure admittatur.

An, & quando fœminæ promoveantur?

Decius *l. 2. ff. de reg. jur.* & alii *in c. dilecti* & *in c. ſignificavit de reſcript.* Felinus *in c. dilecta de majo. & obed.*

EX eodem capite defendimus §. *Item* ejuſdem legis, cujus tenor is eſt.

An etiam impuberes ab officiis publicis arcendi ſint?

Item impuberes ab omnibus officiis civilibus debent abſtinere.

Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 563. a. num. 1.* laborat, ut voces exponat: cujus ſtudium non eſt contemnendum omninò, nam illæ ſunt minùs communes.

Vocum interpretatio.

Pubes, bis, eſt lanugo, quæ in partibus ſecretis naſcitur, maribus anno ætatis XIV. fœminis verò XII. Vnde Virgil. *Pube tenus.*

Pubes, beris, qui ad pubertatem pervenit. Idem quod *Ephebus, bi.*

A recto naſcitur verbum *Pubeſco,* & ab obliquis *Pubereſco.*

Hæc de vocibus: ad rem veniamus, & textum breviter dilucidemus.

An hæc doctrina ſit univerſalis?

Impuberes à fortiori debent à publicis officiis excludi: nam ætas, ut illa poſſint prudenter adminiſtrare, non concurrit. Decius *l. 1. C. unde vir. & uxor. leg. 1. C. de falſ. mo.* Interim quando dicimus *Impuberes,* hoc eſt, *omnes impuberes,* & ab *omnibus officiis* univerſalitas iàm perſonarum, quã officiorum eſt moralis: unde illud *abſtinere debent,* modificari ſolet, ita ut ſit, *regulariter abſtinere debent,* nam interdum admittuntur (1) in officiis Eccleſiaſticis: (2) ob ſeniorum penuriam: (3) ſi officium quod ante ætatem confertur, non niſi ætate congrua ſit exercendum: (4) ſi accedat Principis diſpenſatio, qui ſi diſpenſet, debet per idoneas perſonas providere.

HVC *lex VI. ff. de reg. jur.* etiam pertinet, in qua ſic pronunciat Vlpianus.

Semper *interdum ſumitur moraliter pro fere ſemper.*

Semper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur.

Semper eſt adverbium univerſale, & idem eſt, ac *omni tempore.* Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 576. b. nu. 1.* [Nota Regulam tradi univerſali vel generali ſigno, ut fieri debet: ſicuti vidimus poſt Gloſſã *in l. 1. ſuper eo.* Et quamvis textus dicat *ſemper,* non tamen procedit ſemper, quod hic dicitur, ut inferiùs apparebit: ideò ex-

expone *ſemper*, id eſt, *communiter*, *& regulariter*, ſecundum naturam hujuſce tituli. Ad hoc *text.cum gloſſ.in lib.1. verb. ſemper ff.ſol. ma.* ubi Iaſon. Et plura de his univerſalibus, & generalibus ſignis, quæ civiliter intelligi debent, ut per Felinum etiam *in proœmio Rex pacificus* &c.]

Conſonat Paulus dicens, *in pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt*, & habetur *l.198.ff.de reg.jur.*

Quid præſens dies importet?

EOdem intelligi modo debet *lex* XIII. *ff.de reg.jur.* quæ conſtat formalibus verbis Pomponii dicentis.

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.

Omnia Iura prudenter interpretanda ſunt.

Eſt moraliter, & cum temperamento intelligenda: nam *præſens dies* ſignificat quamdam moralitatem temporis, quæ proximo non ſit nociva. Aliud enim eſt *præſenti die poteſt exigi*, aliudque diverſum *præſenti die debet ſolvi*. Illud prius eſt verum *ex l. liber homo* §. *decem hodie ff. de verb.oblig.* At iſtud poſterius non ſtatim: requiritur enim congruum temperamentũ, & temporis intervallum ex Gloſſa. Vnde Cagnolus *tom.3.pag.591.a.num.1.* ait eleganter dixiſſe Iuriſconſultum *in l. quod dicimus ff.de ſolut.* quod creditor recepturus pecuniam ſibi dandam, venire non debet cum ſacco paratus: concedendum enim eſt aliquod ſpatium temporis ſolutori.

An Iura ad præteritum potentiam habeant?

COnſonat Celſus, qui Vniverſitatis ſignum particula *fere* addita ita modificat, ut moraliter accipiatur. Ipſe enim *l.CLIV.ff.de reg.jur.* ſic inquit.

Omnia fere jura hæredum perinde habentur, ac ſi continuò ſub tempore mortis hæredes extitiſſent.

An hæres, incipiat eſſe hæres, quando hæreditatem acceptat?

Vt textum intelligas, ſuppone Petrum obiiſſe hoc anno & hæredem denominaſſe Claudium: hæreditatem hic acceptat, & addit, & interrogas, à quonam die cenſendus ſit hæres? Reſpondeo Iura habere Moralem potentiam ad præteritum, & Claudium poſita hæreditatis acceptatione, non à die, qua acceptavit; ſed à momento, quo Petrus obiit, fuiſſe hæredem *l.hæres quandocumq;ff.de aquir.hæred.* Quid ſi Claudius hæreditatem repudiaſſet? quocumque ille tempore hæreditatem repudiet, ab ipſo inſtanti mortis dici debet non hæres.

Particula Fere Vniverſalitatẽ moralem conſtituit.
De adoptivis.

Particula etiam *fere* Vniverſalitatem Moralem conſtituens, in aliis locis reperitur Papinianus *lib.38 qu.* (& habetur *l.14 D. de adopt. & emancip.*) ſic ait. *In omni fere Iure, finita Patris adoptivi poteſtate, nullum ex priſtino Iure retinetur veſtigium* & Iulianus *lib.68. Digeſt.* (& ex eo Iulianus *l.26. D. de ſtatu homin.*) hæc inquit.

De infantibus nondum natis.

Qui in utero ſunt, in toto fere Iure Civili intelliguntur in rerum natura eſſe. Sic etiã loquuntur Iuniores, quando univerſalem propoſitionem accipi volunt moraliter. Antonius Faber *in Rationalib.tom.1.lib.1. titul.1.ad leg.2.* utramque univerſalem (aſſerentem, negantem) ad ſenſum moralem contraxit, dixit enim *Quæ ad ſacra Sacerdotia & Magiſtratus pertinent, fere omnia ſunt Iuris Conſtituti; quorum ars vix ulla* (fere nulla) *eſſe poteſt.*

De Eccleſiaſticis & Politicis rebus.

An, & quomodo Medici & Philoſophi ſint ab oneribus publicis liberi?

MEdicis, Philoſophis, & Profeſſoribus ut eſſent immunes ab oneribus publicis conceſſit Conſtantinus *l. Medicos 6.C.de profeſſ.& medic.lib.10.* ibi. *ab omni functione & ab omnibus muneribus civilibus, vel publicis immunes eſſe præcipimus.* Ergo univerſim liberi dicendi ſunt (1) ab oneribus patrimonialibus (2) à publicis contributionibus.

Negat utramq; conſequentiam D. Petrus Rodriguez Cortés, in illo erudito libello, qui *Diſcurſo Iuridico ſobre la Concepcion* inſcribitur, & à doctis, & devotis laudatur.

Onera patrimonialia ſunt ſolvenda.

Primam, quia hujus legis univerſalitatem contrahit, limitatque *l.profeſſis 6.C.de munerib.patrimonior.lib.10.* ubi notat hæc verba. *Onera, quæ patrimonio tuo injunguntur, ſolus recuſare conaris; quod fruſtrà te facere, cæterorum exemplo poteris edoceri.*

Etiam tributa.

Secundam, quia eamdem generalem Medicorum immunitatem (immò & Philoſophorum, utriuſque enim ſemper ſunt privilegia communia *l.fin.C. eod.*) contrahit, & decircinat *l.omnes 4.C.de annonis, & tributis lib.10.* ubi nullus excluditur. Verba legis ſunt hæc. *Omnes penſitare debebunt, quæ manus noſtræ delegationibus adſcribuntur.* Conſonat *lex omnes 5.eod.tit.* ibi. *Omnes omninò ad oblationem functionũ publicarum oportet urgeri* & item *leg.C. de immunit.nemini concedend.* & Gloſſa celebris *in leg.1.C.de apoch public.lib.10. verb. deſcriptiones* ubi legitur. *Deſcriptiones, quas faciunt Principes cogentibus negotiis, unde illud exiit Edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis, & ſecundum hoc, quod ſubjicit per ſingulos ordines, dicitur per omnes homines, magnos & parvos, omnes enim debent ſolvere, & tributa omnes ſolvere coguntur.* Accedit *lex omnium 6.vectigal.*ibi.*Omnium rerum ac perſonarum in publicis functionibus æqua debet eſſe inſpectio.* Et quia leges Recopila-

De tributo impoſito à Cæſare Auguſto.

De deſcriptione & numeratione ſubditorum.

tionis, quas vocant, Cæſireas dilucidant, & ad compendium reducunt, operæ pretium erit illas recognoſcere, & inde aliquas lineas exſcribere. Lex igitur 1. *tit.* 18. *lib.* 9. habet. *Que ninguna perſona de qualquiera ley, eſtado, o condicion, que ſean, que no ſe eſcuſen de pagar las dichas alcavalas, por uſo, ni coſtumbre, aunq; ſea immemorial, ni por otra razon alguna; ni por cartas, ni privilegios, o albalaes, que tengan de los Señores Reyes, donde Nos venimos, o de qualquiera dellos, ni de Nos, aunque ſean confirmados de los Reyes, do venimos, o de nos; como dicho es, la nueſtra merced es, que todos paguen alcabala.* [Et hic interim nota illud verbum, *que nueſtra merced es*, Ergo triburorum ſolutio eſt favor, non quidem factus Principi, ſed populo: & cur? quia tributa non ad Principis, ſed ad populi utilitatem imponuntur.]

An tributa ſint favores, qui populo conceduntur?

Non ergo ſunt ad Principis utilitatem imponenda.

Hinc poterimus hanc Regulam generalem deducere. *Genus per ſpeciem limitatur.* Ergo, ſi una conſtitutione Petro omnia animalia, quæ ſunt in tali loco, cōceduntur, & alia apros omnes ſolius Principis eſſe dicuntur, cenſebo Petrum venari apros non poſſe, ſed privilegium ſuū genericum ſpecifica conſtitutione limitari. Hinc cum Medici privilegio generico ab omnibus oneribus eximantur, & poſteà conſtitutione ſpecifica jubeantur omnes ſubire talia vel talia onera, ſcitè Doctores etiam Medicos hæc ſpecifica onera ſubire debere decernunt. Ita Maſtrill. *deciſ.* 156. Amaja *in dictam legem omnes* 4. *à num.* 1.

Conſtitutio generica per ſpecificam contrahitur, & limitatur.

Cæteiùm non obſtante hoc legum loquentium in ſpecie rigore multi à tribus eximūtur. Sed quomodò? Non quidē per privilegia generica, hæc enim ſpecificas leges non derogant; ſed ab illis contrahuntur, & limitātur ut jam vidimus. Quo ergo modo? per individualia privilegia. quia ſicut per ſpeciem generi, ſic etiam ſpeciei per individuum derogatur *l. quidquid* 12. *C. de vectigal.* ibi. *Largitionalium titulorum vel pragmaticis, vel ſacris adnotationibus fuerit elicitum* dicta leg. 6. *eod. titul.* ibi. *Siquis ergo privatorum hujus modi reſcriptione utatur.* Conſonat *lex vacuatis reſcriptis Cod. de Decurionum lib.* 10. & etiam *lex* 33. *tit.* 18. *lib.* 9. *Recopil.* cujus verba ſunt hæc. *Por virtud de los dichos privilegios, que tienen, gozen y ſean libres de aqui adelante de alcabala de todo lo que vendieren.* Ecce individualiter exponitur exceptio; quia, ſi genericè poneretur, per ſpecificæ legis univerſalitatem derogaretur. Hoc ipſum *quia*, hoc eſt, hanc rationem & illationem nos docet *lex* 10. *titul.* 18. *par.* 4. his à Dialectico verbis bene conſiderandis. Y *por eſo diximos, que debe ſer nombrada la moneda ſeñaladamente, ſi el Rey le ficiere aquella merced, que le queria quitar della.* Et cur quæſo debet nominari ſigillatim, (*ſeñaladamente*) in individuo? Annon ſufficeret per generica verba privilegium concedere? minimè. Sed cur? *Porque maguer diga, que le quita de todo pecho, no ſe podria eſcuſar della, ſi ſeñaladamente no la nombraſſe.* Doctrina eſt digna ſcitu, quam dilucidant Bartolus *in legem omnes C. de aquaduct. libr.* 11. Tiraquellus *de retract. lib.* 1. §. 1. *qu.* 9. *nu.* 240. Ferret. *de gabellis qu.* 1. *nu.* 105. Petrus Gregorius *lib.* 3. *de Republ. cap.* 9. *num.* 21. Amaja *in leg.* 1. *C. de immunitate nemini concedend. lib.* 10. *nu.* 4. & 20. Azebedus *conſ.* 17. *num.* 12. & 13. Girond *de privil. p.* 1. *qu.* 1. *n.* 50. 51. & 52. Larrea *allegat.* 11.

Specifica per individualem.

Notetur hæc lex.

An immunitas & privilegium generale, quod ab omnibus oneribus eximit, eximat etiam à ſingulis?

EX alio capite, vocem univerſalem Omnes poſitam in lege *omnes* 3. *C. ſine cenſu, vel reliquiis fundum comparari non poſſe*, moraliter ſumi pronuncio. In textu lego. *Omnes pro his agris, quos poſſident, publicas penſitationes agnoſcant.* Infeſtes. Si omnes, ergo tam Provinciales, quàm Italici. Et tamen inquit Gloſſa. *Ex hac generalitate latantur Provinciales, quaſi Italica prædia, non ſolum Provincialia, dent tributa* &c. *Sed certè hoc in Provincialibus locis tantùm intelligitur, ſicut & cum dico,* Omnis homo diligit filium ſuum, *refertur ad habentēs filios, & illud*, Omnis homo vidit, quod ipſe videt, *refertur ad videntes* ſic, Omnis homo timet in mari, *ſubauditur, qui ibi ſunt. Item*, Mulier præfertur omnibus creditoribus, *verum eſt* (nempe, ſi agatur de creditoribus) *qualis eſt ipſa; id eſt, hypothecas tacitas, non autem expreſſas habentibus*: hi enim mulieri præferuntur. Et cur, ſic philoſophatur Gloſſa? reſpondet. *Abſit enim, quod dicamus Principem & Dominam Provinciarum Italiam eſſe ſub tributo, ſicut in lamentatione dicitur de Hieruſalem.*

Signum Omnes intelligitur, non de univerſis omninò, ſed de omnibus illis, de quibus agitur.

An, & quibus uxor creditoribus ſit præferenda?

SECTIO IV.

An Adjectiva denominent totum ſubjectum?

ADjectiva dicunt formam, quæ ſubjectum denominat: ſed quando ponuntur abſolutè, non cenſentur ſubjectum totum denominare, ſed partem denominationis recipiendę capacem. Pono exemplum. *Enſis Cæſareus* dicitur, qui Cæſaris eſt: & quia totus eſt Cæſaris, totus ab adjectivo denominatur. At *Enſis auratus* di-

Enſis deauratus dicitur, licèt totus deauratus non ſit,

Digitized by Google

dicitur, (Hiſp. *Eſpada dorada*) qui habet manubrium auratum (Hiſp. *la guarnicion*) licet enim non repugnet totum enſem deaurari, folium (Hiſp. *la oja*) formatur ex calybe, & deaurari non ſolet.

An mendacium officioſum ſit bonum?

Hinc patet, quomodo intelligendi ſint nonnulli Veteres, qui mendacium officioſum laudatunt. Nonnulli *Exod.* 1. c. 15. legunt has lineas. *Dixit autem Rex Ægypti obſtetricibus Hebræorum &c. Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus advenerit, ſi maſculus fuerit, interficite eum: ſi fœmina, reſervate. Timuerunt autem obſtetrices Deum; & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti, ſed conſervabant mares. Quibus accerſitis ad ſe Rex ait. Quidnam eſt hoc, quod facere voluiſtis, ut pueros ſervaretis? Quæ reſponderunt: Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres; ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquā veniamus ad eas pariunt. Bene ergo fecit Deus obſtetricibus.* Et argumentantur ſic. Deus bene obſtetricibus fecit propter officiolum mendacium: ergo illud erat bonum in conſpectu Domini. Reſpondeo duo feciſſe obſtetrices, alterum infantes ſervare, alterum mentiri. Illud prius fuit actus generoſæ pietatis, voluerunt enim potiùs obedire Deo, quàm Pharaoni: hoc poſterius fuit peccatum. Bene fecit ergo Deus obſtetricibus, non quia mentitæ ſunt: ſed quia noluerunt interimere infantes. Quod ſi aliquando veteres hoc ipſum mendacium laudaverint, non ſunt cenſendi totum voluiſſe. *Pium fuit obſtetricum mendacium*, nempè, quando mendaciū denominati à pietate, ſed tantummodò illam formalitatem, quæ erat capax: quoniam illud duas continet; nam contra mentem eſt, & prodeſt proximo. Loqui contra mentem eſt malum, ſed proximo prodeſſe bonum, & quando *pium* vocatur, non malitiam, ſed bonitatem aſficit denominatio. Cæterùm, ſiquis auderet dicere officioſum mendacium eſſe bonum totaliter, ab hæreſi excuſari non poſſet.

An mentientibus Deus bene fecerit?

In actione, quæ ſimul bona & mala eſt, bonitati præmium, & malitiæ ſupplicium correſpondat.

An mendaciū poſſit vocari pium?

An omnia pertineant ad fiſcum, quando omnia bona publicantur?

Sic ſimiliter, ſi Petrus condemnetur laqueo, & omnia ejus bona publicentur, & adjudicentur Reipublicæ, non obſtante ſententiæ univerſalitate veſtes erunt carnificis, quia ex conſuetudine præſcripta illas retinet in Hiſpania & Italia. Ergo univerſalem denominationem limitat, & decernat ratio ſpecialis; non enim neceſſarium eſt expreſsè à regula generali illa excipere, quæ eximit ratio particularis.

SECTIO V.

An Syncategorema Omnes, *aliquando ſit idem*, ac Plures?

Aliquas D. Hieronymus univerſales Poſitiones ita exponit. In Epiſtola ad Damaſum Pontificem Maximum, quem Madritenſem fuiſſe Hiſtoriographi diligentes ſcribunt, explicat illud, *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea, tua ſunt*. & ſic inſit. Per Omnia *intelligimus Legem, Prophetas, Eloquia Divina, hæc enim eis dedit, ut in iis meditarentur die ac nocte.* & inferiùs. *Secundum eam modū, quem ſæpè expoſuimus Scripturarum*, Omnia *non ad totum referenda eſſe, ſed ad partem majorem.* Ergo teſte D. Hieronymo *Omnes* interdum dicuntur, qui plures. Luc. 15.

Quid in Sacra Pagina ſonet vox Omnia?

Aliquos locos producit S. Doctor, alios adjungunt alii, quos omnes recognuſcere libet.

Pſalm. XIII. *Omnes declinaverunt*. Dicuntur omnes declinaſſe, quia plures peccarunt. Sed hanc interpretationem deſtruit ipſe contextus: quoniam Rex Propheta ſic inquit. *Omnes declinaverunt; ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Ergo, ſi ne unum quidem excipi patitur, non agit de pluribus David, ſed de univerſis, ſumens vocem *omnes* in ſignificatione in ſummo rigore univerſali. Et quidem hoc ſenſu Davidis verba vera ſunt, agit enim de hominibus, qui ſe præceſſerant; nam licèt aliqui in Domino obierint, omnes fuerant, nemine dempto, in peccato originali concepti; & omnes, nemine dempto, commiſerant culpas veniales.

Quo ſenſu omnes incriminentur David?

An accuſet Deiparam?

Temporum cōverſio apud Prophetas.

Apud Prophetas tempora convertuntur, ſæpè enim futurum pro præterito, & præteritum pro futuro uſurpatur. Ergo, ſi de hominibus futuris agere Regius Vates dicatur, verborum univerſalitas moralis eſt: ut enim nihil de Chriſto dicam, qui non fuit purus homo, Angelorum Regina, quia nec originariâ, nec actuali labe maculata fuit, non eſt dicenda declinaſſe, & inutilis facta, *&c.* [Solent hîc Concionatores rhetoricari: dixit enim Propheta, *non eſt uſque ad unum*: non autem dixit *uſque ad unam*; quoniam una (unica) Virgo mater erat, quæ nullum fuerat admiſſura peccatum. Aio hanc eſſe pulchram obſervationem pro concione; non autem pro ſcholâ, quia ſub maſculino etiam clauditur fœmina: unde filiorū nomine intelligitur filia. *leg.* 16. *D. de teſt. tut.* & *leg.* 122. *de verb. ſignif.*]

Cur David dixerit, Non eſt uſque ad unū.

In maſc. gen. clauditur fœmin.

Quomodo Paulus fuerit omnibus omnia?

Paulus primæ ad Corinthios nono dicit. *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrifacerem*. Sed neque hic vox *Omnia* idem ſonat ac *Plura*. Senſum dabit hoc Diſtichum.

Regis in Auguſtâ qui non ſe accommodat aulâ
Omnibus ingeniis, non habet ingenium.

In omni communitate & loco ſanctè differunt ſingularitate.

Fiebat igitur omnibus omnia Paulus, quiâ lugebat cum lugentibus, ridebat cum ridentibus, jejunabat cum jejunantibus, bibebat cum bibenribus, comedebat eum comedentibus, &c. ſervata in omnibus modeſtiâ, honeſtate, & prudentiâ. Vnde Apoſtoli verba hac dilueidantur periphraſi, *Omnia licita & honeſta, quæ faciebant illi omnes, quibus cum egi, feci & ego, ne illos auſteritate & ſeveritate terrerem, ſed me ſuis moribus attemperando, omnes lucrarer Deo.* Aves concolores ſimul volitant: & pares cum paribus f.ci'limè congregantur. Moroſum fugiunt hilares, & hilarem moroſi negligunt aut deſpiciunt. Ergo, ut communis amicitiæ vinculum ſanctè obſervetur, opus eſt, ut omnes eiſdem legibus vivant, & eiſdem moribus præditi ſint.

Eiſdem moribus ornari illos oportet, qui ſimul vivunt.

Hinc S. Benedictus, tot in Monaſterio habere Paulos deſiderans, quot Monachos, ut omnem ſingularitarem, quâ Spiritus novitii ſolent laborare, proſcriberet, pronunciavit, *Octavum Humilitatis gradum eſſe, ſi nihil agat Monachus, niſi quod communis Monaſterii Regula, & Majorum cohortantur exempla*. Ita in Reg. cap. 7.

An omnia petentibus concedat Deus?

Apud Mateum c. 21. inquit Chriſtus, *Omnia, quæ orantes petitis, fient vobis.* Sed neque hîc illa vox *Omnia*, ſignificat idem ac *plura*. Chriſtiani orare debemus Chriſtianè: & Chriſtianè oranr, qui præceptis ſalutaribus moniti & Divinâ inſtitutione formati, cùm aliquid à Deo poſtulant, dicunt,

Quomodo orandum ſit?

Fiat voluntas tua: & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Ergo tu, cùm ad talem dignitatem promoveri deſideras, & tua negotia Deo commendas, & dicis, *Concede mihi Deus, ut talis mihi dignitas conferatur*. conſidera bene tua verba, & Chriſtum fidelem & veracem reperies. Quo ſenſu loqueris? Achtiſtiano fortaſſis? Nihil tibi promiſit Chriſtus: non ergo eſt, cur conqueraris, ſi votis tuis non reſpondeat eventus. Chriſtiano-ne? Ergo otatio illa tua hunc ſenſum reddit. *Adſum quidem ad talem ego dignitatem deſidero; ut verò neſcio, tu ſcis, an hæc promotio mihi ſit tentationi futura, aut etiam nociva vel mala: ſi alterutrum, ne me in tentationem inducas, ſed me potiùs libera à malo periculi aut lapſus. Niſi ad me venias regnũ tuum (gratia) ad regnum tuum (gloriam) pervenire non potero. Ergo, ſi per hanc viam non decreviſti mihi dare gratiam, ſed per aliam; me, quò velis, conducas; oro enim, ut tua fiat voluntas, nihil aliud.* Libello huic ſupplici promiſit Chriſtus clemenriſſimam expeditionem.

An, & quomodo Chriſtus omnia adtrahat?

Apud S. Ioannem *cap.* 12. etiam ait Chriſtus, *Omnia traham ad me ipſum*. At nec lapides, nec ligna, nec irrationales animas trahit, nec rationales omnes, multæ enim remanent in peccato: ergo illud *Omnia*, non jam *Plura*, ſed *Pauciora* denotare viderur. Sed non. Cùm ad crucem Chriſtus aſſumptus fuit, omnia ad ſe traxit. Iuſtos ad ſe homines gratiarum efficaciâ attraxit; quantum ex ſe fuir, peccatores auxiliorum ſufficientiâ adlexit: quod, ſi non venerint, ſibi imputent, non verò clementiæ adlicientis.

An & quomodo creatura irrationales & inſenſibiles ordinentur ad Deũ

Omnes aliæ creaturæ propter hominem factæ, ut illis beoe utendo homo ad Deum veniret: ergo & ipſe ordinantur ad Deum, quando homo illis uſurus & non abuſutus ordinatur.

Quid ſit prædicare evangelium omni creaturæ?

Apoſtolos Chriſtus Dominus *Marc.* 16. ad omnes mundi plagas mittit, dicitque. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Sed neque hîc idem eſt *creaturas omnes* dicere, ac *plures*. Primò, quia, ſi *Creaturæ* nomine quidquid ereatum eſt intelligeretur, homines pauciores ſunt, quàm alia corpora :.ergo *omnium* nomine, non jam *plures* intelligere deberemus, ſed *pauciores*. Secundò, quia per antonomaſiam *creatura* ſumitur pro homine: & rationem reddit S. Gregorius *homil.* 29. *in evang.* dicens, *Habere hominem eſſe commune cũ lapidibus, vivere cum plantis, ſentire cum animantibus, & intelligere cum Angelis, & hanc ob rem Evangelium omni prædicari creaturæ, quando ſoli homini prædicatur.* Tertiò, quia ne quidẽ univerſis hominibus Evangelium prædicatum ab Apoſtolis eſt, & tamen illi non dicuntur hoc præceptum violaſſe. Ergo illud *omnis* non includebat homines mortuos, aut nondum natos: ſed neque ob ætatem vel morbum rationis impotes, quia hi non erant Fidei ſuſcipiendæ capaces: includebat igitur gentes omnes & populos, ad quos pervenirent Apoſtoli.

An Apoſtoli evangelium prædicaverint omnibus?

Ergo idem fuit dicere, *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, ac dicere, *Prædicate Evangelium omnibus gentibus & populis, ad quos veneritis*. Ad Samojedas enim, Grotlandias & Septentrioni ſubditas gentes, ſicut nec ad plagas circulo Antarctico incluſas Apoſtolos perveniſſe non legimus. At,

quia

quis Apoſtolorum diſcipuli ſucceſſu temporum Evangelii lumine totum illuminant, accommodatior ſenſus eſt, *Aut per vos, aut per veſtros diſcipulos, & ſucceſſores omnibus totius mundi gentibus & populis Sanctum Evangelium prædicate.*

SECTIO VI.

An ſciri poſſit, cui exceptioni ſubjaceat Propoſitio moraliter Univerſalis?

Quæſtio exponitur.

VNum ſupponit, & alterum inquirit Titulus. Supponit quidem in hujuſmodi Propoſitionibus prędicatum non omni convenire ſubjecto; & inquirit, quo modo cognoſcere poſſimus ſubjectum, de quo non verificatur prædicatum?

Modus leges interpretandi.

Conſiderandæ ſunt circumſtantiæ omnes, qui enim univerſaliter affirmat, cenſendus eſt excipere illum caſum, de quo negaret, ſi in ſpecie conſuleretur. Non enim verbis præpediri debemus, quando de loquentis intentione, & voluntate cõſtiterit *leg. Quamvis* 11. *D. de in jus vocãdo* ibi. *Licèt Edicti verba non patiuntur* cui conſonat *lex Scire oportet* 13 § *aliud verſ. ſed enim D. de excuſ. tut.* ibi. *Sed etſi maximè verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult.* Vide etiam *legem* 3. §. *Hac conditio D. de ademen. legat.* ibi. *Sed meliùs eſt ſenſum magis, quàm verba complecti.* [Et hic obiter nota illud *melius* non ſumi comparativè, ſed adverſativè cõplecti enim verba materialia contra proferentis intentionem non eſt bonum, ſed malum.]

Melius pro Bono.

Huic inſiſtit doctrinæ *lex Obligatione 6. D. de pignor. & hypothec.* cujus verba ſubjungo. *Obligatione generali rerum, quas quis habeat, habiturus-ve ſit, ea non continebuntur, quæ veroſimile eſt quemquam ſpecialiter obligaturum non fuiſſe, ut puta ſupellex, item veſtis relinquenda eſt debitori, & ex mancipiis, quæ in eo uſu habebit, ut certum ſit eum pignori daturum non fuiſſe, proinde de miniſteriis ejus per quam ei neceſſariis, vel quæ ad affectionem ejus pertinent.*

An in obligatione generali, in qua obligantur omnia, ſingula obligentur?

Generalis diſpoſitionis expoſitio.

IN generali diſpoſitione teſtantis non includuntur hi, qui præſumuntur ſpecialiter excluſi. Ita ratio ſuadet, & tradit Romanus *conſ. 438. nu. 6.* Iaſon. *in lege Doli clauſula num. 1. D. de verb. oblig.* ibi. *Id quod ſpecialiter excluditur, ſub generali ſermone non concludatur.* Favet Gloſſa *in l. ſi quis D. ad Trebell. verb. ſpecialiter* ibi. *Si quis aliquid relictum in primo teſtamento ſpecialiter adimit, & in ſecundo teſtamento confirmat generaliter ſcripta in primo, talis confirmatio non includit, quod ſpecialiter ademptum eſt.* Res eſt manifeſta. Nam, ſi in primo teſtamento omne argentum Titius Semphronio relinquit excepto informi: ſi in ſecundo teſtamento omne argentum juxta primi diſpoſitionem relinquat; ſemper intelligeretur illa exceptio, nec erit unde Semphronius argentum infectum prætendat. Bartolus *in Gloſſa legis. Siquis priore*; aſſerit conſequenter, quod generalis Statutorum Confirmatio non comprehendit ſpecialiter abrogata. Conſonat Surdus *conſ. 58. n. 16. lib. 1.*

An includat ſingulos?

Generalis ſtatutorum aut etiam Privilegiorum confirmatio ea, quæ ſunt abrogata, non confirmat.

Hinc lux caſui ſequenti. [Siquidemus (ſervorum nomina ſunt, quæ ab adverbiis deducta: interdum enim veteres, ut ſuam in mancipia, & idioma authoritatem demonſtrarent, illud vocabant *Breviter*, hoc *Siquidem*, & iſtud *Atrociter*.) Siquidemus igitur, in odio erat ſui domini, qui in teſtamento omnes ſervos libertate donarat: & ſe manumiſſum aſſeverabat: contra negabat hæres: non enim videbatur veroſimile voluiſſe Clodium (hoc defuncto ſit nomen) tanto favore, & beneficio proſequi inimicum, de cujus cruce cogitabat.] Quid ex Iure dicendum?

Servorum ſunt nomina ab adverbiis deſumpta, & cur?

Omitto alias hujus generalis manumiſſionis circumſtantias, quæ poſſent, & deberent perpendi; nam moribundi ſolent erga ſervos nimis eſſe clementes, & ideò prudentiſſimi Cæſares multis legibus ſervos dimittendi in teſtamẽto authoritatem & poteſtatem limitarunt. [Huc reſpexit Lex Furia, quam *Suſſiam*, vel *Fuſiam*, *Caninam* appellant. Eam improbat Alexander Scotus *in utriuſque Iuris Vocabulario* his verbis; *Dicitur* Canina *fortè ab aliqua inducta, quæ* Canis *vocabatur: nam canis naturam ſervat, qui ſtat in palea, quam nec ſibi habere poteſt, nec alii favet, ut ſit conſonans rei nomen.* Inſtit. de don. §. eſt & aliud: *Talis ergo moriebatur tanquam canis, qui non poterat tenere ſervos, nec libertatem patiebatur eis dari.* Inſtit. de leg. Fuſ. Can. col. in gl. 1.] Nos autem uberioris doctrinæ gratia ſupponamus, Teſtamentum valere, & potuiſſe Clodium omnes ſuos ſervos manumittere. Et in hac hypotheſi quæritur, An Siquidemus in manumiſſione generali includatur?

Dimittendi ſervos authoritas à Iure limitatur.

Adagium Hiſpanic. El perro del Hortelano, que ni come las verzas, ni quiere, que otro las coma.

Reſpondent Doctores ſervum infenſũ, & odioſum teſtatori non includi in generali manumiſſione: & ratio eſt, quia illum moribundus excluderet, ſi de illo ſpecialiter interrogaretur *l. Lucius Titius* §. *Lucius Titius D. de legat. 2. l. Teſtamento Centurio D. de manumiſſ. teſtam.* Alexander *conſ. 231. nu. 4. libr. 6.* Molin. *de primogenit. lib. 1. cap. 9. num. 12.* Socein. *conſ. 37. num. 6. lib. 3.* & latè Surdus *deciſ. 41. l. Cohæredi* §. *qui pater D. de vulgar.*

An Siquidemus ſit manumiſſus?

Sed

Conſideranda ſunt omnes circumſtantia.

Sed hic monendi veniunt Iudices, ne ſtatim hæredi adquieſcant, nam dum ipſe generali teſtamenti diſpoſitioni ſe opponit, dicens, *Hoc, vel illud fuiſſet defunctus à generali legatione excepturus, ſi ſpecialiter interrogaretur*: poterit Legatarius contrà dicere, *Hoc, vel illud expreſsè excluſiſſet defunctus, niſi in generali diſpoſitione voluiſſet includi*. Conſiderandæ veniunt circumſtantiæ; & maximè, an potuerit defunctus non meminiſſe rei, aut ſervi, de quo agitur: quia, ſi meminit, & tamen non excluſit. Et quidem, ſi ſervi eſſent centum vel plures, & ipſi abſentes, &c. fortè poſſet hæres audiri; at, ſi eſsent pauci (puta decem, pauciores-ve) & ipſi præſentes, non eſt veroſimile non excluſiſse à generali manumiſſione Siquidemum, ſi eumdem vellet non manumittere.

Aliqua debent non intelligi, niſi exprimantur.

PRæterea in generali conceſſione, aut revocatione, aut juſſione non includuntur tacitè illa, quæ neceſſariò poſtulant expreſſionem. Sunt perſonæ privilegio ſuffultæ, quæ non poſſunt in generali legum diſpoſitione comprehendi, niſi nominatim ponantur. Tales eſſe Cardinales aſſerit Diana, qui Conſtitutionibus pœnalibus non continentur *par.5. tr. 2. reſol.16.* & *par.7.tr.5.reſol.7.* & non obſtringuntur regulis Cancellariæ *par.5. tr. 2. reſol.17.* nec ſuſpenſionis aut interdicti ſententiis *p.2.tr.2.reſol.46.* ſed neque lege Canonis de non habendis pluribus beneficiis *p.5.tract.2.reſol.41.* &c. Sunt & privilegia, quæ non poſſunt revocari clauſulis generalibus, qualia ſunt multa conceſſa Ordini Benedictino: de quibus doctè diſputat Virginius Alviſet Biſontinus *in Murenulis ſect.1.§.VI. de clauſula*, Non obſtantibus *num.8.* & citat caput *Sicut Romana* 1. & caput *Cum ordinem de reſcript.* necnon Tamburinum *tom.1. de jure Abbat.diſp.18. qu.16.* cui etiam favet Panormitanus *in cap.ex conqueſtione de reſt.ſpol.* Porrò caput *Cum ordinem*, eſt ab Alexandro III. conſtitutum, & concedit, ne Ciſtertienſium privilegia revocentur per generales clauſulas, niſi de illis ſpecialis fiat mentio. Gloſſa hanc doctrinam ad Templarios & Hoſpitalarios, qui ſimile habent privilegium extendit *ex cap. ex parte de decim.* Et pro generali doctrina proderit videre *cap.1.lib.2.tit.51. de capitan.qui in curiam* ibi. *Reſpondetur illud beneficium in venditione non contineri, niſi expreſsè de eo actum fuerit.* Vide etiam *legem qui peculii 47. D.de peculio.* Manticam *de tacitis & ambig.conventionib.lib.4.titul. 9.num.27.* nec non *caput, Quoad tranſlationem de offic. & poteſt. Iudicis deleg.* ubi, *Generalis tranſlatio honorum non extenditur ad ea, quæ ſpecialem requirunt conceſſionem.* Vide etiam *l.Si de certa C.de tranſ. leg. Emptor §. Lucius D. de pactis leg. Doli clauſula 119. D.de verb.obligation.*

Benedictinorū privilegia quomodo debeant revocari?

Quomodo privilegia Ciſtertienſium, Templariorum, Hoſpitalariorum, &c.

Ergo vel hinc cognoſcitur, quinam debeant ab univerſali diſpoſitione excludi.

Quid ſignificent ornamenta omnia?

DAT lucem dictis *lex, Heres meus 98.§. Vxori meæ D. de legib.3.* ubi hoc legitur cujuſdam teſtamenti fragmentum. *Ornamenta omnia, mundum, aurum, argentum, quod ejus cauſa paratum ſit, omne do, lego*, &c. Ecce ornamenta omnia, latiſſimam habent ſignificationem. Ornantur tempe fontibus & ſtatuis, aulæ periſtromatis, equi phaleris &c. Ergo, ſi omnia ornamenta dantur, leganturque, omnia hæc pertinent ad uxorem defuncti. Sed non, inquit Trebatius, ſed illa ſola ornamenta, quæ dicimus mundum muliebrem: [nec iſta omnia, ſi habuit filiam teſtator, nam ornamenta filiæ, non eſſent uxori legata.] Sed unde illam vocem generalem Iuriſconſultus limitat? ex illis verbis, *quod ejus cauſa factum paratum eſt* non ergo legat ornamenta, quæ uxoris ornandæ cauſa, nec facta, nec parata ſunt.

Quid marmor importet? an marmoreas ſtatuas?

Conſonat ſibi §.1. *ejuſdem textus* hunc caſum ponens. Quidam Titio duas ſtatuas, & poſteà omne marmor legavit: & quia aliæ erant ſtatuæ quæritur, an cæteræ ſtatuæ ſint eidem Titio legatæ? Ratio dubitandi eſt; quia illæ erant marmoreæ, illas ergo legavit, qui omne marmor. Reſpondeo cęteras ſtatuas non fuiſſe legatas, primò, quia ſtatuæ marmoreæ non vocantur marmor, nec ligneæ lignum. Quid ſi vocentur? Reſpondeo cæteras non eſſe legatas, quia, ut benè obſervavit Trebatius, teſtator marmoris nomine informe intellexit: nam, ſi hoc ille nomine tam informe, quam formatum intellexiſſet, fruſtrà duas ſtatuas legaſſet, ſufficeret enim omne marmor legare. Ergo ſtatuas ille à marmore diſtinguebat. Ergo marmoris nomine intellexit informe.

In generali diſpoſitione caſus fortuiti nō claudantur.

CAſus fortuiti, & inopinati ſemper à generali diſpoſitione eximuntur, quoniam prævideri non poſſunt *l. fiſtulas 78. §.frumenta D. de contrahend. emption.* ibi. *Cum ſint accidentalia inſolita, & non conſueta; quapropter non comprehenduntur ſub diſpoſitione, quantumvis generali.* Conſonat *lex Seia.10.§. Medico D.de annuis legatis lex ex conducto 15.§.Si vis 2. D.locati cap.propter ſterilitatem 3.de locat.* & favent Baldus *conſ.145.lib.4.* Iaſon. *in l.ſed & ſi*

quis

quis §.*quaſitum num*.4. *D. ſiquis cautionib.* Rip.*in l.ſi ex toto D.de leg.*1. *& in Tract.de peſte port.*2.Gail. *obſ.*13. *&* 18. Ergo ſemper in diſpoſitione univerſali caſus fortuiti & rarò contingentes intelliguntur excepti.

Quid ſiquis renunciet favore & temperamento, quod in fortuitis caſibus adhibet æquitas?

Sed quid, ſi aliquis caſibus fortuitis renunciet? Etſi aliquis quibuſcumque verbis caſibus fortuitis renunciet, eſt expediti Iuris hac renunciatione, tametſi generali & univerſali caſus fortuitos inſolitos, & rarò contingentes non comprehendi. Ita Pincll. *in leg.* 2. *C. de reſcind. vendit.part.*1.*cap*.3. *nu*.26. Antonius Gomez *tom*.2.*var.cap*.3 *num*.29.Velaſcus *de jure emphyt.q*.27.Ceballus *commun.contra commun.qu*.702.Caſtillus *lib*.3.*controverſ. cap*.3.Morla *in Emporio Iuris titul. de locato.qu.* 1.*num*.10. & omnes Doctores communiter *in l fiſtulas.*

Duo caſuum fortuitorum ſunt genera: alii enim prævideri & probabiliter timeri ſolent, alii non ſolent.

Dices, ergo nibil prodeſt, aut nocet caſuum fortuitorum renunciatio. Sed ego nego conſequentiam: quia ſunt duo illorum genera: nam alia infortunia probabiliter timeri poſſunt, alia extra omnem probabilis timoris aleam poſita ſunt. Locaſti apud Neapolim agrum, & caſibus fortuitis renuncians obtuliſti annuatim aureos centum. Annus iſte eſt ſterilior ſolito. Habe patientiam, & ſolve: ignorare enim non poteras temporum inæqualitatem, & renunciaſti jure, quod ex hoc capite poteras promovere. At arſit Veſuvius, & inundante ſulphure combuſſit ſegetes. Hoc non potuiſti prævidere, nec probabiliter timere; & ideò huic caſui fortuito non renunciaſti.

Plures, Pauciores.

Quid ſignificet ſyncategorema Plures?

Syncategorema *Plures*, ſignificat majorem partem: nam hæ duæ poſitiones, *Plures homines currunt*, & *Major pars hominum currit*, ſunt æquipollentes. Authores alterutro modo loquuntur. Antonius Faber *in Rationalib. tom*.1.*lib*.1.*tit*. 1.*ad legem* 2.ſic ait. *Quæ ad privatum jus pertinent, majori ex parte ſunt Iuris recepti, pendentque ex Principiis Iuris* potuit enim dicere, *ex his, quæ ad privatum Ius pertinent, plura ſunt Iuris recepti*. &c.

Cur immiſſio in poſſeſſionem delegandà non ſit?

Porrò vox *Plures*, ſi negativè ſumatur, includit *Pauciores* tanquam correlativum: idem enim eſt dicere, *Plures homines ſunt ignobiles*, ac dicere, *Plures homines ſunt ignobiles & pauciores ſunt nobiles*. Miratur Paul.de Caſt.(Decio & Cagnolo teſtibus) actualis immiſſionis in poſſeſſionem, prohibitam delegationem eſſe, cum nulla cauſæ requiratur cognitio: & tamen cognitio de immittendo in poſſeſſionem poſſit delegari *l.pen.*§. *ut bonorum ff.de off. ejus* Satisfacit Hier.Cagn. *tom*.3. *pag*.679. *b. nu* 4.dicens. [Reſponde ex dictis Aquen. *in l.*2 *ff.de juriſd.omn.judic. & in l. nubere cavere eodem titulo*, ubi etiam Iaſon.Cur. & Dec. *in dicto* §. *ut bonorum*, idcircò miſſionem in poſſeſſionem non poſſe delegari, quia in tali actu miſſionis in poſſeſſionem ſcandala oriri *plerumque* conſueverunt. Propterea conſideravit Legislator, quod majoribus Magiſtratibus talem immiſſionem facientibus patienter *magis* adquieſcent hi, contra quos fit immiſſio, quam ſi per delegatos & pedaneos Iudices fieret: unde ad evitandum ſcandala noluit Lex actualem immiſſionem demandari poſſe, licet ceſſante ratione ſcandali cognitio delegari poſſit.] Ergo, ut mentem Legislatoris aſſequaris illud *plerumque*, illud *magis*, conſidera: & ſequentem ſyllogiſmum perpende.

An ſemper ſcandala timeri debeant?

Etiam injuſtus poſſeſſor ſpoliatur invitus.

PLACIDI.

- *Pleriqne omnes, qui bonis injuſte poſſeſſis ſpoliantur inviti, ſolent ſe opponere, & concitare ſcandala.*
- *Sed illi, contra quos immiſſio fit, bonis injuſtè poſſeſſis ſpoliantur inviti.*
- *Ergo probabilius eſt, quod illi ſe opponent, & concitabunt ſcandala, ſi poſſint.*
- *Ergo authoritate publica providendum erit, ne poſſint.*
- *Ergo, quia ſubditos in delegatum fortè auſuros, majoris Iudicis coercet, & componit authoritas, non delegetur immiſſio, ſed per ipſum Iudicem ſuperiorem fiat.*

De differentia Nuncii & Delegati.

Nota tamen pro praxi, conſiderandam eſſe Nuncii & Delegati differentiam: nam Decius vult ejusmodi immiſſionem poſſe fieri per Nuncium, quia repræſentat perſonam mandantis, & verba concipit in perſonâ committentis, quod non facit delegatus, ut inquit Rimin *in l.* 1. *ff. de juriſd. omn. judic.* Porrò Nuncius eſt famulus, qui Prætoris mandatum intimat, & notificat (nos *Curſorem* vocamus) ipſe autem nihil præcipit: at verò Delegatus ex authoritate à Prætore receptâ operatur. Interim, quia diverſi ſunt regionum mores, ſtandum eſt conſuetudini; nam ubi ſubditi ſunt morigerati, aut delegatus habet militare præſidium, ſcandala evenire non ſolent.

Quid Nuncius ſit?

Adverbium Plerumque. *Quid agendũ, quando Iura ſunt dubia?*

HVC pertinet *lex* 115. *ff.de reg.jur.* ubi prudentiſſimè Paulus.

In obſcuris inſpici ſolet, quod veriſimilius eſt: aut quod plerumque fieri ſolet.

Veriſimilius eſt quod probabilius: & communis dicitur, quod plerumque fieri

ſolet

olet. Ergo in obſcuris, ut prudenter diſcurrant Iudices, aſſumant illud, quod plerumque contingit, & inferent veriſimiliorem & probabiliorem concluſionem.

An, & quando homines obligentur ad alteram probabilitatis partem?

Sed cur dicit *ſolet* Iuriſconſultus? cur non *debet*? Quia Paulus ſecundum æquitatem & Ius naturale loquebatur, ab omni Humano praſcindens. Nam ſtando Iuri naturæ ſolent homines ſequi probabiliores opiniones; non autem debent; ſatisfaciunt enim prudentiæ & conſcientiæ minùs probabili opinioni adhærendo. Vnde in caſu ſimili contra Bartolum Hieronymus Cagnolus *tom.* 3. *pag.* 241. *b. num.* 13. dicit. [Placet illa reſponſio, quod prædicta verba poſita fuerint gratiâ frequentioris usùs; ideò non excludunt caſum minùs frequentem.] Interim acceptatio legum contractus eſt inter Principem & ſubditos initus, vi cujus ſicut iſti legibus obedire tenentur, ſic ille debet ſecundum has leges judicare: unde teſtamentum, quod Madriti fuit conditum, & ſecundum leges patrias acceptatas eſt validum: non poterit illud Princeps declarare invalidum, quia vult, aut quia non conſonat juribus aliorum populorũ: nam teſtator adquiſivit jus, ut juxta leges patrias de ſuis bonis diſponeret; & hæres, & legatarii, ut ſimiliter juxta leges patrias à defuncto juventur.

An acceptatio legum ſit contractus, & quid ille importet?

Cur Imperatores dicantur clementiſſimi?

COnſonat *lex* 153. *ff. de reg. jur.* in qua Marcellus ait.

In re dubia benigniorem interpretationem ſequi, non minus juſtius, quàm tutius eſt.

Hæc lex non ſolùm Politicè, ſed etiam Theologicè eſt vera. *Clementiſſimi* Imperatores volunt dici: ergo & volunt videri: ergo in re dubia nihil magis conſonum eorumdem voluntati, quam quod clementius. Ergo id juſtius & tutius. Hinc lata eſt lex. *Favorabiliores rei potius, quam actores habentor.* Eſt clementia plena, & ex Cajo deſumpta: habeturque *l.* 168. *ff. de reg. jur.* Eodem modo de Regum Rege & Domino dominantium philoſophandũ eſt. *Iugum meum ſuave eſt, & onus leve,* Ipſemet dixit. Eſt infinitè clemens. Ergo in re dubia, ſi duæ interpretationes occurrant, quarum altera aſpera, dura, inclemens; altera ſuavis, benigna, clemens: hæc ſecunda erit Divinæ voluntati conformior: adeoq; tutior, juſtiorque.

An ſententia ſit eligenda benignior?

Adverbium Fere ſemper.

Huc etiam ſpectat Livii authoritas, qui *libr.* 5. utitur adverbio *fere ſemper*. Vult oſtendere populi mores à Principis vita (proba aut improba) dependere, & ait. *Multitudo ſemper fere Regenti eſt ſimilis.* Illud *fere* univerſalitatem adverbii *ſemper* contrahit & modificat, ut ſenſus ſit, *Fere omnes ſubditi Superioris ſunt ſimiles*; quæ Poſitio moraliter univerſalis non tollit, quod ſub impio Principe aliqui boni ſubditi, & ſub pio aliqui mali reperiantur.

An Principi vaſalli ſint ſimiles?

INquiris, *An ſyllogiſmus, cujus major eſt vehementior, & ſigno* Plures *afficitur, evidenter inferas concluſionem.*

Quantum ſit ſyllogiſmi in Placido efficacia?

Reſpondeo illum concluſionem affectã modo Probabilioritatis evidenter inferre: & præciſam à modo inferre probabiliùs: ut ſi dicas:

Plures Cretenſes ſunt mendaces.
Cajus eſt Cretenſis.
Ergo veriſimilius eſt, quod ſit mendax.

Aut etiam ſic, præciſo modo.

Plures Sardi ſunt fundibularii.
Obrius eſt Sardus.
Ergo & fundibularius.

Ajo primam conſequentiam evidenter, & ſecundam probabiliùs deduci: hæc enim eſt modorum conditio, ut, ſi exprimantur, reddant evidentes propoſitiones. Nam hæc *Cras pluet*, eſt contingens; at hæc, *Contingens eſt, ut cras pluat*, infallibilis, & evidens eſt.

NOTA I.

An vox Plures interdum abſolutè ſumatur?

VOX *Plures* ſumitur relativè: at aliquando Authores eam ſumunt abſolutè: ſed tunc quot requiruntur, ut verificetur aſſertio? Audi Paulum *lib.* 14. *ad Sabinum*, cujus verba fecit ſua Iuſtinianus *leg. Ius pluribus.* 11. *D. de juſt. & jur.* ait enim. *Ius pluribus modis dicitur.* Ecce primò, vox illa *pluribus* abſoluta eſt, nec enim ad pauciores refertur. Et poſteà duo tantùm Iura (Naturale, & Civile) numerantur: Ergo ad mentem Pauli & Iuſtiniani duo poſſunt vocari plures. At uſus prævaluit, ut *plures* non dicantur iam duo, ſed duobus plures.

Quid tunc ſignificet?

An vox Complures *ſit comparativa?*

Vox *Complures* non eſt comparativa. Conſtat ex Pomponio *libr. ſingul. Enchirid.* (*leg.* 2. §. *Poſt hos. D. de orig. Iuris.*) dicente. *Tubero doctiſſimus quidem habitus eſt Iuris publici & privati: & complures* (hoc eſt, multos) *utriuſqe operis libros reliquit; Sermone tamen antiquo uſus adfectavit ſcribere, ideò parum libri ejus grati habentur.*

NOTA II.

Quid ſignificet vox Pleri*que?*

PLerique aut ſunt plures, aut pluribus plures. Reſolutionem meam exemplo manifeſto demonſtro. Sequentem ſyllogiſmum conſidera.

Pleraque omnia animalia, irrationalia ſunt.

Equus

An, & quomodo probabilitas, cum veritas, componatur?

Equus eſt animal.

Ergo probabilius eſt illum eſſe irrationalem.

Vi hujus ſyllogiſmi hæc propoſitio, *Equus eſt irrationalis*, non eſt evidens, ſed tantùm probabilior, ut in ſyllogiſmo exprimebatur. Ergo hæc propoſitio, *Equus eſt irrationalis*, quæ aliunde habet, quod ſit manifeſtiſſima, hanc ipſam certitudinẽ ab hac formâ colligendi non habet: nam in ſimili formâ poſſemus dicere.

Una & eadem propoſitio ex uno capite evidentiam, ex alio probabilitatem ſortiri poteſt.

An etiam cum abſitate?

Pleraque omnia animalia, irrationalia ſunt.

Homo eſt animal.

Ergo probabilius eſt illum eſſe irrationalem.

Et hîc, ut vides, propoſitio, *Homo eſt irrationalis*, quæ aliàs eſt manifeſtè falſa, ex vi hujus ſyllogiſmi eſt probabiliùs vera.

An Morales ſyllogiſmi ſecuri ſint?

Inferes. Ergo Syllogiſmi Morales non ſunt ſecuri: & probas, nam vi colligendi propoſitiones manifeſtè falſas, & manifeſtè veras ſtatuunt eſſe probabiliores.

Probabilitas duplex; alia abſoluta, & alia relativa eſt.

Reſpondeo hos ſyllogiſmos eſſe bonos, nec eſſe inconveniens, ut una & eadem propoſitio per talia media illata ſit probabilis aut probabilior, per talia vel vera, vel falſa. Hîc autem id breviter noto, Probabilitatem abſolutam invincibilem ignorantiam includere; quam ob rem, qui certò ſcit aut propoſitionem eſſe veram, aut propoſitionem eſſe falſam, probabilitatem abſolutam habere non poteſt: ſed ut plurimum hypotheticam & relativam. Poſſet enim aliquis dicere; Ego quidem ſcio, hanc propoſitionem, *Equus eſt irrationalis*, eſſe certò veram, & hanc, *Homo eſt irrationalis*, eſſe certò falſam: cæterùm, ſi hac notitia certâ & manifeſtâ carerem, & ſolam vim præcedentium ſyllogiſmorum conſiderarem, cenſerem utramque eſſe probabiliorem.

Quid relativa probabilitas ſit?

An ſyllogiſmi qui probabiliorem conſequentiam inferunt, evidenter concludant?

Petis, *An reformari Morales Syllogiſmi poſſint, ita ut in Concluſione evidentia luce modificentur?*

Reſpondeo primò, omnes Morales Syllogiſmos evidenter concludere, licèt evidentiæ particulam in conſequentiâ habeant non omnes. Vt reſponſionem hãc intelligas, ſequentes propoſitiones conſidera.

De Materia exiſtentia.

I. *Materia prima exiſtit exiſtentiâ Forma.*

II. *Probabile eſt Materiam primam exiſtere exiſtentia Forma.*

Prima eſt probabilis; nam firmatur rationibus gravibus, & contra Scotiſtas à Thomiſtis defenditur. Secunda eſt evidens & manifeſta: nam dicit priorem eſſe probabilem, & hoc certum & manifeſtum eſt; eſt enim evidens primam illam à Thomiſtis defendi, & Scotiſtas nunquam demonſtraſſe contrariam.

Quid ſit ſyllogiſmos Morales, evidenter concludere?

Ergo, quando dicimus Syllogiſmos Morales evidenter concludere, non dicimus inferre illos ſemper Concluſiones evidentiæ modo affectas, ſed evidenter inferre illos Concluſiones, quocumque eaſdem modo juxta regulas Artis afficiamus. Sequentem Syllogiſmum conſidera.

An Cretenſes mendaces ſint?

Plures Cretenſes ſunt mendaces, & pauciores veridici.

Sed Chermium eſſe Cretenſem ſcimus: ſitne verax aut mendax neſcimus.

Ergo, ut probabiliùs reſolvamus, illum eſſe mendacem dicemus.

Si Præmiſſæ admittantur, Concluſio eſt evidens: nam hanc propoſitionem, *Chermius eſt mendax*, præmiſſæ illæ probabilius inferunt; & hanc, *Probabilius eſt Chermium eſſe mendacem*, inferunt evidenter.

His ergo præmiſſis habet locum Quæſtio illa, quam proponis: & ut illam clariùs & dilucidiùs reſolvam, proponam hoc exemplum Grammaticum. [Exempla quò notiora & faciliora, aptiora ſunt.]

Cujus generis ſit Animal?

Plura in L finita ſunt neutra, pauciora verò maſculina.

Sed nomen Animal, *cujus genus ignoro, finitur in L.*

Ergo, niſi nova lux accedat, dicam Animal *eſſe probabiliùs neutrum, & minùs probabiliter maſculinum.*

Eſt bonus Syllogiſmus: & quandiù admittantur Præmiſſæ, infert evidenter Concluſionem affectam notâ Probabilioritatis, ut vidiſti.

An-ne poterit evidenter nota evidentiæ affectam Concluſionem inferre? Poterit, ſi exceptio in Majori & Minori exprimatur, ut conſpicis in ſequentibus lineis. [Vide Gratian. *c.* 201. *num.* 9.

De exceptionibus.

Omnia nomina finita in L, ſunt neutra: exceptis nominibus, Sal, Sol, *&* Mugil, *quæ maſculina ſunt.*

At nomen Animal, *cujus genus inquirebamus, non eſt unum ex illis tribus, quæ excipiuntur.*

Ergo evidens eſt nomen Animal *eſſe neutrum.*

Ergo propoſitio evidens evidenter infertur.

Sic etiam reformari ille Syllogiſmus poterit, qui de Cretenſium veracitate diſputabat. Ponatur ſic.

Omnes Cretenſes ſunt mendaces, Plinthio & Ardemno exceptis.

At Chermius Cretenſis eſt: & tamen à Plin-

Plinthio & Ardemno diſtinguitur.

Ergo Chermium eſſe mendacem indubitatum & manifeſtum eſt.

Quid concedat Conſtantinus Eccleſiis, tàm ſicri teſtamenta ad Eccleſiæ favorem conceſſit?

Hac argumentandi formâ utitur Baldus *in l. 1. de Sacroſanctis Eccleſiis.* ad cujus mentem poſſet aliquis dialecticari.

Omnia teſtamenta ad Eccleſiæ favorem condita, illis exceptis quæ aliunde vitio nullitatis laborant, ſunt valida.

Sed teſtamentum Petri eſt ad favorem Eccleſiæ: & nullo aliunde vitio nullitatis laborat.

Bartoli & Baldi diſſertatio.

Ergo Petri teſtamentum eſt validum. Vt hunc ſyllogiſmum intelligas ſcire oportet diſſidium inter Baldum & Bartolum. Concedit omnibus Conſtantinus Imperator, ut poſſint teſtamenta ad favorem Eccleſiæ condere: & quæritur, Quid ille concedat? An, quod donationes Eccleſiis factæ, aut legata relicta, ſi aliunde non obſit, ſint valida? An, quod ſint valida, etſi aliunde obeſſet, hoc eſt, etſi careant ſolennitatibus, quas Iura requirunt? Hoc ultimum aſſerit Bartolus, de quo Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 241. a. num. 9.* hæc habet. [Prædictum intellectum Bartoli ſequutus eſt ſolus Paulus Caſtr. hîc, de quo miror: alii communiter damnant & reprobant. Ideò Baldus dixit, quod omnes Doctores ſequuntur intellectum Gloſſæ excepto Saturnino; de Bartolo intelligens ac loquens: quem *Saturninum* nuncupavit, eò quod ſolus in dictâ ſententiâ fuerit, ſicuti contigit Saturnino relato per Vlpianum *in l. 1. ff. de Senator.* Et pro veritate rationes & ponderationes Bartoli parum ſtringunt.] Secundam *pag. 240. b. n. 7.* propoſuerat his verbis. [A propriâ ſignificatione verborum non eſt recedendum, niſi cauſa abſurditatis, aut contrarietatis evitandæ, *l. & non aliter. ff. de leg. iij. l. Labeo, circa fin. ff. de ſupellect. leg.* cũ accumulatis per Ial. *in l. iij. infr. de liber. præter.* cũ multis ſimilibus. Sed verba legis noſtræ in ſui generalitate videntur ſonare in privilegium in modo relinquendi tam in perſona teſtantis, dum univerſaliter dicitur: Habeat unuſquiſque, id eſt, quilibet etiam alias ad teſtandum inhabilis teſtari poſſit, relinquendo Eccleſiis, & Locis Piis, quam etiam in forma teſtandi, dum dicitur: & liber ſit ſtylus, ac circa ſubſtantiam diſpoſitionis, ut paret ex illis verbis, liberum arbitrium, intelligendo liberum à ſolennitate juris civilis, & ab aliis quæ in cæteris teſtamentis requiruntur ad validitatem ipſorum teſtamentorum, ergo non debet fieri reſtrictio ad habiles ut faciunt gl. 1. & Doct. hic.]

Cur Bartolus Saturninus vocetur?

Quando liceat à literæ rigore diſcedere?

An teſtamenta ad cauſas pias valida ſint, etſi ſolennitatibus in Iure requiſitis careant?

In Bohemia, dum eſſem Eminentiſſimi Principis Cardinalis ab Harach Archiepiſcopi Pragenſis Vicarius Generalis, Cõſiſtorium Eccleſiaſticum Bartoli inſiſtebat ſententiæ, & teſtamenta ad cauſas pias non indigere ſolennitatibus à Iure in aliis teſtamentis requiſitis ſupponebat: & tamen Curia Regia adhærens Baldo ſe opponebat, & illa teſtamenta declarabat invalida.

Notandum pro praxi.

Media Pars.

Æneas Cumas advenit.

Appulit tandem Cumas Æneas Divini operis ſexto accinente Virgilio: & cum primùm

Anchora fundabat naves, & littora curva

Prætexunt puppes, Iuvenum manus emicat ardens

Littus in Heſperium: quærit pars ſemina flammæ

Abſtruſa in venis ſilicis; pars denſa ferarum

Tecta rapit, ſylvas inventaque flumina monſtrat.

Milites in terram deſcendũt

Vnde, ſi manipulus ille, qui in continentem exſilit, decas militum fuiſſe dicatur, & cenſere velimus, quinque, ut excitarent ignem, adlaboraſſe, & quinque rapuiſſe ramos ſiccos, ut excitatum alerent; utiliter diſcurrere poterimus. Pone enim, inter hos decem Iuvenes fuiſſe Theopompum: quid ergo fecit? concuſſit-ne ſilices; an ramos, quibus ſua tecta feræ conformaverant, rapuit? Sequens poterit Argumentatio reſpondere.

Modus argumentandi.

Media manus pars ignem excitat, & altera media ramos raptos importat.

At Theopompus unus erat ex hujus manus adoleſcentibus.

Ergo probabile eſt illum ignem excitaſſe, & æquè probabile eſt eumdem ramos rapuiſſe, & importaſſe.

Differt à media parte pars.

At ego hic jubeo oculos aperiri. Aliud eſt, *Pars fecit hoc, & pars hoc*: & aliud omninò diverſum, *Media pars pugnabat, & media pars impedimenta cuſtodiebat.* Si enim ſint centum milites, & decem cuſtodiant ſarcinas, & nonaginta confligant, verum erit dicere, quod pars cuſtodivit ſarcinas, & pars conflixit: cæterùm media pars dicit æquales numeros, videlicet, ſi totum habeat 100. ſemiſſes erunt 50. & 50.

Media pars moraliter ſumpta.

Sed & huic ſe inſinuat Moralitas, quia parum reputatur pro nihilo; & 48. non eſt mathematicè media pars numeri 100. at eſſe mediam partem moraliter negare non poſſumus.

Par-

Digitized by Google

PARTIM. *adverb.*

Quid Partim ſignificat?

PArticula *partim*, diverſitatem in duobus extremis ſignificat at æqualitatem in numero non ſignificat. Cajus *de juſt. & jur.* [Omnes populi, qui legibus, aut moribus reguntur, partim ſuo proprio partim communi omnium hominum jure utuntur.] Spiegelius, Calinus. Sed hic non exprimitur Arithmetica æqualitas, ita ut tot populi ſunt, qui utuntur proprio, quàm qui communi: nam illæſo ſenſu potuiſſet Cajus dicere, [ex populis, qui moribus, aut legibus gubernantur, alii proprio, alii autem jure communi utuntur.

MVLTI.

An multi relativè ſumãtur?

NON ſemper magni debet fieri argumentum, quod à multorum teſtimonio deducitur. Teſtes enim apud Iudices, venit Romam ad Summum Pontificem Archiepiſcopus Eboracenſis, multos ſecum conducens. Si illos Innocentius eſſet numeraturus, tacuiſſet proculdubio Bernardus: at quia erat eos penſurus, ſic ſcripſit. *Cum multi ſint vocati, pauci verò electi* (Math. 20. b.) *non eſt magnum argumentum ad faciendam rei dubiæ fidem, id eſſe laudabile, quod à multis laudatur. Archiepiſcopus Eboracenſis venit ad vos; ille, de quo jam ſæpe numero ſcripſimus Sanctitati Veſtræ: homo, qui non poſuit Deum Adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum.* &c. Ergo, ut fidem faciant, teſtes non ſolum eſſe debent multi, ſed & probi. Scire autem optarem, quid intelligitur *multorum* nomine. Sunt, qui exiſtiment tres dici multos, & probant ex lege *Licèt Imperator* 77. *D. de legat.* 1. ibi. *Quæ ex multis colliguntur.* Sed videamus, quæſo, quæ ſint iſta multa, ex quibus voluntas teſtatoris colligitur. Proponit Vlpianus tria exempla. Senſit ergo tria exempla eſſe multa. Putarem ego *multos* ſumi relativè debere, & eos, qui reſpectu numeri parvi eſſent multi, reſpectu magni fore paucos: nam Neapoli, in qua ſub annũ 1654. erãt ſexcenta hominum millia, ſi centum decumberent, poſsemus dicere civitatem optima valetudine frui, & ægrotare paucos, cum tamen in quocumque pago vicino ſi eſsent centum infirmi, diceremus multos, aut etiam plurimos ægrotos eſſe.

Bernardus in Epiſt. 375. ad Innocentium Papam.

An tria ſint multa?

An multi & pauci relativè an verò abſolutè ponantur?

Videtur hæc doctrina veriſſima; nam multis annis poſtquam illam ſcripſi, & aliquibus poſt editionem primam hujus Logicæ, incidi in Antonii Rocci de Scuola Marſorum Logicam, qui *tract. in lib. Prædicam. cap.* 2. ut reſpondeat cuidam objectioni, ſic inquit. [Sed aliquis diceret, *multum* eſse contrarium *pauco*, & *magnum parvo*, quæ tamen quantitates ſunt. Cui reſpondetur, horum nullam eſse quantitatem, ſed potiùs de genere relativorum, quæ ſuper quantitatem fundantur. Quod patet: nam nihil eorum ſecundum ſe dicitur *magnum*, vel *parvum*, aut *multum*, & *paucum*, ſed tantum in comparatione ad aliud: unde aliquis mons dicitur *parvus* in comparatione ad majores: & granum milii dicitur quandoque *magnum* in comparatione pariter ad alia grana minora. Ergo non abſolutè dicuntur, ſed relativè. Pariter in vico dicimus eſse *multos* homines, Athenis verò *paucos*, cum tamen pauciores ſint in vico; quod aliunde non accidit, niſi ex relatione: quæ enim in ſe & abſolutè ſunt talia, in comparatione ad quodcumque aliud ſemper talia ſunt.]

An Quantitas habeat contrarium?

Magnum & Parvum.

Multi & Pauci.

Vt demonſtretur clarè *multos*, & *paucos* non abſolutè, ſed relativè dici; nimirum, ex comparatione unius numeri ad alterũ, eſt locus celeber in Sacra Pagina, quem dilucidandum adſumo.

An comparativè dicantur?

Apoc. 7.

Suppono ex Apocalypſi eſſe Prædeſtinatorum numerum valde magnum: nam, ſi in ſingulis Tribubus ſignati ſint 12000. & Tribus 12. ſint ſignati ex Iſraelitis ad 144000. adſcendent, quibus addere debemus *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis.* Ergo ſumendo numerum determinatum pro indeterminato, ſeu ignoto Prædeſtinatos ad Cœli gloriam homines eſſe 1000,000. dicamus. An-ne iſti multi? Si abſolutè ſumantur, multi ſunt: cæterum, ſi cum præſcitis comparentur ſunt pauci, quod nos docet Veritas æterna, quæ dicit, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Ecce teſte Domino noſtro Ieſu-Chriſto Cœlites tametſi numerũ 1000,000 ſunt pauci. Si in Choros dividantur, quomodocumque diſtributio fiat, erunt pauciores Chori, quàm perſonæ: & tamen idem Dominus noſter Choros multos eſſe pronũciat, ait enim, *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt*: & quidem illæ paucæ, reſpectu terreſtrium ſunt multæ: nam in terris ſunt duæ, quarum altera juſtos complectitur, altera peccatores comprehendit. Stat ergo multos, & paucos ſumi comparativè: & eumdem numerum uno reſpectu magnum eſſe, & altero reſpectu parvum. Vnde habemus in Rhythmo,

12000
12000
12000
144000

An ſint multi vel pauci, qui ad gloriam ſint prædeſtinati?

Matth. 20.

An Chori Beatorum ſint multi?

Ioann. 14.

An in Binario ſint multa vel pauca univerſa?

Oculi formoſa Isbella,
Qui ſimul ſunt duri & molles,

Si multi ſunt, ut ſint Soles,
Pauci ſunt, ut ſint Stellæ.

Ecce hujus Poetæ opinione, duo uno reſpectu erant multi & alio pauci.

An Multi ſumantur pro omnibus?

SED & *Multi* aliquando poni ſolent pro omnibus, ut *lib. 6. contra Iulianũ cap. 12.* nos monet S. Auguſtinus: qui hoc ipſum probat ex Apoſtolo dicente, *per unum hominem in omnes tranſiiſſe peccatum*, & poſteà, *per unius inobedientiam peccatores multos eſſe conſtitutos*. Verba Divini Doctoris ſunt hæc. *Per unius juſtificationẽ in omnes homines ad juſtificationem vitæ: & rurſus: Per unius obedientiam juſti conſtituti ſunt multi non aliquibus exceptis, ſed eoſdem multos, omnes oportet intelligi: non quia omnes homines juſtificentur in Chriſto, ſed quia omnes, qui juſtificantur, non aliter poſſunt juſtificari, quam in Chriſto. Sicuti poſſumus dicere, in aliquam domum per unam januam intrare omnes, non quia omnes homines intrant in eamdẽ domum, ſed quia nemo intrat, niſi per illam. Omnes ergo ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Chriſtum: quia ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*..

Multi ſumuntur pro omnibus, non Omnes pro multis.

Porrò hic aliqui hallucinantur. Dixit quidam eruditus Scriptor. *Nos pudieramos valer del ſentido, que le da S. Auguſtin, entendiendo* omnes *por lo miſmo que* multos *&c.* ſtatim, *Lo miſmo viene a importar y ſignificar la palabra* omnes, *que la palabra* multi *&c.* Non nego ſyncategorema *Omnes* moraliter interdum ſumi, ſed nego primò illud ſignificare multos; nam ſi cum Vlpiano libeat loqui, Hæc propoſitio, *Multi Hiſpani fuerunt Romani Imperatores*, eſt vera: fuerunt enim Hiſpani, Trajanus, Theodotius &c. Alphonſus, Carolus, &c. eſt autem falſa, *Omnes moraliter loquendo (fere omnes) Hiſpani fuerunt Romanorum Imperatores*. Et nego ſecundò velle Auguſtinum *omnium* nomine intelligere multos, ſed *multorum* nomine intelligere omnes. Aliud enim eſt *omnes* ſumi pro multis, & aliud toto cœlo diverſum, *multos* ſumi pro omnibus, hoc enim docet Auguſtinus non illud.

Aliud eſt multos ſumere pro omnibus, & aliud omnes ſumere pro multis.

Hæreticorum error.

An Chriſtus ſit mortuus pro omnibus?

Multi ſunt Sacræ Scripturæ loci, quibus facem præbeat hæc doctrina. Dixit Chriſtus, agens de ſuo Sanctiſſimo Sanguine, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Inferunt Calviniſtæ, & peſſimè, *Ergo pro omnibus non fuit effuſus*, unde ad ſolos Prædeſtinatos redemptionem reſtringunt. Inferimus Catholici, & benè. *Ergo pro omnibus effuſus eſt*, quia *multorum* nomine omnes debent intelligi, *non aliquibus exceptis*, ut paulò ante dicebat Auguſtinus.

Trid. Deciſo.

Eſt pro hac veritate locus clariſſimus in Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 3.* cujus verba poſtulant, ut attentè legantur. Sic lego. *Verùm, & ſi ille* (Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed hi dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur*.

An fuerit Concilium legitimum?

Lutherani, & Calviniſtæ inverecundè, & temerè Concilium Tridentinum rejiciunt, & in illud inſolenter ſcribunt: unde contra eos hæc non urgent verba, niſi probetur priùs, illud fuiſſe Canonicum. Et hoc facili negotio evincetur: quoniam Nicænum, in quo condemnatus fuit Arius, eſt Canonicum & legitimum, etiam Lutheranorum & Calviniſtarum ſententiâ: Ergo & Tridentinum, in quo errores Lutheri & Calvini damnantur. Patet conſequentia; quia nulla in Nicæno fuit à Iure requiſita ſolennitas, quæ in Tridentino non fuerit. Quod autem Lutherani & Calviniſtæ inſultent Tridentino, non videbitur mirum eis, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam legerint: nam Hæretici, morbo ſuo indulgent, ſe injuſtè condemnari acclamant, & in condemnantes inſurgunt; quod & olim fecerunt Arriani, Macedoniani, Eutychetii, Donatiſtæ, Pelagiani, & alii.

Mos eſt hæreticorum inſultare Concilio, in quo damnantur.

Verba Concilii obtorquent Ianſeniſtæ.

Ianſeniſtæ, ſunt mitiores hæretici, Tridentinum admittunt, & obtorquent. Verba adducta, ſic ipſi exponunt, ut de prædeſtinatis intelligantur, Chriſtus enim, ut ajunt, *pro multis*, hoc eſt, pro omnibus prædeſtinatis mortuus eſt, non pro aliis; unde verba conſecrationis, *qui* (ſanguis) *pro vobis, & pro multis effundetur*. &c. ita interpretantur, ut *multorum* nomine non intelligendi veniant omnes homines, ſed omnes prædeſtinati; qui tametſi pauciores ſint præſcitis, multi quidem ſunt, & *multi* potuerunt & debuerunt vocari.

Sed fruſtra.

At contra hanc Ianſeniſtarum hæreticam interpretationem fit demonſtratio evidentiſſima, quam ad formam ſequentem, ut vires percipias, reduco.

Demonſtratio pro doctrina Catholica.

BA | *Omnes, qui ſalvantur, mortis Chriſti beneficium recipiunt.*
RO | *Sed aliqui, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, ejus mortis beneficium non recipiunt.*
CO | *Ergo aliqui, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, non ſalvantur.*

Conſequentia eſt legitima, in modo & figurâ notiſſimis: utraque præmiſſa eſt Tridentini: ergo conſequentiam ſolus negabit, qui Dialecticam neſciat; & ſo-

lus

lius negabit conſequens, qui eſſe hæreticua velit. Stat ergo Fide Catholicâ tenendum eſſe, in illis verbis, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, nomine *multorum* omnes intelligi homines nemine dempto.

PAVCI.

Quot ſint paucorum nomine intelligendi?

SI tres *multi* dicuntur, (*leg. licèt Imperator. de leg. 1. cum ſimil.* Spiegelius) duo erunt *pauci*. Et oſtenditur: Nam pauci ſunt pauciores, quàm multi, ergo & quàm tres; nam tres ut dicebamus ſunt multi. Sed & pauci ſunt plures quàm unus: ergo ſunt duo. Adfirmat hanc reſolutionem *lex 1. D. de præſcriptis verbis*, ubi ait Papinianus, *Sed ne res exemplis egeat, paucis agam*, & poſteà rem eamdem dilucidat duobus exemplis.

An pauci relativè ſumantur?

Interim *pauci*, & *multi*, ut dicebamus, voces ſunt relativæ; nam qui in parvo pago erunt multi, in oppido magno erunt pauci.

Qui negat rem à paucis fieri, ambiguè loquitur, nec enim faciunt pauci, quod nulli, nec quod omnes. Ergo tolli amphibologia debebit à reliquo orationis contextu. D. Ludovicus Gongora *Sol. 2. verſ. 397.*

Pauci nullis, & multis opponuntur.

De aquel morro difficil, cuyas rocas
Tarde o nunca piſaron cabras pocas,
Y milano vencio con peſadumbre.

Dicit in collem illum non adſcendiſſe capras paucas, quod eſſe verum poſſet, ſi adſcendiſſent multæ. At ex contextu liquet, fuiſſe tam arduum & difficilem, ut illam vix paucæ, & hoc rariùs & ſeriùs ſuperare potuerint.

RARI.

An omnis in Iure definitio ſit periculoſa?

VSus eſt hoc ſyllogiſmo Vlpianus, & concluſit modaliter *l. omnis definitio ff. de reg. jur.* cujus verba, ut Viri magni liquidiùs cognoſcatur ingenium, hic breviter dilucidabo. Sic inquit.

Omnis definitio in Iure Civili periculoſa eſt: parum (aliàs, *rarum*) *eſt enim, ut non ſubverti poſſit.*

Budæus legi vult *rarum*: Cagnolus *parum*. Illud, *ut* poni videtur pro *quod*: ut & fecit Terentius. Hanc legem, ut clarior ſit, Cagnolus *tom. 3. pag. 786. num. 1.* ad hæc verba reducit. *Omnis definitio in Iure Civili periculoſa eſt, cum facilè ſubverti poſſit.* Sed non aſſequitur Vlpiani mentem: non enim inquit Vlpianus omnem facilè ſubverti poſſe, ſed raras eſſe, quæ ſubverti non poſſint: erunt igitur, teſte Vlpiano, ſaltem aliquæ, quæ ſubverti non poſſint: & nihilominus omnes erunt periculoſæ: aliud enim eſt eſſe periculoſam, & aliud malam: ſicut aliud eſt propoſitionem eſſe incertam, & aliud falſam. Ad Vlpiani mentem debemus diſcurrere ſic.

An Cagnolus intelligat Vlpianum?

Ponitur Definitio pro Regula?

RA PI DI.

Rara eſt in Iure Definitio (Regula) quæ ſubverti non poſſit.
Sed hæc, Qui tacet conſentire videtur. *Eſt Definitio (Regula) Iuris Civilis.*
Ergo vix probabile eſt, ſubverti non poſſe.
Et quidem, ſi fere certum eſt, illam ſubverti poſſe, periculoſa eſt.
Sed omnes aliæ Definitiones (Regulæ) ſunt eidem ſimiles quoad hoc.
Ergo omnes Iuris Civilis Definitiones (Regulæ) periculoſæ ſunt.

Sed Regulam illam, *Qui tacet* &c. ſuperius illuſtravimus, ut jam niſi fortè me doctiſſimi Viri decipiunt, ſubverti nullo modo poſſit.

IVvat hic ex Virgilio Æneid. 1. aliquas lineas ſumere.

Troјanorum naufragia.

Vnam, quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem,
Ipſius ante oculos ingens à vertice pontus.
In puppim ferit, excutitur pronuſq; magiſter
Volvitur in caput; aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex:
Apparent rari nantes in gurgite vaſto. &c.
Æneas ſcopulum intereà conſcendit, & omnem
Proſpectum latè pelago petit; Anthea ſi quà
Iactatum vento videas, Phrygiaſq; triremes. &c.

Ecce Æneas non omnem amittit animum, nec omnem deponit ſpem, ſed adhuc adſcendit ſcopulum, & amicos ſe recuperaturum confidit. Diſcurrebat ſic.

Æneæ diſcurſus.

Rari apparebant nantes in gurgite vaſto nempe ex illis quos vehebat triremis Lycia.

Sed illa Orontem & Anthea vexit.

Ergo nondum certum eſt illos eſſe ſubmerſos. Ergo manet adhuc aliqua ſpes tametſi tenuis.

Ergo amor ſuppleat quantum deficit probabilitati. Adſcendamus igitur in ſcopulum & deſpiciamus pelagus, ſi fortè illos videre & juvare poſſimus.

Et quidem temerè proceſſiſſet Æneas, ſi reſolutionem aliquam ſumpſiſſet noci-

vam

Vbi non agitur de violatione præcepti, aut damno tertii, tenuis Probabilitas ſufficit.

vam proximo. At quia adſcendendo ſcopulum nulli nocebat, & fortè poterat juvare aliquem, tenuis illa quæcumque ſpes, minor omni probabili potuit ſufficere, ut illum à notâ impudentiæ excuſaret.

HVC pertinet *lex LXV. ff. de reg. jur.* deſumpta ex Iuliano dicente. *Ea, quæ rarò accidunt, non temerè agendis negotiis computantur.*

An ex ſyncategoremate, Rarò, inferatur temeritas?

Primò occurrit illud *non*, an debeat neceſſariò expungi? Et quidem, quæ rarò contingunt, vel inter negotia computantur, ut judicentur, aut ut judicent.

An de rarò contingentibus ferantur leges?

PRIMVS ſenſus in hac Quæſtione reperitur. *An ferri leges debeant, quibus caſus rarò accidentes judicentur?* Reſpondet negativè Hypocrates, qui ideò de podagrâ nihil ſcripſit; quia, cùm ejus ævo, teſte Plinio, omnes homines frugales eſſent, & tenui alimento contenti ſobriam vitam agerent, opinatus eſt nullos, aut raros hoc morbo, qui ab intemperantiâ oritur, corripiendos. Et ideò intentus morbis communibus, de hoc, qui erat rarò vel nunquam futurus, non tractavit.

Cur de Podagra non ſcripſerit Hypocrates?

Cur Solon non tulerit legem in parricidas?

Ejuſdem fuit ſententiæ Solon, qui leges Athenienſibus dedit, & nullum ſuppliciũ ſtatuit parricidii; nam Cicerone aſſerente, tam rarò parricidia accidunt, ut vel nõ crediderit poſſe Athenis tam inhumanum hominem reperiri, qui eum à quo vitam acceperat, vitâ privaret: vel judicaverit tabulas publicas legibus de rarò contingentibus non debere gravari, cùm legum munus ſit communes mores temperare, & corrigere, non autem ad caſus impoſſibiles, aut ad raros, qui ſunt ſimiles impoſſibilibus, oculos vertere: non quod crimina, quæ rarò contingunt, impunita manere debeant: ſed quia hæc poſſunt Iudicum arbitrio relinqui. Ergo ſtando Hypocratis & Solonis judicio, delendum veniret illud *non*, & dicendum, *Ea, quæ rarò accidunt, temerè* (*ſtultè, inconſultò*: ſic enim ex lege, *cum quem temerè. ff. de jud.* Doctores vocem interpretantur) *inter negotia & caſus, de quibus leges feruntur, computantur.*

Nunc podagra morbus eſt frequens.

Monet P. Martinus Martini apud Sinenſes de Chiragra & Podagra nihil ſciri quia bibunt calida & non delectantur potu frigido.

Contrariæ opinionis non ſunt dicendi noſtri ævi Medici, qui doctiſſimè ſcripſerunt de podagrâ: nam hic moleſtiſſimus morbus eſt hodie communiſſimus, & ideò inter raros temerè computaretur. Venio ad opinationem Solonis, cui Prudentes Romani inhærere noluerunt. Vnde Cicero, qui in Oratione illâ, quam pro Sexto Roſcio habuit, poſtquam, cur contra Parricidas non tulerit legem Solon expoſuerat, ejus impudentiam incuſat, inquit enim. *Majores noſtri ſapientiùs: qui cùm intelligerent nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaretur audacia, ſupplicium in Parricidas ſingulare excogitaverunt; ut quos natura ipſa in officio continere non potuiſſet, magnitudine pœnæ, maleficio ſubmoverentur.* Ciceroni omnes hodie Legiſlatores ſubſcribunt: qui pœnas atroces conſtituunt, quibus Parricidæ auferantur. Hæc eſt vera ſententia, juxta quam fuit loquutus Iulianus: quæ jubet illud *non* retineri. Sanè Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 669. a. num. 2.* dat Iuliani verbis interpretationem manifeſtè contrariam. [Tu meliùs exponas, ait, non recedendo à verbis Iuriſconſulti, quod ſimilia, quæ rarò accidunt, non facile computantur agendis negotiis, per leges ſcilicet, quas futuris negotiis formam dare certum eſt. *l. leges, & conſtitut. C. de legib.*] Dele *non facile*, & ſcribe *non temerè*. nam ſenſum in oppoſitâ provehunt.

Romani habuerunt leges in parricidas.

SECVNDVS in iſtâ. *An ea, quæ rarò accidunt, aſſumi debeant, ut de agendis negotiis deliberemus?* Reſpondet Baldus *in leg. 3. ff. de legib.* appoſitiſſimè. *Quia ſicut una hirundo non facit ver, nec pulchra dies æſtatem, ita nec unus caſus legem*: nam hæ ſunt ſimiles, & ideò conſequentiæ damnandæ.

Ex hoc ſyncategoremate oritur temeraria concluſio.

Vnum, aut raras hirundines volitare videmus.

Ergo habemus jam ver.

Vna aut raræ dies ſerenæ adlucent.

Ergo in æſtate ſumus.

Vnum aut raros ſimiles caſus habemus:

Ergo per inductionem adſcendendo poſſumus legem, aut univerſalem regulam ſtatuere.

Ergo, ſi raros, qui talia fecerunt, conſtat eſſe homicidas. Si Petrus talia etiam feciſſe convincatur; temerè ex hoc capite homicida dicetur.

NOTA.

TAmetſi ex rariſſimo eventu conſequentia prudens inferri non poſſit, ex caſibus minus raris ſumi poteſt cautela, & determinata aliqua diſpoſitio. Exemplo mihi ſit *lex, Antiqui. D. ſi pars hæred.* in quâ ex antecedenti raro Imperator procedit; inquit enim. *Antiqui libero ventri proſpexerunt, ut in tempus naſcendi omnia ei Iura integra reſervarent: Sicuti apparet in Iure hæreditatum: In quibus, qui poſt eum gradum agnationis ſunt, quo eſt is, qui in utero eſt, non admittuntur, dum incertum eſt, an naſci poſſit. Vbi autem eodem gradu ſunt cæteri, quo, &* ven-

Madriti dña Sophia Iſraelis Germanorum, quos dicimus Alabarderos, Signiferi, quem probe novi, quinque uno partu edidit: & P. Petrus de Vreña Ciſtertienſ. Narva in Caſtella veteri puerperâ infantem edidiſſe, & poſtea ab experta obſtetrice eruſtam manſiſſe aliquot diebus, & alium tandem edidiſſe.

venter, tunc, quæ portio in ſuſpenſo eſſe debeat, quæſierunt: Et quia non poterant ſcire, quot naſci poſſent: Ideò multa de hujuſmodi re tam varia, & incredibilia tradiderunt, ut fabulis annumerentur. Nam traditum eſt, & quatuor pariter puellas à matrefamilia natas eſſe. Alioquin tradidere non leves Authores quinquies quaternos enixam Aloponentiam: & multas Aegypti uno utero ſeptenas. Sed, & tergeminos Senatores cunctos (vel *cinctos*, ut in Florentinis) *vidimus: Horatius. Sed & Aelius ſcribit ſe vidiſſe in Palatio liberam mulierem, quæ ab Alexandria perducta eſſet, ut Hadriano oſtenderetur cum quinque liberis: ex quibus quatuor eodem tempore enixa, inquit, dicebatur quintum poſt quadrogeſimum diem. Quid ergo? Prudentiſſimè Iuris Authores medietatem quamdam ſecuti ſunt, ut quod fieri non raro admodum poſſet intuerentur: id eſt, quia poterat, ut regimini naſcerentur, quartam partem ſuperſtiti filio aſſignaverant.* &c. *Ideòque & ſi unum partura ſit non ex parte dimidia, ſed ex quarta interìm hæres erit.*

Vdalricus Zaſius *in tit. 5. de Statu homin. nu.* 14. de ſuperfœtatione hæc ſcribit. [Credo etiam partum eſſe legitimum, etiam ſi mulier ſuperfœtarit, hoc eſt, ex intervallo temporis ſuos liberos gignat, ut ſi hodie unum, poſt menſem alium, vel poſt triduum: hoc enim dicitur *ſuperfœtare*. Medici non eleganti vocabulo nominant *ſuperimprægnationē*. Poſſe autem fœminas ſuperfœtare Philoſophus *libr. 6. & 7. de animalib.* locuples teſtis eſt, & Plinius *libr. 7. cap. 11.* &c.]

Quid ſit ſuperfœtare?

Quid ſuperimprægnari?

An fœmina ſuperfœtare poſſint?

NVLLVS, *moraliter*. FERE NVLLVS.

IN praxi ſumi poteſt, & ſolet pro Vniverſali negativâ reali; nam ubi ſignũ *Nullus* manifeſtè concludit, ibi ſignum *Fere nullus* præſumptionem vehementem inducit, & ſufficit ad informationem plenam. *leg. 1. §. 1. C. de rei uxor. action.* [Et hîc obiter nota inter *Nullus* & *Omnis* perpetuam correſpondentiam inveniri, nam ſunt ſigna contraria, & contrarias poſitiones conſtituunt, quæ negatâ alterius-utrius copulâ coincident. Verbi gratiâ.

Vniverſalis afferentis & negantis oppoſitio, & connexio.

Omnis homo eſt albus.
Nullus homo eſt albus.

ſunt contrariæ. Si in primâ dicas *non eſt*, æquipollebit ſecundæ: in ſecundâ ponas *non eſt*, æquipollebit primæ. Pono exempla.

De æquipollentia contrariarum.

Omnis homo eſt albus.
Nullus homo non eſt albus.

Eodem modo de ſyncategorematibus *Fere omnis*, & *Fere nullus* philoſophandũ eſt: opponuntur enim inter ſe, & tamen additâ negatione coincidunt, quoniam hæ duæ propoſitiones,

Quomodo Fere omnes & Fere nulli ad æquipollentiam redacantur?

Fere omnes ſunt albi.
Fere nulli ſunt albi.

ſimul falſæ eſſe poſſunt, eſſe autem ſimul veræ non poſſunt. At ſi in alterâ aut negetur copula, aut oppoſitum prædicatum ponatur, cohærebunt: ut

Fere omnes ſunt albi.
Ergo fere nulli non ſunt albi.
Ergo fere nulli ſunt non albi.
Ergo fere nulli ſunt nigri.

Et hæc de horum ſignorum connexione adnotaſſe ſufficiat.] Venio ad uſum.

CElebertima eſt hiſtoria, quæ narratur 3. *Reg.* 3. & habetur *cap. Afferte mihi gladium. 2. de præſumpt.* quam ad ſynopſim hanc reduco. [Duæ fœminæ coram Salomone differebant de filio: quē alterutra proteſtabatur ſuum eſſe. Cùm reduci ad concordiam non poſſent; juſſit Salomon infantem dividi, & dimidium alteri, & alteri dimidium conſignari. Sententiam acceptavit altera, malens occidi infantem, quam causâ cadere. Sed altera miſericordiá mota, petiit, ne infans divideretur, ſed potiùs adverſariæ integer traderetur. Tunc Rex hanc eſſe veram matrem pronunciavit, & illi parvulum adjudicavit.] Sententia à Salomone lata hujus fuit Syllogiſmi Concluſio.

An ex univerſalitate morali poſſimus in praxi venire ad ſententiam definitivam?

Nulla mater vult permittere, quòd occidatur filius ſuus: &, ſiqua hoc mulier permittit, non eſt mater.

At fœmina A. non vult permittere, ut occidatur iſte infans: fœmina B. permittit.

Ergo fœmina A. eſt illius mater, & fœmina B. non eſt mater.

Salomonis ab omnibus laudata ſententia

Sententia fuit definitiva, & tamen major non eſt metaphyſicè certa; vidimus enim matres, quæ inhumanis præjudiciis præventæ in ſoboles proprias ſœvirent.

Si eſſet res, quæ teſtibus probari potuiſſet, non fuiſſet Salomon morali Syllogiſmo contentus: meridianâ luce clariores poſtulat probationes materia, demonſtrationis capax, *l. Sciant cuncti. de probationibus*; at cùm factum ita obnubilatur circumſtantiis, ut ad tantam claritatem pervenire non poſſis, oportet, ut eam ineas viam, quæ videtur veritati conformior. *l. Licet Imperator. D. de legat. 1. l. Sciant cuncti.* ibi. *Vel indiciis ad probationem indubitatis.* Item. *l. Non omnes. §. à barbaris. D. de re militari.* ibi. *Licèt*

Non ſufficit moralis certitudo quando realem habere poſſumus.

liquidà

Digitized by Google

liquidò conſtare non poſſit, argumentis tamen dignoſcendum eſt. Sic ſentiunt Doctores communiter: nempe, Bartolus *l. Si quando C. unde vi. leg. 1. in fin. D. de verb. obligat. l. Non ſolum §. Probari D. de nov. oper. nunciat. in l. Siquis ex argentariis § penult. num. 3. in fin. D. de edendo.* Afflictus *deciſ. 44. nu. 14.* Menochius *lib. 4. præſumpt. 19. nu. 5.* Antonius Rub. Bech *conſ. 52. nu. 41.* Padilla *l. Cum ea C. de tranſact. nu. 12.* Ceballus *tom. 5. qu. 12. num. 19. & 20.* Farinaccius *qu. 24. nu. 6.* Riccius *collect. 379.* Larrea *allegat. 96. num. 3.* Hinc multæ in Iure phraſes, quæ realiter eſſent falſæ, & tamen veræ ſunt, quia moraliter intelliguntur. Sanè, pro notorio haberi debet, quod legitimis ſuadetur conjecturis *cap. 1* ubi Abbas *notab. 2. de ſenſ.* Et tamen, quæ per conjecturas probantur, non ſunt notoria realiter, ſed virtualiter: prudentum enim conſideratione ita ſe habent, ac ſi verè & realiter eſſent notoria. Antonius Rub. *loc. cit.* probationem per vehementiſſima indicia deductam *manifeſtam* appellat nimirum moraliter & virtualiter. Vnde quando lex præcipit, ut res aliqua expreſsè probetur, intelligēda eſt juxta capacitatē materiæ, expreſsè enim conjecturis probatur, quæ aliter probari non poteſt, ut in terminis habet Afflictus *d. deciſ. 44. n. 15*

Notorium moraliter.

Conjecturarū efficacia.

Indiciorum vehementium efficacia.

Sunt & alii loci, qui morali ſunt univerſalitate contenti. *Lex* CLXIII. *ff. de reg. jur.* ſumpta ex Paulo ſic habet.

Nemo plus commodi hæredi ſuo relinquit quàm quod ipſe habuit.

An plus commodi habere poſſis, quàm habebat, qui conſuluit?

Interim ſunt caſus, in quibus hæres plus commodi recipiat, quàm prior dominus: nam ſi hæres ſit clericus, miles, aut quocumque nomine liber à publicis impoſitionibus, gaudebit bonis liberis, quę apud priorem dominum erant tributo obnoxia.

Vlpiani etiam verba, quæ referuntur *l.* CLXVI. *ff. de reg. jur.* cum limitatione accipiuntur. Sunt enim.

Nemo alieno nomine agere poteſt.

An poſſis agere nomine alieno?

Fallit enim in aliquibus caſibus, qui à Cagnolo *tom. 3. pag. 763. b.* adducuntur.

NVLLVS, *realiter.*

PRoderit audire Euripidem, qui *in ſupplciis* ſic cecinit.

Nihil eſt in Civitate præſtantius, quam leges
Rectè poſita: nam, & inferioris homo ſortis;
Et qui ditior eſt, æquale Ius experiuntur:
Vicit enim minor majorem, ſi juſtam cauſam habeat.

An ſit aliquid nobilius legibus?

Primus verſus exhibet propoſitionem negativam realiter univerſalem, quæ nulli exceptioni ſubjicitur; nulla enim res in Republica ſanctior aut neceſſarior juſtis legibus.

Nec objicias Religionem eſſe nobiliorem Iuſtitia: non enim Religio ſine Iuſtitia & legibus invenitur: nam Religio eſt Iuſtitia erga Deum, & præcipuè in Republica benè gubernata leges Religionem & cultum Divinum concernunt.

Iuvat etiam recognoſcere *leg.* LXXVI. *ff. de regul. jur.* in qua Papinianus ſic inquit.

Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius injuriam.

An poſſis mutare dictamen?

Conſonat *c. quod ſemel placuit*, & *c. mutare de reg. jur. in 6.*

His verbis concepta, non eſt doctrinalis, quia reddit hunc ſenſum, *Non potes mutare conſilium, quando non potes mutare conſilium*, quia mutare cum injuria alterius, eſt mutare, quando alter habet jus, ut non mutetur conſilium, quando tu non potes mutare conſilium.

An Regula ſit doctrinalis?

Dicit Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 683. b. n. 1.* injuriam pro damno & detrimento alſus deſumi: & probat *ex d. c. mutare cum Gloſſâ*. Sed fallitur, damnum enim, & detrimentum ab injuria diſtinguitur, & cum damno & detrimento cujuſcumque poteſt Petrus ſibi conſilium mutando proſpicere, & ſuam utilitatem procurare, modo nemini injurioſus ſit. Pono exemplum. Petrus dederat tibi precario aliquam rem: habebat intentionem non repetendi illam toto hoc anno; mutat conſilium, & illam hodie repetit; & hac lege non poteſt condemnari: illa enim repetitio, ut ſit tibi incommoda, & damnum, aut detrimentum pariat, non eſt injuſta, nec ullam tibi injuriam infert. Sed hic obiter nota me proximo ex juſtitia, & ex charitate teneri. Iuſtitia præcipit, ut nihil faciam cum damno alterius, quando ille habet jus ad non ſubeundum illud damnum. Quid, ſi non habeat iſtud jus? Si illa actio, ex qua damnum illud reſultat, ſit mihi utilis, aut omiſſio illius actionis mihi ſit pernicioſa, potero illam facere, quia Charitas, ut amem proximum præcipit; non autem, ut illum mihi anteferam, ſcriptum eſt enim, *Charitas incipit à ſeipſa*. Cæterùm, ſi ex tali actione (mutatione conſilii) nullam ego utilitatem conſequar, nec damnum vitem, & tamen tu damnum patiaris, ex Charitate abſtinere debebo; & dicar invidus, ſi non abſtineam; quia in damnum tuum ſine cauſa operabor. Hac doctrina præmiſſa Theſes nonnullas ſubſcribamus. Sit

Damnum ab injuria diſtinguitur.

Datum precariò ſemper repeti poteſt.

Aliter Iuſtitia & aliter obligat Charitas.

Pri-

Vita deciſiva non mutantur.

Prima. *Conſilium deciſivum poſt pronunciatam ſententiam mutari non poteſt.* Ita Baldus & Philippus Fran.*in c. mutare de reg.juris in 6.* Decius, & alii *l. 1. §. 1. ff. quod quiſque jur.* Cagnolus *tom.3.pag.683 b.num.2.* Facit textus *ex l.qui arbiter ff. de arbitr.* & *l. Iudex, poſteaquam ff.de re judic.* Conſultò addidi, *poſt pronunciatam ſententiam*: ubi enim plures ſimul de ſententia pronuncianda deliberant, tu qui propter rationes tales, aut tales protuliſti quid ſentias, ſi ſocii validiores adducant, & tuas enervent, non ſolùm mutare poteris deciſivum conſilium, ſed & debebis; erit enim pertinacia in falſa remanere ſententia poſt cognitionem veritatis. Cæterùm, ſi ſemel proferatur ſententia, propter ſupervenientes notitias revocari non poteſt: pars enim condemnata ſibi imputet, ſi tempeſtivè non produxerit omnia, quæ poterant ſuæ cauſæ prodeſſe. Idem debemus dicere, ſi Iudex ſit unicus: nam & ſi decreverit talem pronunciare ſententiã, imò etſi illam jã conceperit, & ſcripſerit, tamen non pronunciaverit, re melius cõſiderata, aut novis rationibus perpenſis poterit, aut etiam debebit præjudicium mutare.

Sententiam ſemel pronunciatam Iudices mutare non poſſunt.

Hinc reſpondetur Quæſtioni illi, quæ inquirit, *An-ne illa clauſula*, Salvo meliori conſilio, *poſſit votis deciſivis apponi?* Negat Cagnolus *ex leg. Claudius Felix ad fin.qui potior in pign.* cum his, quę ſcribit Ang.*in conſ.* 110. Ego verò iterum eodem modo diſtinguo. Nam, vel Iudices deliberant, vel pronunciant. Quando deliberant, urbanitas & prudentia poſtulat, ut unuſquiſque dicat. [Has rationes perpendo, & ex illis in hanc ſententiam eo, ſalvo meliori conſilio.] Poteſt enim contingere, ut illæ rationes evacuẽtur, & alia reſolutio ſumatur. Verum enim verò, in ipſa ſententia, quando pronunciant Iudices, ineptè poneretur clauſula, *Salvo meliori conſilio,* aut *meliori judicio*.

De illa clauſula, Salvo meliori conſilio.

Secunda. *Conſilium conſultivum, ſi de re manifeſta ſit, mutari non poteſt.* Patet: quia nemo poteſt conſulentem decipere: & ſicut non potes Titio contra manifeſtam veritatem conſulere: ſic nec potes legitimum conſilium mutare.

Conſilium de re manifeſta eſt immutabile.

At ſæpè veritatem quærimus, & hæremus. Sæpè poſt omnem diligentiam decipimur; quoniã *quandoq; bonus dormitat Homerus*, ut ait Gloſſa *in c.ſiquis cũ noverca 32. qu. 7.* Sæpè propter nova phantaſmata (notitias) novas quotidiè intellectiones (opiniones) habemus, *libr.3. de Anim.* afferente Ariſtotele. Vnde circumfertur Adagium, *Humanum eſt errare, & Diabolicum perſeverare*. Corrigere enim errantem proximum ex Charitate unuſquiſque tenetur: ergo à fortiori ſe, qui ſe priùs erraviſſe cognoſcat, ut ſcitè diſcurrit Felinus. Deſiderare debet homo veritatem cognoſcere, & ſtudere ſemper, ut doctior è vita diſcedat. Hinc ille Iuriſconſultus, cujus *in l.apud Iul.ff.de fideicõm. liber.* Pomponius meminit, tametſi ſenio confectus ſtudioſè dicebat, *Etſi eſſem moribundus, diſcere vellem*. Ex quibus omnibus oritur Theſis

Homines errãt & dæmones in errore perſeverant.

Tertia. *Conſultivum conſilium ſemper in melius mutari poteſt.* Decius *l.nemo.76. ff.de reg.jur.l.edita in not.C.de eden.& in l. precibus not.2. C. de impub. & aliis ſubſtit.* Barba *tom. 1. conſ.* 110. & 58. Huc reſpiciebam, cum primùm ſum admotus regimini, Lobkowitziæ enim Aquilæ inclinatæ dextrorſum hoc Lemma inſcripſi: *Non flecti, nisi in dexteram*. Huc in Hiſpani Stemmatis Prologo, dicens, *Errar pueden y ſuelen los hombres, mas los que no quieren corregirſe, merecen ſer herrados; porque o ſon eſclavos de ſus prejuizios, o como caballos desbocados ſe arrojan ſin entendimiento: y en eſte ſentido nos decia el Rey Propheta*, Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus: *no os precipiteis ſin ſaber bien donde haveis de venir a parar, como lo haze el caballo, que roto el freno, ni tiene juizio para gobernarſe, ni ſe dexa gobernar de ſu dueño.* Oportet enim interdum mutare conſilium; & qui ſibi non ſufficit, alieno debet gubernari judicio: quod, ſeu conſulas, ſeu conſularis, poteſt in melius & utilius mutari. Quæ doctrina, non ſolum habet locum, ut vitam propriam dirigam, ſed etiam ut proximum adjuvem: nam, ſi dedi tale, aut tale conſilium Petro, & modò aliud melius occurrit, illum monere potero, ut prudentiùs procedat. Nec benè diſcurrit Cagnolus *loc.cit.nu.* 12. cum ait. [Pilatus ſententiam contra Chriſtum, quamvis peſſimè latam noluit corrigere, reſpondens, *Quod ſcripſi, ſcripſi.*] Nam Iudæi non petebant, ut ſententiam reſcinderet, ſed ut inſcriptionem mutaret: capite enim undevigeſimo apud Ioannem Evangeliſtam legimus. *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum, Noli ſcribere, Rex Iudæorum; ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus. Quod ſcripſi, ſcripſi.*

Mutare conſilium in melius non eſt inconſtantia, ſed prudentia.

Yerran los hombres; los caballos, y los eſclavos ſon herrados.

Expedit interdum, ut conſilium mutemus

Conſtans-ne, an pertinax fuerit Pontius Pilatus?

Quarta. *In promiſſione acceptata mutari non poteſt voluntas.* Sanè neminem obligat non acceptata promiſſio, non enim favere tenemur invitis. At ſtare promiſſis debent præcipuè Principes, & perſonæ excellentes. Hinc David, quia regnum Salomoni promiſerat, fidem ſervavit

An, & quando promiſſio obliget?

vavit, 3.*Reg.* 1. & ab omnibus incriminatur Saul, qui filiam Davidi promiſſam negavit 1. *Reg.* 18. Sunt in hac controverſia variæ Authorum ſententiæ, fateor, at reſolutio non à Theologia, ſed à Grammatica ſola dependet: examinandum eſt tantummodò, quid ſignificet hæc vox, *Promitto*. Si tota de futuro ſit, nihil de facto tradit, & obligat Veracitatis jure, ſi autem aliquid importat de præſenti, obligat ex Iuſtitia. Pono exemplum. Dixiſti Petro. *Ego promitto me tibi daturum centum aureos poſt menſem*. Et Ego verba tua intelligere, & intentionem tuam penetrare deſidero. Si verba hæc æquivaleant his, *Ego tibi dono centum aureos, & hac donatione transfero in te illorum morale dominium, at quia ſine incommoditate illis modò carere non poſſum, poſt menſem cõſignabo*. Ex Iuſtitia teneris Petro; nec erit, puto, Theologus, qui à me diſſentiat. Si autem æquivaleant his, *Ego tibi nunc nihil dono, ſed poſt menſem cẽtum aureos donabo*. Ex Veracitate teneris, nec erit, puto, qui diſſentiat. Nec patiar te præpediri quæſtione illa, quæ interrogat, An ſine traditione rei transferatur dominium? nam traditio eſt duplex, realis & moralis, & ad dominium (nam & ipſum quid morale eſt) ſufficit traditio moralis.

Quid ſit Promiſſio?

An dominium transferat?

An ad Iuſtitiã, aut ad Veracitatem pertineat?

HIC opportunè quæri poteſt, *Vtrum conſilium tenendum ſit, quando Doctor aliter dictavit in ſchola, aut Typis mandavit, & aliter voce hic & nunc conſultus definiit*.

De Authore, qui aliter ſcripſit, & aliter conſulit. Vtrũ illius ſententiam debeas ſequi?

Standum eſſe dictato aut impreſſo conſilio docet Soc. *tom. 3. conſ.* 31. quia Author quando in ſchola dictat, non inducitur lucro vel metu; & tamen quando ab illo cõſulitur, à quo aliquid poteſt ſperare, aut timere, ſe utilitati conſulentis conformat, & caret libertate civili.

Contrariã ſententiam Alex. *tom. 2. conſ.* 185. & Barb. *conſ.* 1. Cagnol. *tom. 3. pag.* 684. *a. num.* 9. tuentur: nam, qui in ſpecie conſulitur, rem accuratiùs examinat, & magis opportunè reſpondet.

Ego hæreo: & tametſi illud eſſe præferendum conſilium, quod animo liberiori datum, aſſeram: non ſtatim reſolvam utrum liberius ſit. Sæpè contingit Cathedraticos opiniones dictare, quas judicant minùs probabiles, ut ſe Scholæ torrenti attemperent, & ne ſubſint aliquibus difficultatibus: nec enim ſemper illis licet mentem propriam tueri. Sunt Academiæ, in quibus debent Lectores talem Authorem ſequi: ſunt cathedræ, in quibus talis Author exponitur: nam Salmanticæ S. Thomas, Scotus, Durandus, & Gregorius Ariminenſis, habent ſpeciales Scholas, in quibus Profeſſores debent ad mentem alienam diſcurrere. Religiones Monaſticæ Scholarchas particulares habent, quos ſequantur. Theologus Dominicanus, interdum tibi conſulet contra D. Thomæ ſententiam: at nunquam, aut dictabit, aut imprimet. Idem de Franciſcano dicam, qui tametſi interdum contra Scotum loquatur, eumdem in ſchola, aut libris invadere non permittetur. Habent ſuos Rectores, & Gubernatores Academiæ, & indoctos interdum, qui blaſphemare Philoſophum putant, qui Ariſtotelem; Medicum, qui Galenum; Legiſtam, qui Iuſtinianum; Theologum, qui Angelicum Doctorem impugnat. Ergo, quandiù ſic ligantur ingenia, nec liberè libet ſcribitur, nec liberè in gymnaſio dictatur. Ergo-ne ſunt ſemper præferenda conſilia, quæ privatim à Doctoribus dantur? Hoc non dicã. Scio quomodò Magiſtri ſoleant conſuli. Subſunt paſſionibus illi qui conſulũt, ſubſunt qui conſuluntur: & Principes, ita interrogant, ut in propoſitione ipſa dubii reſponſionẽ, quam expectant, inſinuent, aut fortè exponant. Vnũ exemplũ pono. Epiſcopus Gandavenſis D. Antonius Trieſt, Ianſeniſta conſulit Lovanienſes Doctores, & in litteris ad eos ſcribit, ſe mittere *nonnullas propoſitiones Morales, admodum laxas & pernicioſas examinandas*. Ecce reus in patibulo ſuſpenditur priùs, & poſteà formatur proceſſus. Porrò ſi nimis laxæ, ſi pernicioſæ à conſulente dicuntur, jam ſciunt Iudices, quid reſpondere jubeantur; non ab illis petitur, ut quid ſentiant, exponant, ſed ut damnationi ſubſcribant. Amant aſſentatores, qui conſulunt, & aſſentatores conſulentibus diſplicere nolunt: & propter unam reſponſionem ad genium conſulentis cuſam videbis interdum multos pati. Sit ergo reſolutio mea. *Illud eſt preferendum conſilium, quod liberè datum*. Vtrum autem liberè datum ſit, pendet à circumſtantiis loci, temporis, & perſonæ.

Quando Author liberè ſcribere cenſendus ſit?

Interdum in Academiis Profeſſores carent libertate.

Etiam in Ordinibus Religioſorum.

Quomodo Principes Theologos conſulant?

Quomodo Ianſeniſta?

Sed interrogas, An defunctorum Doctorum ſententia, quæ in libris legitur, anteferenda ſit viventium opinioni Doctorum?

An Doctores vivi defunctis ſint anteferendi?

Reſpondeo S. Thomam *Opuſc.* 20. *de forma abſolutionis c.* 2. *ante med.* ut reſponderet Doctorum & Epiſcoporum authoritati contra ſe objectæ, dixiſſe. *Nunquid etiam, ſi nunc viverent, præjudicare poſſent communi ſententia Magiſtrorum Pariſius regentium, qui contrarium ſentiunt*. Defunctorum ſententias in eorum libris legimus, quos fortè non intelligimus, nam Scotiſtæ ſunt contrarii Thomiſtis, & tamen

mrn utrique ſe ſrqui Ariſtotclem dicunt, ergo vel alteri, vel utriq; illum exponunt malè, nam ab utriſque benè exponi impoſſibile eſt. Ergo, ſi Ariſtoteles viveret, ceſſaret quæſtio, & ejus ſrnrentia ſciretur. Ergo plus deferretur Ariſtoteli vivo, quàm mortuo. Ergo cæteris paribus majoris debemus viventium Reſolutiones facere, quàm defunctorum. Conſultò *cæteris paribus* dixerim: nam non dubito Auguſtini ſententiam authoritati unius, aut alterius Doctoris nunc viventium anteponendam eſſe. An etiam opinioni communi, ſi ille in ſuo ſenſu abundavit, & ſingularis fuit? Auguſtinus *qu. 61. in Geneſ.* agens de S. Ioanne Evangeliſta, qui adorare Angelum voluit, dixit, *Talis apparebat Angelus, ut pro Deo poſſet adorari.* Quæ verba recognoſcens Peretius *to. 3. in Gen. ad verſ. 7. cap. 24.* ſic inquit. *Equidem Auguſtino aſſentiri non audeo.*

An aliquando ab aliquo Summo Doctore diſſentire debeamus?

VBerioris doctrinę gratia poſtulas, *An poſſit Deus mutare conſilium?*

Poſſit-ne Deus mutare ſententiam?

Aſſerit Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 683. b. nu. 7.* dicens. [Drus ipſe quandoque ſententiam in melius mutat. Hoc eſt, quod Auguſtinus dixit, *Novit Deus mutare ſententiam, ſi tu noveris mutare delictum*, & habetur *de pænitent. diſt. 1. cap. Novit Deus*. Et Ezech. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, dicit Dominus*. An ad hoc oſtendendum invalidum eſt Ezechiæ exemplum? De illo utique 4. *Reg.* 20. legitur, quod cũ graviter ægrotaſset, venit ad enm Eſaias Propheta dicens, *Diſpone domui tuæ, quia morieris, & non vivet*: qui convertit faciem ſuam ad parietem, flevitque fletu magno, oravitq; Deum: & antequam egrederetur Eſaias mediam partem atrii, factus eſt ſermo Domini ad eum dicens. *Revertere, & dic Ezechiæ: Audivi orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: ecce adjiciam ſuper dies tuos quindecim annos*. Ex quo patet, quod Deus ſententiam ſæpè revocat, cum peccatores humilitrr ad illum convertũtur.] Potuiſset & addere alia exempla: nã Anaſtaſii Imperatoris, & aliorum ſceleratorum vitas Deus abbreviavit.

Iuſtorum vitas protrahit Deus, peccatorum abbreviat.

Reſpondeo Deum immutabilem eſse. Non poteſt realiter & entitativè mutari. Quod ſi dicamus Angelum, aut Hominẽ ſine mutatione reali & intrinſeca mutare ſolere conſilia: adhuc aſseram Deum illa mutare non poſse: nam manentibus eiſdẽ circumſtantiis non poteſt mutari ſententia ſine levitatis, & inconſtantiæ labe: & hæc in Deo admitti non poteſt: nam, ſi erubeſcit homo, quando ſententiam mutat, ut *num.* 8. ait Cagnolus, non poteſt Deus mutare conſilium, nec enim poteſt aliquid facere, ob quod erubeſcere debeat. Omnis mutatio durationis ſucceſſionem importat: cum ergo in æternitate, quæ eſt unicum, & ſimpliciſſimum *nunc*, nulla detur ſucceſſio, ſic etiam nulla poteſt inveniri mutatio.

Deus eſt immutabilis.

Eſt inconſtantia incapax.

Æternitas eſt unum nunc.

Ad authoritatem Auguſtini reſpondeo, Deum mutari virtualiter: hoc eſt, non mutari quidem, at ita nihilominùs ſe habere, ac ſi realiter mutaretur. Addo eundem mutari extrinſecè, non intrinſecè: nam mutato peccatore extrinſecæ denominationes, quæ à terminis reſultant, mutantur. Vnde Deus, qui heri erat Petro peccanti averſus, hodiè Petrum pœnitentem amat: at hæc dierum ſucceſſio non eſt in Deo, ſed in Petro. Eodem poteſt explicari modo Ezechielis authoritas.

De mutatione virtuali.

De mutatione extrinſeca.

Ezechiæ Regis, Anaſtaſii Cæſaris, & aliorum hiſtorię oſtendunt, multa eſſe Divina decreta conditione ſubnixa: Dixit Eſaias Ezechiæ, *Morieris*, ſcilicet, *niſi Deum oraveris*, dixit Ionas, *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur*: ſcilicet, *niſi egerit pænitentiã*. Oravit ille, egerũt iſti pęnitentiã, mutati ſunt, & nõ perierũt, manente Divina voluntate immutata. Anaſtaſius non egit pœnitentiam, & periit, quia etiam decretum illud, quod tot annos vitæ conceſſerat, erat conditionatum.

De decretis Dei conditionatis.

Et hæc omnia occaſione *legis Nemo 76 ff. de reg. jur.* ſint dicta.

MAgis relucet realis Vniverſalitas *in lege* LXXIV. §. *Nemo D. de reg. jur.* ubi ſic inquit Paulus.

Nemo poteſt tutorem dare cuiquam, niſi ei, quem in ſuis hæredibus, cum moritur, habuerit; habiturus-ve eſſet, ſi vixiſſet. Eſt generalis diſpoſitio, & in perſonis etiã privilegiatis habet locum, ut in milite *ex leg. 2. D. de teſt tutor.*

Quis poſſit tutorem dare?

Etiam univerſalitrr loquitur Poeta Græcus, cum ait.

Βίας παρόντος δ'ὐδὲν ἰσχύει νόμος.

Contra vi agentes nulla lex quidquam poteſt.

An violentia æquitati præſcribat?

Sed eſt in ſtatu miſero Reſpublica, in qua pietati dominatur iniquitas: quoniam ut *in Oration. de falſa legat.* ait Demoſthenes, *Nullus eſt uſus Civitatis, quæ nervos, ac vires adverſus ſceleratos, & injurios nõ habet: neque Reipublicæ, in qua venia, & amicorum preces plus valent, quàm leges.* Et ideò *Olynth.* 3. exclamat. *Neminem, quæſo, cenſeatis tanta apud vos authoritatis eſſe, ut qui leges tranſgreſſus fuerit, inultus maneat.* Concedat Deus, ut hæc doctrina, quanta univerſalitate ponitur, tanta in Europa obſervetur.

Quæ inde mala ſequantur?

SECTIO VII.

An hæc Syncategoremata habeant locum, ubi tantùm ſunt duo?

POne eſſe tantum duos homines, alterum album, alterum nigrum, & ſequentes Aſſertiones conſidera.

Hæ ſigna, & propoſitiones, quas componunt; & ſyllogiſmi, quibus inſerviunt; carent ſecuritate, ſi ab uno, aut altero deducatur concluſio.

* I. *Omnes ſunt albi.*
II. *Fere omnes ſunt albi.*
* III. *Plures ſunt albi.*
IV. *Media pars eſt alba.*
* V. *Pauciores ſunt albi.*
* VI. *Multi ſunt albi.*
* VII. *Pauci ſunt albi.*
VIII. *Rarus eſt albus.*
IX. *Fere nullus eſt albus.*
* X. *Nullus eſt albus.*

Sunt falſæ prima, tertia, quinta, ſexta, ſeptima, & decima, quas notavi ſtellulis, ut à cæteris diſtinguantur. Secunda, quarta, octava, & nona, non tàm falsò, quàm impropriè ponuntur, & ideò rejici veriùs debent, quàm damnari. Cæterùm, cum hic agatur de formando dictamine, & una hirundo non faciat ver, & communis hodie teneat opinio quatuor Authores ad probabilitatem requiri, & ſufficere, ſi tam ſint pauca teſtimonia, (nempe, quæ dividuntur) ut neutra pars habeat quatuor, hærere debet prudens Iudex, & quia formare dictamen non poteſt, debebit pro poſſeſſion judicare. Quamobrem, ſi ſic Antoninus diſcurrat. [Duos tantum Africanos cognoſco; unus eſt ingenioſus, alter ſtupidus: ergo Zelinum, qui Africanus eſt, & mihi ſolo nomine notus, eſſe ingenioſum eſt probabile, ſed eſt etiam æquè probabile eum eſſe ſtupidum.] Et ego conſequentiam negabo, quia ab uno, aut altero caſu non poteſt probabile argumentum deduci. Stet igitur Syncategoremata plurimos caſus poſtulare, ut illos in affirmativos, & negativos dividendo, & claſſem poſteà cum claſſe comparantes, poſſimus prudenter diſcurrere.

Ex uno aut altero caſu non poteſt concluſio probabilis deduci.

An, & quando duo teſtes ad plenam probationem ſufficiant?

Dices ſufficere duos teſtes, ut aliquis condemnetur. Ergo non eſt recurrendum ad quatuor. Reſpondeo duos ſufficere contra nullos, ſi ſint omni exceptione majores, oculati & conteſtes: at duos ſufficere contra tres, contra alios duos, aut contra unum nego. Addo indicia non habere vim teſtium oculatorum, ſed ad auritos poſſe reduci veriùs: niſi talia ſint, ut plenè probentur, & ſint cum crimine neceſſariò connexa. Quæ omnia conſiderationis arduæ ſunt, & paucis non poſſunt tractari.

An indicia æquiparentur teſtibus?

SECTIO VIII.

De Propoſitione Indefinita. An habeat Logicam Quantitatem?

VIderetur, quod non. Nam ſignis, & ſyncategorematibus diſtinguuntur inter ſe Propoſitiones quantæ. At Indefinitæ nullum ſignum, nullum ſyncategorema præ ſe ferunt, ergo indefinitæ nullam important quantitatem. Probatur major: nam ex his duabus propoſitionibus, *Omnis Doctor eſt nobilis*, & *Aliquis Doctor eſt Dives*, ideò prior eſt univerſalis, & particularis poſterior, quia illius ſubjectum afficitur ſigno *Omnis*, hujus autem ſubjectum ſigno *Aliquis*. Probatur minor, quia hæc propoſitio, *Iuſtitia eſt virtus*, ſignum nullum, ſyncategorema nullum habet.

Ratio negandi.

Reſpondeo Indefinitam eſſe Quantam: & habere ſignum, & ſyncategorema, quo à cæteris diſtinguatur. Nam, quando univerſi ſuas res ſignant, ſi ſolus Auſonius rebus ſuis nullum ſignum imponat, ejus res erunt ſufficienter ſignatæ: nam erit earum ſignum, nullum ſignum habere, & hoc ipſæ ſigno ſatis diſcernentur ab aliis. Indefinita igitur propoſitio, qua caret omni ſigno, ſignum habet, quia omni carere ſigno, ſignum eſt. Dicere ergo poterimus illam habere ſignum præciſivum. Quod ſignum, ſi negativum velis dicere, modò negatio non rem ſignificatam, ſed voces ſignificatas afficiat, in λογομαχίαν provocari non patiar. Nam hæc propoſitio *Iuſtitia eſt virtus*, de facto ſignum poſitivum non habet.

Reſolutio pro parte affirmativa.

An omni ſigno carere, ſignum ſit?

Hinc ad argumentum, quod in initio ponebatur, reſpondeo. *Signis, & ſyncategorematibus diſtinguuntur inter ſe propoſitiones quantæ*: diſtinguo. Signis poſitivis, aut negativis, concedo: tantùm ſignis poſitivis, nego. *At indefinitæ nullum ſignum, aut ſyncategorema præ ſe ferunt*: eodem modo diſtinguo. Nullum poſitivum præſeferunt, concedo: nullum negativum, nego. *Ergo Indefinita non ſunt quanta*, nego conſequentiam.

Quomodo inter ſe propoſitiones quantæ diſtinguantur?

SECTIO IX.

Quæ, & quomodò aliæ ſyncategorematicæ Propoſitiones inferantur ex aliis?

VT rem intelligas, eſt enim pervia, & facilis, proponi impræſentiarum poterunt, loco Regularum exempla. Attende igitur. Om-

Hæ Syncategoremata hic ſumi debēt excluſive, ita, ut exceptis Univerſalibus, quæ ſunt incapacia excluſionis, in cæteris omnibus, adverbiū Tantùm intelligatur.

Omnes homines ſunt albi.
Ergo nulli ſunt non albi.
Omnis homo eſt albus.
Ergo nullus eſt non albus.
Fere omnes ſunt albi.
Ergo vix reperiuntur non albi.
Plures ſunt albi.
Ergo pauciores ſunt non albi.
Media pars eſt alba.
Ergo media pars eſt non alba.
Pauciores ſunt albi.
Ergo plures ſunt non albi.
Rari ſunt albi.
Ergo plerique omnes ſunt non albi.
Aliqui ſunt albi.
Ergo aliqui ſunt non albi.
Fere nullus eſt albus.
Ergo fere omnes ſunt non albi.
Nulli ſunt albi.
Ergo omnes ſunt non albi.
Nullus eſt albus.
Ergo omnis eſt non albus.

Syncategoremata *Multi*, & *Pauci* nihil legitimè poſſunt inferre; nam ſimul multi homines albi, & multi non albi eſſe poſſunt: & etiam pauci albi, & pauci non albi erunt, ſi omnes homines, ſimul ſumpti, ſint pauci.

ARTICVLVS IV.

De variis ſpeciebus Propoſitionum. *Sunt multa; ſed cognoſci præcipuè debent Specificativa, Excluſiva, Exceptiva, Reduplicativa: Categorica etiam, & Hypothetica, quæ in Copulativam, Disjunctivam, Conditionalem, & Rationalem ſubdividitur.*

An Propoſitionum veræ ſpecies dividatur?

PLurimæ ſunt Propoſitionum Claſſes, plurimi Ordines, per quos Eruditi Dialectici Aſſertiones diſtribuūt, An ſit generis in ſpecies diviſio, alii examinent, tam multa enim requiruntur, ut aliqua ſit vera ſpecies, ut rarò omnia in arteſacto reperiantur, & hanc ob rē cum Propoſitiones, ſicut & argumentationes ſint quædam arteſacta Logica illas vocabo *Species*, ut cum cæteris loquar, non autem defendendum adſumam vocem hanc accipi in rigore Dialectico.

SECTIO I.

De Propoſitione Specificativa, Excluſiva, Exceptiva, & Reduplicativa.

DIfferunt in modo ſignificandi, quia aliter & aliter de ſubjecto prædicatum enunciant.

Quid ſit Reduplicativa?

Sanè REDVPLICATIVA non ſolum dicit prædicatum convenire ſubjecto, ſed rationem eur conveniat, exponit, ut *Homo qua rationalis intelligit*: nam cum homo ſit animal rationale, in hac aſſertione non ſolùm eum intelligere dicitur, ſed ratio exprimitur, non enim qua animal ipſe, ſed qua rationalis intelligit. EXCLVSIVA ita prædicatum ſubjecto accenſet, ut cæteris omnibus neget: nam hujus propoſitionis, *Tantùm homo eſt riſibilis*, ſenſus eſt. *Homo quidem eſt riſibilis, & nihil præter hominem in mundo eſt riſibile*. EXCEPTIVA, ut *omnia animalia excepto homine ratione carent*, poteſt ad excluſivam reduci, nam in illa excluditur, quidquid excipitur. SPECIFICATIVA autem illa dicitur in qua nihil excluditur, aut reduplicatur.

Quid Excluſiva?

Quid Exceptiva?

Quid Specificativa?

An, & quo ſenſu iniquos odio habere poſſimus?

Porrò reduplicativis non indiget Iuriſprudentia, nam reddunt difficilem ſenſum & debent, qua liceat, vitari. Interim aliquando ſe in leges reduplicatio inſinuat, & debet bene conſiderari. *Iniquos odio habui*, dicit Propheta Rex *Pſalm.* 118. At iniqui erant proximi, debuerantque non odio haberi, ſed amari; Quomodò ergo David à peccato excuſatur? Iniqui bifariam (ſpecificativè, & reduplicativè) poſſunt conſiderari. Priori ſenſu, qui homines erant, ab eo diligebantur: at ſecundo, nempè quà peccatores, odio habebantur, non enim perſonas David oderat, ſed iniquitates illas, quibus inficiebantur, Vide Theol. Fundam. *n.* 1065.

Quænam à Iudice facta ſint invalida?

Hinc lux Iuris Canonici Regulæ XXVI. *Ea, quæ ſiunt à Iudice, ſi ad eius non ſpectant officium viribus non ſubſiſtunt*. Vide noſtram Theol. Fund. *n.* 827. & 831. Porrò,

uxo-

uxorem ducere ad Iudicis officium non pertinet. Quid, ſi ducat? An-ne matrimonium viribus non ſubſiſtet? minimè. Quid igitur dicendum eſt? An-ne Regulam falſitatis damnabimus? Reſpondeo Iudicem poſſe qua hominem, & qua Iudicem: quam ob rem dicendum eſt in Regula reduplicationem ſubintelligi, illamque de Iudice, qua Iudice agere. Iudex enim, qui in Civili Tribunali præſidet, ſi cauſas criminales, quæ ad ſuum munus non ſpectant, expediat, ejus decreta viribus non ſubſiſtent.

Iudice ſpecificativè poteſt ſumi.

An poſſit Iudex Civilis cauſas criminales expedire?

Hanc ſenſus ſpecificativi, & reduplicativi diſtinctionem conſideras, & interrogas, An Servus, non quidem qua ſervus, ſed qua homo poſſit dominium adquirere. An Pupillus, qui ſub Tutore eſt, non qua minorennis, ſed qua homo poſſit ſuā domum vendere? An Monialis, non qua ſolenniter profeſſa, ſed qua Mulier poſſit matrimonium contrahere? An conjugata, quæ ut talis, ſi alium virum admittat, adulterium committit, qua fœmina admittens, committat ſimplicem fornicationem?

De Servo.

De Pupillo.

De Moniali.

De Vxore.

Reſpondeo de hoc me argumento in Theol. Fund. *n.* 937. diſſeruiſſe, & modò, quæ uberiùs ibi dicta, hic breviùs, & clariùs reponere. Dico igitur alias res conſiſtere in facto, alias in Iure. Illarum exiſtentiam leges impedire non poſſunt, harum poſſunt, nimirum ſi earum valorē dirimant: nam illarum exiſtentia eſt realis & iſtarum moralis. Hinc eſt non poſſe leges facere, ne Monachus non habeat pecunias, hoc enim eſt phyſicum, & conſiſtit in facto: at poteſt facere ne licitè illas habeat, ne illas poſſideat &c. hoc enim eſt morale, & conſiſtit in Iure. Legum aliæ purè inhibentes, & aliæ inhibentes, & dirimentes ſunt, qui contra priores operatur, peccat, ſed rem validè facit; qui contra poſteriores, peccat, & quidquid fecerit, viribus deſtituitur. Qui verè eſt ſervus, eſt moraliter nullus, & quidquid adquirit domino. Non poſſunt leges facere ne habeat pecunias, hoc enim in facto cōſiſtit: at faciunt, ut non niſi alienas habeat quas non ſolum dominus poſſit ſumere, ſed, & ipſe domino teneatur conſignare. Ago de ſervo totali, nam ſi lege aut pacto aliquid ipſi concedatur, tunc totaliter ſervus non eſt. An ille ſaltem qua homo, reduplicando naturam humanam, & illam à ſervitutis ſtatu diſtinguendo poterit dominium adquirere? minimè; quia dominiū adquirere eſt actio moralis, quam elicere ſervus non poteſt, qui eſt moraliter nullus. Actio enim, quæ ab eo, qui moraliter eſt nullus, facta, etiam moraliter eſt nulla.

Aliæ res in facto aliæ in jure conſiſtunt.

Aliæ Leges interdicentes, & aliæ dirimentes ſunt.

Servus eſt civiliter nullus dominium habere non poteſt.

Servus vel adæquatè, vel inadæquatè talis eſt.

D. quod cujus univerſ. leg. 1. *§. ei quidem & qui ſatiſd. cog. leg. quoties.* Vide Forcatulum *in Necyomant ia dial.* 99. *n.* 4.

Tranſeo ad pupillum. Si leges tantummodò interdicerent pupillis res alienare: qui ſuam domum daret, aut venderet, iniret contractum validum, ſed illicitum. At leges dirimentes ſunt, omnem poteſtatem alienandi à pupillo tollunt, & auferunt, ergo tunc ille domum vendere poterit, cū cœcus qua homo poterit ſine viſu videre. Ergo Pupillus, qua homo domum non poteſt vendere. *Leg. quod pupillus* 41. D. *de condict. indeb.* ibi enim lego. *Pupillum promittentem ſine Tutoris authoritate, ne natura quidem debere.* De Moniali pariformiter philoſophandum eſt. Matrimonium eſt quid morale: potentia nubendi eſt moralis: & ipſa poſt ſolennem profeſſionem hac manet privata potentia. Ergo non poteſt nubere qua mulier: nam hæc potentia non eſt ſexus fœmenini proprietas in quarto modo, ſed accidens, quod poteſt fœminæ adeſſe, & abeſſe. Eodem modo de adulterio diſcurro: nam ſimplex fornicatio dicitur copula, quæ habetur ab his, qui poſſunt inter ſe matrimonium contrahere. Hæc potentia per matrimonium adimitur; nam eo durante ad alias neuter nuptias tranſire poteſt. Vxor ergo quæ ab alio viro cognoſcitur tangitur ab homine, cui non poteſt nubere; ergo non committit ſimplicem fornicationem: tangitur cum injuria mariti, ergo committit adulterium. Nec juvat ad reduplicationem recurrere, quia qua fœmina non habet ſe miſcendi cum alio poteſtatem.

Pupillus res alienare nequit

Alienandi potentia eſt accidens.

Eſt etiam accidens contrahendi matrimonii potentia.

Quid ſimplex fornicatio ſit?

Excluſivas apud Iuriſconſultos veteres frequenter lego. Celſus *libr.* 28. *Digeſt.* ſic habet. *In adoptionibus eorum, qui ſuæ poteſtatis ſunt, ipſorum dumtaxat voluntas exploratur.* Caſſius apud Iobolenum *lib.* 6. non omnes adoptare poſſe teſtatur, dicens, *Iis dumtaxat pupillorum arrogatio permittenda eſt, qui vel naturali cognatione, vel ſanctiſſima affectione ducti adoptarent.* Modeſtinus *lib.* 1. *diff.* agens de ætate adoptivorum ait. *Non tantum, cum quis adoptat, ſed etiam cum arrogat. Major debet eſſe eo, quem ſibi per arrogationē, vel per adoptionem filium facit: & utique plena pubertate;* (id eſt, *decem, & octo annis præcedere debet*). Et Martianus *libr.* 3. *Inſtit.* de adquirendo dominio diſputans; *In tantùm, ut ſoli domini conſtituantur, qui ibi ædificant: ſed quamdiu ædificium manet: alioqui ædificio dilapſo quaſi jure poſt liminii revertitur locus in priſtinam cauſam.*

Leg. 5. D. de adopt. & Emancip.

Qui poſſint adoptari, & adoptare.

Leg. 16. §. 11. dumtaxat eod titul. *de ætate adoptantis.*

Leg. 40. § non tantùm eod. titul. *De adquiſitione domi ii.*

Leg. 6. D. de rer. dictis.

Convertamus etiam oculos ad juniores, & aliud exemplum addamus. Faber

ad

Cito libenter Fabrum, quoniam ſemper ingenioſè diſcurrit.

ad leg.ut vim D.de Iuſt. & Iur. An defenſio ſit Iuris Gentium? interrogat, & reſolvit affirmativè, dicens, [inter ſolos Homines, non etiam inter bruta cognationē quamdam natura conſtituit; proinde ſoli homines eam violant, atque ita injuriam faciunt. Hanc ergo propulſare Iuris gentium eſt, non naturalis: cum in ſolorum hominum, & ex ratione tamen naturali *leg.4.ad leg.aquil.* licet Ius naturale non repugnet.] Sic ille, ut illuſtret Florentinū dicentem, *Cum inter nos cognationem quādam Natura conſtituit conſequens eſt, hominem homini inſidiari nefas eſſe.* Quæ Florentini Propoſitio Cauſalis eſt, & probat minus quam vult, & plus, quam debet.

An cognatio inter ſolos homines ſit?

An ad Ius illu Naturale pertineat?

Cur homicidiū ſententia Florentini ſit malum?

Probat minus quàm vult, & plus quàm debet Florentinus.

Sanè, minùs quàm vult, quia ſi ideò inſidiari homini hominem nefas eſt, quia omnes homines cognati ſunt ſequeretur non fore nefas inſidiari homini, quem Deus crearet ex nihilo, quia is hominibus, qui nunc exiſtunt, nullo cognationis genere devinctus eſſet. Et probat plus, quam debet, quia homicidium cum parricidio confundit: nam cognatos occidere ad parricidii lineam pertinet; & tamen Germanus qui Indum occidit in parricidii genere peccaviſſe non dicitur, quoniā Germani, & Indi non ſunt conſanguinei.

Vera & clariſſima ratio propter quam homicidium peccatum ſit.

Vera ratio ex Divino Præcepto deſumitur: ideò enim hominem homini inſidiari non licet, quia Deus inhibuit: & ideò ſe defendere homo poteſt cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia id Deus permiſit. Sed hæc Theologica ſunt, revertamur ad lineam. Vide *legem 45.in fin.ad leg.Aquil.* & *leg.1. C.unde vi.*

An Reſpublica ſit Civium Domina? An adminiſtratrix tantummodo?

Sed & idem Faber *ad §.16. D. de orig. Iuris.* [Sola autem Reſpublica domina eſt omnium, qui in Republica naſcuntur; cum Reipublicæ, & Patriæ ſuæ quiſque naſcatur prius, quàm parentibus, atque adeò quàm ſibi ipſi *leg.1.§.& generaliter 15.de ventr.in poſſeſſ.mitt. leg.1.ad leg.Iul. Majeſt. leg.19. §. filius 7. de captivit. & poteſt. leg.14.§.Plebei 4.de mun. & honor.*] Etiam hic exorbitat Faber; non enim Reſpublica eſt Domina Civium, nec benè ex hoc dominio probat vitæ, & mortis poteſtatē in ſubditos.

An homo ſit ſui corporis dominus?

Nemo eſt membrorum ſuorum dominus *leg. 13. ad leg. Aquil.* & tamen unuſquiſque poteſt manum vel pedem præcidere, ut vita totius corporis conſervetur.

Vnde habeat Reſpublica quod poſſit ſubditum occidere?

Ergo, cùm ſinguli ſint membra Reipublicæ, etſi illa non ſit eorumdem domina, illos poterit è medio tollere, ut conſervetur bonum publicum; melius eſt enim, ut unus perdatur, quam unitas. Eſt autem homo ſui corporis adminiſtrator, & Reſpublica ſuorum membrorum adminiſtratrix, & hinc in utroque naſcitur omnis, quam habet, excidendi poteſtas.

IVS ἀνάγραμμα eſt VIS.

Tam ſunt ſimiles IVS, & VIS, ut interdum, ubi ſola Iuſtitia dominari deberet, ſola potentia, & violentia præſcribat, quod obſervavit, & luxit Petronius his numeris.

Quid faciant leges, ubi ſola potentia regnat:
Aut ubi paupertas vincere nulla poteſt?

Si ita corrupti ſint Reipublicæ mores, ut temeritas legum poteſtatem excludat,

Non omninò concedendum eſt malis,
Sed reſiſtendum: ſin minus ſurſum, atq; deorſum
Vita noſtra inopinatè tota pervertetur,

Menander *in Adelphis.*

Quid requiratur ut Excluſiva Propoſitio ſit vera?

Excluſiva duas virtute propoſitiones includit, & tametſi formam externam Categoricæ habeat eſt verè Hypothetica: nam hæc enunciatio, *ſolus homo eſt rationalis* duas imbibit: nimirùm has, *Homo quidem eſt rationalis, & nihil aliud ab homine eſt rationale*, quarum prior vocari *Incluſio* poteſt, & poſterior *Excluſio*. Ergo ut Excluſiva vera ſit, poſtulat utraque pars ſit vera; erit falſa, ſi altera, aut utraque falſa ſit. Pono exempla. Hæc aſſertio, *Inter animantes ſola rationalis eſt aurea*, falſa eſt, quoniam æquivalet huic, *Animans rationalis eſt aurea, & nulla alia eſt aurea*, in qua prima pars falſa eſt. * Hæc autem, *Inter equos tantum Bucephalus eſt hinnibilis*, eſt ſimiliter falſa, quoniam reddit hunc ſenſum, *Bucephalus eſt hinnibilis, & nullus alius eſt hinnibilis*. Et hoc poſterius falſum eſt. * Tandem hæc, *Inter animalia ſolus homo eſt irrationalis*, eſt etiam falſa, tranſit enim in hanc, *Homo eſt irrationalis, & nullum aliud animal eſt irrationale*, cujus utraque pars falſa eſt.

Quomodo negetur excluſio?

Sed quomodò Excluſiva negabitur? Siquidem ipſa dicit duo, ſi alterum negetur, negabitur ſi negatio excluſivam particulā *ſolùm, tantùm, dumtaxat* &c. aut nomen *Solus, a, um*, affecerit admittet incluſionem, & excluſionem negabit. Pono exemplum.

An Adoptans in adoptatum habeat mortis, & vitæ poteſtatem?

Dicebant aliqui. *Tantùm naturales liberi in poteſtate parentum ſunt*. Cujus ſenſus eſt, *Naturales liberi in poteſtate parentum ſunt; non autem alii (nimirùm adoptivi.)* Videbatur enim nimis durum, ut qui ſui juris eſſet, ſe alicui per arrogationem ſubjiceret, qui in ſe habiturus eſſet mortis, & vitæ poteſtatem. Nam, ſi cauſam inſpicias, arrogatio fiebat hæreditatis intuitu, & ſi eſt verum dicere, *Non benè pro toto libertas venditur auro*, cur pro auro vendi ſecuritas vitæ deberet? *De libertate.* Vlpianus apud Cujacium *tit.8.* contradicit; & ex duabus

pro-

Digitized by Google

An parentes in filios habeãt mortis & vitæ poteſtatem?

propoſitionibus, quas excluſiva illa complectebatur, priorem admittit & poſteriorem negat dicens, *Non tantùm naturales liberi in poteſtatem parentum ſunt, ſed etiã adoptivi*. Ergo qui utatur his terminis, *non ſolùm non tantùm, non dumtaxat, non ſolus* &c. incluſionem admittet, & excluſionem negabit. Et hoc oppoſitionis genere his verbis, *Dumtaxat voluntas exploratur* &c. obviant hæc, *Non dumtaxat voluntas exploratur* &c. & his *Inter ſolos homines* &c. hæc *Non inter ſolos homines*. &c.

Quomodo negetur incluſa?

Incluſione negata, locus excluſionem non manet: ut autem negetur incluſio particula Incluſiva delebitur, & propoſitioni addetur *non* quod copulam ipſam afficiat. Pono exemplum. Hæc propoſitio, *Solus leo eſt intellectualis*, continet has, *Leo ſanè eſt intellectualis, & nihil aliud à Leone eſt intellectuale*. Ergo ut neges hanc, *Solus Leo eſt intellectualis*, expunge particulam *Solus* & adde *non*, & dic *Leo non eſt intellectualis*. * Si incluſa ſit negativa, addito *non* in affirmativam convertetur, quia duæ negationes affirmant.

SECTIO II.

De Categoricis, & Hypotheticis.

In Categoricã & Hypotheticã Propoſitionis diviſio.

CLaudat Propoſitionum Claſſes illa diviſio celeberrima, quæ in ſimplicẽ & compoſitam eſt: illam vocant Logici Categoricam, hanc Hypotheticam: rationem nominum non inveſtigo, ne ſine utilitate fatiger. Porrò Categorica, & Simplex eſt, quæ conſtat ſubjecto, prædicato, & copula, ut *Vlpianus fuit Iuriſconſultus*. Hypothetica, & Compoſita, quæ duabus ſimplicibus concinatur, ut

Dat veniam corvo, & vexat cenſura columbam.

Hypothetica ſubdiviſio.

Dividitur autem Hypothetica in Copulativam, Disjunctivam, & Rationalem. Vt Copulativa vera ſit, utraque ſimplex debet verificari. Vt Disjunctiva vera ſit, ſufficit alteram verificari. Vt Rationalis admittatur, non requiritur alteram, aut alteram eſſe veram, ſed alteram inferri ab altera.

Hypothetica compoſitio realis.

COPVLATIVA componitur duabus affirmativis, & unione & tacita, vel expreſſa, ut apud Virg Æneid.6.

—— *Tuus ô Regina quid optes*
Explorare labor: mihi juſſa capeſſere fas eſt.

Compoſitio virtualis.

Sunt duæ ſimplices, & componunt unam propoſitionem. Habet autem Hypothetica (1) plura ſubjecta, & unum prædicatum, ut *Nulla poſſeſſio, nulla vis auri, pluris quàm virtus æſtimanda eſt*. Cicero parad.ult. qui etiam pro C. Rab. dixit. *Virtus, & honeſtas, & pudor cum Conſulibus eſſe cogebat*. (2) unum ſubjectum & plura prædicata: Cæſar: *Veni, vidi, vici*. Cicero. *Abiit, exceſſit, erupit, evaſit*. (3) ſingula ſubjecta apud ſua prædicata: ut *Delirant Reges, & plectuntur Achivi*. Subjectum commune, aut prædicatum commune, ita ſe habet, ac ſi in ſingulis repeteretur.

De adoptione.

Duabus aliquandò negativis conſtruitur. *Neque abſens, neque diſſentiens adoptari poſſunt*, ait Vlpianus *lib. 1. diſp.* additque *Nec adoptare, nec arrogare quis abſens, nec per alium ejuſmodi ſolennitatem peragere poteſt*. Et iterum *libr. 1. de omnibus Tribunalibus* idem Iuriſconſultus *Prætor, nec Tutorem, nec Specialem Iudicem ipſe ſe dare poteſt*.

leg. 24. D. de adopt. & emancip.

leg. 3. D. de off. Præt.

leg. 4. D. in jus vocati.

Dixi, ut Copulativa vera ſit, non ſufficere alteram partem verificari, ſed utramque debere, quod perſuadeo ex Vlpiano *lib. 38. ad Edictum* dicente. *Qui duos homines in judicio ſiſti promiſit, ſi alterum exhibet, alterum non: ex promiſſione non videtur eos ſtetiſſe, cùm alter eorum ſit exhibitus*. Promiſſio erat, *Ego ſiſtam Cajum & Lucium*, vel ad longum, *Ego ſiſtam Cajum, & ſiſtam Lucium*. Ergo, ut hæc copulativa vera ſit, debebo præſtare ut utraque pars verificetur.

An, & cur omnes leges ſint Hypotheticæ?

HIC obiter notare oportet omnes Iuris leges virtualiter eſſe Copulativas Hypotheticas, quod ut intelligas, Theologicam quamdam doctrinam præmitto ex Magiſtro *libr. 3. diſt. 4. quæſt. 1.* & Ægidio Columna *ibid. part. 3. art. 3. dub. 1.* Erant verba Magiſtri. *Vno nominato in Divinis omnes tres intelliguntur*, quæ non videntur eſſe vera, dicimus enim Dei Filium Incarnatum eſſe, & non propterea omnes tres intelliguntur; immò nec intelligi poſſunt non enim fuerunt omnes tres incarnati. Illa ſcitè exponit ipſe Ægidius dicens *Verba Magiſtri, vel Auguſtini* (nam ex Auguſtino deſumpta) *intelligenda eſſe in his, quæ ſunt eſſentialia, non perſonalia* &c. *In talibus ergo nominato uno omnes tres intelliguntur, propriè loquendo. Nam loquendo appropriatè non eſt inconveniens quod eſt commune omnibus tribus perſonis, appropriari uni perſonæ tantùm*. Vnde in Apoſtolorum Symbolo illa verba, *Credo in Deum Patrem Creatorem Cæli, & Terræ*, juxta Auguſtini, & Magiſtri Regulam, ſi in ſenſu proprio, & rigoroſo accipiantur, æquipollent his. *Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, qui ſunt unus Deus, qui creavit Cælum, & Terram.*

An, & quando una Divina Perſona nominata omnes tres intelligantur?

An, quæ ad omnes tres pertinent, uni appropriantur?

Vu-

Vnde Auguſtinus *libr.5. de Trinit.cap.13.* apud Ægidium Romanum *in 3. diſt.9. part.3.qu.3.art.2.§. reſpondetur*, ſic inquit. *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt unus Deus, & unum Principium ad Creaturam, non duo, vel tria Principia*. Et hne tamen non obeſt quod propter ſpeciales rationes Cæli, & Terræ creatio, quæ omnibus eſt perſonis communis, approprietur tantummodo Patri.

In omni lege tres aut plures perſonæ concurrunt.

Hine ad leges venio, & quia in ipſis eſt (1) Iuriſconſultus (Vlpianus, Papinianus, Panllus &c.) qui rationem naturalem ſequutus, verba protulit. (2) Inſtinianus, qui illa eadem materialia Iuriſconſulti verba, quæ ab Authore ſuo vim obligandi non habebant, authoritate Cæſarea roboravit, & ut ab omnibus obſervarentur præcepit. (3) in locis Imperio ſubditis Imperator nunc regnans; [& in locis exemptis Princeps, qui illas leges admittens eaſdem tulit; & qui nunc illas conſervans, etiam nnne fert latione moraliter habituali, & continna, & virtualiter perſeverante.] concurrunt; hæc Regula reneti debet videlicet, *In legibus Iuriſconſulto* (Papiniano verbi gratia) *nominato, omnes tres* (nimirum Papinianus, Iuſtinianus, & Leopoldus I. aut quicumqne alius hic & nunc ſit Princeps, penes quem ſit leges ferendi ſumma authoritas) *intelliguntur*. Quam ego Regulã Ægidium Columnam imitatus dilucido, dicens, *Intelligenda eſſe in his, quæ ſunt Civilia, & ad Politicam pertinent Iuriſdictionem; non autem in illis, quæ ſunt Naturalia, aut Hiſtorica* &c. *In talibus enim* (Civilibus) *nominato uno omnes tres intelliguntur, propriè loquendo. Nam loquendo appropriatè, non eſt inconveniens, quod eſt commune omnibus tribus perſonis appropriari uni perſonæ tantum, ob aliquam ſpecialem rationem: nempè, Iuriſconſulto ut Doctori, Iuſtiniano ut Legislatori, & Leopoldo I. ut Conſervatori.* Rem totam exemplis dilucido.

Vno nominato omnes tres intelliguntur.

Sed quando?

leg. quodquis D. de reg. jur.

Paullus *lib.2. ad Edict.* ſic inquit, *Quod quis dum ſervus eſt, egit, proficere libero facto non poteſt*. Eſt lex merè Civilis, & potuit aliter concipi, ſi Princeps voluiſſet. Citatnr Paullus. Ajo illo nominato omnes tres (Paullum, Iuſtinianum, & Leopoldum) intelligi: unde colligo hanc Propoſitionem *Paullus inquit*, ut ut videatur Categorica, eſſe Hypotheticam, nam æqnivalet huic, *Paullus, Iuſtinianus, & Leopoldus inquiunt* (aut indicunt.)

In Iure ſunt multa poſita ſpeculativè: quibus authoritatem Cæſaream Iuſtinianus non addit.

Illa, quæ Vlpianus, aut alii de Iure Naturali, & Gentium ſcripſere, ſpeculativa ſunt, & à Iuſtiniani, Leopoldi, aut aliorum Imperatorum Majeſtate, Authoritate, aut Iuriſdictione non dependent: nec ipſa, ſi forte falſa eſſent, redderentur vera poteſtate Cæſarea. Quæ enim *leg.3. D. de his qui ſunt ſui vel alieni juris*, & alibi de Patria poteſtate dicuntur, & jam ſunt re melius perpenſa reformata nimia erant, & à Cajo *libr.1. Inſtit.* dicta, ita ut pro illis Iuſtinianus non poſſit citari qua Imperator. Si enim jus naturale homicidia universa interdicit, non poteſt Ius Cæſareum Patri in filios, immò nec domino in ſervos vitæ, & mortis concedere poteſtatem. Ergo ſi hanc Iuſtinianus indulſit, non ut Imperator proceſſit, ſed ut homo privatus; nã ut habet juris canonici Regula XXVI. *Ea quæ fiunt à Iudice* (immo, quæ ab Episcopo, Principe, Imperatore &c.) *ſi ad ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtũt*, nam ut habet Gregorius, *Imperiali conſtitutum eſt ſanctione apertè, ut ea, quæ contra leges* (dirimentes, quales ſunt universæ Decalogi) *fiunt, non ſolùm inutilia, ſed etiam pro infectis habenda*.

Habetur 25. quæſt. 2.

Sunt etiam multa Hiſtorica, quibus Cæſaream authoritatem nõ poteſt Imperator concedere.

Sic etiam omnia illa, quæ toto Titul. *de origine Iuris* dicuntur, ſunt Hiſtorica, & præcipnè ex Pomponio *lib ſing. Enchirid.* traduntur, pendent à fide Authorum, non à dignitate Cæſarea: quamobrem, ſi nec Romulus, nec Lucretia, nec alii, quorum meminit Romanorum hiſtoria in Mundo fuerunt, quod multi conantur oſtendere: ſi nec illa, quæ à Romulo; nec illa, quæ ob Lucretiam à Populo facta dicuntur, uſquam fuerunt; non reddentur vera, etſi Cæſarea illis accreſcat, & ſubveniat authoritas. Illa igitur à Iuſtiniano referuntur ſolummodò, non autem authoritate Imperatoria confirmantur.

Concluſio.

Stat igitur in Iure eſſe Poſitiones ſpeculativas, Hiſtoricas, & Politicas: in his (Politicis) cum citatur Iuriſconſultus, etiam Iuſtinianum, & Supremum Principem, qui hic, & nunc imperat tacitè coadlegari; adeoque universas Propoſitiones, quæ categoricæ videntur, Hypotheticas eſſe juxta ea, quæ paulò antè §. *Paullus* ſunt dicta: in illis verò (ſpeculativis, & Hiſtoricis) nec Iuſtinianum, nec alium Imperatorem, aut Principem ſubintelligi, ſed fidem eſſe penes Iuriſconſultum, qui citatur adeoq; in hujuſmodi caſibus Propoſitionem *Iuriſconſultus N. dixit* Categoricam eſſe.

Quid Disjunctiva ſit?

DISIVNCTIVAM conſtituit particula *vel*, aut alia ſimilis. Ovidius *libr.4. eleg.5. de officio Conſulis*

Aut reget ille ſuos dicendo jura Quirinos,
Cõſpicuũ-ſignis dum premet altus ebur.
Aut populi reditus poſitam componet ad haſtam,

Et minui magna non ſinet urbis opes.
Aut, ut erunt Patres in Iulia templa vocati,
De tanto dignis Conſule rebus aget.

An reditus, an verò redditus ſit ſcribendum?

[Et hic obiter notato (1) ex tertio verſu, *reditus* dici à redeo, non autem *redditus* à reddo, & notato (2) ex ultimo illud *De* non afficere Conſulem, ſed res; nam ſenſus eſt, *Aget de rebus dignis tanto Conſule.*]

Sunt Hypotheticæ re, vel virtute.

Sunt duæ ſimplices Propoſitiones per particulam *vel*, aut aliam ſimilem in Hypotheticam disjunctivam Propoſitionem coeuntes, quoties vel ſunt duo prædicata, & duo ſubjecta, vel unum prædicatum & duo ſubjecta, vel duo prædicata, & unum ſubjectum: ut *Aut Cæſar eſt Romæ, aut Pompejus in Africa. Vel Petrus, vel Paulus loquitur. Aut pati, aut mori S. Thereſia deſiderabat.*

Particula disjunctiva, vel copulativa, aliquando intermittitur.

Non ſemper disjunctio expreſſe ponitur, aliquandò enim ſubintelligitur, & ſubticetur; quod ipſum dicere de copula poſſumus: nam illud Ciceronis, *Diſceſſit, erupit, evaſit.* Eſt, *Et diſceſſit, & erupit, & evaſit.* Audi Iuſtinianum *lib. 1. Inſtit. cap. 2.* dicentem. *Scriptum Ius eſt lex plebiſcita, Senatusconſulta, Principum placita, Magiſtratuum edicta, reſponſa prudentum:* in qua *Ius*, aut ſubjectum, aut prædicatum eſt. Si primum, cætera omnia ſumuntur disjunctivè, non enim, ut Ius ſit requiritur, ut ſimul ſit & lex, & plebiſcitum, & Senatusconſultum &c. ſed ut disjunctim ſit, vel lex, vel plebiſcitum, vel Senatusconſultum &c. Si verò *Ius ſit* prædicatum, tunc omnia illa ſumuntur diſtributivè; nã & lex, & plebiſcitum, & Senatusconſultum, & quodcumq; ex cæteris eſt Ius: non ſecus, ac ſi diceres ſumendo *animal* pro ſubjecto, *Animal eſt vel rationale, vel irrationale.* Et ſumendo animal pro prædicato, *Et homo, & brutum eſt animal.* Huc etiam pertinet *lex 54. D. de Procuratoribus* ibi enim Paulus *libr. 50. ad Edictum*, ut quinam eſſe procuratores poſſint, non poſſintque, nos doceat, ait. *Neque fœmina, neque miles, neque qui Reipublicæ cauſa affuturus eſt, aut morbo perpetuo tenetur, aut Magiſtratum initurus eſt, aut invitus judicium pati non poteſt, idoneus Defenſor intelligitur.* Si literæ corticem conſiderem, dicam hanc poſitionem in ipſomet initio eſſe copulativam, & negationes connectere, ut conſtare videtur ex particula *neq;* iterum & iterum poſita: & poſteà tranſire in disjunctivam, ut ex particula *aut* pluries interjecta colligitur. Si verò ſenſum mediter dicam eum clarum eſſe; adeoq; ſi illud *neque* afficiat verbum *intelligitur* Poſitionem à Iuriſconſulto hoc prolatam, æquivalere huic, *Non intelligitur idoneus defenſor, qui eſt aut fœmina, aut miles, aut Reipublicæ cauſa affuturus, aut morbo perpetuo detentus, aut Magiſtratũ initurus, aut privilegio fruens ne invitus ad judicium trahatur* quæ eſt disjunctiva: ſi autem eadem vox *neque* alias voces infinitet, & tamen verbum *intelligitur* non tangat, erit propoſitio copulativa nimirùm negationes devinciens hoc modo. *Idoneus Defenſor intelligitur qui neque eſt fœmina, neque Miles, neque Reipublicæ cauſa affuturus, neque morbo perpetuo detinendus, neque Magiſtratum initurus, neque privilegio ſuffultus, ne invitus in judicium trahatur.* Ergo oportet ex ſenſu de Propoſitionum genere judicare: quoniam veteres Iuriſconſulti interdum ut eloquentiæ ſatisfacerent, & vocem eamdem non repeterent, ſetipſerunt nonnulla, quæ præter vocum rigorem Dialecticus interpretatur.

Quis idoneus defenſor ſit?

De Iure ſcripto. Quid illud iuſte Iuſtiniano ſit?

Propoſitio Nec Petrus, nec Ioannes hoc fecit, non eſt Disjũctiva, ſed Copulativa: quoniam negationes conjungit.

Verbum intelligitur conſideratur, & dilucidatur.

Disjunctivæ diviſio.

In Aſſertoriam, & Obligatoriam disjunctiva diſpeſcitur: illa affirmat, hæc præcipit, aut promittit. In utraque ſervabitur veritas, ſi alterutra pars vera ſit: nam, ſi dicas, *Prætor, aut Petrum, aut Ioannem citavit.* Si ille Petrum, & non Ioannem; vel ſi Ioannem, & non Petrum, vel etiam utrumque citaverit, verum dicis: falſum, ſi citaverit neutrum. In Disjunctiva, ut utrumq; membrum verificetur, nunquam requiritur: immò interdum id implicat, puta, ſi illa opponantur inter ſe, ut cum dicimus, *Quidlibet eſt, vel non eſt.*

Aſſertoria vel obligatoria illa eſt.

Obligatoria l. 2. §. Fuit poſt eos. D. de orig. Iur.

Vt obligatoriam intelligas, adducere proderit hiſtoriam, quam *lib. ſingul. Enchirid.* proponit, & recenſet Pomponius his verbis. *Deinde Quintus Fabius, qui ad Carthaginenſes miſſus Legatus, cum eſſent duæ teſſeræ poſitæ, una pacis, altera belli arbitrio ſibi dato, utram vellet referret Romam, utramque ſuſtulit & ait. Carthaginenſes petere debere, utram vellent accipere.* Carthaginenſes igitur tradendo duas teſſeras, alteram, quæ præſeferebat caduceũ, & erat pacis ſymbolum; & alteram, quæ referebat haſtam, & indicebat bellum eligendi neceſſitatem volebant Romanis imponere: verùm Q. Fabius glorioſius forè hujuſmodi neceſſitatẽ imponere, quam pati ratus; ut à Pœnis Romani obligarentur non ſuſtinuit; ſed accepta utraq; regeſſit in Pœnos illam ipſiſſimam neceſſitatem.

Teſſeræ pacis & belli qualeſ?

An ſit inferioris eligere?

De verificatione hujuſmodi Propoſitionum.

Igitur Aſſertoria eſt propoſitio de præſenti, aut præterito; obligatoria eſt de futuro. Pono exempla, *Aut impedire non potuit, aut tacitè conſenſum præbuit. Aut vult, aut non vult. Aut faciet hoc, aut illud.* Prima, & ſecunda jam eſt vera, vel falſa: vera, ſi alterum membrum verum

ſit;

ſit ; falſa , ſi neutrum. At ultimæ veritas à futuro dependet. Sed penes quem eſſe debet electio? Si disjunctivè voveris, vel promiſeris, tibi jus eligendi reſervas; ut, ſi dixeris, *eleemoſynam, aut orationem voveo*, aut orare, aut eleemoſynam elargiri teneberis: ad alterum tamen erit, & non ad utrumque obligatio & tu eligere poteris utrum implere velis. Si tuo ſubdito disjunctivè præceperis; puta dicendo. *Aut non utaris domo hac, aut pendas decem.* Ille præcepti vi, aut non uti hac domo, vel pẽdere decem tenebitur. Obligatio erit ad alterum, non ad utrumque: ſi ſolvat, poterit domo uti, ſi non utatur, non tenebitur ſolvere. Sed penes quem erit electio? Penes ſubditum; huic enim deliberare licet, an hoc, vel alterum implere velit. Firmat hoc Bonifacius VIII. Regula LXX dicens, *In alternativis debitoris eſt electio: & ſufficit alterum adimpleri.* [Vide Laimanum *lib.3.tract.4.ſect.5.cap.5.num.5.* & *libr.4.tr.4.ſect.8. cap.3.num.22. fol.164.*] nam ſi voveas, te ipſum; ſi præcipias, ſubditum debitorem conſtituis: in promiſſione igitur eſt voventis electio: in præceptis verò, electio eſt ſubditi. Et hic obiter nota omnem legem merè pœnalem eſſe disjunctivam; tenetur enim ſubditus, aut rem præceptam facere, vel pœnam ſubire: idem enim eſt dicere, *Ne egrediaris domo ſub mille aureorum pœna*, ac dicere *Iubeo, ut vel maneat domi, vel mille aureos pendas.* Qui rem indictam negligit, & pœnam ſubit, non poteſt vocari inobediens. Qui nec rem injunctam exſequi vult, nec pœnam luere, peccat moraliter; communis enim vitæ pactum prævaricatur, & obedientiam Principi juratam temerat. Vide noſtram Theologiam Regularem à *num.34.*

In voto disjunctivo vovens eligit.

In præcepto disjunctivo ſubditus.

In debito disjunctivo debitor.

Omnis pœnalis lex eſt disjunctiva.

CONDITIONALIS character eſt particula *ſi*, ut *ſi juſſeris, ibo*. Vt verificetur, non poſtulat, ut ponatur conditio; non ut ponatur conſequens; nempe id, quod conditionem ſequitur; ſed ut ponatur conſequens, in caſu, quo purificetur conditio. Et convertendo oculos ad exemplum, quod dedi: ut illa verificetur propoſitio, non requiritur, ut tu jubeas, non ut vadam: ſed ut vadam ſi juſſeris.

Quæ ſit conditionalis propoſitio? Quando verificetur?

Omnia vota, juramenta, & præcepta disjunctiva poſſunt congruè ad conditionalia reduci: nam, qui voto, aut juramento, aut præcepto, *vel Miſſam audire, vel Roſarium recitare* tenetur, non ſolùm disjunctivè, ſed conditionatè obligatur, nempe ad audiendam Miſſam, ſi Roſarium nõ reciter, aut ad illud recitandũ, ſi hanc audire noluerit. Si neutrum faciat peccaturus.

Conditionaliũ & disjunctivarum affinitas.

Habemus in jure clariſſima hujus veritatis exempla. Vlpianus *libr.8. de offici° Proconſul.* Servis injuſtè afflictis proſpicit dicens. *Si dominus in ſervos ſæviat, vel ad impudicitiam, turpemque violationem compellat, quæ ſint partes Præſidis ex reſcripto D. Pii ad Ælium Martianum Proconſulem Bætica manifeſtatur.* Vnde ſi purificetur conditio, ſervi juſſu Proconſulis venire debent, ita ut in priorum dominorum poteſtatem non redeant. Inquit D. Pius Imperator. *Quod ſi mea conſtitutioni fraudem feceris, ſciat me* (crimen) *admiſſum ſeveriùs exſequuturum.* Ecce legem pœnalem forma conditionali expreſſam: nam ſupplicium minatur Proconſuli, ſi inobedientiæ crimen admiſerit. Et idem Vlpianus, ut ab Avorum ſceleribus, & pœnis eximat nepotes *libr. 26.* ad Sabinum, ſic ſtatuit. *Si qua pœna pater fuerit affectus, ut vel civitatem amittat, vel ſervus pœna efficiatur ſine dubio nepos filiò loco ſuccedit.*

leg. 2. D. de his, qui ſunt ſui vel alieni juris. *Servi ſunt modeſtè, & pudicè tractandi.*

Ibidem. *Avorum culpa & pœna ad nepotes non tranſeunt.* l. 7. cod. titul.

Hic obiter notari oportet, interdum videri conditionatas quæ nullam involvunt conditionem, ſed addunt onus, Audi Hiſpanum. *Yo matare oy a Pedro con condicion, que vos mañana os caſeis con Aurelia.* Non eſt conditionalis propoſitio; nam deberet in linguam latinam ſic verti. *Occidam hodie Petrum, ſed hac lege* (hoc pacto) videlicet, *ut tu cras ducas in uxorem Aureliam.* Non eſt conditionalis, ſed oneroſa conventio. Et hoc demonſtro. Ego hodie ſum homicidium commiſſurus. Et quid ſi cras non purificetur conditio? anne ideò erit homicidium invalidum, & vitam recipiet occiſus? Ergo illa verba non involvunt aliquam conditionem, ſed inferunt onus, & gravamen. Hæc etiam verba ſimilia ſunt, *Yo perdono a Franciſco el haver muerto a mi Sobrino, con condicion, que no entre en eſta Ciudad en tres años.* Nullam ipſa conditionem important, nam æquipollent his. *Ego Franciſco mortem mei nepotis condono: hac nimirùm lege (hoc pacto) ut per triennium non intret in hanc Civitatem.*

Non omnes ſunt Conditionata Propoſitiones, quæ tales videntur.

Interdum Oneroſa quoad verba eſt ſimilis Conditionali.

Sæpe apud Hiſpanos nomen Condicion *nõ conditionem, ſed obligationẽ ſignificat.*

Hinc ſolvitur quæſtio, quæ inquirit, *An ſit validum pactum, quod ſæpè in remiſſionibus opponitur, nimirùm, ut inquiſitus ad locum delicti perpetuò aut per decennium accedere poſſit?* Varias fuiſſe hac in re Iuriſperitorum Deciſiones reperio. Audi Illuſtriſs. D. de Marinis illas doctè, & eruditè proponentem. *Eſt videndus,* inquit, *Maſtrill.* deciſ. 38. per tot., *&* *Rovitus* in d. Pragmat. 8. n. 17. *ubi negativè deciſum referunt; affirmativè autem teſtatur decretum Regens Salernit.* deciſ. 26 *quam vide. Et quid, ſi per minus tempus*

Onera, quæ in remiſſione ponuntur nõ reddunt illam conditionatam.

An Definitiva ſententia poſſit à futura conditione pendere?

decennio? videndus eſt Gizarell. deciſ. 11. *&c.* Sententia negativa hujuſmodi remiſſionem eſſe conditionatam ſupponit, & non vult, quod ſententiæ definitivæ à futura conditione pendeant, cujus oppoſitum tenuit, & decrevit Sacrum Concilium Neapolitanum 15. Maij 1631. ſtatuens ut eſſet nulla remiſſio, & conſequenter compoſitio quæ illi remiſſioni inſiſtebat. Puto autem Ego ſententias definitivas, & partium compoſitiones Regia authoritate confirmatas eſſe de re certa, & non pendere ab eventu futuro, ſi purificetur aut non purificetur conditio. Quam ob rem ajo remiſſiones, quæ materialiter, & ſecundum literæ tenorem videntur conditionatæ formaliter eſſe abſolutas, & gravamen adjicere, quod debet omninò ſervari. Nam Sacr. Concilium apud Gizarell. validam eſſe remiſſionem à patre occiſi factam cum conditione, ne inquiſitus per quinquennium ad Neapolitanam Civitatem accederet. Nam tametſi ipſum acceſſiſſe illuc probatum fuerit, non ideò putarunt Domini Conſiliarii remiſſionem inquiſito conceſſam reddi vel eſſe nullam, ſed juſſerunt eumdem ad pacti in remiſſione expreſſi inquiſitum compelli. Illam ergo remiſſionem non fuiſſe conditionatam judicarunt. Hujus caſus Thor. *in 2. part. compend. verb. remiſſio facta.* Rou. *deciſ.* 4. *num.* 8. D. de Marinis *libr.* 1. *Reſol. cap.* 2. *num.* 35. & alii meminerunt.

Remiſſiones criminum, quæ ſecundum rigorē verborum Grāmaticam ſunt conditionata, interdum ſunt juridicè ſumpta abſoluta.

Quæ Rationalis poſitio ſit?

RATIONALIS eſt Hypothetica compoſita ex duabus ſimplicibus Propoſitionibus, quarum prior inferat poſteriorem particulâ *ergo*, aut alia æquipollente affectam ut *Sol lucet, ergo dies eſt.* Huc pertinet tota lex, *Qui in utero 26. D. de Statu hominum*, in quâ præmittuntur nonnulla, & additur, *His conſequens eſt, ut libertas, &c.*

l. 4. D. de rer. diviſ. Quæ cauſales?

Ad Rationalem pertinet CAVSALIS. Illius character eſt particula *Quia*, quæ denotat cauſalitatem. Martianus, An mare liberum ſit, rogatus, *libr. 3. Inſtitut.* reſpondit dicens. *Nemo ad littus maris accedere prohibetur, piſcandi cauſa: dum tamen villis, munimentis, & ædificiis abſtineat: quia non ſunt Iuris gentium, ſicut mare.* De hoc argumento prodierunt his ultimis annis Libri duo, quorum alter mare liberum, alter clauſum inſcribitur.

Cauſa in materialem, Formalē, efficientem, & Finalē diviſa.

Vt melius Cauſales Poſitiones intelligas, ſcire oportet ex Phyſicâ cauſas reales dividi in internas, & externas. Illæ ſunt Materialis & formalis, ut in homine Corpus, & Anima quæ illum intrinſece componunt, & conſtituunt. Iſtæ ſunt efficiens, & Finalis prior rem producit & ratio ob quam prior operatur, eſt cauſa posterior.

Addunt Cauſam exemplarem nonnulli, ſed quia etiam Intentionalis eſt, congruè poterit ad finalem reduci. Sed de his Cauſis uberius in Philoſophicis, quando Phyſicam moraliter examinabimus.

De cauſa exēplari.

Mutata altera cauſa intrinſeca mutatur ſubſtantia.

Idem effectus mutatis cauſis intrinſecis manere non poteſt: nam homo qui habet corpus A. & animam B. non eſſet idem numero, ſi aliud corpus, aut aliam animā ſortitus eſſet: in Grammaticâ Audaci id expoſui clariſſimo, & aptiſſimo exemplo, nam ſi dictionem AS (notiſſimam Geometris, qui aſſem in duodecim uncias dividunt, & alia ſicut aſſem partiuntur; notiſſimam, & Iuriſperitis, qui hæreditatem aſſem eſſe ſupponunt, aliumque jubent ex aſſe, alium ex triente, alium ex quadrante, &c. hæredem eſſe:) ob oculos ponam, ſic diſcurram; Duas habes literas, ex quibus, ſi primam aut ſecundam mutes datam dictionem tollis, & aliam diverſam ſubſtituis v. g.

De Aſſe.

AS. *mutando primam literam.* ES. IS. OS. &c.

AS. *mutando autem ſecundam.* AB. AC. AD. &c.

Petrus dicit ſingulare Corpus, & ſingularem Animā. Et, ſi vel illud vel hæc mutaretur, non eſſet Petrus.

Ergo ſicut dictiones ES, IS, OS, &c. AB, AC, AD, AT, &c. non ſunt dictio AS. ſic ſimiliter, ſi in Petro, aut mutaretur corpus, aut anima, non maneret Petrus.

At unus, & idem effectus à duabus totalibus extrinſecis prodire poteſt: nam, ſi individuatio à materiâ ſignatâ quantitate ſumatur, idem calor numero, qui à Sole producitur poteſt produci ab igne, &c. & veniendo ad cauſam Finalem, poſſum habere duas vel plures cauſas totales eundi Romam; puta, ſi habeam plura negotia, quorum ſingula meam præſentiam requirant.

An duæ cauſæ extrinſecæ eūdem numero effectum poſſint producere?

In effectibus negativis hæc doctrina evidentiùs conſpicitur; nam ſæpe eadem negatio aut privatio oritur à cauſis diverſis. *Pono exempla.* ° Phyſici hanc formalitatem negativam, *Non ratiocinari* conſiderant, & quia nec Bruta, nec Angeli ratiocinantur concludunt illis obeſſe, ne ratiocinentur nimiam imperfectionem; his autem nimiam perfectionem quoniam ratiocinari modus res percipiendi eſt excedens perfectionem Brutorum, Angelorūque ſummam præſtantiam non attingens. ° Theologi hanc formalitatem *Non eſſe filium adoptivum*, etiam negativam, contemplantur: &, ſi interroges Cur nec leo, nec Chriſtus ſint filii Dei adoptivi? reſpondent, illum eſſe hujuſmodi adoptionis incapacem propter imperfectionem:

De effectibus negativis.

Cur Bruta & Angeli non ratiocinentur?

Cur Leo, & Chriſtus non ſint filii adoptivi Dei?

qui

qui enim perſona intellectualis non eſt, adoptari non poteſt: hunc eſſe ejuſdem adoptionis incapacem propter perfectionem: qui enim naturalis eſt filius, adoptionis eſt incapax. * Tandem Iuriſtæ hanc formalitatem, *Non poſſe eſſe teſtem*: ſimiliter negativam meditantur; & quia nec Senator, nec carnifex advocantur in teſtes, ſi cauſam poſtules reſpondebunt carnificem, & quemcunque infamem hominem eſſe Teſtem non poſſe, quia caret authoritate ut ſuum Teſtimonium omni exceptione eſſe majus cenſeatur. Addent Senatorem cogi, ut ferat teſtimonium non poſſe ob nimiam dignitatis authoritatem.

Cur nec carnifex, nec Senator advocantur in teſtes?

* Hinc lux Marcello, qui *lib. 3. Digeſt.* ſic inquit. *Caſſius Longinus non putat ei permittendum, qui propter turpitudinem Senatu motus, nec reſtitutus judicare vel teſtimonium dicere, quia lex Iulia repetundarum hoc fieri vetat.* Eſt propoſitio Cauſalis, ut conſtat ex particulâ *quia*.

Caſſii Longini Opinio.

Particula quia Cauſalem Propoſitionem conſtituit.

Et contra Caſſium ſic poſſumus argumentari. Senator, quandiu Senator eſt, nec judicare poteſt, hoc eſt pedanei Iudicis exerceri moleſtiis; nec cogi poteſt, ut teſtimonium dicat: quia ſunt hæc omnia aliena à regia eorumdem dignitate, niſi cogat neceſſitas, & bono publico proſpici alio modo non poſſit. Tuoc ſic non poſſe eſſe Iudicem, nec poſſe cogi ut teſtis ſit, ſunt Senatoriæ dignitatis privilegia. Qui ergo à Senatoriâ dignitate eſt depoſitus, Senatoria omnia privilegia amiſit. Ergo, & hæc duo. Ergo, & Iudex, & teſtis eſſe poteſt.

Dignitatis Senatoria Privilegia.

Senator depoſitus privilegiis exuitur.

Reſpondeo *Nec Iudicem, nec Teſtem eſſe poſſe*, eſſe formalitatem quamdam negativam, quæ à diverſis cauſis oriri poteſt. Senatores ob dignitatis eminentiam *leg. inviti 8. ob carmen* 21. §. 1. *de teſtibus*, & homines infamia notatos afficit ob indignitatem, qui enim crimina propudioſa commiſit, ut vel judicet aut teſtimonium perhibeat, non eſt dignus, *leg. quæſitam* 13. *de teſtibus*. Senator enim, cum deponitur, amittit Senatoria privilegia: &, ſi ſine ignominia deponeretur, & teſtis, & judex eſſe poſſet; at, quia ob turpitudinem deponitur, ab ignominiâ, ut neutrum eſſe poſſit conſequitur. Quam ob rem non poſſe cogi in teſtem aut Iudicem, quod in Senatore præmium eſt, & dignitatis gloria in notatis & vilibus hominibus eſt ſuplicium, ſtatuſque in quem ſuâ culpâ ſunt prolapſi ignominia. Vide Fabrum *in Rationalibus ad dictam leg. Caſſius*. qui dum brevitatem affectat, non ita dilucidè textum expendit.

Cur non poſſit?

An eadem res in præmium, & ſupplicium in gloriam, & ignominiam poſſit mutatis circumſtantiis concedi?

Similitudinaria Propoſitio.

Eſt ultimum Ratinnalium Propoſitionũ genus in quo duas ſimplices nectit ſimilitudo, quæ his particulis *ſicut* &c. *ita* &c. aut aliis ſimilibus exprimi ſolet. Ariſtoteles apud Pomponium *libr. 6. ad Plautium* ſic diſcurrit. *Sicut id quod in mari ædificatum eſſet, fieret privatum, ita quod à mari occupatum eſt fiet publicum.*

leg. 10. D. de rer. diviſ.

Hypotheticæ rationales, quæ à ſimilitudine inferuntur apud Iuriſconſultos cõmuniſſimæ, & frequentiſſimæ ſunt: nam ex uno illi caſu ad ſimiles prudenter diſcurrunt, quoniam ut *libr. 59. Digeſt.* Iulianus ait. *Neque leges, neque ſenatuſconſulta ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur: ſed ſufficit ea, quæ plerumque accidunt, contineri.* Et prius *lib. 15.* dixerat. *Non poſſunt omnes Articuli ſingillatim, aut legibus, aut Senatuſconſultis comprehendi, ſed cum in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, is, qui juriſdictioni præeſt ad ſimilia procedere, atque ita Ius dicere debet.* Conſonat Vlpianus *lib. 1. ad Edict. Ædilium curulium* his verbis. *Nam ut ait Pedius quotiens lege aliquid, unum vel alterum introductum eſt, bona occaſio eſt, cætera, quæ tendunt ad eamdem utilitatem, vel interpretatione, vel certè Iuriſdictione ſupplere.* Vide *leg.* Ius autem 7. de juſt. & jur. l. illud quæſitum 32. in princip. ad leg. aquiliam l. 3. §. unde etiã. de injuſt. rupt. & Fabrum *Rationalium* 10. libr. 1. tit. 3 §. 10. & deinceps.

Ex uno caſu ad alium per ſimilitudinem diſcurrunt Iuriſconſulti.

An de omnibus omnino rebus Leges Civiles ferri poſſint?

Quo modo in Iure Paritas rationis vim habeat?

Poſſunt & ſolent hæ Hypotheticarum differentiæ inter ſe commiſceri, ita, ut una & eadem Propoſitio ad duas, vel plures claſſes ſpectet; ut videlicet ſit ſimul copulativa & Rationalis, ſimul conditionalis, & Disjunctiva. Pono exemplum. Vult veram inſtituendi juventutem methodum tradere Iuſtinianus, & ait. *Iura Populi Romani, ita videntur poſſe tradi commodiſſimè, ſi primo levi, ac ſimplici via poſt deinde diligentiſſima atque exactiſſima interpretatione ſingula tradantur, alioqui, ſi ſtatim ab initio rudem adhuc, & infirmum animum ſtudioſi multitudine, aut varietate rerum oneraverimus duorum alterum, aut deſertorem ſtudiorum efficiemus, aut cum magno labore ſæpè etiam cum diffidentia, quæ plerumque Iuvenes avertit, ſeriùs ad id perducemus, ad quod leviore via ductus ſine magno labore, & ſine ulla diffidentia maturiùs deduci potuiſſet.* Ita ille *Inſtit. libr. 1. cap. 1.* Et in una periodo *alioqui* cauſalem particulam, *ſi ſtatim* Conditionalem; *duorum alterum*, aut &c. Disjunctivam invenio.

De Hypotheticarum commiſtione.

Quo modo Cæſareum Ius addiſci debeat?

PArticulæ, quæ Hypotheticas Poſitiones conſtituunt patiuntur interdum ſignificationum parallaxes, & hanc ob rẽ aliqua ſubnotare debemus. Voculæ quibus

De particularum quæ Hypotheticas propoſitiones conſtituunt ſignificatione.

bus præſertim utimur, ſunt hæ. In copulativis, affirmant *ac, atque, &, necnon* &c. negant *nec, non, neque* &c. in Disjunctivis *aut, ſeu, ſive, vel, ve* &c. in Rationalibus *Ergo, igitur,* &c. in cauſalibus *enim, quam ob rem, quia, quoniam* &c. in ſimilibus, & exemplis, *ſicut, ſicuti, ut,* &c. Ergo quando, & quomodo illis abuſi Iuriſperiti fuerint, breviter exponamus.

Ac conjungit. Ac pro ideſt. Ac pro ſicut.

Ac eſt copulativa: & propriè ſumitur *leg. ſiquis 4. de cuſtod. reor. & leg. nullus C. de ſumm. Trinit.* Interdum ſignificat idemtitatem, & æquivalet particulæ *ideſt* ut *in leg. decernimus in pr. C. de Sacroſan. Eccleſ.* Aliquando ponitur pro *ſicut*, nam in hac periodo. *Quamquam Iure Civili omnium, qui in poteſtate parentum ſunt, peculia proinde in parentum bonis computentur, ac peculia ſervorum in bonis dominorum numerantur.* Ponitur hic *§. itaque verſ. ex hoc inſt. quibus non eſt permiſs. fac.* ſimilitudinariè, inquit Albericus, quemadmodum etiam *in l. qua ration. §. literæ in pr.* de *adquir. rer. dom. & in Clement. de iudic.* Porrò *in leg. quar. 45. locat.* illud *ac ſi ita iuſſiſset*, eſt *ſicut, ſi ita juſſiſset*.

Atque conjungit. Atque pro ſicut.

Atque etiam extrema connectit: interim eſt ſimilitudinis nota apud Tryphonium *leg. ſi pater 76. D. de jur. dot.* quo etiã ſignificatu ſumitur *l. 4. D. de pact.*

Et pro ac, & pro ideſt, & pro vel.

Et, ſi propriæ ſignificationi ſtetur, terminos vincit. At aliquando implicat, ut notat Zaſius *in leg. 1. D. de juriſd. omn. Iudic.* Idemticè pro *ideſt* ſumitur *§. Sed iſta Inſtit. de act.* Eſt aliquandò disjunctivè *leg. ſæpe D. de verb. ſignif.* quod latiſſimè expendit Albertus, & breviùs Bartolus *leg. 1 de pact. leg. non ſolum D. de ſol. matr.* Eſt etiam cauſalis, & pro *quia* ponitur *leg. fin. C. de cur. fur.*

An duæ negationes affirmant?

Nec non connectit. Calinus ait: [Affirmat ut etiam Grammatici fatentur: quamquam non perpetuũ eſt in Iure noſtro duas negationes inducere affirmativam.] Et quidquid ſit de aliis negationibus, inquam ego, *nec non* ſemper aſſerens eſt.

Nec, & neque ſunt copulativa.

Nec, & Neque disjunctivas eſſe in ſua Grammatica docuerat Auguſtinus: at Alciatus cum Criticis id hodie negant *ad leg. ſi is, qui ducenta §. cum ita* D. de rebus dub. nam hæc poſitio, *Nec Petrus nec Ioannes eſt doctus*, æquivalet huic, *Et Petrus non eſt doctus, & Ioannes non eſt doctus*, vel, ſi Hercules Logicus obtineat, *Petrus & Ioannes ſunt non docti, vel ſunt indocti.* "

leg. 8. §. 2. D. de verb. obligat.

Proderit hic examinare verba Celſi. *Si tibi nupſero, inquit, decem dari ſpondes? Cauſa cognita denegandam actionem puto, nec raro probabilis cauſa hujuſmodi ſtipulationis eſt.* Sanè rarum, inter id quod frequenter, & id quod nunquam accidit, medium eſt. Ergo tam rem, quæ frequenter, quam quæ nunquam accidit, poterit vocari non rara. Si primum ſenſum exprimere voluiſſet, Celſus dixiſſet utique *non enim* rarò &c. ſi ſecundum, dixiſſet, *ne quidem enim rarò* &c. Ergo illud *non rarò* ambiguum eſt: Accurſius inſolentia loquutionis perculſus, illud *non rarò*, poni putat pro nunquam. Sed non repugnat ejuſmodi cauſam interdum probabilem eſſe. Calinus ait. [*Nec rarò* pro *& raro* poſitum videtur à Celſo geminata negatione ex Græcorum conſuetudine pro ſimplici.] At ego non video, *& rarò* eſſe negationem; nec ſcio, quæ ſint illæ duæ, quæ more Græcorum fortiùs negant. Puto igitur *nam rarò* eſſe legendum: id enim ſenſus poſtular, & *nec* pro *nam* poſuiſſe Exſcriptores videntur.

Quid ſit non rarum?

Quid autem rarum?

An duæ negationes fortius negent?

Aut eſt disjunctiva.

Aut disjunctivum eſt *leg. hac verb. 124 D. de verb. ſignif.* Subdisjungere ſolet teſte Gothofredo *in l. 23. D. de pact. dotal.* Disjunctionis eſt vis, ut alterum fieri ſufficiat *l. ſi is* qui 13. *§. utrum D. de reb. dub.* Disjunctivam interdum pro conjunctiva uſurpari Paulus ſcribit *leg. ſæpe 53. D. de verb. ſignif.* cum dico, quod dedi, aut donavi, quod, & Iuſtinianus approbat *leg. penult. C. eod. tit.* ut in interdicto, quod vi, aut clam.

Aut pro &.

Seu quid ſit?

Seu non includit ſenſum, ſed disjungit. Corn. conſ. 18. lib. 3. & *conſ. 198.* Bartolus *in l. ſi quis ita D. de aur. & arg. legat.* Alciatus *in enarr. l. ſæpè ita compertum de verb. ſignif.* ubi hanc etiam particulam habere ampliandi facultatem oſtendit. Sumitur interdum idemticè, & interdum copulativè, ut ſit *id eſt*, aut etiam *&* Gothofredus *ad rubr. C. de except.*

Seu pro ideſt.

Seu pro &.

Sive disjungit, interdum copulat.

Sive disjunctivè uſurpatur. An, & quando conjungat examinant, & ediſſerunt Bartolus *in l. 1. D. de public. & lege ſi eum §. qui iniuriarum D. ſi quis caut.* Baldus *in lege cum quidam D. de verborum ſignif.*

Vel disjunct. Vel pro &.

Vel eſt colligatio disjunctiva, ut ait Feſtus lib. 19. Hanc particulam inter conditiones negativas poſitam reſolvi in *Et* aſſerit Gothofredus *ad l. 6. C. de inſtit. & ſubſtit.*

Interdum non disjungit, ſed determinat teſte Zaſio *in fin. leg. ſi famil. D. de juriſd. judic.* Quomodo ſit ponenda exponit Albericus, & Bartolus *in leg. ſupra iter §. officium D. de aqua pluv. arc. & in l. generali C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Eſt aliquandò copulativa, & ponitur pro *Et* ut *in leg. ſæpe de verb. ſignif. leg. cum quidam D. eod. titul.* Vide Bartolum *leg. ſupra iter D. de aqua pluv. arcend.* ibi enim exponit quando illa

Vel pro non. Vel pro ſicut.

con-

conjunctionis, & quando disjunctionis vim habeat. Interdum negandi vim habet *l.ſi de ſua C.de donat.inter vir.& uxor.* Eſt, & ſimilitudinis nota, & pro *ſicut* locatur, *ut in leg.penult. D.de fidejuſſ.*

Ve disjungit, & in compoſitione negat.

Ve eſt, ſi nomen componat, privativa. Labeo à Iovoleno citatus: dicitur enim *vecors*, qui ſine corde; *Veſanus*, qui inſanus, aut non ſanus. Vide Gellium *lib.5. cap.2.* Si dictio integra ſit, disjungit.

Ergo, *& igitur.*

Quid illatio ſit?

An ſint tres operationes intellectus?

Ergo, & Igitur particulæ ſunt illativæ, & rem unam ab altera inferri ſignificat. An illatio ex parte objecti, an verò ex parte conceptuum ſe teneat? eſt difficilis quæſtio; alii enim dicunt me Petrum eſſe animal noſcere, quia omnem hominẽ eſſe animal, & Petrum eſſe hominem novi: alii verò me cognoſcere ideò Petrum eſſe animal quia eſt homo, & omnis homo eſt animal. Si primum, illatio non eſt formalitas cognita, adeoque non ſe tenet ex parte objecti, ſed pertinet ad conceptus formales, & per conſequens non ſunt mentis operationes tres, ſed duæ, Apprehenſio, & Iudicium. Si ſecundum, illatio ſe tenet ex parte objecti, eſt formalitas cognita & Diſcurſus eſt tertia mentis operatio.

Enim, quam ob rem.

Quia, quoniã.

Enim eſt cauſalis. Non multum ab ea diſtat *Quamobrem* quę ab aliis cõjunctim, ab aliis diviſim ſcribitur *in Authent.de reſtit. fideicommiſſ. §. Quamobrem.* Adde voculam *Quia* & vide Bartolum *in l. demonſtratio §.Quod autem D.de cond.& demonſtr.* Etiam vocula *Quoniam* explicatur cauſalitas *leg. ſi ita de condit. & demonſtr. leg.non dubium de legat.tertio. leg.ſiquis de verb.ſignif.*

Sicut, Sicuti.

In ſimilitudine ſemper diſſimilitudo invenitur.

Sicut, & *ſicuti* ſonant ſimilitudinem & quia, ut Philoſophi docent, ſimilia, non, ſunt in omnibus ſimilia, ſi enim in omnibus ſine differentia convenirent, non eſſent ſimilia, ſed idem. Aſſerendum eſt his vocibus non importari omnimodam ſimilitudinem: quod, & obſervarunt Interpretes *leg. ſi eum excipit. §. quatenus verſ.ſicut in interdicto. D.quod metus cauſa. leg. cuſtodiam de peric. & comm. rei vendit.*

Vt *innuit ſimilitudinem.*

Vt varias habet ſignificationes, quæ doctrinã pręſentem non concernunt: quę noſtra interſũt, breviter examinabo; ſignificat ſimilitudinem. Vlpianus *in leg.ſi cum dotem.§.1.& §.ſin autem de ſolut. matrim.* teſte Oldendorpio, Prateolo, & aliis. Sed quia, ut diximus, ſimilitudo ſemper eſt imperfecta, ſumi ſolet pro *Tanquam*, nimirùm *leg. leges ut generales C. de legibus.* Quandoque eſt ſimilis affirmationi, & veritatem ſignificat *leg.cum aliis C.de ſecund. nuptiis.* Disjungit aliquando, & pro *Quamvis* ponitur, *leg. ſed an ultrò D. de negot. geſt.* Nonnunquam conditionem importat. *Leg.cum tale D.de cond.& demon.* Eſt interdum cauſalis, unde prodiit diverbiũ, *Particula* Vt *proprium eſt finalem dicere cauſam.* Vt *in cap.ſicut 47.leg. ſiquis temerè D.de legat. leg. in Eccleſiis de Epiſc. & cleric.leg.1.D. de ſervit. & cap.cum liqueat 1. qu.1.*

Vt *pro tanquam.* Vt *pro &.* Vt *pro vel.*

Vt *pro quamvis.* Vt *pro Si.* Vt *pro* propterquod.

Patet igitur has characterieas voculas, quæ conſtituunt, & diſtinguunt Hypotheticas propoſitiones, interdum commutari inter ſe, ſemper tamen ita alienam ſignificationem adquirunt, ut propriæ parietinas retineant, & debeant accuratè explicari.

NOTA.

Hæc *de Propoſitionum varietate, & ſpeciebus peroraſſe ſufficias: ad earum Paſſiones veniamus. Et quidem multa poſſent adduci, & exponi, ſed ne minus neceſſariis diſcurſibus tuum Ingenium onerem, tantùm de Converſione, Oppoſitione & Æquipollentia diſputabo.*

ARTICVLVS IV.

De Propoſitionum Converſione : *Quid ſit Converſio exponitur. Quot Propoſitiones modis convertantur. Non ſemper eſſe ſubjectum, quod primo loco ponitur, nec prædicatum, quod ſecundo. Non omnem poſſe Aſſertionem converti.*

Quid ſit Converſio?

Et quot ſpecies habeat?

Converti dicitur Propoſitio cujus prædicatum in ſubjectum, & ſubjectū in prædicatum illæſa veritate mutatur, ut cum dicimus *Iuriſprudētia eſt quadā virtus. Ergo quadam virtus eſt Iuriſprudentia.* Converſio autem eſt triplex; aliquæ enim Propoſitiones convertuntur ſimpliciter, aliæ per accidens, & aliæ per contrapoſitionem: de quibus ſect. III. diſſeremus.

SECTIO I.

An ſemper ſubjectum in primo loco ponatur?

Aliter voces in Oratione ſitus, & aliter Eloquentia coordinat.

In Lingua Græca & Latina propter varietatem caſuū melius Vocum verus ordo cognoſcitur.

EO res venit ut vocum perturbatio, ſi aures demulceat, vocetur eloquentia, & hoc non ſolum in Lingua Græca, & Latina, quæ propter varietatem caſuum minori ſunt periculo obnoxiæ, ſed etiam in aliis linguis, quæ nomina per caſus non variant. Conſidera illud carmen Virgilii

—— Tuus ô Regina, quid optes
Explorare labor, mihi juſſa capeſſere fas eſt.

Quæ verba hunc ordinem in Æoli intellectu (is enim loquebatur) ſervabant.

O Regina explorare, quid optes eſt labor tuus.
Capeſſere juſſa eſt fas (neceſſitas) *mibi.*

Aliqua Regula neceſſaria ponuntur.

Hinc eſt, quod hæreamus interdum nec poſſimus ſubjectum à prædicato in enunciatione diſtinguere. Poterimus autem his regulis in hujuſmodi dubio juvari.

De nominibus Propriis.

Prima. *Quando alterum extremum eſt nomen proprium illud ſubjectum eſt.* In hac enim Propoſitione, *Dux expeditionis erat Cajus.* Prædicatur *Dux*, & ſubjicitur *Cajus.*

De Articulo.

Secunda. *Quando alterum extremum habet articulum, illud etiam ſubjectum eſt.* Hæc in Lingua Latina habere locum nequit, caret enim Articulis, habet in Græca. Vbi enim Ioann. 1. 2. Καὶ θεὸς ἦ ὁ λόγος, dicitur; & vertit interpres, *& Deus erat Verbum*, non θεός, *Deus*, ſed ὁ λόγος *Verbum*, ſubjectum Propoſitionis eſt. Sic etiam in his Hiſpanicis *Docto es el rico. Rico es el docto*, Articulus ſubjectū afficit.

De Poſſeſſivo Pronomine.

Tertia. *Nomina poſſeſſiva* (*nempe*, Meus, Tuus, Suus, Noſter, Veſter,) *ſi inter illa, & nomen interſit copula, ſemper ſunt prædicatum.* Patet, quia cum quis dicit, *Mea eſt illa clamys* nomen *clamys* ſubjicitur, & *mea* prædicatur.

De Nomine Adjectivo.

Quarta. *Eſt etiam prædicatum quodcumque nomen adjectivum, ſi inter illud, & ſubſtantivum cadat copula.* Cum enim dicimus *Beatus eſt vir*, tunc *virum* ſubjicimus, & *beatum* prædicamus.

De ſignis Syncategorematicis.

Quinta. *Syncategoremata* Omnis, *&* Nullus, *ſe tenent ex parte ſubjecti.* Aliquis *aliquando, ſed rarò ſe tenet ex parte prædicati.* Quando enim dicimus *Animal eſt omnis homo*, aut *Lapis eſt nullus equus*, ſigna *Omnis*, & *Nullus* ſunt ex parte ſubjecti. Vbi autem dico, *Homo eſt aliquod animal*, ſignum ſe poteſt tenere ex parte prædicati.

De cæteris.

Sexta. *Aliàs nomen, quod priori loco ponitur ſubjectum eſt.*

Hæ ſunt Regulæ, quas omnes, qui ſcribunt, obſervant: quas violare poterit inſolens Logicus ſi velit mentē obtorquere.

Vberioris igitur doctrinæ gratia illas exemplis illuſtremus.

Ioan. 1.

Non quærebatur ab Hæreticis in primitiva Eccleſia, Verum Deus eſſet Verbum? ſed Verū Verbū eſſet Deus?

Recurrit primò illud Hiſtoriæ Sacræ, καὶ θεὸς ἦ ὁ λόγος, quod vertit Vulgatus, *Et Deus erat Verbum.* Recurrit, inquam: quia tametſi illud in Regula II. poſuerim, reponi hic debet, nam pleríque Theologi, in eius expoſitione allucinantur. Recognoſcit igitur hæc verba erudita Curioſitas, & interrogat, quodnam hujus Propoſitionis ſubjectum ſit? Videretur eſſe θεός, *Deus*, nam priori loco ponitur. Ajo tamen ὁ λογος, *Verbum* in hac propoſitione eſſe ſubjectum, cum quia *Verbum*

ibi

ibi eſt nomen proprium ſecundæ Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis per primam: tum quia habet articulum per ſecundam. Hiſpanicè dicerem, Y *Dios era el Verbo*, & non obſtante ordine materiali, ſubjectum eſſet vox *el Verbo*.

Articulus ſubjectum afficit.

S. Baſilius ſub initium Epiſtolæ ad Sanctum Gregorium Theologum Σὸν ἦν ὄντως τὸ διανόημα, *Tuus eſt omnino ſenſus.* Vox ultima eſt ſubjectum per Regulam ſecundam, & tertiam.

Fugiendo, à Mundo ſeparamur.

Recenſuerat miſerias, quas in Civitatibus patimur, & ſubjunxit Τούτων δὴ φυγὴ μία, ὁ χωρισμὸς ἀπὸ τοῦ κόσμου παντός. *Horum autem fuga una, ſeparatio à mundo univerſo.* Scoſus eſt, quod *Separatio eſt fuga*. Ergo præcedit prædicatum per ſecundam.

Ad cæleſtia oblivione terreſtrium præparamur.

Addit Ἑτοιμασία δὲ καρδίας, ἡ ἀπομάθησις, τῶν ἐκ πονηρᾶς συνηθείας προκατασχόντων αὐτὴν διδαγμάτων. *Præparatio verò cordis*, (eſt) *oblivio ex prava conſuetudine ante occupantium ipſum doctrinarum*. Prima dictio eſt prædicatum per eamdem ſecundam.

Cur Religioſi nominentur Aſcetæ?

Et ſub finem Ἀλλ᾽ ὅπερ τοῖς ἄλλοις ὁ ὄρθρος ἐστί, τοῦτο τοῖς ἀσκηταῖς τῆς εὐσεβείας τὸ μεσονύκτιον. *Sed quod aliis diluculum eſt, hoc cultoribus pietatis media nox*. Subjecta ſunt *diluculum*, & *media nox*. [Ecce illo ævo, nam ſtatus Monaſticus non erat ſatis notus, ἀσκηταὶ, τῆς εὐσεβείας, Cultores pietatis vocabantur, qui nunc uno vocabulo ἀσκηταὶ, *Cultores, Aſceta*, *Religioſi*.] Sunt duæ orationes in quibus mutari debet ordo, nam loco ultimo poſita ſunt ſubjecta. Senſus eſt *Media nox eſt Aſcetis* (Religioſis) *id, quod aliis eſt diluculum*. Ergo ſubjecta ſunt *Diluculum*, & *media nox*.

An frequens apud Græcos ſit primo in loco ponere prædicatum?

Hinc patet eſſe communiſſimum Græcis prędicatum primo loco ſtatuere, & debere Lectorem diſtinguere inter materialem verborum ordinem quem dedit calamus, & formalem, quem exhibet ſenſus.

Quæ in latina, nam caret Articulis, ſunt æquivoca in Græca & aliis æquivocatione carent.

Lingua latina caret articulis, & ideò majorem interdum patitur difficultatem: nam non poteſt interdum rigorem Græcæ exprimere. Probant id exempla poſita: addo adhuc unum, ex Platone *in dialog. Iovis* deſumptum. *Res ſacra Poeta eſt.* Qui eſt ſenſus? Anne de Poeta dicitur, quod ſit res ſacra: an verò de re ſacra, quod ſit Poeta? quæſtionem articulus dirimeret: nam dubium, quod in hac oratione, *Myſteria ſunt res Sacra*, Latinus reperiret Dialecticus, non torqueret Hiſpanum, ſi diceres, *Los Myſterios ſon coſas ſagradas* aut etiam, *Myſterios ſon las coſas ſagradas*, Ille enim ſubjicitur terminus, quem articulus afficit.

De lingua Hiſpanica.

Martialis dilucidatur.

Occurrit ingenioſum, & verum Epigramma Martialis.

Quem recitas, meus eſt, ò Fidentine, Libellus:
Sed male dum recitas, incipit eſſe tuus.

Subjectum eſt *Libellus*: & voces *meus*, & *tuus* prædicantur per tertiam.

Diſticha Elegiaca conſtant in æqualibus verſibus, quod Ovidius lib.4. de Ponto eleg.5. innuit his verbis.

Longa via eſt, nec vos pedibus proceditis æquis.

cauſam ediſſerit lib.1. Amor. Nam

Par erat inferior verſus: riſiſſe Cupido
Dicitur atque unum ſubripuiſſe pedem.

De adjectivo & ſubſtantivo. Illud de hoc, non autem contrà, prædicatur.

In propoſitione *Longa via eſt*, Subjectum eſt *via*, & in altera, ſcilicet, *Par erat inferior verſus*, Subjectum eſt *verſus inferior* per quartam.

An in Ganymedis tabula lateat aliqua veritas?

Agit de Europa, & Ganymede à Iove raptis Lactantius *lib.10. cap.9.* & ait *Poeticus color* eſt, & incipit à prædicato per quartam.

De lingua Hebraica.

Quid ſperari poſſit à Lingua Hebræa exhibent Pſalmi, in quibus omittitur ſæpè verbum *eſt*. Iterum, & iterum dicitur Pſal.45. *Dominus virtutum nobiſcum: Susceptor noſter Deus Iacob*, & Pſal.46. *Quoniam Dominus excelſus terribilis, Rex magnus ſuper omnem terram.*

Sæpe ſubjecto Prædicatũ præmittit.

Et prædicatum ſæpè legitur ante ſubjectum. Pſal.45. *Conturbata ſunt gentes, & inclinata ſunt Regna* Et Pſal.48. *Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria Domus ejus.* Et Pſal.50. *Meæ ſunt omnes feræ ſilvarum &c. Meus eſt Orbis terrarum.* Et Pſalm.54. *Molliti ſunt ſermones ejus &c.* Et Pſalm.57. *Alienati ſunt peccatores à vulva.* &c.

Quid faciat lingua Hiſpanica?

In Lingua Hiſpanica hæc vocum contrapoſitio frequentiſſima eſt; ſumit calamum D. Ludovicus de Gongora, ut opus nunquam ſatis laudatum formet, quod *la ſoledad* inſcribi voluit. Et ſic ſcribit.

Paſſos de un Peregrino ſon errante,
Quantos me dicto verſos dulce Muſa.
&c.

Et hujuſmodi ſẽſus inverſiones in hoc Poeta frequẽtiſſimè invenies.

&, ut vides, incipit à prædicato. Vox *quantos* habet vim articuli, aut etiam Syncategorematis univerſalis (*todos*, omnes) & ideò per ſecundam, & quintam de verſibus dicitur, *que todos los, que le dicto ſu dulce Muſa, ſon paſſos de un Peregrino errante*; hoc eſt, quod omnes numeri, quos ipſi dulcis Muſa ſuggeſſit, ſunt errantis Peregrini paſſus.

Et poſteà ſol.2. verſ.14. rivum quemdã deſcribens.

De quien es dulce vena
El tarde ya torrente
Arrepentido y aun retrocediente.

Secundus, & tertius verſus ſubjectum, & primus dabit prædicatum, per ſecundum. Et verſ. 116.

Aliy Autores unum & idem ſubſtantivum duplici Epitheto non onerant.

Si de ayre articulado
No ſon dolientes lagrimas ſuaves
Eſtas mis quexas graves,
Vozes de ſangre, y ſangre ſon del alma.

Particula ſi non non Conditionatam, ſed Disjunctivam conſtituit.

Eſt propoſitio disjunctiva, tametſi ſpeciē præſeferat conditionalis; nam hæc, *ſi non eſt hoc, eſt illud*, eſt disjunctivæ conſectarium, ut cum dicimus

Quo modo in disjunctiua argumentum per Dilemma formetur?

Petrus, aut eſt reus, aut innocens.
Ergo, ſi non eſt reus, eſt innocens.
Ergo ſi non eſt innocens eſt reus
Atqui non eſt reus.
Ergo eſt innocent.

In hac itaque Propoſitione (quam eſſe conditionatam nolui, nam conditio debet à re cujus eſt conditio diſtingui) *querela* (Hiſp. *quexas*), ſunt ſubjectum, & cætera pertinent ad prædicata.

SECTIO II.

An omnis Propoſitio convertibilis ſit?

Ratio dubitandi proponitur.

Ratio dubitandi, aut etiam negandi ex Regulis Sectione præcedenti poſitis ſumi poteſt; nam, ſi ſint aliqui termini, qui ſunt ſubjecta, ubicumque ponantur, erunt inconvertibiles propoſitiones, in quibus illi reperiantur. Sequentes conſidera.

Proponuntur aliqua Propoſitiones, quæ converti non poſſe videntur.

Petrus eſt eruditus
Eruditus eſt Petrus.
El Principe es clemente
Clemente es el Principe.
Hoc Palatium eſt meum
Meum eſt hoc Palatium.
Homo eſt mortalis
Mortalis eſt homo.
Omnis equus eſt animal
Animal eſt omnis equus. &c.

In ipſis nulla reperitur converſio, ſed ſunt æquipollentes; nō enim mutatio loci ſubjecti, & prædicati officia in illis mutat.

Quæ primo aſpectu converti non poſſe videntur, per circumloquium convertuntur.

Reſpondeo has ipſas propoſitiones per circumloquium opportunum converti poſſe: & ſic oſtendo.

Prima erat, *Petrus eſt eruditus*. Et poteſt verti in hanc, *Aliquis homo eruditus vocatur Petrus*.

Secunda convertetur, ſi tantum mutetur articulus. Dixeras, *El Principe es clemente*. Et ſubjectum erat, *el Principe*. Repono ego *Principe es el clemente*, & ſubjectum eſt, *el Clemente*. His ſunt ſimiles.

Sed hoc ipſum plus confuſionis quàm utilitatis poterit Philomuſo præbere.

La aurora es bella
Aurora es la bella.
El Rey es valiente
Rey es el valiente.

La Riqueza es trabajo
Riqueza es el trabajo.
El eſclavo es pobre
Eſclavo es el pobre.
El Moro es Mahometano
Moro es el Mahometano.

Semper articulus ſubjecto adhæret.

In quibus omnibus converſio fit ſola articuli tranſmutatione.

Quo modo Pronomen Poſſeſſivum afficere poſſit Subjectū?

Tertia videlicet, *Hoc Palatium eſt meum* poteſt converti in hanc, *Aliqua res mea eſt hoc palatium*.

Quarta majori indiget conſideratione. *Homo eſt mortalis*, non cōvertitur in hanc *Mortalis eſt homo*, quia ut monebamus, etiam in hac, *homo* ſubjicitur, *& mortalis* prædicatur. Si dicamus *Aliquis mortalis eſt homo*, videretur *mortalis* ſubjici: cæterū, quia aliquando ſyncategorema *aliquis* prædicatur, nihil certi colligimus. Et ſanè ſignum *Aliquis* poſſe Prædicatum afficere aſſerunt Nominales, quoniam Indefinitas cum Particularibus confundunt aſſerentes, hanc, *Petrus eſt homo*, æquivalere huic *Petrus eſt aliquis homo*: & hanc *Homo eſt animal*, huic *Aliquis homo eſt aliquod animal*: unde Terminus Indefinitus, & Individuum vagum coincidunt: & hanc ob rem clarius loqueretur, qui diceret, *Aliquid mortale eſt homo*, tunc enim ſubſtantivum *homo*, non habetet adjectivum, quod ad ſe traheret.

De Nominalium ſententia.

An Terminus Indefinitus & Particularis coincidant?

Vltima erat univerſalis affirmativa, quæ per accidens convertibilis eſt, ut Sectione ſequenti oſtendemus.

De Vniverſali affirmativa. Quomodo convertatur?

SECTIO III.

Tradantur Converſionis Regula.

Noluerunt Dialectici, ne ſe implicarent Labyrinthis, de omnium propoſitionum Converſione diſſerere, ſed cōtraxerunt vela, & egerunt tantummodò de Vniverſalibus, & Particularibus. Sed quia omnes non poterant eodem modo converti, juſſerunt ut Converſio eſſet triplex, Simplex, Accidentalis, Contrapoſita. (Vocum rationem non inquiro: ſed ſic cōverſiones apud Logicos vocari ſuppono.) In converſione ſimplici eadem manet propoſitionis quantitas. In accidentali univerſalis degenerat in particularem. In Contrapoſitione manet prior quantitas, ſed uterque terminus (ſubjectū & prædicatum) redditur infinitus. Vt autem ſcias, quo modo enunciationes ſingulæ ſint convertendæ, te juvabit hoc Diſtichon.

Quaſnam Autores Propoſitiones Converſioni ſubjaceant?

Converſio Simplex: Accidentalis; Contrapoſita.

An hac ultima inutilis ſit?

Simpliciter FECI, *convertitur* EVA *per acci.*
ACTIO *per contra. Sic ſit Converſio tota.* Vo-

Quo converti modo debeant ſingula Propoſitiones?

Carmina declarantur.

Vocales in vocibus *Feci*, *Eva*, *Actio*, habent ſignificationem, quam aliis in locis expoſui, qua poſita reddit Diſtichum præcedens hunc ſenſum. [Vniverſalis negativa, & Particularis affirmativa convertuntur ſimpliciter. Vniverſales omnes (aſſerant,negentve) convertuntur per accidens. Et tandem univerſalis affirmans, & utraq; particularis per Contrapoſitionem.] quæ omnia exempla ſubſequentia demonſtrant.

FE.	*Nullus homo eſt lapis.*	conver.	*Nullus lapis eſt homo.*
CI	*Aliquis homo eſt animal.*	conver.	*Aliquod animal eſt homo.*
E	Nullus homo eſt lapis.	*conver.*	Aliquis lapis non eſt homo.
VA	Omnis homo eſt animal.	*conver.*	Aliquod animal eſt homo.
AC	*Omnis homo eſt animal.*	conver.	*Omne non animal eſt non homo.*
TI	*Aliquis homo eſt animal.*	conver.	*Aliquod non animal eſt non homo.*
O	*Aliquis homo non eſt lapis.*	conver.	*Aliquod non lapis nō eſt non homo.*

Et ſi negatio afficiens copulam tranſeat in prædicatum. { Ergo Aliquod non lapis eſt nō non homo. / Ergo etiā *Aliquod non lapis eſt homo.* }

De Singularium converſione.

Et hic vide eſſe (prout paulò antè dicebam) Contrapoſitionem ſimplici converſioni ſimillimam. Hæc enim Propoſitio, *Aliquis homo non eſt lapis*, æquipollet huic, *Aliquis homo eſt non lapis*; & hæc ſimpliciter tranſit in hanc, *Ergo aliquod non lapis eſt homo*. Revocatur ergo ad ſimplicem converſionem contrapoſitio, quod erat demonſtrandum.

DE ſingularibus, de quarum Dialectici Converſione non diſputant breviter diſſeramus.

Illa, cujus ſubjectum eſt nomen proprium, ut *Petrus*, *Paulus* convertitur in particularem: ſi autem ſubjectum ſit nomen commune affectum ſigno ſingulari, ut *Hic homo.Ille equus*, convertitur in ſingularem,aut particularem:ut

Petrus eſt homo	conver.	*Aliquis homo eſt Petrus*
Bucephalus eſt equus	conver.	*Aliquis equus eſt Bucephalus.*
Hic homo eſt animal	*conver.*	Hoc animal eſt homo
	vel	Aliquod animal eſt hic homo.
Illud animal eſt vivens	conver.	*Illud vivens eſt animal*
	vel	*Aliquod vivens eſt illud animal.*

An & quando Vniverſalis affirmativa ſimpliciter converti poſſit?

COntingit, ut interdum ſubjectum, & prædicatum æquè pateant, & tunc univerſalis affirmativa ſimpliciter converti poteſt. Huc pertinent definitum, & Definitio: Species, & Differentia conſtitutiva. Eſſentia,& Proprietas in quarto modo &c. Vt

An, & quando Vniverſales affirmativa convertantur ſimpliciter?

Omnis Equus eſt animal hinn.	conver.	*Omne animal hinn.eſt equus.*
Omnis homo eſt rationalis	*conver.*	Omne rationale eſt homo.
Omnis homo eſt riſibilis	conver.	*Omne riſibile eſt homo.*

REperiūtur etiam in Iure aliquæ convertibiles propoſitiones: unum aut alterum exemplum propono.

Iudex habet poteſtatem circumſcriptam terminis: Si contra illos procedat, operatur invalide.

Eſt Iuris Canonici Regula XXVI. *Ea, quæ fiunt à Iudice, ſi ad ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt*, quoniam nulliter fiunt, ac propterea ita ſe habent ac ſi facta non eſſent; cum ſint virtualiter & moraliter nulla. Homo,verbi gratia, & viſivus, & auditivus eſt: colores ille non percipit aure, nec ſonos oculo: ſic Petrus eſt Iudex & homo privatus; quæ ſecundū officium operatur, facit ut Iudex, non ut homo privatus; quando autem ea operatur, quæ ad ejus officium non ſpectant, vel illa, quæ ad ejus officium ſpectant, ſi non eo modo,quo ſpectant; tunc ipſe non ut Iudex, ſed ut homo privatus procedit.

Eſt publica & privata perſona.

Vide noſtram Fundam.Theologiam num. 831.

Quando, & in quibus procedat ut Iudex: quando verò & in quibus ut homo privatus?

Porrò hi duo termini, *Non pertinere ad Iudicis officium, ſi fiant,& viribus non ſubſiſtere, ſi fiant*, æquè patent: & ideò ſimpliciter converti poſſunt, unde hæc,

Omnia, quæ ad Iudicis non ſpectant officium, ſi ab eo fiant, viribus non ſubſiſtunt. convertitur in hanc Propoſitionem

Omnia quæ ſi fiunt à Iudice, viribus non ſubſiſtunt,ad ejus non ſpectant officium.

Omnis, qui fruitur commodis, patiatur incommoda. Ergo omnis,qui patitur incommoda, fruatur commodis.

Etiam eſt convertibilis Regula X.Iuris Civilis, quam Paulus *lib.3. ad Sabin.*propoſuerat his verbis. *Secundum naturam eſt, commoda cujuſcumque rei eum ſequi quem ſequuntur incommoda.* Illam dilucido *in Theol.Fund.n.*1137.ubi hanc propoſitionem,

Æquum eſt,ut qui poſſeſſa rei, (officii,dignitatis &c.) patitur incõmoda etiam fruatur commodis ſi qua habet, jubeo converti in hanc, quæ etiam obtinet apud omnes.

Æquum eſt ut qui poſſeſſa rei (officii,dignitatis &c.) fruitur commodis, etiam patiatur incommoda, ſi qua habet.

Iam Iuniores, quàm veteres utramque doctrinam admittunt, eamque ſupponit Terentius *in Hecyr.act.5.ſcen.penult.*

SECTIO IV.

De ſyllogiſmo Baralipton.

An Particularis affirmativa in Vniverſalem verti poſſit?

Peripatetici contradicunt ſuis Regulis.

HOC converſionis genus in ſuis Regulis non admittunt Peripatetici: & tamen poſteà dicunt, ſyllogiſmum in *Baralipton* eſſe bonum, & reduci ad *Barbara*, ſi concluſio, quæ eſt particularis affirmativa, in univerſalem affirmativam convertatur. Sed quomodo, ſi ab eis præſcriptæ leges hujuſmodi converſionem non tolerant.

Ego, quia conſequentias ſecundarias admitto, hos ſyllogiſmos *Baralipton*, *Celantes*, *Dabitis*, eſſe nego à Perfectis diverſos. Et me benè negare demonſtro.

Ponunt modos inutiles.

Debemus in Syllogiſmis Cõſequentias ſecundarias admittere.

Ba-	Bar-	*Omnis homo eſt animal:*
ra-	ba-	*Omne rationale eſt homo:*
*	ra.	*Ergo omne rationale eſt animal.*
*	*	*Ergo aliquod rationale eſt animal.*
lip.	*	*Ergo aliquod animal eſt rationale.*
Ce-	*Ce-*	Nullum ſydus eſt liquidum
lan-	*ſa-*	Omnis Planeta eſt ſydus
*	*re.*	Ergo nullus Planeta eſt liquidus
tes.	*	Ergo nullum liquidum eſt Planeta.
Da-	Da-	*Omne ſenſibile eſt vivens:*
bi-	ri-	*Aliquis leo eſt ſenſibilis:*
*	i.	*Ergo aliquis leo eſt vivens.*
tis.	*	*Ergo aliquod vivens eſt leo.*

In primo Syllogiſmo ſecunda conſequentia naſcitur ex primâ per Subalternationem, quid quid enim dicitur de omni, etiam de aliquo dicitur. Tertia naſcitur per Converſionem: nempe à primâ per accidens, & à ſecundâ ſimpliciter.

In ſecundo & tertio, conſequentia poſterior per converſionem ſimplicem naſcitur à priori.

Si non admittantur multi alii poni debebunt Syllogiſmorum Modi, quos Ariſtotelici non cognoverunt.

Hinc patet primò, admiſſis conſequentiis ſecundariis, non eſſe neceſſarios illos modos *Baralipton*, *Celantis*, *Dabitis*, & alios ſimiles.

Patet ſecundò, has ipſas Conſequentias ſecundarias exhibere alios modos, quos Peripatetici ignorant: puta, BARBARA, *Barbari*. *Barbarir*, CELAREN, *Celarer*, *Celaro*, *Celaror*; DARII, *Dariir*: in quibus R in fine poſitum ſignificat reflexam, aut indirectam eſſe conſequutionem.

Patet tertiò, particularem affirmativam poſſe aliquando in univerſalem converti. Sed quando? (1) Quotieſcumque inferius de ſuperiori prædicatur, ut patet in his.

In quibusnam caſibus Particularis Affirmativa cõvertatur per accidens.

Aliquod animal eſt homo:
Ergo omnis homo eſt animal.
Aliquod vivens eſt animal:
Ergo omne animal eſt vivens.
Aliqua Stella eſt Planeta:
Ergo omnis Planeta eſt Stella.

(2) Quando de ſubjecto prædicatur Proprietas, quæ convenit ſoli, ſed non omni, ut eſſe Grammaticum, Rhetorem, Theologum, ſoli convenit homini, non tamen omni, ſed aliquibus. Quamobrem ſequentes converſiones ſunt bonæ.

Hæc doctrina eſt vera, at nõ ſtatim cognoſcitur, an hujuſmodi circũſtantiæ ſuccurrant.

Aliquis homo eſt Arithmeticus:
Ergo omnis arithmeticus eſt homo.
Aliquis homo eſt eruditus:
Ergo omnis eruditus eſt homo.
Aliquis homo ſtudet Medicinæ:
Ergo omnis, qui ſtudet Medicinæ, eſt homo

(3) Quando univerſalis affirmativa per accidens in particularem convertitur, tunc hæc ipſa particularis poterit in priorem univerſalem per ſecundam Converſionem redire, ut lineę ſequentes oſtendunt.

Omnis Academicus eſt doctus. Pone eſſe *veram.*
Ergo aliquis doctus eſt Academicus.

Et tunc per reditum, ſeu ſecundariam Converſionem.

Aliquis doctus eſt Academicus:
Ergo omnis Academicus eſt doctus.

Cur in Syllogiſmo Baralip. ultima per accidens converti poſſit?

His poſitis pronuncio in Syllogiſmo *Baralipton*, ultimam propoſitionem, quæ eſt particularis affirmativa, poſſe per accidens in univerſalem converti. Et, ſi rationem petas, Non dicam id legitimè fieri, *quia inferius de ſuperiori prædicatur*: quia tametſi id aliquando accidat, in multis caſibus aliter extremitates diſponuntur. Non

di-

dicam id accidere, *quia prædicatum ſoli ſubjecto, omni, aut non omni convenit*, quia tametſi id aliquando contingat, multi in *Baralipton* ſyllogiſmos invenies, in quibus id non reperiatur. Sed dicam id evenire, quia Propoſitio per ſecundam Converſionem reſilit, & quæ priùs ex univerſali ad particularem tranſiverat, in priſtinum ſtatum revertitur. Sequentem Syllogiſmum conſidera.

Ba-	Bar-	*Omnis Germanus eſt probus.* Sit Vera.
ra-	ba-	*Omnis Auſtriacus eſt Germanus.* Eſt vera.
*	ra-	*Ergo omnis Auſtriacus eſt probus.* Bene infertur.
lip.	*	*Ergo aliquis probus eſt Auſtriacus.* Eſt convertens.

De tranſitu & reditu Propoſitionum.

Ajo igitur ſingularem per Converſionem non poſſe in Vniverſalem tranſire, at poſſe in Vniverſalem redire: nam tametſi Propoſitio *li* converti non poſſit in *la*, ſi præmiſſæ *Ba* & *ra* concurrant, inferent *la*, quæ per converſionem dabit *lip.* quę poſſit iterum in *la* redire.

Reductio Oſtenſiva in Modo Baralip. eſt mala: & ideò poſt Converſionem conceſſo Conſequente, Conſequentiam negamus.

Hanc Quæſtionem in noſtra Logica Reali tractavi, & ibi docui, Syllogiſmum in *Baralip*, quandoq; in *Barbara* habere Cõſequens, quod admittam; Conſequentiam, quam negem. Illud enim eſt verum: non autem quia per Converſionem infertur; ſed quia à duabus Vniverſalibus affirmativis in Prima Figura deducitur.

SECTIO V.

Iterùm de Contrapoſitionis Converſione. *An ſit Logicis aut Philoſophis utilis? &, quomodo, & in quo à Simplici Converſione diſtinguatur?*

De Nomine. An debeat mutari, vel corrigi?

COnverto rurſus conſiderationis oculos ad hanc Commutationem Extremorum, & in ea nomen priùs, & poſteà rem ipſam conſidero. Corrigi nomen poſſet, quæ enim *Contrapoſitionis Converſio* Vulgò dicitur, poſſet *Contrapoſitio* abſolutè vocari.

De re ipſa.

Et ad rem veniens dico, de hoc Converſionis genere non eodem modo omnes reſolvere ac philoſophari. Et quidem, ut video, non eſt apud Complutenſes in gratia, quoniam *in Introductione ad Logicam. libr.3.cap.7.* ſcribunt [Litera O. deſerviebat cuidam Converſioni, quam vocant per contrapoſitionem: eam tamen ut præſenti inſtituti inutilem omittimus. &c.] at quoniam & pulchrum & à nonnullis neglectum, aut omiſſum, à nobis hic debet dilucidari. Attende.

Patrum Complutenſium præjudicium.

Converſio per Contrapoſitionem *addit ſupra Converſionem ſimplicem, ut utrumque extremum, ſi finitum ſit, infinitetur: &, ſi infinitum ſit, negatione privetur.*

Quid ſit Contrapoſitio?

Hinc patet Contrapoſitionem eſſe duplicem: alteram, in quâ utrum extremum, quod in Converſa erat finitum (hoc eſt, negatione carebat) infinitatur (hoc eſt, negatione afficitur, vel inficitur) alteram, in quâ utrumque extremum, quod in converſâ erat infinitum, præditum negatione, in Convertente finitum (videlicet negatione ſublatâ.) Illud prius Contrapoſitionis genus Veteres cognoverſit, hoc poſterius non item. Prioris Contrapoſitionis exemplum habet in his Propoſitionibus.

Dividitur in duas ſpecies.

Vtraque delucidatur.

Proponuntur exempla.

Omnis corvus eſt niger.

Ergo omne non nigrum eſt non corvus.

Poſterioris in his.

Omne non nigrum eſt non corvus.

Ergo omnis corvus eſt niger.

Interim, quia Propoſitionum aliæ ſunt Vniverſales, aliæ Particulares; & iterum aliæ ſunt Affirmativæ & aliæ Negativæ, & ideò examinare oportet, quænam ex iſtis, & quo modo per Contrapoſitionem convertantur.

Quot ſint genera Propoſitionum?

Dicebant in ſuis verſibus Veteres, *Aſio per contra.* ut Vniverſalem aſſerentem, & Particularem negantem hac Contrapoſitionis arte eſſe convertibiles ſignificarent: nos autem *Actio per contra*, dicimus, quia etiam Particularem affirmativam per Contrapoſitionem immutemus.

Quæ nam Propoſitiones per Contrapoſitionem convertantur.

DIſſeramus de ſingulis: & primo de Affirmativâ Vniverſali. Sequentes conſidera Propoſitiones.

Vniverſalis Aſſerentis Converſio.

A. *Omnis homo eſt animal*

B. *Ergo omne non animal eſt non homo*

C. *Ergo omne non animal eſt homo.*

D. *Ergo nullum non animal eſt homo.*

Prima Conſequentia B. Vniverſalem affirmativam A. convertit per Contrapoſitionem. Propoſitiones B. & C. ſunt æquipollentes: negatio enim ſive cadat ſuper copulam, ſive ſuper prædicatum, per inde eſt; Duæ etiam Propoſitiones C. & D. ſunt etiam æquipollentes, idem eſt enim dicere *Omnis homo non currit*, ac *Nullus homo currit*. Ergo de primo ad ultimum, A in D. tranſire poteſt per hanc Regulam.

Conſideretur bene decurſus Propoſitionũ *A, B, C, D.*

Vt univerſalis affirmativa per Contrapoſitionem *cõvertatur, debet mutari prædicatum in ſubjectum, Signum* Omnis *tranſire in Signum* Nullus (quod eſt dicere, *Vniverſalem affirmativam tranſire debere in Vniverſalem Negativam) & ſubjectum convertentis (ſecunda) Propoſitionis infinitari.* Quod eſt in ſequentibus factum.

Qua lege Vniverſalis Affirmativa per cõtrapoſitionem *convertatur.*

Omnis platanus eſt vivens.

Ergo nullum non vivens eſt platanus.

- Om-

Omnis prædeſtinatus ſalvabitur.
Ergo nullus qui non ſalvabitur eſt prędeſtinatus.
Omnis Monachus eſt ſolenniter profeſſus.
Ergo nullus, qui non eſt ſolenniter profeſſus eſt Monachus.

De Particulari Negatiua.

IN Particulari Negativâ aliud Exemplum proponamus.
A. Aliquis canis non eſt niger.
B. *Ergo aliquod non nigrum non eſt non canis.*

Quomodo contraponatur?

C. *Ergo aliquod non nigrum eſt non non canis.*
D. *Ergo aliquod non nigrum eſt canis.*

Doctrina communis proponitur, & delucidatur.

Propoſitio B. convertit propoſitionem A. ſecundum doctrinam communem. In ſecundâ negatio quæ afficiebat copulam, ad prædicatum transfertur, & quia illud erat infinitum, nempe *non canis*, poſt negationis translationem eſt *non non canis*. Et quia duæ negationes mutuò ſe elidunt & affirmant, *non non canis* idem eſt ac *canis*, ut videtur in ultima propoſitione. Ergo de primo ad ultimum, A in D poterit tranſire per hanc Regulam.

Canon Specialis praſcribitur.

Vt Particularis negotiva per contrapoſitionem *convertatur, debet mutari Prædicatum in Subjectum*; *Signum* Aliquis non *tranſire in* Aliquis (quod eſt dicere, *Particularem Negativam tranſire debere in Particularem Affirmativam*) *& Subjectum Convertentis* (*ſecundæ*) *Propoſitionis infinitari*. Eſt ſimilis per omnia alteri Regulæ; quia ſicut ibi ſervatur utriuſque Propoſitionis Vniverſalitas, hic utriuſque Particularitas conſervatur. Rem ergo confirmemus exemplis.
Aliquod animal non eſt homo.
Ergo aliquod non homo eſt animal.
Aliquis Iudex non eſt æquus.
Ergo aliquis non æquus eſt Iudex.
Aliqui Philoſophi non ſunt divites.
Ergo aliqui non divites ſunt Philoſophi.
Et hoc ipſum conſequemur, ſi ſequentem Regulam, quæ præcedenti eſt multò facilior, ſequamur.

Alius additur Canon, qui præcedente eſt, & facilior, & clarior.

Vt Particularis Negativa per contrapoſitionem *convertatur, negatio ex copula tranſeat in Prædicatum, & hæc ſecunda Propoſitio convertatur ſimpliciter*. Et ut id claré cõſtet, eadẽ Exempla reponamus.
Aliquod animal non eſt homo.
Ergo aliquod animal eſt non homo.
Ergo aliquod non homo eſt animal.
Aliquis Iudex non eſt æquus.
Ergo aliquis Iudex eſt non æquus (iniquus)
Ergo aliquis non æquus (iniquus) eſt Iudex.
Aliqui Philoſophi non ſunt divites.
Ergo aliqui Philoſophi ſunt non divites.
Ergo aliqui non divites ſunt Philoſophi.
Stat ergo Converſionem *per Contrapoſitionem*, ut benè expediatur, requirere magnum ingenium: eſſe pulchram & utilem, & immeritò à Logicis nonnullis contemni.

An Particularis affirmativa per Contrapoſitionem convertatur?

PArticularem aſſerentem addidimus, modò poſſe illam pee Contrapoſitionem converti demonſtremus. Lege ſequentes lineas.
Aliquis homo eſt animal.
Ergo aliquod non animal eſt non homo.
Ergo aliquod non animal non eſt homo.
Aliquis canis currit.
Ergo aliquod non currens eſt non canis.
Ergo aliquod non currens non eſt canis.
Aliquis miles eſt fortis.
Ergo aliquod non forte eſt non miles.
Ergo aliquod non forte non eſt miles.

Reſolutio.

Ergo æquè Particularis, ac Vniverſalis affirmativa per Contrapoſitionem convertitur.

De Vniverſali Negativa.

SVpereſt, ut jam tandem Vniverſalem Negativam in examen vocemus; videamuſque an & ipſa per Contrapoſitionem convertatur? Habe hanc Regulam.
Quotieſcumque Vniverſalis Negativa habet ſubjectum infinitum, ſublatis omnibus negationibus in Vniverſalem Aſſerentẽ convertitur. Et hoc in ſequentibus claré conſpicitur.
Nullum non animal eſt homo.
Ergo omnis homo eſt animal.

An, quando, & qualiter poſſit per contrapoſitionem immutari?

Nullum non vivens eſt platanus.
Ergo omnis platanus eſt vivens.
Nullus qui non ſalvatur eſt prædeſtinatus.
Ergo omnis prædeſtinatus ſalvatur.
Nullus, qui non eſt ſolenniter profeſſus eſt Monachus.
Ergo omnis Monachus eſt profeſſus ſolenniter.
Nullum non vivens eſt animal.
Ergo omne animal eſt vivens.

Nota de æquipollentia.

Demonſtratur: quia, quando habet ſubjectum infinitum Negativa, tunc æquipollet Affirmativæ, quæ non ſubjectum modò, ſed & prædicatum negatum ſeu infinitum habeat; unde hæ erunt æquipollentes,
Nullum non animal eſt homo.
Omne non animal eſt non homo.
Et hæc ſecunda Propoſitio per poſteriorẽ Contrapoſitionis modum convertetur in hanc

Er-

Reſolutio.

Ergo omnis homo eſt animal.

Dicendum igitur eſt, non omnem Vniverſalem Negativam, ſed eam ſolam, quæ habet ſubjectum infinitum, converti poſſe per contrapoſitionem poſteriorem.

SECTIO VI.

An duæ illæ Contrapoſitionis differentiæ, quæ Sectione præcedenti ponuntur, & diſcernuntur, re benè perſpecta coincidant?

Ratio dubitandi propoſitur.

Videretur, quod non; nam aliud eſt negationes addere, aliud auferre. Sed, ſi vis, ne Converſionis Contrapoſitivæ ſpecies multiplicemus ſine cauſa, dicamus, eas coincidere; id enim poterimus ratione manifeſtà probare. Quoniam, ubi eſt aliqua negatio, idem eſt alteram negationem ponere, quàm priorem auferre; nam in Latina Lingua, ut in communi Pronunciato repetitur, *Duæ negationes affirmant*. Idem igitur erit *nec non*, ac *&*: idem *non nullus*, ac *aliquis*. Ergo idem prorſus erit *non non homo*, ac *homo*; & idem *non non equus*, ac *equus*.

Reſolutio.

Duæ negationes affirmant.

Hac doctrina præmiſſa Vniverſales illas negativas, habentes infinitum ſubjectum, de quibus ſub præcedentis Sectionis finem egimus, conſideremus, illa enim

Conſiderentur bene ſingulæ hæ Propoſitiones.

Nullum non animal eſt homo.

æquipollet huic,

Omne non animal eſt non homo.

Et hæc, ſi per priorem Contrapoſitionis modum convertatur, erit

Omnis non non homo eſt non non animal.

& quia duæ negationes ſe mutuò elidunt, & nihil faciunt, Propoſitio immediatè præcedens æquivalebit huic,

Omnis homo eſt animal.

quam ſecunda Contrapoſitionis Differẽtia exhibuerat. Hæ ergo duæ Contrapoſitionis differentiæ, ſi res benè perpendatur, coincidunt. Et hoc erat, quod debebamus oſtendere.

Reſolutio.

SECTIO VII.

An hæc Propoſitio, Omnis Res eſt Ens, & aliæ ſimiles, poſſint per Contrapoſitionem converti?

Argumentum pro parte negativa.

Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia ſi hæc Propoſitio, *Omnis res eſt ens*, per Contrapoſitionẽ converteretur, tranſiret in hanc, *Omne non ens eſt non Res*, in quâ utriũq; extremũ (*Res* & *Ens*) eſt infinitũ: & tamen cõmunis ſententia aſſerit, Terminos Trãſcendentales (videlicet, *Res*, *Ens*, *Verum*, *Bonum*, *Aliquid*, *Vnum*, qui hac voce Rɪᴠʙᴀᴠ cõtinentur) nõ poſſe infinitari; ſunt .n. ſupremi, & univerſaliſſimi, & nihil relinquũt extra ſe. Quod clariſſimè poteſt oſtẽdi. Quoniã quãdo dicimus, hãc Propoſitionẽ, *Omnis homo eſt animal*, cõverti in hãc, *Omne non animal eſt nõ homo*, nihil abſurdi dicimus, quoniam iſta ſecũda hunc ſenſum reddit, *Omne ens, quod non eſt animal, eſt aliqua res, quæ non eſt homo*. Et nemo poterit contra objicere, habere illam terminos non ſupponentes; in Mundo enim dantur plurima entia, quæ non ſunt animalia, & plurimæ res, quæ nõ ſunt homines. At verò hæc, *Omne non ens eſt non Res*, ſiquidem reddit hunc ſenſum, *Omne ens, quod non eſt ens, eſt aliqua Res, quæ non eſt Res*, eſt de terminis non ſupponentibus, implicatoriis, & abſurdis non enim reperiuntur in rerum natura entia, quæ non ſint entia; nec reperiuntur Res, quæ non ſint Res.

An, & cur Tranſcendentales Termini nequeant infinitari?

Quid ſignificet REVBAV *apud Philoſophos?*

An Non Ens, *&* Non Res, *ſint termini nihil ſignificantes?*

Huic, & ſimilibus argumentis, ubi de Terminis Infinitis diſſerui, reſpondebam *Ens* vel eſſe prædicatum univerſale abſtractiſſimum, vel per aliquod ſyſtematicum attributum contractum. Dicebam Attributa ſyſtematica eſſe *Aſeitatem, Infinitatem, Æternitatem, Independentiam*, &c. quæ Creatorem concernunt: *Dependentiam, Eſſe creaturam, Eſſe ab alio, Finitudinem, Succeſſionem, Habere principium, aut finem*, &c. quæ ad creaturas ſpectant &c. Et his ibidem poſitis reſolvebam, *Ens ad creatorem, aut Creaturam, qualicumque attributo contractum, infinitari poſſe; at verò, ens ſupremum abſolutè ſumptum, & ab omni attributo præciſum, eſſe omninò incapax infinitantis negationis.*

Ens bifariam ſumitur, abſolutè, videlicet & conditionatè.

De Attributis ſyſtematicis.

Quænam illa ſint?

Concluſio.

Ex hac autem doctrina infero imprœſentiarum primò, hanc Propoſitionem *Omnis Perſona Divina eſt Ens Increatum, Infinitum, Æternum* &c. poſſe per contrapoſitionem converti: quoniam tranſit in hanc, *Omne non Ens Increatum, Infinitum, Æternum &c. eſt non Perſona Divina*, Quæ æquipollet huic, *Omne ens, quod non eſt Ens Increatum, Infinitum, Æternum, &c. eſt aliqua Res, quæ non eſt Perſona Divina*, quæ eſt vera, & in ſuo ſubjecto creaturas univerſas complectitur.

Ens increatum poteſt infinitari.

Et infero ſecundò ex eodem capite hanc Propoſitionem, *Omnis creatura eſt ens ab alio finitum, limitatum, dependens*, &c. poſſe per Contrapoſitionem converti: tranſit enim in hanc, *Omne Ens, quod non eſt Ens ab alio, finitum, limitatum, dependens &c. eſt aliqua Res, quæ non eſt Creatura*, quæ eſt vera, & ſuo ſubjecto (non enim omnia entia ſunt ab alio) Deum, Divinas Perſonas, Attributa Divina, & omnes Divinas Perfectiones comprehendit.

Similiter & Ens Creatum.

Tran-

Ens univerſaliſſimum impoſſibile negari nequit, ſi abſolutè ſumatur.

Tranſeo ad *Ens* ab omni ſyſtematico adtributo præciſum. Dicebam illud infinitari non poſſe, ſi *abſolutè* ſumatur. Ergo illo verbulo *abſolutè* innuebam, Ens ab omni ſyſtematico attributo præciſum ſumi poſſe *non abſolutè*, nempe *hypotheticè* vel *conditionatè*. Ergo adhuc eſſe infinitum poterit, ſi ſub hypotheſi aliqua, aut congrua conditione ſumatur. Ergo aliquod exemplum proponamus.

Exemplū manifeſtum proponitur.

In hac Propoſitione, *Omne Prædicatum, quod de Deo, & Creaturis verificatur, eſt Ens*, illud *Ens* abſtractiſſimè ſumitur; ſi enim per Aſeitatem, Infinitatem, Æternitatem, &c. reſtringeretur, non poſſet de Creaturis; &, ſi per eſſe ab alio, Habuiſſe principium &c. contraheretur, non poſſet de Deo verificari. Videamus ergo, qualis futura ſit hæc propoſitio, ſi per Contrapoſitionem invertatur. In hanc proculdubio tranſibit. *Omne non ens eſt non Prædicatum, quod de Deo & Creaturis verificatur*, vel clariùs *Omne ens, quod non eſt ens, eſt aliqua Res, quæ non eſt Prædicatum de Deo, & Creaturis verificabile*. Et erit hæc propoſitio de ſubjecto non ſupponente, ſi abſolutè ſumatur, repugnat enim dari aliquod ens, quod non ſit ens; nempe aliquod ens, de quo ens univerſaliſſimum, & abſtractiſſimum non prædicetur, & verificetur, ſi abſolutè ſumatur.

Ille terminus Omne Ens, quod non eſt Ens, *in ſe ipſo repugnantiam involvit, ſi abſolutè accipiatur.*

Et conſulto iterum, iterumq; poſui illud *ſi abſolutè ſumatur*, quoniam illa ipſa propoſitio, *Omne non ens, eſt non prædicatum, quod de Deo, & creaturis verificatur*, quæ abſolutè ſumpta erat de ſubjecto nō ſupponente, eſt vera accepta hypotheticè & conditionatè, quoniam reddit hunc ſenſum, *Omnia entia, quæ non eſſent entia, ſi talia darentur, eſſent profectò aliquæ Res, quæ non eſſent Prædicata de Deo & Creaturis verificabilia*. Quæ propoſitio eſſet vera, & ſimilis huic, *Leo rationalis, ſi daretur, eſſet animal rationale & irrationale*, quæ etiam eſt vera: ſicut enim de eſſentia Hominis eſt Rationalitas, ſic de eſſentia Leonis eſt Irrationalitas.

An etiam involvat contradictionem, ſi ſumatur hypotheticè & conditionatè?

De Leone rationali, Qualis eſſet, ſi de facto daretur?

SECTIO VIII.

De Moralium Propoſitionum Converſione.

Cur pagina ſequentes addātur?

Tametſi doctrinæ Communes videntur ſufficere, ut Converſio ſimplex ab Accidentali ſecernatur etiam in Materiis Moralibus, utile, aut etiam neceſſarium judicavi has eaſdem Converſiones recognoſcere, earumque eſſentias & proprietates ad Logicam Moralem reſtrictas meditari. Sequentes Concluſiones conſidera. Eſt enim

Quid Converſio Logica ſit?

PRIMA. *Converſio, Logicè ſumpta, eſt ſubjecti in Prædicatum, & Prædicati in ſubjectum mutatio*, ut

Homo eſt animal.
Ergo animal eſt homo.
Canes ſunt ſubſtantiæ.
Ergo ſubſtantiæ ſunt canes.
Cytharedus eſt Tubicen.
Ergo Tubicen eſt Cytharedus.

An præter Logicā detur alia converſio?

Et conſultò illud *Logicè ſumpta* poſui: Converſio enim ſumpta phyſicè aliam notationem habet.

Quotuplex ſit Converſio Logica?

SECVNDA. *Logica Converſio duplex eſt: alia enim Propoſitiones ſimpliciter, & alia convertuntur per accidens*. Eſt certa: & etiam admiſſa in communi Dialectica.

Quid ſit Converſio ſimplex?

TERTIA. *Converſio ſimplex, eſt ſubjecti in Prædicatum, & contra eadem manente Morali Quantitate commutatio*, ut

Fere omnes homines ſunt albi.
Ergo fere omnia alba ſunt homines.
Pauciores canes currunt.
Ergo pauciora currentia ſunt canes.
Fere nullus equus eſt niger.
Fere nulla nigra ſunt equi.

Et tu in his Converſionibus Modum, quo commutantur extrema, conſidera; ne autem ſis ſolicitus de veritate, ſit

In Exemplis non requiritur veritas.

Quid Converſio per accidēs?

QVARTA. *Converſio per accidens, eſt mutua Subjecti, & Prædicati commutatio, mutata etiam Quantitate Morali*, ut

Pauci docti ſunt divites.
Multi divites ſunt docti.
Fere nullus homo eſt niger.
Pauca nigra ſunt homines.
Rari Cygni ſunt nigri.
Multa nigra ſunt Cygni.

Iam vidiſti, quo modo exerceatur neglecta veritate converſio; Ergo, ſupereſt ferre leges per quas propoſitiones veritate illæſa convertantur.

Tam materia, quàm forma debet in Propoſitionibus conſiderari.

Et quidem, ut id fiat, in ipſis (Propoſitionibus) Forma, & Materia veniunt conſiderandæ. Quæ de illa (de Forma) dicuntur, percurrunt univerſas Materias; quæ autem de hac (de Materia) aſſeruntur, ſe continent intra terminos dictæ Materiæ; ſequentes ergo lineas conſidera. Eſt enim

PRIMA REGVLA.

Forma Conſideratio.

Stando Forma, & agendo de omni Materia indiſcriminatim, ſola ultima Propoſitio (quæ eſt Univerſalis Negativa) poteſt verti ſimpliciter: prima autem (quæ eſt Univerſalis Affirmativa) poteſt per accidens in particularem aſſerentem converti: cæteræ intermediæ etiam per accidens in particulares convertuntur. Quæ omnia exemplis poſitis dilucidantur.

Pro-

	Propoſitiones Morales Affirmativæ	*Et convertuntur in has*
I.	*Omnis homo eſt albus*	
II.	*Omnes homines ſunt albi.*	
III.	*Fere omnes homines ſunt albi* .	
IV.	*Plures homines ſunt albi* .	Ergo aliqua alba ſunt homines .
V.	*Media pars hominum eſt alba* .	
VI.	*Pauciores homines ſunt albi* .	
VII.	*Multi homines ſunt albi* .	Ergo & aliquod album eſt homo .
VIII.	*Pauci homines ſunt albi* .	
IX.	*Rari homines ſunt albi*	
X.	*Aliqui homines ſunt albi*	
XI.	Aliquis homo eſt albus .	*Ergo aliquod album eſt homo* .
XII.	Fere nullus eſt albus .	
XIII.	*Nulli homines ſunt albi*	Ergo nulla alba ſunt homines .
XIV.	*Nullus homo eſt albus*	Ergo nullum album eſt homo .

Quæ omnia nullo meliori modo dilucidari poterunt, quàm ſi ſingulas Propoſitiones recognoſcamus.

De Syncategoremate Omnis.

Circa Primam. Syncategorema *Omnis* nunquam dicitur de uno, nemo enim unquam dixit *Omnis Sol : Omnis Luna* &c. Ergo, ſi ut minimum, quando dicitur, *Omnis homo eſt albus*, aliqui homines ſunt albi, etiam aliqua alba erunt homines. Et, ſi aliqua, etiam aliquod album erit homo.

De Syncategoremate Omnes.

Circa ſecundam. Aſſero clariùs hic conſpici convertentem in plurali numero formari poſſe.

De Syncategorematis cæteris, quæ numero ſingulari exprimuntur.

Circa cæteras pluralis numeri. Illa Propoſitio, quæ decimo numero collocatur, à qualibet ex prioribus novem infertur: quoniam, ſi omnis, ſi omnes, ſi ferè omnes, plures, media pars, pauciores, multi, pauci, aut rari homines ſunt albi, neceſſarium eſt, ut aliqui homines ſint albi, ergo ſimiliter, ut aliqua alba ſint homines.

De Syncategoremate Aliquis.

Circa undecimam. Si aliquis homo ſit albus, non aliqua alba, ſed aliquod tantum album erit homo.

De ſyncategoremate Fere nullus.

Circa duodecimam. Si ſint centum homines, & unus tantùm illorum albus ſit, erit verum dicere, *Fere nullus homo eſt albus*, non autem tunc inferri poterit, *Ergo aliqua alba ſunt homines*, nam ex hypotheſi unum tantùm album eſt homo.

De ſyncategoremate Nullus, & Nulli.

Circa reliquas. Signa *Nullus*, & *Nulli* negant omnia, atque ideò idem ſignificant, ſive in numero ſingulari, ſive in plurali ponantur. Nec contra hoc militat Prædicati ſingularitas determinata; puta, ſi dicat Titius,

Nulli homines ſunt Soles.
Ergo nulli Soles ſunt homines.

Non militat, inquam, contra hoc; quoniã non dicit Titius Soles eſſe, aut non eſſe (hoc eſt exiſtere, aut non exiſtere) ſed Soles, ſint, aut non ſint (exiſtant revera, aut non exiſtant) non eſſe homines.

Nec hæc doctrina Signis *Omnes*, & *Omnis*, poterit adaptari: cùm, quia ubi de vocum ſignificatione diſſeritur, ſtandum eſt acceptioni communi: tum, quia aliud eſt aſſerere, aliud negare: unde tametſi hæc Propoſitio *Sũt duo Soles* ſit falſa; hæc nihilominus *Non ſunt duo Soles*, apud omnes eſt vera.

Secunda Regula.

De veritate & falſitate Propoſitionũ Moralium.

P*Rædicatum (1) vel convenit omni ſubjecto, vel non omni, vel nulli. Si (2) primum; ſola duæ priores Propoſitiones ſunt veræ; cæteræ affirmativæ, ſi excluſivè ſumantur, & negativæ, quomodocumque ſumantur, ſunt falſæ. Si (3) ſecundum, duæ primæ, & duæ ultimæ erunt falſæ: & ſuberunt examini & judicio inter media. Si (4) tertium: tunc erunt vera duæ ultimæ Propoſitiones, & cæteræ omnes aliæ falſæ.*

Exponitur Regula.

Hæc Regula, aut Propoſitio, quatuor partes habet: ſingulas breviter dilucidemus.

Cum ſubjecto prædicatũ confertur.

Sanè Propoſitionis Prædicatum, vel convenit omni ſubjecto, vel non omni, vel nulli. *Omni*, ut in primo, ſecundo, tertio Prædicabili: immo in quarto juxta ſecundum, tertium, & quartum modum. Proprium enim aſſerente Porphyrio eſt quadruplex: vel enim convenit ſoli, ſed non omni; vel omni, ſed non ſoli; vel omni & ſoli, ſed non ſemper; vel omni ſoli, & ſemper. *Non omni*, ut Proprium in primo Porphyrii modo, & Accidens, quod in quinto Prædicabili ponitur; licet & hoc per accidens poſſit univerſis competere; nam, ſi Deus, v.gr. omnes homines nigros occideret, albedo eſſet quinti prædicabi-

Vel enim convenit omni, Vel non omni,

Vel nulli.

lis Accidens, & tamen in omnibus hominibus reperiretur. *Nulli*, ut prædicatum Subjecto ipſi repugnans, ut Lapis reſpectu Hominis, & Homo reſpectu Elephantis.

Syncategoremata poſſunt bifariam ſumi.

Vt ſecundam Regulæ partem intelligas, adnotato, hæc ſyncategoremata, *Fere omnes*, *Plures*, *Media pars*, *Pauciores*, *Multi*, *Pauci*, *Rari*, *Aliqui*, poſſe ſumi bifariam; præciſivè videlicet, & excluſivè: præciſivè, quando de his aſſero, & de cæteris judicium non fero: excluſivè de his tantum aſſero, & cæteros omnes excludo. Pono exemplum. *Plures homines ſunt animalia*, eſt Propoſitio vera, ſi illud *Plures*, præciſivè ſumatur: eritque falſa, ſi excluſivè; tunc enim æquipollebit huic, *Plures tantùm homines ſunt animalia*, quæ omnium judicio falſa eſt. Et quidem poſſe, & ſolere præciſivè ſumi hæc ſyncategoremata, conſtat ex ſigno *Aliqui*, aut *Aliquis*: tametſi enim ſint veræ, & conceſſæ ab omnibus iſtæ Propoſitiones, *Aliqui homines ſunt animalia*, & *Aliquis homo eſt animal* in ſenſu præciſivo; in excluſivo eſſent falſæ, æquivalerent enim his, *Aliqui tantùm homines ſunt animalia*, & *Aliquis tantùm homo eſt animal*. Et hinc collige priores undecim Propoſitiones poſſe ſimul veras in ſenſu præciſivo; at in excluſivo, qui præter duas primas, cæteras comprehendit, non poſſe omnes ſimul verificari. Nam ſi pauciores tantùm homines ſunt Muſici, falſum erit dicere, Pleroſq; fere omnes, aut omnes eſſe Muſicos.

Præciſivè,

Et Excluſivè.

Syncategorema Aliquis præciſivè à Dialecticis ſumitur.

De Propoſitionum indirectarum veritate.

In Propoſitionibus indirectis conſideranda eſt ſubjecti, & prædicati connexio, nam licet prędicatum ſubjecto contingenter cohæreat, ſubjectum prædicato neceſſariò reſpondet: quam ob rem licet hæc Propoſitio, *Animal eſt homo* ſit contingens; hæc *Homo eſt animal* eſt neceſſaria. Tametſi enim animal eſſe poſſit ſine Homine, Homo ſine Animali eſſe non poteſt. Huc pertinēt Artium, & Scientiarum concreta, qualia ſunt *Grammaticus*, *Rhetor*, *Poeta*, *Arithmeticus*, *Geometra*, *Muſicus*, &c. nam tametſi ſit accidentaria hæc Aſſertio, *Homo eſt Grammaticus*, eſt tamen neceſſaria hæc, *Grammaticus eſt homo*; non enim aliæ animātes ſcientias liberales addiſcunt. Nec contra militat argumentum ab Angelorum ſapientia deductum: nam ipſi non diſcurrunt, & ſcientiæ noſtræ à diſcurſu dependent: quam ob rem hæ duæ Propoſitiones, *Homo eſt Geometra*, & *Angelus eſt Geometra*, non ſunt ejuſdem prædicati: nam Geometria, quam ſcimus homines, eſt adquiſita & diſcurſiva, & illa, quam ſciunt Angeli, eſt infuſa, & ab omni diſcurſu independens.

An unum extremum alteri uniri eſſentialiter poſſit, quādo alterum ſibi unitur accidentaliter.

Tertia Regula.

Qvotieſcumq; Prædicatū convenit omni ſed non ſoli ſubjecto, Affirmativa propoſitio, cujuſcūq; Quantitatis ea ſit, convertitur in particularē, pluralis, aut ſingularis numeri, prout ipſa ſit numeri pluralis, aut ſingularis. Sed de hoc jam tibi conſtat: huc enim pertinent, omnia, quæ in primæ Regulæ dilucidatione dicuntur.

De Prædicato, quod convenit omni ſubjecto, ſed non ſoli.

Quarta Regula.

Qvando autem Prædicatum convenit omni & ſoli ſubjecto omnes Propoſitiones excluſivè ſumptæ erunt falſæ, & præciſivè ſumptæ erunt veræ, & per converſionem poterunt in Vniverſales aſſerentes tranſire. Convenit autem omni & ſoli ſubjecto Differentia, & Proprium in tertio, & quarto modo Porphyriano. Doctrinam hanc illuſtremus opportunis exemplis.

De Prædicato, quod convenit omni & ſoli.

Omnes iſtæ Propoſitiones, *Omnes*, (*Omnis*, *Fere omnes*, *Plures*, *Media pars*, *Pauciores*, *Multi*, *Pauci*, *Rari*, *Aliqui*, &c.) *homines ſunt Rationales* (vel, *ſunt Riſibiles*) convertuntur in hanc, *Omnia Rationalia* (vel, *omnia Riſibilia*) *ſunt homines*.

Et quo tunc modo omnes Modales propoſitiones convertantur.

Hoc exemplum ad tertium Prædicabile, & ad Quarti quartum modum ſpectat: aliud in tertio ejuſdem Quarti Prædicabilis modo proponamus.

Eſt ſupponendum itaque ſoli, & omni homini convenire *caneſcere*: hoc enim exemplum ponit in tertio modo Porphyrius, & in exemplis ſufficit Suppoſitio, nec enim requiritur Veritas.

De tertio modo Proprietatis.

Ergo iſtæ Propoſitiones *Omnes* (*Omnis*, *Fere omnes*, *Plures*, *Media pars*, *Pauciores*, *Multi*, *Pauci*, *Rari*, *Aliqui*, &c.) *caneſcunt*, convertuntur in hanc, *Ergo omnia, quæ caneſcant, ſunt homines*.

Quo modo in illo convertantur Modales.

Quinta Regula.

Qvando ſoli ſubjecto, non autem omni convenit Prædicatum, una aut altera Propoſitio Modalis erit vera, & quæcumque illa ſit in Vniverſalem Affirmativam convertetur.

De Prædicato, quod convenit ſoli, ſed non omni.

Hæc Regula per ſe conſiderata, in ſolo primo modo Quarti Porphyriani Prædicabilis locum habere poteſt, quoniā v.gr. *eſſe Dialecticum*, ſoli, ſed non omni homini competit. Sanè non repugnat, ut *Omnes*, ut *Fere omnes*, ut *Plures*, ut *Media pars*, ut *Pauciores*, ut *Multi*, ut *Pauci*, ut *Rari*, ut *Aliqui tantùm dialecticentur*; interim ſeu Pauci, ſeu Multi ſint Dialectici,

Quo in illo modo fiant Converſiones modales?

Con-

Conſequentia, quæ per Converſionem inferetur, erit ſemper hæc, *Ergo omnis Dialecti. as eſt homo*.

SEXTA REGVLA.

De Prædicato Contingente.

QVando ſubjecto contingenter convenit Prædicatum, Convertenda (1) *Propoſitio mutatis circumſtantiis quantumque poterit Moralem quantitatem adquirere, & ex quacumque quantitate*(a) *in quamcumque quantitatem per Converſionem tranſire.*

Habere poteſt quamcumque quantitatẽ Moralem.

Continet duas partes hæc Regula: utramque breviter dilucidemus:

Et hoc perſuadetur clariſſimè.

Primam ejus partem eſſe veram eſt certum & indubitatum; quoniam *Albedo* eſt accidens, quod convenire & non convenire poteſt homini; eſſe ergo poterit, ut *Omnes*, ut *Fere omnes*, ut *Plures*, ut *Media pars*, ut *Pauciores*, ut *Multi*, ut *Pauci*, ut *Rari*, ut *Aliqui*, &c. *homines ſint albi*.

Poteſt mutatis circumſtantiis, quacumque in quamcumque tranſire.

Poſteriorem Caſibus breviter demonſtrabo. Et quia idem, aut ſimile eſſe poterit Iudicium de cæteris Propoſitionibus, hanc *Omnis homo eſt albus*, convertamus.

Omnis convertitur.

Suppone nullam rem eſſe albam in Mundo præter hominem, & tunc veræ iſtæ Propoſitiones eſſent,

Omnis homo eſt albus, &
Omne album eſt homo.

Si homines multi ſint, omnes albi, & præter homines unum aut alterum album tantummodò, erunt hæ veræ,

Omnis homo eſt albus, &
Fere omnia alba ſunt homines. — *in* Fere omnia.

Si ſint homines centum, & omnes albi, & quinquaginta cygni (etiam albi) erunt veræ hæ,

Omnis homo eſt albus, &
Plura alba ſunt homines. — *in* Plura.

Si tot ſint homines, quàm cygni, ſtabunt iſtæ.

Omnis homo eſt albus, &
Media pars alborum ſunt homines. — *in* Media pars.

Si autem homines pauciores cygnis ſint, concedendæ erunt hæ,

Omnis homo eſt albus, &
Pauciora alba ſunt homines. — *in* Pauciora.

Si, homines omnes ſint albi (id enim in omni caſu ſupponitur) & reſpectu cygnorum ſint multi, pauci, aut rari, verificabuntur ſimul hæ;

Omnis homo eſt albus, &
Multa (*Pauca*, *Rara*, *Aliqua*) *alba ſunt homines*, & — *in* Multa, Pauca, Rara, Aliqua, *&c.*
Aliquod album eſt homo.

Si hominum numerus tantillus ſit, ut reſpectu cygnorum, aut aliorum alborum corporum vileſcat, & pro nihilo reputetur, tunc concedi & admitti iſtæ poſſunt,

Omnis homo eſt albus, &
Fere nullum album eſt homo. — *in* Fere nulla.

Et denique, ſi *Nullus homo albus ſit*, tunc *Nullum album erit homo*. — *in* Nulla.

ARTICVLVS VI.

De Propoſitionum Oppoſitione.

Quid ſit diſcurrere & ratiocinari?

HOMO eſt Animal rationale: ratiocinari eſt diſcurrere, diſcurrere eſt unum inferre ex alio. Oportet igitur habere aliquid ex quo poſſint concluſiones inferri. Nam nullum erit conſequens, ſi nullum antecedens ſit: & nullum conſequens erit ſecurum, ſi antecedens incertum ſit.

Vnde incipiat Diſcurſus?

Sed quid eſt illud, homo aſſumere poterit, ut ſecurè diſcurrat? Aliquod Principium per ſe notum. Et quidem eſſe multa per ſe nota Principia affirmant ſcriptores communiter: quorum aliqui aliquot millia Axiomata collegerunt, & putarunt ſe ſcholas ditaſſe. At obluduntur, & obludunt ſi agamus de Principiis Phyſicis, & ſenſibilibus, aliqua deſignari poſſunt quæ experientia probantur, ut *Sol eſt lucidus*, *Ignis eſt calidus*, *Nix eſt frigida*; at Philoſophus quærit majorem certitudinem, qui enim auſus eſt dicere nivem non eſſe albam, ſed videri; poſſet etiam dicere nec Solem eſſe lucidum, nec ignem calidum, nec nivem frigidam, ſed videri. Et ut minimum hoc ab omnibus concedi debet, ſenſus interdum falli, & poſſe divinitus fieri, ut mihi lucidum, calidum, aut frigidum appareat, quod reverà, nec lucidum, nec calidum nec frigidum ſit. Majorem ergo ſecuritatem poſtulat ſcientifica ratiocinatio.

An Protheoremata ſeu Diſcurſuum Principia ſint multa aut pauca?

An Senſus externi fallantur?

Sed unde illam habebit? Ab unico ſolo Principio radicali, cui innituntur cætera, quæ nomine Principiorum ſunt digna. Illud

Primum omniũ Veritatũ Principium.

Illud eſt. *Quodlibet eſt vel non eſt.* Aliter *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* Clarius *Impoſſibile eſt dari duas contradictorias ſimul veras.* Vt autem hoc principium innoteſcat exactè, oportet Diſputationem inſtiruere, & de Enunciationum oppoſitione diſſerere: nam ex hoc Principio naſcuntur omnia, quæ à Dialecticis de oppoſitione ediſſeruntur, nam ut oſtendemus inferiùs, hæ ſunt infallibiles conſequentiæ.

De Oppoſitio Propoſitionibus.

Quando eſſe, aut non eſſe poſſint ſimul vera, vel falſa.

Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.

Ergo duæ ſingulares oppoſitæ, nec ſimul eſſe vera poſſunt, nec ſimul falſa.

Ergo de univerſali, & particulari idem omninò erit dicendum.

Ergo duæ univerſales non poſſunt eſſe ſimul vera. [At poſſunt eſſe ſimul falſæ.]

Ergo duæ Particulares non poſſunt eſſe ſimul falſa. [At poſſunt eſſe ſimul veræ.]

Vt hæc doctrina intelligatur, & demonſtretur, hic à nobis Articulus inſtituitur, in quo diſſerit

SECTIO I.

De Simplicium Enunciationum Oppoſitione.

Quid ſit oppoſitio?

OPpoſitio eſt *affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem ſecundum idem*; hoc eſt Propoſitionum categoricarum oppoſitio (nam de iſtis agimus) eſt affirmatio, & negatio ejuſdem prædicati de eodem ſubjecto ſecundum eaſdem omnino circumſtantias loci, temporis, &c. nam unâ (*N.B.*) vel minimâ circumſtantiâ mutatâ tollitur oppoſitio, ſed & debet obſervari in vocibus eadem ſingularum ſignificatio, & acceptio; nam ſi vel una vox aliter in alterâ poſitione accipiatur contradictoriæ non cenſentur: unde hæ non ſunt contradictoriæ, *Prata rident*, *Prata non rident*: nam ſi prima accipiatur in ſenſu metaphorico, & improprio, ſecunda in rigoroſo, & proprio ſunt ſimul veræ. Ob eamdem cauſam *Scit* & *Non ſcit* ſolent conſiſtere, quæ enim Petrus ignorat vincibiliter, realiter neſcit, & tamen moraliter, & virtualiter ſcit, hoc eſt ſcire cenſetur. Vide noſtram *Theol. Fundam. num.* 1093., & vide ibid. *num.* 907. quomodo hæ *Occidi* & *non Occidi* repugnantes non ſint, ſi in ſenſu diverſo accipiantur.

Voces ſingulæ debent in eadem ſignificatione in utraque propoſitione ſumi.

Scio, & non Scio an opponantur?

An Occidi & Non Occidi?

An aliqua ſit mulier, & non mulier? An verba Vlpiani implicent contradictionem?

Placet adhuc addere ex Vlpiano *in leg. quæritur.* D. *de ædil. edict.* aliqua verba, quæ totam hanc doctrinam dilucident; inquit enim, *Mulierem, ita arctam, ut mulier fieri non poſſit, ſanam non videri conſtat.* Porrò, ſi eſt mulier, quo illa modo fieri mulier poterit, aut non poterit, &, ſi mulier fieri poteſt, nondum eſt mulier: Eſt igitur mulier, & non mulier. Ergo in hac lege Iuſtinianus cum Vlpiano contradictionem involvit. Sed non, quoniam bis ponitur nomen *mulier*, & ſemel in unâ, & iterum in alterâ ſignificatione, nam in priori illud loco ſignificat *fæminam*, in poſteriori verò *uxorem*. Vnde ſenſus legis hic eſt, *Fæminam ita arctam, ut uxor fieri non poſſit, ſanam non videri conſtat.* Et eodem accipiens vocem ſenſu idem Iuriſconſultus *leg. alioquin. de contrahend. emptionib.* ſcribit. *Quod ſi ego me Virginem emere putarim, cùm eſſet mulier, emptio non valebit.* Nam hîc *mulieris* nomine defloratam intelligit. Hinc Cicero ab Amico objurgatus, quòd jam ſexagenarius Popiliam virginem & puellam, in uxorem duxiſſet, *Cras*, inquit, *illa mulier erit.* &c. Cognita ergo hac ſignificationum parallaxi ante nuptias Ciceronianas, in his duabus Propoſitionibus,

Non cenſetur ſana, quæ nequit virum pati.

Reddit contractum invalidum æquivocatio.

Cicero jam ſenior puellam ducit.

Popilia eſt Mulier (fœmina)

Popilia non eſt Mulier (vxor)

Nullus contradictionem Logicus, aut aliam qualemcumque Oppoſitionem inveniet.

Significationũ varietas tollit oppoſitionem.

Quotuplex Oppoſitio ſit?

Oppoſitio eſt triplex: Contraria, Subcõtraria, & Contradictoria. Enunciationes contrariæ ſe opponunt in veritate, ſubcontrariæ in falſitate, contradictoriæ in utraque.

Qui omne dicit, nihil excludit.

Vox *Omne*, nihil excipit, *leg. à procuratore.* C. *mandati* [Cùm recipit interpretationem ut *in leg. ſed, ſi compromiſſum; in fin.* D. *de arb.* eſt propoſitio univerſalis moraliter] Aliquis incertam & indeterminatam perſonam ſignificat: videlicet unam è multis. *leg. ſi verò plures* §. *ait Prætor de his, qui dejec. leg. ſi ſervitus; de Servit. urb. præd.* & quidem oportet in hac materiâ oculos aperire, nam interdum viri eruditi allucinantur. Vide Theol. Fundam. *num.* 1075. ubi lapſus Ciceronis detegitur.

Contrarietas eſt Vniverſaliũ oppoſitio.

Duæ Vniverſales opponuntur contrariè: & poſſunt eſſe ſimul falſæ, non autem ſimul veræ, ut *Omnis Doctor eſt nobilis. Nullus Doctor eſt nobilis.*

Subcontrarietas eſt Particularium Oppoſitio.

Duæ autem particulares opponuntur ſubcontrariè: eſſe ſimul veræ poſſunt, eſſe ſimul falſæ non poſſunt, ut *Aliquis Doctor eſt nobilis, Aliquis Doctor non eſt nobilis.*

Contradictio eſt Vniverſalis, & Particularis oppoſitio; Aut etiam ſingularium oppoſitio.

Vniverſalis & Particularis opponuntur contradictoriè, ſimulq; veræ, aut ſimul falſæ eſſe non poſſunt, ut *Omnis Doctor eſt nobilis, Aliquis Doctor non eſt nobilis*, aut etiam *Nullus Doctor eſt nobilis; Aliquis Doctor eſt nobilis*; etiam ſe contradictoriè reſpiciunt Propoſitiones ſingulares, ut

Pe-

Petrus currit, *Petrus non currit*. *Hic homo eſt ſapiens*. *Hic homo non eſt ſapiens*.

De Subalternis.

Ad Oppoſitionem affirmatio, & negatio requiritur, ad illam igitur ſubalternæ non pertinent, quarum, vel utraque aſſerit, vel utraque negat; ut *Omnis homo eſt nobilis*, & *Aliquis homo eſt nobilis*: nec non *Nullus homo eſt nobilis*, & *Aliquis homo non eſt nobilis*. Sanè ſubalternæ non opponuntur Veritate, nam poſſunt eſſe ſimul veræ, ut *Omnis homo eſt animal* & *Aliquis homo eſt animal*: & poſſunt eſſe ſimul falſæ, ut *Nullus homo eſt animal*, & *Aliquis homo non eſt animal*. Ergo nulla in illis in Veritate, aut Falſitate Oppoſitio invenitur.

An in Veritate aut Falſitate;

An ſaltem in Quantitate opponantur?

At in Quantitate invenitur, ais, altera enim ſemper eſt Vniverſalis, & altera Particularis.

Sed quid inde, inquam ego: non enim quæcumque differentia, aut varietas, debet aut poteſt *Oppoſitio* vocari: nec quæcumque Oppoſitio, eſt Oppoſitio Logica, nam hæc inter duas Propoſitiones (Aſſerentem, Negantemq;) & non alibi, poterit reperiri.

De Oppoſitione Logica.


Quid illa ſit?

Hic tamen obſervare debebis ex Vniverſali ad Particularem conſequentiam valere; bene enim dicimus, *Omnis Doctor eſt nobilis*, *Ergo aliquis Doctor eſt nobilis*. Et ſi hæc poſitio, *Nullus Doctor eſt nobilis*, vera eſſet, *Aliquis Doctor non eſt nobilis* admitti neceſſariò deberet.

Quo in ſubalternis modo Argumenta formentur?


Omnia ob oculos ponet ſubſequens Figura, quam juxta communem ſententiam conformavimus.

Paradigma commune Propoſitionum Oppoſitiones proponens.



De Syncategoremate Non omnis.

Syncategorema *Non omnis*, non eſt idem ac *Aliquis non*; ut in noſtri Herculus Logici Labore II. demonſtravi; & hanc ob rem debui quintam cellulam adjungere; quoniam hæc propoſitio *Non omnis* &c. ſubalternat utramque ſubcontrariam, & utrique contrariæ contradicit. Subſequentem Figuram accuratè perpende.



De Oppoſitionis doctrina. Vnde tota naſcitur?

Dixi totam doctrinam hanc *de oppoſitione ſimplicium* naſci ex hoc Principio *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, quod ſic demonſtro.

Non poteſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Ergo idem Petrus non poteſt ſimul eſſe albus; & non eſſe albus. Ergo repugnat, ut

Cur duæ Singulares oppoſita non poſſint eſſe ſimul veræ?

ut ſimul ſint veræ iſtæ duæ Propoſitiones, *Petrus eſt albus*, & *Petrus non eſt albus*. Ergo idem Petrus non poteſt ſimul carere & non carere albedine. Ergo repugnat, ut ſimol veræ ſiot iſtæ duæ Propoſitiones, *Petrus caret albedine* & *Petrus non caret albedine*. Ergo & repugnat illas duas priores eſſe ſimul falſas: quia, ſi illæ eſſent ſimul falſæ, hæ duæ poſteriores eſſent ſimul veræ. Ergo ſimiliter repugnat has duas poſteriores eſſe ſimul falſas; quia, ſi eſſent ſimul falſæ, illæ duæ priores eſſent ſimul veræ. Ergo eſt infallibilis hæc propoſitio. *Duæ ſingulares oppoſitæ* (quarum altera ſit affirmativa, altera negativa) *non poſſunt eſſe ſimul vera, nec ſimul falſa*. Et hic eſt primus lapis fundamentalis.

Cur eſſe non poſſint ſimul falſa?

Cur duæ Contradictoria non poſſint eſſe ſimul vera?

Hinc infertur has *Omnis homo eſt albus* & *Aliquis homo non eſt albus* non poſſe eſſe ſimul veras. Sic argumentor. Si aliquis homo non eſt albus, erit ſingularis, nam individuum vagum non exiſtit à parte rei. Ergo oſtendatur ille homo, qui non eſt albus. Sit Ioannes. Ergo iſta Propoſitio eſt vera, *Ioannes non eſt albus*; atqui ſimiliter eſt vera, *Ioannes eſt albus*. Ergo duæ ſingulares oppoſitæ ſunt ſimul veræ: quod eſſe impoſſibile oſtendimus. Probatur minor, quia erat vera hæc, *Omnis homo eſt albus* ſubſumo. *Atqui Ioannes eſt homo* & legitimè infero, *Ergo Ioannes eſt albus*.

Et cur eadem eſſe non poſſint ſimul falſa?

Si eaſdem Propoſitiones eſſe ſimul falſas quis dixerit, ſic argumentabor. Dicis has duas Propoſitiones *Omnis homo eſt albus*, & *Aliquis homo non eſt albus*, eſſe ſimul falſas. Sıet Particularem eſſe falſam: & contra Vniverſalem ſic argumentemur. Sanè, ſi hæc Propoſitio, *Omnis homo eſt albus*, eſt falſa; ideò erit falſa, quia de aliquo non verificatur. Ergo aliquis eſt qui non ſit albus. Ergò hæc Propoſitio *Aliquis homo non eſt albus* eſt vera. At ſupponebatur non eſſe vera. Ergo eſt ſimul vera, & non vera. Ergo aliquid ſimul eſt & non eſt, quod admitti non poteſt.

Eadem doctrina & Reſolutio valet in Negativis.

Eodem modo has duas *Nullus homo eſt albus*, & *Aliquis homo eſt albus*, nec poſſe eſſe ſimul veras, nec ſimul falſas demonſtrabimus.

De Contrariis.

Has duas, *Nullus homo eſt albus*, *Omnis homo eſt albus*, ſi aliqui ſint albi, & aliqui nigri, non poſſe eſſe ſimul veras, perſuadeo. Quoniam, ſi eſſet vera prima, inferret hanc, *Ergo aliquis homo non eſt albus*. Si eſſet vera ſecunda, inferret hanc, *Ergo aliquis homo eſt albus*. Ergo etiam hæ eſſent ſimul veræ. Ergo, ſi hæ quatuor ſunt ſimul veræ; & Contradictoriæ (*Nullus* & *Aliquis*; nec non *Omnes*, & *Aliquis non*) ſunt ſimul veræ.

An, & cur eſſe ſimul vera non poſſint?

De Subcontrariis.

Tandem hæ duæ *Aliquis homo eſt albus* & *Aliquis homo non eſt albus* erunt ſimul veræ, ſi Petrus ſit albus, & Ioannes non ſit albus; at non poſſe eſſe ſimul falſas pronuncio. Quoniam, ſi hæc, *aliquis homo eſt albus* eſt falſa, ejus Contradictoria *Nullus homo eſt albus*, erit vera: &, ſi hæc *Aliquis homo non eſt albus*, eſt falſa, ejus Contradictoria *Omnis homo eſt albus*, erit vera. Atqui *Omnis homo eſt albus*, & *Nullus homo eſt albus*, ſunt Contrariæ. Ergo, ſi darentur duæ ſubcontrariæ ſimul falſæ, darentur neceſſariò duæ contrariæ ſimul veræ. quod eſſe impoſſibile demonſtraveram.

An, & cur eſſe non poſſint ſimul falſa?

Objectiones.

Contradictionis leges.

Contradictoriarum natura poſtulat duo, ut vidimus. Primum *Ne ſimul vera eſſe poſſint*. Secundum *Ne ſimul falſa eſſe poſſint*, nec dabitur in Divinis, aut Humanis exemplum, in quo duæ contradictoriæ, aut ſimul poſſint admitti, aut ſimul rejici.

De Vſucapione. An ſine notitia fiat valida?

Sed objicis PRIMO Hæ duæ propoſitiones ſunt contradictoriæ. Videlicet.

A. *In omni uſucapione ſcientia exigitur.*
B. *In aliqua uſucapione ſcientia non exigitur.*

Voluntas non tendit in incognitum.

Prima eſt vera; nam non ſolùm corpore ſed animo poſſidere debemus: poſſidemus autem animo quoniam poſſidemus volentes, Ergo & ſcientes; quia nihil volitum quin præcognitum: unde Poeta exclamat, *Ignoti nulla cupido*. Secunda etiam eſt vera ex Iure ſingulari. Habemus ergo duas Contradictorias ſimul veras. Audi Cujacium *in Titul. de vſurp. & vſucap.* ad legem, *ſi is qui pro emptore*. hanc difficultatem proponentem. [Dicturus ſum hoc in loco de Iure ſingulari uſucapionis; exemplo *ad leg.* jos. *ſingulare de legib.* aptiſſimo, & convenientiſſimo. Eſt verò hæc Iuris ſingularis definitio. Ea, quæ ſervi peculiari nomine nanciſcuntur, etiam ignorantes dominos uſucapere. Iure autem Ciuili ſcientia in uſucapionibus exigitur, ſed Iure ſingulari utimur utilitatis rerum cauſa. *leg. peregre.* §. *quæſitum ſupr. tit. prox. leg. juſto* §. *nondum. infr. hoc tit.* & quidem ex hac definitione quatuor eliciuntur. Vt infantes uſucapiant. Vt furioſi uſucapiant: qua de re diximus *in leg. ſequitur ſupr.* Vt, ſi hæreditarius ſervus poſſidere incipiat, eodem modo jacente hæreditate per ſervum hæredi augetur hæreditas, utque nondum aditæ hæreditatis tempus uſucapioni procedat. *leg.* 1. §.

Ius commune, & Ius Particulare.

An quæ ſervi adquirant, etiā ignorantibus dominis adquirant?

An infantes & furioſi uſucapiant?

An per ſervum hæreditas augeatur?

item

item adquirimus ſupr. tit. prox. leg. qui à Servo ad fin. infra. de capt. & poſtlim. leg. juſto. §. nondum. quod nos latiùs exponemus *in leg. præſcript §. ultim. infr. hoc tit.*

Objicis SECUNDO. Si Clodius captivus ſit, & ejus ſervi, dum in captivitate detinetur, aliqua peculiari nomine comprehendant, ad quem illa ſpectabunt? Et antequam tibi aliquis reſpondeat, ſic infis. Hæ duæ propoſitiones

A. *Clodius uſucapit,*

B. *Clodius non uſucapit.*

An captivi uſucapiant?

ſimul eſſe nec veræ, nec falſæ toto tempore captivitatis videntur. Sicut etiam hæ,

C. *Hæredes uſucapiunt,*

D. *Hæredes non uſucapiunt.*

An ſimul captivus, & liber eſſe poſſit?

Et quia poteſt, & ſolet eſſe mortuus virtualiter, qui realiter vivit, & eſſe liber virtualiter, qui realiter captivus eſt, ſimiliter iſtæ Propoſitiones,

E. *Clodius cenſetur mortuus:* quia eſt mortuus virtualiter.

F. *Clodius non cenſetur mortuus;* quia eſt non mortuus virtualiter.

G. *Clodius cenſetur liber;* quia eſt liber virtualiter.

H. *Clodius non cenſetur liber;* quia eſt non liber virtualiter.

nec veræ, nec falſæ ſunt toto tempore captivitatis. Recognoſcamus ſingulas in particulari.

Cujacij opinio.

An dentur Propoſitiones, quæ nec veræ, nec falſæ ſint?

Sanè Propoſitiones A, & B, manere in ſuſpenſo, adeoque ſimul eſſe nec veras, nec falſas videtur admittere Cujacius *loc. cit.* dicit enim. [Ut ad eum, qui captus eſt ab hoſtibus, eorum, quæ ſervi poſt captivitatem peculiari nomine comprehenderunt, uſucapio pertineat &c. Non tantùm autem ſi redierit, jure poſtliminii poſſeſſio rei peculiaris reverſo domino prodeſt (competit) ſed & ſi ibi deceſſerit, ad ſucceſſores ejus pertinet inducta fictione (hypotheſi) legis Corneliæ. Et hæc fuit Iuliani ſententia: ex qua id efficitur, quamdiu is eſt apud hoſtes in ſuſpenſo uſucapionem eſſe: nam, ſi revertatur, ei: ſi ibi moriatur hæredibus prodeſt. Et æquè patet fictio (hypotheſis) poſtliminii, ac fictio (hypotheſis) Legis Corneliæ]

Fictionis nomine Iuriſta hypotheſim ſemper intelligunt.

Sicut in ſuſpenſo manet veritas propoſitionum A. & B. toto tempore captivitatis, ſic, & propoſitionum C. & D. toto enim captivitatis tempore neutra eſt vera, neutra eſt falſa: ſed, ſi Clodius in captivitate moriatur, prior erit vera: & ſi non moriatur, poſterior.

Hypotheſes circa captivos.

Si in captivitate ille moriatur, obiiſſe cenſetur illa ipſa hora, qua fuit captus: ſi verò ad ſuos redeat cenſetur nunquam fuiſſe captus. Ergo quamdiu apud hoſtes eſt, & utrum ſit in captivitate moriturus nō ſcitur, illæ quatuor ultimæ propoſitiones (videlicet E, F, G, H.) manent in ſuſpenſo ſimulq; ſunt, tam veritate, quàm falſitate deſtitutæ.

Reſpondetur.

Reſolutio.

HIS tamen non obſtantibus adamantina eſt contradictionis lex: & Propoſitiones mutuò ſibi contradicentes ſe mutuò deſtruunt; ita, ut nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ eſſe poſſint: ita, ut nulla ſit enunciatio, quæ nec vera, nec falſa ſimul ſit.

N. B. Has porro leges, quæ hodie non obſervantur, non ſolùm injuſtas ſed ineptas fuiſſe, in Theologia Intentionali demóſtravi.

Antequam ad primam Objectionem reſpondeam, breviter exponere oportet Iuris communis, & Iuris ſingularis differentiam. Lex eſt commune præceptum &c. ut Papinianus *lib. 1. definit.* ſtatuit Faber *ad leg. lex eſt. D. de legib.* ait [legis proprium eſt, ut omnes afficiat, non ut quoſdam tantum: unde illa lex legis XII. Tabul. *Privilegia ne irroganto*. Sunt enim Privilegia privatæ leges, & hoc ipſo odioſa, quod à vera, & propria legis natura abhorrerent. Iura namque non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur *leg. Iura 8. D. de legib.*] Paulus autem *lib. ſing. de Iure ſing.* ſic inquit [Ius ſingulare eſt quod contra tenorem legis propter aliquam utilitatem, authoritate conſtituentium introductum eſt] *leg. 16. D. de legib.* Iura ſingularia ſunt quædam ſingularium Privilegia. Hæc non contradicunt legibus, ſed leges in aliquibus caſibus derogant: quam ob rem in omni lege tacitè ſubintelligitur conditio, nam hæc lex, *omnes ſolvant tributa*, æquivalet huic *omnes ſolvant, præter eos, qui ſingulari Iure, aut Privilegio ſint exempti* [unde teſte Calino *in lexic. verb. Privilegium* prodiit illud Iuridicum Axioma. *Omne Ius habet adnexum gratiam*: omne enim Ius eſt quædam univerſalis Regula, quam limitat, & contrahit exceptio.] Illi ergo univerſali non opponitur hæc, *Petrus, qui Doctor Iuris eſt non ſolvit tributum*, quia Iuris Doctores ſingulari Iure, ſeù ſpeciali privilegio ab hoc onere exempti ſunt. Unde cum univerſalis propoſitio non includat Petrum, non negabit ſingularis, quod univerſalis affirmat: adeoq; non erit contradictio; quia non eſt affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem.

Quid generale, & quid ſingulare Ius ſit?

An ſint Privilegia non concedenda?

Quid Privilegium ſit?

Quomodo intelligendæ ſint leges univerſales?

Univerſales leges ita obſervari debent, ut non præjudicetur Privilegiis.

Hinc veniendo ad propoſitiones A. & B. ajo illos, de quibus agit propoſitio B. in propoſitione A. non includi, adeoque non eſſe affirmationem, & negationem de eodem ſubjecto. Includerentur autem vi legis, & excluduntur vi privilegii ob utilitatem ſpecialem à Principe ſupremo

Propoſitiones A & B. non ſunt de eodem, Ergo non opponuntur.

con-

Etymologia nominis Privilegium.

conceſſi. Nam ut habet Calinus. [*Privilegium* antiquo verbo, quaſi *Privata lex* dicitur; nam Veteres *priva* dixerunt, quæ nos *ſingula* dicimus. Iuriſconſulti *Ius ſingulare* appellant ad differentiam Iuris communis &c.] Vide Forcarulum *in Necyomant.dial.2.num.4.* Et, ſi etymon novare placeat, cur non poſſemus ſuſpicari *Privilegium* à privatione, & lege dici, illud enim legem, quæ concernebat univerſos, privat aliquibus ſubjectis, quæ in poſterum lex non concernat.

Caſus Marcellus tollit, non accidit.

Marcellus à Cujacio impugnatus.

Antequam objectioni poſteriori reſpondeam, adnotabo Caſum Marcellum tollere, negareque manere uſucapionem in ſuſpenſo, adeoque dicere hanc propoſitionem, *Clodius uſucapit* eſſe falſam; hanc autem *Clodius non uſucapit* eſſe veram, & poſteà hanc *Hæredes non uſucapiunt*. At Cujacius *tit.de uſurp.& uſucap.in somm.ad leg.ſi is, qui pro emptore*. Marcelli opinionem reprobat, & ſic inquit. [Marcellus negat eſſe in ſuſpenſo; reverſo enim non prodeſſe uſucapionem, hæredibus prodeſſe. Itaque Marcellus licet Cornelium ſine ulla hæſitatione induceret, non tamen poſtliminio reverſo plus juris dabat, quam ſi per ſe, cum ad hoſtes pervenit, poſſediſſet: atque ita pleniùs legis Corneliæ, quàm poſtliminii fictionem accipiebat. Sed Iuliani ſententia ſequenda eſt, ut Triphoninus ait *in dict. l.in bello §.facti* ideſt ſequi oportet.]

Iuliani approbata ſententia.

Aliud eſt propoſitionem non eſſe veram, & aliud ignorari an ſit vera?

N. B. Et hic habere locum debet illa communis Propoſitionis diviſio, in veram quoad ſe, & veram quoad nos.

Reſpondeo ergo omnem propoſitionẽ eſſe veram, aut falſam, nullamque eſſe, quæ neutrum ſit: Conditionata inhærens conditioni contingenti futuræ, vera, aut falſa eſt, at utrum vera, vel falſa ſit, humanitùs ſciri non poteſt. Nec mirum videri debet, ſi homines veritatem rerum futurarum ignorent, ſiquidem veritatem etiam rerum pręſentium neſciunt; nam hæc propoſitio, *Turca ſedet* de re præſenti eſt, & tamen, an ſit vera, neſcimus. Portò hæc *Clodius in captivitate morietur*, aut vera, aut falſa eſt: at utrum vera, aut falſa ſit, Legislatores ignorant, & ideò ſub conditione decernunt: nempe, ſi vera ſit, hoc; ſi falſa, illud. Harum autem Conditionalium altera eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa: nos autem, quia nunc, utrum conditio ſit purificanda, neſcimus, utra ex illis ſit vera, & utra ſit falſa, ignoramus: ſcit nunc Deus: & nos poſt eventum ſciemus. Et quia noſtra manet in ſuſpenſo notitia, illarum propoſitionum quo ad nos manebit in ſuſpenſo veritas, & quouſque rem eventus decidat, propoſitiones A, B, C, D, nec veræ, nec falſæ dicentur: Propoſitiones E, G. à notitia dependent, & quia illa nunc non habetur, erunt falſæ, & illis oppoſitæ, F, G. erunt nunc veræ. Clodius enim, qui apud hoſtes captivus eſt, nunc nec cenſetur objiſſe eo tempore quo captus fuit, nec nunc cenſetur nunquam fuiſſe captivus; ſed illud prius, ſi in captivitate ille pereat; hoc poſteriùs, ſi ad ſuos revertatur, cenſebitur.

Quoad ſe omnis Propoſitio vera, vel falſa eſt.

Non autem ſemper quoad nos.

SECTIO II.

De Oppoſitarum Enunciationum Æquipollentia.

Quæ ſunt æquipollentes?

ENunciationes, quæ diverſis verbis expreſſæ idem omninò ſignificant, æquipollentes appellantur. At verò Logici contrahunt vela, & in hac ſectione modum tradunt, quo Oppoſitæ, & Subalternę tantum ad ęquivalentiã reducantur.

Non ſemper coincidunt ſingularis, & pluralis numeri propoſitiones.

Et hic in lumine notare oportet, Aſſertiones ſingularis, & pluralis numeri non ſemper æquivalentes eſſe. Conſultò *non ſemper* dixi; interdum enim ſingularis, & pluralis coincidunt.

Univerſalitas Realis, & Moralis.

Sanè *omnis* & *omnes* idem ſunt. Spiegelius. [*omne nihil excipit*. Leg.à procuratore C.mandati (ecce univerſalitatem realem). *Recipit tamen interpretationem* leg.ſed ſi compromiſſum in fin. D. de arb. (ecce univerſitatem moralem) *Dicitur de univerſis numero diſtinctis, ut* omnis grex; *eamdemque vim habet in ſingulari, quàm in plurali.*] Multa ſunt teſtimonia, quibus id poſſemus demonſtrare, ſufficiat producere Cajum, qui *lib.1.Inſtit.*ait *Omnes Populi, qui legibus, aut moribus reguntur, partim ſuo, partim communi omnium hominum Iure utuntur*. Eſt univerſalis propoſitio in numero plurali concepta, & tamen ita omnes populos complectitur, ut nullum excipiat; ſubdit enim ipſiſſimus Iuriſconſultus: *Nam quod quiſque populus ipſe ſibi Ius conſtituit id ipſius Civitatis proprium eſt, vocaturque jus Civile*, ut ex probatione colligas, idem eſſe *omnes populi*, quod *quiſque populus*, hoc eſt, *unuſquiſque*, vel *quilibet*.

Leg. 9. D. de Iuſt. & Iur.

In Univerſali reali nihil excipitur.

Aliquis, *&* Aliqui *differunt.*

Aliquis, & *Aliqui* differunt: quoniam hæ duæ poſitiones, *Aliquis homo eſt doctus*, & *Aliquis homo non eſt doctus* ſunt ſubcontrariæ, eſſe ſimul veræ poſſunt, eſſe ſimul falſæ non poſſunt. At verò iſtæ duæ, *Aliqui ſunt docti*, & *Aliqui non ſunt docti*, poſſunt eſſe ſimul veræ, & ſimul falſæ: ac ideò diſparatæ ſunt. Nam, ſi ſint quatuor, duo docti, & duo indocti, erit utraque vera: ſi autem ſint tres, duo docti, & unus indoctus, prior erit vera, poſterior verò falſa; & tandem, ſi ſint duo, alter doctus, & alter indoctus, utraq; erit falſa.

Cu-

Quomodo oppoſita, & ſubalterna ad æquipollentiam reducantur?

Solent additis negationibus Logici enunciationes numeri ſingularis reddere æquivalentes, & utuntur hac Regula

Præ contradic: Poſt contra: præ poſtq; ſubalter.

Cujus ſententia eſt. Contradictoriam reddes alteri contradictoriæ æquipollentem, præponendo negationem: contrariam alteri contrariæ poſtponendo: ſubalternã alteri ſubalternæ, præponendo ſimul, & poſtponendo. Rem exemplis dilucido.

Contradictoriarũ æquipollentia.

Nullus homo eſt lapis, & *Aliquis homo eſt lapis* ſunt contradictoriæ. Ergo, ſi primæ præponas *non*, ita ut ſit *Nonnullus homo eſt lapis*, erit æquipollens ſecundæ. Et ſi ſecundæ præponas *non*, ita ut ſit, *Non aliquis homo eſt lapis* in primam recidet. Conſtat ex Pomponio dicente, *Nec Cn. Flavius de ſuo quidquam adjecit libro* &c. ubi *nec quidquã* (*nec aliquid*) eſt idẽ omninò quod *nihil*. Itemq; ex Vlpiano, qui *lib. 2. de offic. Proconſ.* eodem omninò modo loquitur: inquit enim. *Nec quidquã eſt in provincia, quod non per ipſum expediatur*. &c.

Leg. 2. §. Poſtea D. de orig. Iur.

leg. 9. D. de offic. Procons. & Legator.

Quo ſenſu loquutus eſt Faber §. 16. *D. de orig. Iuris* explicans enim vocem *in caput*, hoc eſt, *in vitam* ſic infit: [Nec enim alterius eſt vitam adimere, quàm qui dominus ſit ejus, cui adimat. Vnde eſt, quod nec cuiquam permittitur ut ſibi mortem inferat *tit. de his, qui ſibi mort. conſc.* quia nemo dominus eſt membrorum ſuorum. *leg. 13. ad leg. Aquil.*] ſyncategorema *alterius* ponitur pro *alius* quam ob rem, *nec alterius*, ſeu *nec alicujus*, eſt *nullius*. Sic etiam *nec cuiquam* eſt *nulli*. Et tandem *nemo* eſt *nullus homo*.

Æquipollentia contrariarum.

Omnis homo eſt lapis, & *Nullus homo eſt lapis* ſunt contrariæ: nega illud *eſt* in prima, & habebis primam; nam *Omnis homo non eſt lapis* æquipollet huic *Nullus homo eſt lapis*, & hæc, *Nullus homo non eſt lapis* æquipollet huic, *Omnis homo eſt lapis*.

Nullus homo eſt lapis, & *Aliquis homo non eſt lapis*, ſunt ſubalternæ: dic *Nonnullus homo non eſt lapis*, & habebis ſecundam: aut etiam, *Non aliquis homo non non eſt lapis*, ſive quod idem eſt *Non aliquis homo eſt lapis*, & habebis primam.

Hujuſmodi æquipollentes ſæpè in Sacra Scriptura inveniuntur *Ioannis 3.* dicitur *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*; & ibi, *Omnis non facit*, eſt *Nullus facit*. Et iterum *1. Ioann. 3.* habetur. *Omnis, qui peccat, non videt eum*; ubi *Omnis non videt*, eſt *Nullus videt*. Et Propheta Ezechiel 18. *Si autem averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, omnes juſtitia ejus, quas fecerat, non recordabuntur*; ubi *Omnes non recordabuntur*, eſt *Nulla recordabuntur*. Sicut ſyncategorema *Omnis* addita negatione tranſit in *Nullus*, ſic cõtrà ſæpè *Nullus* in *omnis*. Hæ propoſitiones, *Non eſt homo, qui non peccet*. 1. Reg. 8. & *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Eccl. 7. æquivalent huic, *Nullus eſt homo, qui non peccet*, in qua *Nullus non peccat*, eſt *Omnis peccat*.

Regula illa *Præ contradict.* &c. in ſyncategoremate *Omnis* claudicat; nam hæ duæ poſitiones. *Non omnis homo currit*, & *Aliquis homo non currit*, non ſunt æquipollentes: quoniam illa prior latius patet, utramque enim ſubcontrariam complectitur. Continere negantem, non eſt cur probem, nam hoc exhibet Regula, & conceditur ab univerſis; continere affirmantẽ oſtendam ex Ovidio dicente

Non omnis currit, eſt Aliquis currit, & Aliquis non currit.

—— *Non omnis fert omnia tellus.*

Conſonat pro Roſ. Am. Cicero exclamans. *Non omnem frugem in omni agro reperire poſſes*: quia ſicut aliqua hos fructus terra profert, & alia non profert, hos in aliquo agro invenies, in alio verò non invenies. Roborabo ex Iacobo Cujacio, qui *in notis ad libr. 1. Inſtit. cap. de Iure naturali* ſic inquit, *Quæ non omnes, ſed quædam hominum congregata in unum locum multitudo utilitatis publicæ cauſa facit, ea verò fiunt Iure Civili*. Ecce tametſi *Non omnes faciunt*, ſit, *Aliqui faciunt, & aliqui non faciunt* ex his duobus ſubcontrariis affirmativam expreſſit Cujacius. Conſonat Spiegelius apud Calinum *in Lexico verb. quatuor*; agens de Sacris Evangeliis: ait enim. *Qui* (Evangeliſtæ) *dicta & facta Servatoris, non omnia quidem, ſed quantum ſatis eſt ad cognoſcendum ipſum Chriſtum, & Redemptorem noſtrum eſſe in diverſis, & multum à ſe diſſitis regionibus conſcripſere.* Dicit illos ſcripſiſſe *non omnia*; nam, ut teſtatur Ioannes, ſcripſerunt nonnulla, multa verò omiſerunt. Et eodem ſenſu accipi debent *lex 1. & 3.* §. 3. D. *de incend. ruin.* ubi Prætor ait, *In eum, qui ex incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata, quid rapuiſſet, recepiſſe dolo malo dicetur. Sed enim additum eſt* dolo malo, *quia non omnis, qui recipit, ſtatim etiam delinquit; ſed qui dolo malo recipit.* Hic enim *Non omnis dolo malo recipit*, eſt idem ac *Tametſi aliqui dolo malo recipiant, aliqui ſine dolo recipiant.*

Cujacius.

Spiegelius.

Vim & rigorem hujus ſyncategorematis dilucidat Vlpianus *libr. 1. de offic. Proconſ.* dicens, *Vetus proverbium eſt* ὔτε πάντα, ὔτε πάντοτε, ὔτε παρὰ πάντων. (Nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus) *Nam valde inhumanum eſt à nemine accipere; ſed paſſim, viliſſimum eſt, & per omnia avariſſimum.* Et Ioannes Coraſius ad leg. 6. §. *non verò D. de offic. Proconſ.*

An munera ſint recipienda?

Sunt quæ non poſſunt accep-tari, & ſunt quæ debeat ac-ceptare.

& legat. [Sunt enim quædã, quæ valde ſit inhoneſtum accipere: contra verò quædam indecorum recuſare: & quæcumque ſine delectu accipere turpiſſimum eſt, ac viliſſimum. Itaque modus adhibendus, ut cum delectu ſcilicet, munera, & accipiantur, & recuſentur.] Ergo vox ὔτε πάντα, *nec omnia* judicat aliqua eſſe, quæ non poſſint recipi, ut pecuniæ; aliqua, quæ poſſint ut flores, fructus &c. qui non emuntur, ſed naſcuntur in horto donantis. Et vox παρὰ πάντων, *nec ab omnibus* innuit eſſe aliquos à quibus munera accipi poſſunt, alios autem, à quibus non poſſunt. Quoniam, qui Iudex eſt, à ſuis cognatis, & amicis, qualia ipſe ſolet, ad eos mittere, talia dona laudabiliter recipit: verùm enim verò, ſicut ad clientes mittere importunum, ſic ab illis recipere periculoſũ.

Haberi debet verum, & perſonarum diſcretio.

SECTIO III.

De Oppoſitione Probabilium.

Contradictoria redduntur æquipollentes addito modo Probabilitatis.

IN Theologiâ Fundamentali *num.* 2. aliqua de Probabilitate præmiſi, quæ poterunt Lectori prodeſſe. Et *num.* 520. egi de Probabilium æquipollentiâ quoniã hæ duæ aſſertiones,

Actio A. eſt divinitùs interdicta

Actio A. non eſt divinitùs interdicta.

ſunt contradictoriæ: de quâmcumque actione intelligantur, ſimul veræ, aut ſimul falſæ eſſe non poſſunt: nequeunt ſimul aut concedi, aut negari; Verùm, ſi afficiantur Probabilitatis modo, & tranſeant in has,

Probabile eſt actionem A. eſſe divinitùs interdictam.

Probabile eſt actionem A. non eſſe divinitùs interdictam.

Erunt neceſſariò connexæ, & conſiſtentes, ut impoſſibile ſit alteram eſſe veram, & alteram falſam: unde vel ſimul eſſe veræ debent, vel ſimul falſæ. Hanc ob rem æquipollentes poſſunt dici: aut ſaltem *Mutuò ſe alternantes*, nam ex primâ ad ſecundam valet conſequentia, & è contrà.

An peccata dubia debeant in confeſſione explicari?

In eadem Fundam. Theolog. de peccatis dubiis & probabilibus *à num.* 1883. fusè diſputo, & cum ſententia, quæ jam eſt communis, non eſſe in confeſſione neceſſariò explicanda concludo: & tandem *num.* 1981. has duas poſitiones examino.

Qui habet peccatum dubium tenetur in articulo mortis confiteri.

Qui habet peccatum dubium tenetur in articulo mortis, illud ipſum peccatum dubium confiteri.

Et ipſas nec æquipollentes, nec conſiſtentes eſſe demonſtro: quoniam prior eſt veriſſima, & falſa poſterior, ut *ibidem* perſuadeo.

An dentur præcepta æquipollentia?

De æquipollentia præceptorum in Theologia Regulari *à num.* 1997. diſſero. Dicuntur autem *Præcepta formalia* in quibus formaliter verbum *Iubendi*, *Præcipiendi*, *Interdicendi*, aut aliud ſimile reperitur. *Æquipollentia* verò, quæ quamvis concepta aliis verbis, non eſſe pura Conſilia, ſed habere vim Præcepti legislator expoſuit. Sanè ad vota ſolennia Religioſi non ex Regula, ſed ex Profeſſione tenentur, & ideo illa vota quæ in aliis ordinibus ſunt tria, in aliis quatuor, &c. univerſos obligant ad mortale, at Leges Regulæ in ordinibus, qui S. Auguſtinum ſequuntur, ad peccatum non obligant ut *in eadem Regul. Theolog. num.* 1902. oſtendo. Quæ in S. Benedicti Regula, præceptibilia ſunt à Prælato ordinario, ut *ibid.* num. 76. oſtendo: nam cum Benedictini non promittant obſervare Regulam, ſed obedire Prælato ſecundum Regulam, ideo Prælatus poteſt illos ad Regulæ obſervantiam ſub culpa vel pœna obligare. At Patres, qui ſub Sancti Franciſci labaro militant, initè viam ſeveriorem voluerunt: habent enim Præcepta formalia ſeptem; Inhibitoria duo: Habentia vim præcepti obligantia ad mortale ex ſummorum Pontificum declaratione, quatuor; & tandem æquipollentia ex definitione Clementis V. obligantia ad mortale, duodecim. Vide *præd. Theol. Regul. à num.* 1997. *citato*.

Quomodo obliget Regula S. Auguſtini?

Quomodo Regula S. Benedicti?

Quomodo Regula S. Franciſci?

SECTIO IV.

De Adverbiorum oppoſitorum æquipollentia.

An, & quomodo opponantur adverbia?

SVnt adverbia nonnulla, quæ ſuo in genere ſunt ſyncategorematica, redduntq. Poſitiones univerſales aut Particulares. Poſſem multa ex claſſibus aliis deſumere, ſed illa quæ ad tempus pertinent [nempè, *Semper*, *Nunquam*, *Aliquando*, *Aliquando non*] examinabo. Et, quia doctrinæ ſimilitudo id poſtulat, convertam oculos ad loci adverbia [videlicet, *Nuſquam*, *Vbique*, *Alicubi*, *Alicubi non*] & qualiter opponantur, exponam.

Semper.

Semper eſt adverbium univerſale affirmativum & eſt idem ac *omni tempore*, nullum inſtans, nullum caſum excludens. *leg. in cognitione* 13. D. *de S. C. Silan. leg. ult.* D. *ad leg. Pompejam. de parricid.* Vide Bartolum *in leg.* 1. D. *de ſolut. matr.*

Æternum, ſempiternum.

Quod ſemper eſt, dicitur *æternum*, *ſempiternum*, *Perpetuum*. An-ne iſtæ voces differunt? Philelphus à quodam Cremonenſi Iuriſconſulto rogatus, reſpondit nullam omninò priſcos perdoctoſque la-

tinos

tinos inter has voces differentiam poſuiſſe. Quam aliqui Doctores adducunt non videtur ad rem: adeoque dicendum voces has non ſignificare rem quæ habeat aut non habeat principium, ſed rem quæ finem habitura non ſit:& ideò, cùm dicuntur de Deo,amplianiur, ut principii etiam

Quo de Deo modo, & quo de Angelis, & Humanis Animabus dicantur?

negationem ſignificent: cùm autem rebus appropriantur humanis aut Angelicis contrahuntur, ut durationem importent, quæ habeat quidem principium, finem autem habitura non ſit. Lex Atinia ab A. Gellio allata ſic habet. *Quod ſurreptum erit, ejus rei æterna auctoritas eſto*, hoc eſt

An fur poſſit præſcribere?

ut interpretatur Alciatus, æternum tempus ad uſucapiendum. Ergo humana æternitas initium habet. Hoc ſenſu legitur æterna rei memoria.*leg.29.circ.med.*C.*de teſtam.* æterna deportatio.*leg.6.*§. 1. C. *unde vi l.cum debere.*D.*de ſervit.urb.prud.* & *in lege adium* teſte Paulo. Vide *leg.mercatores* C.*de commerc. & merc.* æternus

Æterna authoritas, æterna memoria, æterna deportatio.

amor *ſum Pater æterno fātur devinctus amore* Virgilius *Æneid.*8.& Cicero *æternas tenebras*, pro *Perpetuis* carceribus poſuit. Et Curtius *libr.* 4. vocem uſurpat alio ſenſu. *Ablue*, inquit, *corpus illuvie æterniſq; ſordibus ſqualidum*. Principium ergo habuerat, & finem habitura erat ſqualoris æternitas.

Æternus amor

Æternæ tenebræ

Æternæ ſordes.

Simpliciter æternus ſolus Deus.

Simpliciter æternus, ſine principio, & fine, ſolus Deus. Animæ autem Intellectuales, & Angeli non poſſunt corrumpi: nam corruptio fit per mutationem formæ, quæ mutatio repugnat in ſubſtantiis ſimplicibus, quæ materiam, & formam, ſeù potentiam & actum ſubſtantiales non habent. Idem de corpore ſimplici, ſi id ſorte datur, dici debet. Sed nec à principiis intrinſecis petunt adnihilari, poſſunt verò ab extrinſeco, & adnihilarentur profectò, ſi Deus à conſervatione ceſſaret. Hinc patet antiquas illas querimonias contra S. Thomam excitatas, quod neceſſitatem Creaturæ abſolutam, & internam conceſſerit, injuſtiſſimas fuiſſe: quoniam ſubſtantia ſimplex abſolutè, & ſecundum interna ſua principia conſiderata,niſi Deus extrinſecam actionem,quâ ipſa conſervatur, ſuſpendat, æterna eſt. Sed neque ipſa ab intrinſeco poſtulat, ut Deus hanc actionem ſuſpendat.

Quænam ſint creaturæ incorruptibiles?

An injuſtè veteres fuerint D. Thomæ obloquuti de creatura intrinſeca neceſſitate diſſerentis?

An dentur Moralitates perpetuæ?

Sunt etiam Entia Moralia, quæ poſtulant eſſe perpetua. Nemo naſcitur filius, nec cognatus ad tempus;,unde qui ſemel fuit naturalis filius aut frater, ſemper erit filius aut frater. Quo reſpexit Pomponius *libr.3.ad Sabinum.*cùm dixit, *Iura ſanguinis nullo Iure Civili dirimi poſſunt*. Agit in ſenſu reali; nemo enim in mundo eſt qui poſſit facere ut realiter Petrus non ſit filius ſui patris: at hoc poteſt fieri virtualiter: nam *exfilius virtualis* ille dicitur,qui reverà filius eſt, ſed tamen ex hypotheſi, quam Ius introduxit, ita ſe habet, ac ſi filius non eſſet. Vide noſtram Theologiam Fundamentalem *num.* 1135.

Leg. 4. de ſuis & legit.

Exfilius, quis?

An poſſit adoptare ad tempus?

An-ne ſicut filiatio realis ſic etiam moralis (adoptio) debet eſſe perpetua? An, ſicut Petrus non poteſt generare aliquem, qui ad triennium illius filius ſit, & poſtea filius non ſit: ſic etiam poſſit aliquem adoptare ad triennium, itaut durante illo triennio filius adoptivus ſit, & poſteà non? Hæc quæſtio teſte Paulo libr. 11. quæſt. Labeoni fuit propoſita his verbis. *Si ſibi filius in adoptionem hac lege ſit datus ut poſt triennium puta, eumdem mihi in adoptionem det: an actio ulla ſit?* Et quid reſolvit Labeo. *Nullam eſſe actionem* & cur? *Non enim putat moribus noſtris convenire filium temporalem* (nempe, *ad tempus*) *habere*.

Leg.34.D.de adopt.emanci.

An poſſit Adoptio habere finem?

Sicut Filiatio realis eſt perpetua ab intrinſeco, hoc eſt, non poſtulat habere finem: & tamen, ſi cauſæ ſufficientes ſuccurrant, poteſt finem habere virtualiter; ſic Adoptio. Nemo poteſt adoptari ad tempus: nec adoptiva Filiatio ſenectute corrumpitur, & evaneſcit, nec deſinere, aut non eſſe ab intrinſeco poſtulat. Hoc tamen non obſtante, ſi cauſæ ſufficientes occurrant, poteſt novo Principis Decreto terminum, & finem ſortiri, nam Innocentius X. noſtro æuo, Nepotem, quem adoptaverat adoptione privavit; & privando oſtendit, Adoptionis jura, quæ ab intrinſeco finem, ſeù terminum habere non poſtulant, ab extrinſeco poſſe terminari, & finiri.

Nepotem, quem priùs adoptaverat adoptione privavit Innocentius.

Nunquam.

NVNQVAM eſt adverbium univerſale negativum & eſt idem ac *in nullo tempore*. Reperitur in jure tum alibi, tum *leg. providendum.*D.*de poſtulat.leg.locum.*D. *de uſuris*.

Plerumq;

PLERVMQVE vel eſt *fere ſemper*, vel *pluries*. Faber. *leg.* 1.D. *de Iuſt.& jur.* [Ratio dubitandi. Reſpondent plerumque Iuriſconſulti contra æquitatem, ut *in leg.* 12. §.1. *qui & à quibus manum.* Ratio decidendi. Immo ſemper ea æquitate, niſi cùm expreſsim lex in contrarium ſcripta eſt: ut *ibi,*& *d.leg.*1. C. *de legib.*] ſed non ſunt contra æquitatem quæ contra bonum privatum ob publicum ſunt inſtituta, debet enim anteferri communitas. *leg.* 51.§.*ultim. ad leg. Aquil. authent. res quæ* C. *comm. de legat.*

Non eſt contra æquitatem ſi privatus ob bonum publicum gravetur.

Aliquando. Interdum.

ALIQVANDO eſt adverbium part.affirm. & eſt idem ac *in aliquo tempore*. *Interdum* idem quod *Aliquando*.

Eſt quæſtio curioſa, quæ interrogat,an

S 2 ſit

An, quod ſemel eſt licitũ, ſemper ſit licitum?

ſit bona conſequentia, *Aliquando (ſemel aut iterum) hoc poteſt effici ſine peccato: Ergo ſemper (quotidie) poterit fieri ſine peccato?* Reſponſio eſt facilis. Nam vel lex conſuetudinem, vel ſingulos actus condemnat. Si primum: ſemel, aut iterum fieri poterit, quod pluries non poterit. Si ſecundum, quod ſemel ſine peccato fieri poteſt, ſemper poterit. Aſſero aliquas leges pœnales contra conſuetudinem ferri: at Morales quæ ad culpam obligant, ſingulos actus diſtributivè reſpiciunt.

De Adverbiorum æquipollentia.

SI ſcire vis, quomodo Adverbia oppoſita ad æquipollentiam reducantur, reſpondebo, *Quod negationes* in Syncategorematicis nominibus, id ipſum in Adverbiis præſtare. Conſidera ſequentes lineas.

Semper cantat. In omni tempore cãtat.

Non ſemper cantat. Non omni tempore cantat, ſed aliquando cantat, & aliquando oon cantat.

Semper non cantat. In omni tempore non cantat. In nullo tempore cantat. Nunquam cantat.


Nunquam cantat. In nullo tempore caotat.

Non nunquam cantat. In nonnullo tempore cantat. In aliquo tempore cantat. Aliquando cantat.

Nunquam non cantat. In nullo tempore non cantat. In omni cantat. Semper cantat.

Qualis in aliis propoſitionibus oppoſitis, in Adverbiorum æquipollentia eſt negationum uſus.

Hæc Adverbia, ſicut & Propoſitiones opponuntur: ut in hoc Paradigmate videre eſt.



Leg. 31. D. de adopt. & emanc.

Habebam ob oculos cum has contraponerem Propoſitiones *ex libr. 3. Propoſit. Papiniani*, ſententiam illam, *Nonnunquam etiam impubes, qui adoptatus eſt, audiendus erit, ſi pubes factus emancipari deſideret, idque cauſa cognita per Iudicem ſtatuendum.*

SIcut Adverbia temporis, ſic, & Adverbia loci (videlicet, *Vbique, Nullibi, Alicubi,* & *Alicubinon*) poterunt contraponi. Illa dilucido.

Vbique.

VBIQVE vim habet univerſalis affirmativæ. Eſſe vocem genericam, & ex ſubjecta materia reſtringi aſſerit Spiegelius, & probat *ex leg. lex Cornelia §. ſi tamen. D. de injur.* At non eſſe genericam, ſed univerſalem certum eſt. Aliquando ponitur pro VBICVMQVE. Iavolenus *in leg. 77. D. de contrah. emption.* ſic ait. *In lege fundi vendundi lapidicina in eo fundo, ubique* (ubicumque) *eſſent, excepta erant.* Paulus *leg. quod niſi. 20. in fin. D. de oper. libert.*

Vbicunque.

Nullibi. Nuſquam.

NVLLIBI, idem quod NVSQVAM. *Nullo in loco* quod nuſquam relatum eſt, nec uſquam receptum *leg. 1. D. de Senat.* Habet vim univerſalis negativæ.

Alicubi. Nonnullibi. Non nuſquam

ALICVBI, vel per æquipollentiam NONNVLLIBI, NONNVSQVAM hoc eſt, *In aliquo loco.* vocem hanc p' ſſ. t quidem vocare genericam, potius quam vbique Spiegelius: nam hoc Adverbium habet vim Particularis affirmativæ, & in Nominaliũ ſententia, quæ præciſiones objectivas non admittit, idem eſt *Animal*, ac *Aliquod animal*; idem eſt *Homo*, ac *Aliquis homo*, & *animal* à Philoſophis, & *Hominem* à Iuriſconſultis *genus* nominari jam vidimus. *num. 84.*

Nonubique.

NON VBIQVE, *Non in omni loco.* Videlicet, *In aliquo eſt, in aliquo non eſt.*

SECTIO V.

De Modalium Realium Oppoſitione.

Quid, & quotuplex modus ſit?

MOdus eſt quædam adjacens determinatio, qua res reſtringitur, contra-

trahitur, & determinatur. Ita Doctor Angelicus *opuſc.4.* & alii. Eſt & duplex: nimirum Realis, aut Moralis. De Modis Realibus in Logica diſputant Peripatetici: at de Moralibus nos, qui Logicam Moralem tradimus, debebimus etiam neceſſariò tractare. Incipiemus autem à Realibus, uſumque exponemus, quem habere ſolent in Ethica.

Modi Reales enumerantur.

Modi profectò Reales ſunt, *Neceſſarium*, *Impoſſibile*, *Poſſibile*, *Poſſibile non*, & *Contingens*. Et hic aliquid occurrit circa voces, aliquid circa rem. De vocibus Spiegelius hoc ſcholium ſcripſit.] Obſervatum ſcio *Poſſibile*, & *Impoſſibile* Ciceroni in uſu non fuiſſe: quæ tamen verba poſtea finxit, aut certè admiſit neceſſitas.] Rhodiginus ait. [*Impoſſibile* non latinum verbum maleferiatis videtur: quo tamen utitur Boetius, non reformidat cum Iure côſultis Quintilianus *lib.5.* &c.] Et veniendo ad rem dico, ita obſcurè Veteres diſſeruiſſe de Modis, ut in illorum intelligentia magna ſuccubuerint ingenia, & mediocria ingredi in quæſtionem nullo modo potuerint: ego autem, Deo auſpice, tam clarè illos tradiderim, ut à quolibet addiſci poſſint. Et ideò ſequentes vocum interpretationes ſubjicio.

An Poſſibile & Impoſſibile ſint voces Latinæ?

Omnia, quæ de hoc argumento Antiqui ſcribunt, ſunt obſcura.

Reales modi exponuntur.

Neceſſarium, eſt, quod non poteſt non eſſe.

Impoſſibile, eſt, quod non poteſt eſſe.

Poſſibile, eſt, quod poteſt eſſe.

Poſſibile non, eſt, quod poteſt non eſſe.

Contingens, eſt, quod poteſt eſſe, & non eſſe.

quam ob rem Modales iſtæ Propoſitiones,

A. *Neceſſarium eſt hominem eſſe animal rationale.*

B. *Impoſſibile eſt lapidem eſſe vivens ſenſibile.*

C. *Poſſibile eſt Cælum denſiſſimis obduci nubibus.*

D. *Poſſibile eſt hominem, etiam doctum veritatem non adſequi.*

E. *Contingens eſt ventum ab Oriente ſpirare.*

Eorum cum verbo Poteſt æquipollentia.

Si rem benè conſideres, æquivalebunt his.

A. *Homo non poteſt non eſſe animal rationale.*

B. *Lapis non poteſt eſſe vivens ſenſibile.*

C. *Cælum poteſt denſiſſimis obduci nubibus.*

D. *Homo etiam doctus, poteſt veritatem non adſequi.*

E. *Ventus poteſt ſpirare, & non ſpirare ab Oriente.*

Ergo ſi utamur Modo *Poteſt*, Modales tranſibūt in ſimplices, & non indigebimus novis Regulis, ut illarum Oppoſitionem, & æquipollentiam, aut etiam converſionem intelligamus. Sequens Paradigma conſidera.

Concluſiones Modales convertuntur in ſimplices.

NECESSARIUM
Petrus non poteſt non eſſe animal.
Antecedent.

Contraria.

IMPOSSIBILE
Petrus non poteſt eſſe animal.
Antecedens.

Conſequent.
POSSIBILE
Petrus poteſt eſſe animal.

Subcontraria.

Conſequent.
POSSIBILE NON
Petrus poteſt non eſſe animal.

De horum modorum æquipollentia, potiùs Grammatici, aut Critici conſulendi ſunt, quàm Dialectici. Coincidūt igitur iſtæ Propoſitiones.

Noſter Herculeus Logicus omnia hæc fuſiùs ediſſerit, at videntur hæc cuicumque Philoſophiæ ſufficere; nam Magiſtri, ut majorē Modalium nanciſcantur notitiā poterunt Herculem citatum conſulere.

NECESSARIUM] Petrus non poteſt non eſſe animal. *Neceſſarium eſt Petrum eſſe animal: Impoſſibile eſt Petrum non eſſe animal: Non eſt poſſibile Petrum eſſe animal.*

IMPOSSIBILE] Petrus nō poteſt eſſe animal. *Neceſſarium eſt Petrum non eſſe animal. Impoſſibile eſt Petrum eſſe animal. Non eſt poſſibile Petrum eſſe animal.*

POSSIBILE.] Petrus poteſt eſſe animal. [Si dicamus, *Non eſt neceſſariam Petrum eſſe animal*, ſubalternabimus duas propoſitiones; ſi enim contingens eſt eſſe animal, nec neceſſarium eſt eſſe, nec neceſſarium eſt non eſſe; adeòque nec impoſſibile non eſſe animal, nec impoſſibile eſſe.] Manet ergo, *Non impoſſibile eſt Petrum eſſe animal.*

POSSIBILE NON.] Petrus poteſt non eſſe animal. [Excluſa igitur modo neceſſitatis.] *Poſſibile eſt Petrum non eſſe animal. Non eſt impoſſibile Petrum non eſſe animal.*

CONTINGENS.] In hoc modo omnes fuerunt Veteres allucinati; quoniam idem eſſe *Contingens*, ac *Poſſibile*, per multa ſæcula fuit communis ſententia. Hoc ſæculo aliqui cognoverunt errorem, & ut il-

Antiquorum error circa modum Contingens.

Fuit ab aliquibus perceptus, ſed male correctus.

illum corrigerent, dixerunt *Contingens*, & *Poſſibile* non eſſe Modos æquipollentes. Sed re benè perſpecta medicina, quam adhibent, indiget ſecunda medicina: quoniam *Contingens* ſubalternat Modos *Non neceſſarium*, *Non impoſſibile*, *Poſſibile*, & *Poſſibile non*, ut ſi dicas, *Contingens eſt, quod cras pluat. Ergo non eſt neceſſarium, quod cras pluat. Ergo non eſt impoſſibile, quod cras pluat. Ergo eſt poſſibile, quod cras pluat. Ergo etiam eſt poſſibile, quod cras non pluat.*

Quibusnam Modis contradicat?

Sed cui contradicit hic Modus? Modo *Impoſſibili* opinione Antiquorum, qui putarunt *Contingens* æquivalere *Poſſibili*. Modo *Neceſſario* opinione Iuniorum, qui allucinationem Veterum perceperunt, ſed non ſciverunt eam corrigere: nam affirmarunt *Contingens*, & *Poſſibile non*, eſſe idem. At ſecundum ipſam rei veritatem contradicit utrique; *Neceſſariò*, videlicet, & *Impoſſibili*: quoniam, ſi *Contingens ſit, ut cras pluat*, falſum erit dicere, pluviam craſtinam *eſſe neceſſariam*, aut *eſſe impoſſibilem*.

Occaſionem errori præbuit, tam Veterum, quàm Recentiorum præjudicium: exiſtimabant enim omnes oppoſitas Propoſitiones (ſimplices eſſent, aut Modales) debere comprehendi quatuor cellulis. At noſtrr Hercules Logicus ab hoc præjudicio omnes exemit, & quintam addidit, ut in Paradigmate ſubſequente conſpicitur.

Unde aberratio fuerit allucinatio?

Erroris communis, & ſi jam per ſæcula præſcripti, Correctio.



SECTIO VI.

Modi ſinguli explicantur, & dilucidantur.

Neceſſitatis, & Impoſſibilitatis connexio.

SVpereſt, ut Modos ipſos diluеidemus, nam ſinguli vario modo accipiuntur, & operæ pretium eſt cognoſcere, quo ſenſu voces iſtæ uſurpentur.

Quid Neceſſarium ſit?

NECESSARIVM EST, cui eſt impoſſibile non eſſe; & IMPOSSIBILE, cui eſt neceſſarium non eſſe. Ergo inter Neceſſarium, & Impoſſibile eſt manifeſtè demonſtrata connexio Quod ergo modis Neceſſarium, tot etiam dicitur Impoſſibile. Neceſſario contradictoriè opponitur, quod poteſt non eſſe; & Impoſſibili, quod poteſt eſſe. Contingens eſt quod poteſt eſſe, & non eſſe; adeoque Neceſſario, Impoſſibilique contradicit.

Poſſibilitas duplex.

Docemur à Philoſopho *libr. 1. Metaph. poſſibile* dici dupliciter: primo modo per potentiam paſſivam, quæ eſt in ſe; ſecundò, per potentiam activam, quæ eſt in alio; nam lignum in ſe habet potentiam, ut formam ignis recipiat: Mundus verò antequam eſſet, erat ſanè poſſibilis, non per potentiam paſſivam, quam habebat: quoniam antequam exiſteret, nihil erat: & quod non eſt, nullam potentiam habet. Erat ergo poſſibilis per activam potentiam Creatoris.

Impoſſibilitas duplex.

Sic ſimiliter duobus modis dicitur *Impoſſibile*: vel enim habet impotentiam in ſe, vel in alio. Sic Homo irrationalis eſt impoſſibilis, quia ab omni extrinſeco præſcindendo, forma & privatio (rationalitas, & irrationalitas) eſſe ſimul non poſſunt, ex impotentia interna naſcitur repugnare duas Contradictorias eſſe ſimul veras: quia eſſe, & non eſſe ſequitur affirmatio, & negatio. Ex impotentia autem externa naſcitur eſſe impoſſibile hominem in perpetuum vivere: nam cibi communes non reſtaurant humidum radicale, quod reſtaurabant fructus Arboris vitæ in Paradiſo.

Cur homo moriturus ſit?

An, & cur materia non poſſit carere omni forma?

Thomiſtarum & Scotiſtarum opinio.

Et hic obiter nota, inter Thomiſtas, & Scotiſtas curioſam, & ingenioſam controverſiam oriri circa Materiam primam: *An poſſit carere omni forma*. Dicunt Thomi-

ſtæ

ſtæ ad hoc habere impotentiam intrinſecam; tantam, ut ne divinitùs quidem poſſit omni Forma deſtitui. Scotiſtę Antiquiores Materiã dicũt impotẽtiã intrinſecã naturalẽ habere, tametſi .n. non poſſit naturaliter omni forma carere, poteſt miraculosè. At Iuniores nõnulli, qui ſubtiliꝰ diſcurrũt, aſſerunt Materiã primã manẽdi ſine Forma habere potẽtiã naturalem intrinſecam; hanc autem ipſam potentiam ad actum non poſse reduci propter impotentiam extrinſecam; tametſi enim Materia prima non poſſit carere omni forma; hoc ipſum accidit, non ob impotentiam, quæ eſt in Materia ipſa, ſed ob impotentiam, quæ eſt in naturalibus cauſis: nam cum forma præcedens à ſubſequente naturaliter expellatur, ideò naturaliter eſt impoſſibile, ut forma ligni naturaliter expellatur, quin introducatur forma ignis, vel alia ſimilis. Interim ſi Deus adnihilaret formam ligni, Materia naturaliter exiſteret ſine omni forma. Hoc ſenſu dicimus conditionem eſſe impoſſibilem, quæ naturaliter, ſecundum cauſarum naturalium potentiam impoſſibilis eſt. Quo ſenſu loquutus eſt Paulus *lib. 3. ſentent. tit. 4. §. ſi impoſſibilis. Inſtit. de inutil. ſtipul. leg. D. de condit. inſt.* quæ interdũ vocatur ἀδύνατος *leg.* 20. D. *de condit. inſt. leg.* 104. §. 1. D. *de legib. lib.*

An ſi ligni v.g. formam ſubſtantialem adnihilaret Deus, Materia naturaliter careret omni forma?

Eodem etiam modo de Neceſſario poterimus philoſophari. Poſſibile non eſſe dupliciter poteſt conſiderari: nam vel habet in ſe potentiam ad non eſſe, vel in alio. Formæ illæ, quæ ſeneſcunt, & diuturnitate remittuntur, & tandem deficiũt, ab intrinſeco habent, quod poſſint non eſſe. Quam potentiam ad non eſſe Sanctus Auguſtinus, citatus à Patre Octavio Worſt Capuccino Amſtelodamenſi *in æternitatis Anaſtaſi tract.* 4. § 3. ad omnes formas corporales extendit, inquit enim, *Omne corpus vetuſtate deficit, diuturnitate diſſolutum interibit*. Hac autem potentia intrinſeca ad non eſſe caret Materia prima, carent humanæ animæ, carent Angeli, quam ob rem omnes hæ creaturæ ſunt neceſſariæ ab intrinſeco, hoc eſt non habent principia intrinſeca, ob quæ poſſint non eſſe: unde patet, vel invitis antiquis Pariſienſibus, certiſſimam eſſe D. Thomæ ſententiam de neceſſitate creaturæ; nam Materia prima, anima rationalis, & Angelus, ab omni externo præſcindendo, neceſſariæ ſunt, nec ex ſe habent, ut poſſint non eſſe: nam potentiam ad non eſſe non habent in ſe, ſed in Deo, qui poteſt illam, illas, illosq; adnihilare.

Neceſſitas ſimiliter eſt duplex.

Sunt formæ, quæ ab intrinſeco ſeneſcant, & deficiant.

Et ſunt eæ, quæ non poſſunt non eſſe.

S. Thomæ ſententia injuſtè olim fuit Pariſiis condemnata.

NEceſſitas etiam & Impoſſibilitas in eam, quæ ſimpliciter; & in eã, quæ ſecundũ quid eſt, dividi debet. Deũ eſſe abſolutè, & ſimpliciter eſt neceſſarium: & Deũ nõ eſſe abſolutè, & ſimpliciter eſt impoſſibile. Idẽ dicas de rerũ eſſentiis; nam triangulũ habere tres lineas, eſt abſolutè, & ſimpliciter neceſſariũ; abſolutè, & ſimpliciter impoſſibile illum aut pluribus, aut paucioribus conſtitui. Ideò hæc poſitio *Triangulus habet tres lineas*, Æternæ Veritatis vocatur, quia eſt neceſſaria, & ideò neceſſaria, quia eſſe vera ceſſare non poteſt: à particula enim *ne*, & *ceſſo* vocem *Neceſſe* Donatus *in Terent.* deduxit. Porrò Neceſſitas eſt vis, quæ nos ad unum ita determinat, ut non poſſimus oppoſitum facere. Deam eſſe finxerunt Ethnici, Fatum vocant, & admittunt Stoici, & *in Chiliad.* Eraſmus dilucidat. Neceſſitas non habet legem *juxta Gloſ. in leg. 1. de offic. Conſ. leg. 2. §. unde juncta Gloſs. in verb. communia ad legem Rhod. de Iact.* Nec Pontifex vult neceſſitatem, & Pietatem ligari *cap. 2. & ult. de fer.* quod ita intellige, ut non velis à Pietate laudari in his; quæ neceſſariò facis. Vnde Innocentius X. meritò condemnavit hanc Ianſeniſtarum poſitionem, *Deus præcipit impoſſibilia*, & hanc, *Ad merendum, & demerendum ſufficit libertas à coactione, & non requiritur libertas à neceſſitate*.

Neceſſitas iterum eſt duplex.

Alia ſunt neceſſaria ſimpliciter, alia ſecundum quid.

Eſſentiarum neceſſitas.

Vnde Neceſſarium *dicatur?*

Quid ſit Neceſſitas?

De Fato; an detur?

De Neceſſitate & Pietate.

Deus non præcipit impoſſibilia.

Præter Deũ, & Eſſentias, cætera omnia, quę creaturarum exiſtentiam concernunt, ſunt neceſſaria ſecundum quid: habent enim neceſſitatem ex hypotheſi non neceſſaria: de qua, quia in multas dividitur claſſes, ſigillatim dicturi ſumus. Vide interim Theologiam noſtram Fundamentalem *à nu.* 1006. & Regularem *in expoſitione cap. LXVIII. Regulæ Sancti Benedicti*.

Poſitiones æternæ veritatis, quæ?

Omnia, quæ humanitùs ſunt neceſſaria, ad aliquid ſunt neceſſaria: videlicet, aut ad conſervationem, aut ad perfectionem, aut ad recreationem. Vlpianus *tit. 6 de dotib.* apud Cujacium hos tres neceſſitatis gradus luculenter exponit; inquit enim. [Impenſarum ſpecies tres ſunt; aut enim neceſſariæ dicuntur, aut utiles, aut voluptuoſæ. Neceſſariæ ſunt impenſæ, quibus non factis dos deterior futura eſt; veluti, ſi quis ruinoſas ædes refecerit. Vtiles ſunt, quibus non factis deterior dos non fuerit; factis autem, fructuoſior dos effecta eſt, veluti, ſi vineta, & oliveta fecerit. Voluptuoſæ ſunt, quibus neque omiſſis deterior dos fieret, nec factis fructuoſior effecta eſt; quod evenit in viridariis &c.]

Relativa, & ad aliquid ſũt, quæ humanitùs neceſſaria dicuntur.

Tres gradus humanæ neceſſitatis explicantur.

Sunt reſpectivè impoſſibilia, quæ reſpectu Petri, aut ſimpliciter ſunt impoſſibilia, & ſunt neceſſariò omittenda, aut ju-

Impoſſibilia reſpectivè.

jubentur in gradu impoſſibili: nam, ſi jubeas cœco, ut has lineas legat, non jubebis rem ſecundùm ſe impoſſibilem, quoniam hæ legi poſsunt, ſed jubebis rem illi ſimpliciter impoſſibilem: nam caret potentia viſiva, quæ ad videndum ſimpliciter eſt neceſsaria.

Res impoſſibilis.

Cæterùm, ſi non cœco jubeas, ut Iovis ſatellites numeret, jubebis rem poſſibilem in gradu impoſſibili, quoniam, qui viſum habet, videre poteſt: at homines non habemus tam acutum viſum, ut ſine tubo optico illos ſatellites obſervare poſſimus. Vide Theol. Fund. *nu.* 1011. Hinc ſcite poterimus, quid Neceſſitas ad melius ſit: tubus enim opticus nec cœco utilis, nec homini viſu prædito ad videndum neceſsarius, ſed ad meliùs videndum: nam ſine illo homo quidem videre poteſt, ſed non ita perfectè.

Res poſſibilis in gradu impoſſibili.

Res neceſſaria ad melius.

Hinc patet, quo ſenſu intelligendus eſt Pomponius, cum *libr. ſingul. Enchirid.* dixit, *Neceſſarium nobis videtur imprimis, ipſius Iuris originem, atq; proceſſum demonſtrare.* Nam illis, qui Ius Civile docendi ſunt, non eſt ſimpliciter neceſsaria originis Iuris cognitio, eſt tamen valde utilis, hoc eſt, neceſsaria ad melius: multa enim in illo ediſserit Enchiridio Pomponius, quę multùm juvant, ut legum fundamenta noſcantur. Et ideò libellum illum ſingularem ſuus Author *Enchiridium* inſcripſit, quod ſemper præ manibus habendus ſit.

Leg. 2. D. de orig. Iuris.

Enchiridium quid ſit?

Dicuntur humanitùs impoſsibilia, quæ ſine miraculo fieri non poſſunt: quæ, niſi Deus de potentiâ abſoluta concurrat, neceſſariò omittentur. Vide Theol. Fundam. num. 1014. Exemplum habemus in Iuliano *lib. 59. ad Edictum*; inquit enim, *Neque leges, neque Senatusconſulta ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur.* Et iterum. *Non poſſunt omnes articuli ſingulatim, aut legibus aut Senatusconſultis comprehendi.*

Humanitus impoſſibile.

Leg. 10 & 11. D. de legib.

Moraliter impoſſibilia, quæ ſummè difficilia dicitur. Ideò *in l. Non quidquid.* 40. D. *de judicijs* & *leg. 4. §. puto* D. *de hæred. inſtit.* & *leg. 4. §. 1. de ſtatu liber.* Difficultas opponitur neceſsitati, & cum Impoſsibilitate conjungitur. Vnde, quæ factu difficilia ſunt, pro impoſsibilibus plerumque habenda ſtatuit Cicero *in Part.* Vnde Vlpianus D. *famil. erciſc.* ſcitè ait. *ſi familia erciſc, vel communi dividundo judicium agatur, & diviſio tam difficilis ſit, ut pene impoſſibilis eſſe videatur.* Nota illud *pene*; quæ enim difficilia, non ſunt realiter, ſed moraliter impoſſibilia, nam in Ethica coincidunt; quæ parum diſtare videntur. Etiam cenſetur Impoſſibilitas, difficultas quæ naſcitur ex perplexitate, ut *in leg. ſi Titius.* & ibi Bartolus *in Summario* D. de *condit. inſtit.* Ioannes Belonus *in Etym.* Vide *leg. 16. de cond. inſtit. vel facti* & Pomponium *leg. 2. §. Deinde quia* D. *de Regul. Iuris.* dicentem. *Quia difficile plebs convenire cœpit, populuſq; multò difficiliùs in tanta turba hominum neceſſitas ipſa curam Reipublica ad Senatum deduxit.* &c. Ecce quomodò difficultas conveniendi cum non conveniendi cōjungitur neceſsitate. Quod hîc appellatur *Neceſſitas*, dicitur *æquitas* à Iuſtiniano *libr. 1. Inſtitut. cap. 2.* ubi lego. *Nam cùm auctus eſſet Populus Romanus in eum modum, ut difficile eſſet in unum eum convocari legis ſanciendæ causâ, æquum viſum eſt ſenatum vice Populi conſuli.*

Moraliter impoſſibile.

An ſummè difficilia dicantur moraliter impoſſibilia?

Cur gubernandi authoritas ad Senatum delata?

Validè præcipi à ſuperiore illegitimo nulla poſſunt, à legitimo multa non poſſunt: & hæc ſunt, quæ neceſſariò debent non præcipi.

Quid ſuperior jubere poſſit, & quid nō poſſit?

Primò ſuperior legitimus poteſtate abutetur, & invalidum præceptum imponet, ſi juſſerit rem impoſſibilem: nam lex debet ſubditi viribus commenſurari. *leg. ultim.* D. *quæ ſent. ſine appell.* impoſſibilium enim nulla eſt obligatio. leg. 145. D. *de diverſ. Regul. Iuris.*

Secundò non poteſt validè diſponere aut co[illegible]āre, ne filius (naturalis, aut adoptivus) qui in patris poteſtate eſt, in ejus remaneat poteſtate. Martianus *libr. 5. Regul.* Intellige, niſi ſubſit cauſa legitima: ſi enim id ratio poſtulet, pater, ut emancipet filium, cogi poteſt. Papinianus *libr. 31. quæſt.*

Quid filio pater poſſit, & non poſſit præcipere?

Leg. 31. D. de adopt. & emācip. leg. 32. eod. tit.

Vbi decretum neceſſarium eſt, per libellum id Proconſul expedire non poteſt. Omnia enim quæcumque cauſa cognitionem deſiderant, per Libellum non poſſunt expediri. Ecce, ut antecedens probet, Vniverſalem propoſitionem in numero plurali adſumit Vlpianus *libr. 2. de Offic. Proconſ.*

leg. 9. § ubi. D. de offic. Proconſ. & legat.

Vniverſaliter ergo loquendo, cum ſolus Deus habeat poteſtatem abſolutam, & Creaturæ relativam, & ad aliquem finem contractam, & determinatam, dicendum eſt ſuperiorem omnia illa poſſe jubere, quæ illum finem concernunt, non autem præter, non autem contra. Vnde Princeps ob bonum publicum inſtitutus, nec contra, nec præter bonum publicum leges pronunciat. Et Benedictinus Abbas, cui obedientiam ſecundum Regulam promiſit ſubditus, præcipere legitimè poterit, quæ ſunt in Regulâ; poterit, quæ conducunt ad obſervantiam Regulæ; non autem quæ ſunt præter Regulam, & cum illâ connexionem non habent; & à fortiori non poterit, quæ ſunt contra Regulam ipſam, indicere. Qui-

Quid Princeps? Quid Prælatus poſſit?

Non promittit Benedictinus Religioſus obedientiam ſimpliciter, ſed ſecundum Regulam, quam profitetur.

Digitized by Google

De vitæ periculo.

QVibus vitæ periculum neceſſariò eſt adnexum, ſine diſcrimine fieri non poſſunt. Hæc etiam cenſentur humanitùs impoſſibilia. Vide Theol. Fundam. *à num.* 1034.

Decalogus ſtrictiſſimè obligat; at leges Humanæ minùs ſtrictè.

Præcepta Decalogi obligant, etiam ſi debeas mori, aut illa violare: quia Deus eſt vitæ, & mortis dominus. Hanc ob rem, ſi aut debeas occidi aut Deum negare, jubet Decalogus, ne Deum neges, & mortem ſubeas. Præcepta Humana non videntur tam ſtrictè obligare. Eſt Leo in viâ, qui te occidet, ſi ad templum vadas die feſto: non teneris domo egredi. Eſt in viâ hoſtis: quid facies? Hoſtis ſi te velit occidere, aut in captivitatem deducere, ceſſat quæſtio: non enim teneris captivitatis aut mortis te periculo exponere, quia Mater Eccleſia ſub tanto rigore non vult filios ſuos obligare. Cæterùm, ſi bellum Religioſum ſit, vel Tyrannus ob Fidei odium ſub pœnâ vitæ miſſæ auditionem inhibeat, Religionem Catholicam deſiteberis domi manendo, profiteberis te diſcrimini exponendo, ſi enim nolles eſſe Chriſtianus, cum fidei hoſte convenires. Ergo circumſtantiis omnibus conſideratis illud in caſu feceris, quod ad Dei majorem gloriam redundare cognoveris.

An, & in quo caſu Leges Eccleſiaſticæ obligent, quas tibi Tyrannus violare præcipit?

De Carthuſianis nulla eſt difficultas, poſſunt abſtinere à carnibus in articulo mortis, nam illæ non ſunt ad vitæ conſervationem neceſſariæ, ut in meo Dominico, ſæpè in locis diverſis oſtendi.

An Carthuſiani teneantur veſci carnibus in articulo mortis?

Officium militis, periculum vitæ adnexum habet: & Dux poteſt ſuos milites prudenter impendere, non autem illos ullo modo prodigere. Vnde, ſi ſine causâ illos gladio expoſuerit, erit ſanguinis reus, nec poterit à peccato excuſari.

De milite. An ſe poſſit aut debeat periculo mortis exponere?

PRobabiliter mala, in multorum ſententiâ, ſunt periculo materialis peccati neceſſariò connexa: dicunt enim Theologi Eruditiſſimi impoſſibile eſſe, ut quis minùs tutæ opinioni adhæreſcat, quin ſe exponat periculo admittendi materiale peccatum. Vide noſtram Theolog. Fundam. *num.* 1037. Interim, quia omnia ſunt mala, quia prohibita; & nulla tenet, & obligat prohibitio, niſi fuerit ſufficienter promulgata, & intimata: & non eſt ſufficienter promulgata, & intimata lex, quam non eſſe latam prudenter aſſerimus: & non eſſe latam prudenter aſſerimus, quando probabiles rationes non fuiſſe latam perſuadent: concludimus eum, qui minùs tutam opinionem, quam vocant, admittit, non committere materiale peccatum.

An dentur peccata materialia?

Scritum hunc accuratè perpende.

Sed quid, ſi committeret? eumdem peccaturum formaliter *in libr. de conſ.* Merenda aſſerit, & eſt ſibi contrarius, nam oppoſitum in aliis ipſe libris ruetur. Si eſſet vera opinatio hæc, quæ materiale peccatum, cum formali confundit, Vir probus impoſſibilium cenſui adnumerare deberet admiſſionem peccati materialis. Sed facile ab hac difficultate expedimur dicendo, opinationem hanc improbabilem eſſe: cùm quia non dantur materialia peccata; tum, quia ipſa ſi darentur, deberent diſtingui à formalibus: conſcientias enim formalia, non autem materialia maculärent.

An materialia peccata inficerent conſcientias ſi darentur?

THeologicè impoſſibilia ſunt formaliа omnia peccata, adeoque hoc ſenſu neceſſariò omittenda, quæ contra Deum, & bonos mores. Vide *num.* 1041. [Quæ facta enim lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, ac (ut dixerim generaliter) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum. *leg. filius, qui D. de condit. inſtit.*] Id feliciter explicat S. Bernardus *tract. de præcep. & diſpenſ. cap. 1. num. 2.* his verbis. *Itaque, ut ſentio ego, Regulâ S. Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli; prodeſt, ſi devotè ſuſcipitur, & tenetur, non tamen ſi non ſuſcipitur, obeſt. Quod tamen in Voluntate eſt ſuſcipientis, non in poteſtate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non neceſſarium. Attamen hoc ipſum quod dico voluntarium, ſiquis ex propria voluntate ſemel admiſerit, & promiſerit deinceps tenendum, profectò in neceſſarium ſibi ipſe convertit, nec jam liberum habet dimittere, quod ante tamen non ſuſcipere liberum habuit. Ideoque, quod ex voluntate ſuſcepit, ex neceſſitate jam tenebit: quia omnino neceſſe eſt eum reddere vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua, & ex ore ſuo aut condemnari aut judicari. Cæterùm felix, ut quidem ſanctorum* (S. Auguſtinus *tom. 2. Epiſt. 45. ad armentarium*) ait, *neceſſitas, quæ cogit in melius.*

An peccata cenſenda ſint impoſſibilia?

Quomodo ante, & quomodo poſt profeſſionē obliget Regula S. Benedicti?

Fœlix neceſſitas, quæ?

Hæc, quæ nos Theologicè impoſſibilia dicimus, Impoſſibilia etiam vocant Iuriſperiti: conditiones enim, quæ contra bonos mores [hujuſmodi ſunt, *Si Patrem ab hoſtibus captum, non redemeris, ſi in teſtatum non alueris*, &c. ut patet *ex leg. filius. D. de condit. inſtit.*] ut impoſſibiles, adeòque velut non poſitas cenſeri jubent.

Conditiones impoſſibiles, quæ?

Etiam, quæ contra privilegia, moraliter impoſſibilia ſunt, nam ſunt honoraria quædam ob ſervitium conceſſa, & indulſit naturam ſolutionis, & ad Iuſtitiam ſpectant. *lib. 1. de Proconſulis officio*, Vlpianus: *Quædam Provinciæ etiam hoc habent, ut*

Leg. 4. §. ante quam. D. de offic. Proconſ. & Legator.

per mare in eas Proconſul veniat, ut Aſia ſcilicet uſque adeò, ut Imperator Antoninus Auguſtus ad deſideria Aſianorum reſcripſerit, Proconſuli neceſſitatem impoſitam per mare Aſiam applicare, & Metropolin Epheſũ primã attingere. Sicut *Neceſſariũ*, & *Impoſſibile* ſunt neceſſariò connexa [impoſſibile enim eſt, ut non ſint, quæ neceſſariò ſunt] ſic etiam *Poſſibile*, & *Poſſibile non* in libertate, & contingentia; nam Neceſſario Poſsibile non, & Impoſsibili Poſsibile contradicit *leg.* 3. D. *de ſtatu lib. leg.* 16. D. *de injuſto rup.* Et quidem contingentia ut à libertate diſtinguitur, eſt potentia quædam ad utrumque paſsiva, Libertas autem eſt activa. Vt enim porta aperiatur, aut non, portæ contingens eſt: at Petro, ut portam, ſi velit, aperiat etſi non velit non aperiat liberum eſt.

Contingentia, & libertatis differentia.

Libertas duplex eſt, contrarietatis, & contradictionis: illa verſatur inter duo extrema poſitiva, qualia ſunt, velle hoc, & velle oppoſitum: hæc verò inter actum, & non actum, ut inter velle, & non velle. Vtramque dilucidè ediſſerit S. Bernardus *ſerm.* 81. *in Cantic.* dicens. *Arbitrii libertas hac eſt, planè divinum quiddam præfulgens in anima tanquam gemma in auro. Ex hac nempe ineſt illi inter bonum quidem, & malum, nec non inter vitam, & mortem, ſed & nihilominus inter lucem & tenebras, & cognitio judicii, & optio eligendi: & ſi qua ſunt alia, quæ ſimiliter circa animi habitum ſe ſe è regione reſpicere videantur, nihilominus inter ipſa Cenſorius quidam Arbiter (is animæ oculus) dijudicat, & diſcernit; Sicut Arbiter in diſcernendo, ita in eligendo liber. Vnde liberum nominatur Arbitrium, quod liceat verſari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis: omne etenim, quod feceris bonum malum-ve, quod quidem non facere liberum ſit, meritò ad meritum reputatur: Et, ut meritò laudatur, non is tantùm, qui potuit facere mala, & non fecit, ſed & qui potuit non facere bona, & fecit; ita malo non caret merito, tam is, qui potuit non facere mala, & fecit; quàm qui potuit facere bona, & non fecit.*

Liberi arbitrij deſcriptio.

Arbitrij libertas excludit omnem neceſſitatem.

Vtramque etiam Cajus *lib.* 1. *Inſtit.* illuſtravit his verbis. *Liberum arbitrium eſt ei, qui filium, & ex eo nepotem in poteſtate habet: filium quidem poteſt dimittere, nepotem verò in poteſtate retinere: vel ex diverſo filium quidem in poteſtate retinere, nepotem verò manumittere: vel omnes ſui juris efficere. Eadem & de pronepote dicta eſſe intelligimus.* Ecce poteſt facere alterutrum, utrumque, vel neutrum. Ergo libertatem contrarietatis, & contradictionis exercere.

Leg. 28. D. de adopt. & emãcip.

Liberum arbitrium omnia Iura ſupponunt, & ita obſtringunt ſubditos, ut in multis illos ſuæ libertati permittant. Audi Celſum, qui *lib.* 28. *Digeſt.* ſic inquit. *In adoptionibus eorum, qui ſuæ poteſtatis ſunt ipſorum dumtaxat voluntas exploratur* (ut videlicet, adoptentur, ſi velint; non autem adoptentur, ſi nolint; qui enim ſui juris eſt, invitus adrogari non poteſt) *Sin autem à patre dantur in adoptionem, in his utriuſque arbitrium expectandum eſt, vel conſentiendo, vel contradicendo.* Nota illud *utriuſque*; non enim vult Celſus, ut filius habeatur ut ſervus, qui non ſolum inſcius, ſed etiam invitus vendi poteſt. Nota, & illud, *vel conſentiendo, vel contradicendo*, ut ſcias hic agere Iuriſconſultum de contrarietatis libertate; nam conſentire, & contradicere, actus ſunt poſitivi.

An aliquis adoptetur invitus?

Sed quid, ſi taceat? quid, ſi nec conſentiat, nec contradicat? An-ne exercebit contradictionis libertatem? Minimè; quoniam, qui quando poteſt, & debet loqui, tacet, conſentire cenſetur: & in tali filiusfamilias caſu, ſi adoptari nolit, poteſt, & debet contradicere: conſentit ergo virtualiter, & conſentiendo contrarietatis libertatẽ exercet. Ergo eodẽ ille actu (N.B.) libertatem contradictionis, & contrarietatis exercet. Illam nimirùm realiter, quoniam realiter tacet. Hanc virtualiter, quoniã virtualiter, & moraliter loquitur.

De contrarietatis, & contradictionis libertate.

Et quando, qui non contradicit, conſentire cēſendus ſit?

De libertate contradictionis occurrit textus clariſsimus ex Vlpiano *lib.* 1. *de offic. Proconſ.* dicente. *Sicut mandare juriſdictionem, & non mandare eſt in arbitrio Proconſulis: ita adimere mandatam licet quidem Proconſuli: non autem debet inconſulto Principe hoc facere.*

Leg. 6. §. ſicut D. de offic. Proconſ. & Legat.

SECTIO VII.

De Propoſitionum Modis intellectualibus.

MOdi, qui actus ipſos afficiunt, & ex parte intellectus ſe tenent, ſunt Certitudo, Probabilitas, & Dubium; habet is certitudinem, qui evidentiam: nempe realem, qualem dat Demonſtratio, Intuitio [mihi enim eſt certum, & evidens chartam hanc eſſe albam; nam id percipio ſenſu: & mihi eſt certius, & evidentius tres Trigoni angulos ſimul ſumptos exæquare duos rectos, quoniam id per demonſtrationem intelligo] vel virtualem, qualem præbet Revelatio Divina [fides enim, quæ realiter eſt obſcura, eſt virtualiter clara; & qui doctrina Fidei regitur, ita ſe habet in tenebris, ac ſi in meridie mero demonſtratione regeretur.

Qui ſunt Modi, qui Intellectuales apellantur?

Certitudo ſenſationis.

Certitudo demonſtrationis

Certitudo Fidei.

Habet probabilitatem, qui rationes hinc

inde

Probabilitas. An magis, & minus recipiat.

inde probabiles. Et illæ dicuntur probabiles, quæ nec ita manifeſtæ, ut evidentes poſſint dici: nec ita debiles, ut poſſint contemni vel negligi. Et juxta communem opinionem Doctorum, in Probabiliorem æque-probabilem,& Minus-probabilem Probabilis opinio dividitur. Omnis Probabilitas (intrinſeca, aut extrinſeca ſit) in ratione fundatur: dicor habere Probabilitatem intrinſecam, cum rationes percipio, & eſſe graves judico: dicorque habere extrinſecam, cùm illas non ſcio,at eſſe graves ab extrinſeco colligo, non enim hanc opinionem Claſsici ſequerentur Authores, ſi fundamentis gravibus deſtitueretur.

An externa in interna fundetur?

An Legislatores modo unã, modo oppoſitam opinionem ſequantur?

Legiſlatores, ubi certæ, & evidenti ſententiæ inhærere non poſſunt,ſunt contenti probabili. Sed quia probabilis in utramque liberè vertitur partem, placet inquirere, an Legiſlator, qui unam admiſit, in ſuis poſsit legibus contrariam opinionem tenere. Afferendo reſpondeo: & legem de ſervitute in exemplum produco, cujus ſingulæ partes oppoſitis fundamentis inſiſtunt. Exemplo rem diluido clarè. *Servus natus* quis eſt? Vnde ſervitutem trahit? à patre, an à matre? an ab utroque? Patrem activè ad generationem concurrere omnium ſententia eſt: at variant Scriptores, cùm agunt de matris concurſu; nam eam volunt aliqui etiam activè, alii non niſi paſſivè concurrere, alii, quibus etiamnum Arriaga, & multi viri docti ſubſcribunt, cum animam humanam extrinſecùs advenire, hoc eſt à Deo creari, & corpori infundi, docuerint, unionem inter corpus, & animam non à patre, qui eſt abſens, aut mortuus, ſed à ſola matre produci exiſtimant. Hinc duæ ſunt opiniones, ſi interroges, Patris-ne an Matris conditionem ſequatur filius?Prima illum Patri,& Matri ſecunda conglutinat. Iura antiqua, quando agimus de his, qui ex matrimonio naſcuntur, primæ adhærent ſententiæ: quando de filiis extra mattimonium natis, ſecundæ:quando verò de illis, quos Turcæ *Geniſaros*, & Indi *Criollos* vocant, nimirùm ex indigena, & peregrino natis, in odium talium commixtionum, illam ſententiam, quæ infanti d urior (modò hanc, modò illam) Ius antiquum admittir. Vlpianus *tit.*4. apud Cujacium. *Connubio interveniente liberi ſemper patrem ſequuntur: non interveniente connubio, matris conditioni accedunt; excepto eo, qui ex peregrino, & Cive Romana peregrinus naſcitur; quoniam lex Menſia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis conditionem ſequi jubet.* Cæterùm quia Ethnici inter ſervos poſſe legitima

Servus natus quis?

An mater unionem inter animam & corpus producat?

Natus in matrimonio, ſequitur cõditionem patris; at natus extra matrimonium, matris.

Natus ex peregrino aut peregrina, eſt peregrinus.

initi matrimonia non cenſebant; [Vlpianus tit. 4. apud Cujacium. *Cum ſervis nullum eſt connubium.*] & in his, qui ex vago concubitu geniti,mater cognoſcitur, pater verò eſt incertus, ut tollerentur lites, & dubia, placuit à matre ſervitutem deſumi. Vnde Imperator, *Servi autem, aut naſcuntur, aut fiunt: naſcuntur ex ancillis noſtris,fiunt* &c.Rationem ex Æſchylo Iacobus Cujacius adſignat. [Mater enim ſolo comparatur vi patris ſato.] Sed quando à matre filius contrahit ſervitutem? an-ne in conceptu? an verò in partu? Prima ſententia affereret matrem ad exiſtentiam filii in conceptione concurrere, eumque in partu non facere, ſed eniti; & ideò in conceptione contrahi ſervitutē, non verò in partu: quod confirmat originalis culpa; omnes enim ſervi peccati naſcimur, & hanc ſervitutem, non in nativitate, ſed in conceptione contrahimus. Secunda ſententia affereret tempus conceptionis eſſe ignotum, nec poſſe ex fundamento incerto de certa ſervitute jus dici, adeoque ad nativitatem recurrendum, nam mater dum filium parit, illum mundo generat; & hæc civilis generatio non eſt merè moralis, (tameſi hoc in Politicis videretur ſufficere) nam Aſtrologi ut de tota vita phyſica hominis ſtatuant, thema erigunt,in quo Planetarum,Aſtrorumque diſpoſitionem, & configurationem contemplantur, qualem nimirùm in ipſo tempore nativitatis habuit Cælum. Ergo deberet ſervitus à nativitate deduci. Hæ duæ ſententiæ ſe mutuò excludunt; & Iuſtinianus amplectitur. Illam teneri vult, quæ magis faveat proli: ergo modò hanc, modò illam. Ejus verba ſubſcribo. *Qui ex matre naſcitur libera, ingenuus nihilominus naſcitur: quemadmodum qui ex matre libera, & incerto patre natus eſt, quoniam vulgo conceptus eſt.* (Ecce rationem dat, ob quam decernit, ut ſervitus partum ſequatur.) *Sufficit autem liberam fuiſſe matrem eo tempore, quo naſcitur, licet ancilla conceperit* (Ecce adhæret poſteriori ſententiæ) *Et è contrario ſi libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, placuit eum, qui naſcitur, liberum naſci, quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre eſt.* (Ecce priori ſubſcribit) *Ex his illud quæſitum eſt, ſi ancilla prægnans manumiſſa ſit, deinde ancilla poſteà* (iterum) *facta peperit; liberum, an ſervum pariat? Et Marcianus probat liberum naſci; ſufficit enim ei, qui in ventre eſt, liberam matrem, vel medio tempore habuiſſe; quod verum eſt.* Et unde id Marcianus probat? à clementia;& cur verum eſt? quia ſic Iuſtinianus ſtatuit;quia,ſi aliter ſtatuiſſet, nõ eſſet verum.) T 2 Ha-

Inſtitut. libr. 1. cap. 3.

An conceptionem ſervitus? an partum reſpiciat?

An ſemper conceptionis tempus cognoſcibile ſit?

De Aſtrologia Iudiciaria.

Imperatoris Reſolutio.

Libr. 1. Inſtitut. cap. 4.

Quid dicendum ſit de filio, qui conceptus à matre libera, à ſerva ſive ancilla paritur?

Hinc conſtat quid dicendũ ſit de filio, qui extra Matrimonium conceptus, in Matrimonio naſcitur.

De Dubio. Quis illud habere dicatur?

HABET Dubium, cui hinc inde leves aut nullæ rationes occurrunt. Et quia conſcientiæ regimen res graviſſima eſt, tenendum eſt rationem levem, dubiamve non eſſe morum Regulam, nec cadere ſub ponderationem Moralem.

Leges dubiæ non debent fore in bene gubernata Republica.

Intereſt Reipublicæ non gubernari lege dubia: ideò Imperatores dederunt poteſtatem aliquibus, ut dubias leges interprætarentur. Iuſtinianus. *Reſponſa Prudentium ſunt Sententiæ, & opiniones eorum, quibus permiſſum erat Iura condere, nam antiquitus inſtitutum erat ut eſſent, qui Iura publicè interpretarentur: quibus à Cæſare jus reſpondendi datum, qui Iuriſconſulti appellabantur, quorum omnium ſententiæ, & opiniones eam authoritatem tenebant, ut Iudici recedere à reſponſo eorum non liceret, ut eſt conſtitutum.* Vide quantam Imperatores authoritatem, & poteſtatem concedebant opinioni probabili.

Quid Prudentum Reſponſa olim fuerint?

De Catholica Eccleſia.

In Chriſtiana Republica Chriſtus Supremus Legislator has duas interpræetandi poteſtates diſtinxit: aliud enim eſt facere indubitatas, & certas ſententias, aliud opiniones probabiles. Illud prius ſibi reſervavit per Pontificem ſummum Eccleſiæ univerſali loquenti: nam in Generali Concilio per Epiſcopum Romanum toti Eccleſiæ Deus loquitur, nempe ſententias infallibiles, quibus falſitas ſubeſſe non poteſt. Hoc poſterius reliquit Doctoribus (nimirùm viris doctis, qui enim laureâ ſine doctrinâ coronantur, ſcholam potiùs dedecorant, quàm decorantur) his enim cælitùs conceſſum eſt, ut quænam ſit aut non ſit probabilis opinio, definiant non quòd ad arbitrio eorumdem pendeat, hanc opinionem probabilem eſſe aut non eſſe, ſed quid illorum concredatur judicio, ut doceant populum, quænam probabiliter teneri poſſit; quænam non poſſit.

Infallibilia ſunt, quæ in illa Spiritusſanctus per Pontificem ſummum definit:

Probabilia, quæ decidunt Doctores.

Leg. 15. D. de ſtatu homin.
De ſententia Iudicis.

An & qualem certitudinem habeat?

Sententia Iudicis moralem certitudinem cauſat. Vlpianus *libr. 1. ad leg. Iuliam, & Papiam*, id clariſsime teſtatur dicens, *Res judicata pro veritate accipitur.* [In his autem, quæ à Principis voluntate dependēt, vim adhuc majorem ſortiūtur: cōſtat ex Iuſtiniano, qui *Inſtitut. libr. 1. cap. 6.* agens de ſervorum manumiſſione, ſtatuit ſervum ſine cauſa dimitti non poſſe, ſubjungitq; *Semel autem cauſa probata, ſive vera ſit, ſive falſa, non retractatur.* Quod Imperator, & ut faveret libertati, & ſententiarum efficaciam oſtenderet, decreviſſe videtur in hoc caſu, qui ad cæteros extendi non debet.]

Leg. 7. D. de Senatorib.
De plurium ſententia. Qualis ſit?

Opinio plurium non certa, ſed probabilior eſt: ut *loc. cit.* ait Vlpianus. Verba ejus ſunt. *Si quis, conceptus quidem ſit, antequam pater eius Senatu moveatur, natus autem poſt patris dignitatem amiſſum, magis eſt ut Senatoris filius intelligatur, tempus enim conceptionis ſpectandum pleriſque placuit.* Ecce ex eo quod plerique dixerint, intulit illud *magis*: Ergo quæ plurium eſt opinio, in Iure magis vera ſeu magis probabilis eſt.

Leg. 12. D. de ſtatu homin.

De ſententia ſingularis unius viri.

An probabilis cenſenda ſit?

Sed quanti Iuriſconſulti veteres fecerunt unîus viri excellentis ſententiam. Tanti, ut illam pro lege, & regulâ morum propoſuerint. Paulus *libr. 9. Reſponſ.* clariſſimè. *Septimo menſe naſci perfectum partum jam receptum eſt, propter authoritatem Hippocratis: & ideò credendum eum qui ex juſtis nuptiis ſeptimo menſe natus eſt juſtum filium eſſe.* Ecce Hippocratis judicio fundatur communis opinio, quam Iuſtinianus juſſit Cæſareâ authoritate ſervari.

An poſſit vivere, qui ſeptimo naſcitur menſe?

An magiſtratus mancipare & in adoptionem dare filios poſſit?

Conſulebatur Modeſtinus *libr. 2. Regul.* An Magiſtratus, apud quem legis actio eſt, emancipare filios ſuos, & in adoptionem dare poſſit? *Poſſe*, reſpondit ille. Sed cur? Quia ita Neratius ſtatuit. Paulus etiam *libr. 35. ad Edictum*, rogatus, an quando nepos adoptatur, quaſi ex filio natus, conſenſus filij requiratur? Ideò requiri, ait, quoniam ſic Iulianus ſcripſit.

An, & cur moto proponatur hæc Quæſtio?

His tamen non obſtantibus, quando inquiritur, *An unus Author ad probabilitatem ſufficiat?* Non bene reſolvunt Iuniores: Vel enim illius Scriptoris opinio cæteris placet: Vel communiter reprobatur à cæteris. Si primum, non eſt unîus illa ſententia, quæ multis placet. Si ſecundum, ſententia illa unîus ab Vlpiano *libr. 62. ad Edictum* & ex eo à Iuſtiniano *leg. 1. D. de Senatorib.* rejicitur. Tenor legis is eſt. *Conſulares fœminas dicimus Conſularium uxores. Adjicit Saturninus, & matres, quod nec uſquam relatum, nec uſquam receptum eſt.* At aliquando matres ſunt hujuſmodi honore decoratæ? Quid inde: quod enim ſemel aut iterum, aut rarò accidit, non poteſt in Regulam generalem admitti. Ioannes Coraſius *ibid. num. 13.* [Parentibus non ignoro ſingulari quandoque privilegio dignitatis prerogativam filios tribuere *leg. in Sacris. 2. C. de prox. Sacr. Scrinio lib. 12. §. hac itaq; de conſul. col. 4.* Verùm ad conſequentiam produci non debent, quæ propter publicam aliquam utilitatem ſingulariter ſunt conſtituta. *leg. quod verò contra. D. de legib.*]

Ab uno, vel altero particulari caſu non debent Regulæ generales deſumi.

An Conſulum matres dicendæ ſint fœminæ Conſulares?

De Poetarum authoritate.

An & in rebus Philoſophicis, aut Theologicis ſit admittenda?

An non ſolùm Theologorum, & Philoſophorum, ſed & Poetarum in moralibus admitti debebit authoritas? Affirmát Martianus, *libr. 3. Inſtit. §. Religioſum*: qui quæſtionem gravem ex Virgilio decidit. *Cenotaphium quoque magis placet locum eſſe religioſum, ſicut teſtis eſt in ea re Virgilius.*

Digitized by Google

Iuris conſulti diſſentiunt inter ſe.

lius. Nota illud *magis.* ſenſit ergo Martianus Virgilium ad probabilioritatem ſufficere. Hanc ſententiam, quam Martianus tanquam probabiliorem tradiderat, ſalſam eſſe putat Vlpianus *lib. 25. ad Edict.* ex Divorum Fratrum (Marci Antonini Philoſophi, & L. Veri Commodi) reſcripto. Sed, & Iuſtinianus, ut ſuum affectum adverſus Virgilium oſtenderet, utramq; ſententiam retulit *leg. 6. & 7. D. de rerum diviſ.*; & quia utramque judicat probabilem: ut unusquiſque in ſuo ſenſu abundaret, permiſit.

An, & cur Homerum Iuſtinianus Iuſtitiæ parentem appellet?

Plus Homero Auguſti detuliſſe videntur. Illum *in §. fin. in proœm. Dig. omnis.* doctrinæ parentem Iuſtinianus appellat. Vnde, & non immeritò ſententias ſuas ejus authoritate Iuriſconſulti adfirmant, cum alibi, tum in *leg. 1. D. de contrah. empt. leg. 65. §. pecorib. de legat. 3. leg. 4. §. gradus D. de grad. & affin. leg. 16. §. ult. D. de pœn. leg. 236. D. de verb ſignif. leg. 9. §. 1. D. de ſupell. legat.* Habuit olim vir celeber ma-

Virum. Iuriſperiti Poetarū teſtimoniis utantur?

ſtygas ſuos, habet & nunc; ſed nunquam hyperaſpiſte caruit. Et nunc Iuriſperiti recentiores multa ex his, & alijs Poetis dilucidant, quorum doctiſſimo ſtudio gloriam addet Clariſſimi D. Blaſij Cuſani Thalia, quæ lucem ſperat, & etiamnum manuſcriptam Eruditiſſimi Scriptores commendant.

SECTIO VIII.

De Propoſitionum Modis, qui ex humana libertate ſumuntur.

De Malitia, & bonitate humanorū actuū.

Actus bonus eſt, qui legi ſimilis: & malus, qui diſſimilis eſt. *Legis* nomine etiam Conſilia intelligo, quæ mihi leges quodammodo pœnales ſunt. Malitia eſt duplex: Philoſophica, Theologicaq;. Illa ineſt antèquàm intelligatur Decalogus: hæc ab interdictione dependet: quam ob rem, ſi agamus de Decalogo, omnia ſunt mala, quia prohibita, & nihil eſt prohibitum quia malum: &, ſi Deus hodie in Decalogo diſpenſaret, nihil Theologicè malum maneret.

Poteſt actus habere alteram, utramque, & neutram.

Bonitas, & Malitia ſunt duo Modi diſparati & diverſi: poteſt enim unus, & idem actus eſſe ſimul bonus, & malus; eſſe bonus, & non malus; eſſe malus, & non bonus: & eſſe nec bonus, nec malus. Addo exempla clariſsima. Nam, qui eleemoſynam propter vanam gloriam concedit, elicit quidem actum ſimul bonum, & malum: bonum propter charitatem, & malum propter vanitatem: bonum, & non malum qui ſuper omnia Numen amat: malum, & non bonum qui illud odio proſequitur: qui autem digitum movens, nec finem bonum, nec malum intendit, nec bene, nec male operatur.

SECTIO IX.

De Modalium Intellectualium Propoſitionum Oppoſitione.

De quibus tractaverint Philoſophi, & de quibus modis non tractaverint?

De Realibus Modis (Neceſſario, Impoſſibili, Poſſibili, non, & Contingenti) nullus Author non diſputat: at quia de Moralibus nullus Logicus tractat, ideò debebo impræſentiarum qua liceat brevitate diſſerere, ut à Morali Philoſopho medullitùs intelligantur.

Poriò Morales Modi, qui ſunt præcipuè inter ſe componendi, conſiderandi, & explicandi, ſunt ſex: tres affirmativi, & tres negativi: videlicet.

In Modis poteſt vel Modus, vel Dictum vel utrumq; negari.

A. *Certum eſt rem eſſe.*
B. *Probabile eſt rem eſſe.*
C. *Dubium eſt rem eſſe.*
D. *Non eſt certum rem eſſe.*
E. *Non eſt probabile rem eſſe*
F. *Non eſt dubium rem eſſe.*

Simplex (vel, ut alii loquuntur, Propoſitio *de ineſſe*) quæ clauditur in his Modalibus eſt affirmativa, nempe *Res eſt*; ſed poſſet eſſe negativa, nempe, *Res non eſt*; ut conſpicis.

G. *Certum eſt rem non eſſe.*
H. *Probabile eſt rem non eſſe.*
I. *Dubium eſt rem non eſſe.*
K. *Non eſt certum rem non eſſe.*
L. *Non eſt probabile rem non eſſe.*
M. *Non eſt dubium rem non eſſe.*

His poſitis ſingulorum Modorum cum ſingulis habitudines conſideremus.

A. *Certum rem eſſe.*

Certitudo, An magis & minus recipiat?

Dubii formidinem Certitudo non patitur. Hæc in per ſe notis Principiis, hæc in Conſequentiis Scientificis, hæc in Orthodoxæ Fidei reperitur Aſſertis. Formaliter, & in propria linea non recipit magis & minus: at materialiter & in diverſis lineis Propoſitiones Certę poſſunt perfectione differre: quoniam hæ duæ,

Deus exiſtit.

Triangulus habet tres lineas.

formaliter ſumptæ, ſunt æquè veræ, & æquè certæ: at ſunt de materia & objectis infinitè inæqualibus: quam ob rem, nobilior eſt prioris certitudo, nam eſt de objecto infinitè perfecto.

A. & B.

Contraria.

Hæ duæ propoſitiones.

A. *Certum eſt rem eſſe.*

B. Pro-

B. *Probabile eſt rem eſſe.*

non poſſunt eſſe ſimul veræ, quoniam probabilitas includit incertitudinem, & certitudo cum incertitudine componi nō poteſt. At eſſe poſſunt ſimul falſæ, puta ſi ſimplex propoſitio ſit dubia, ut ſi dicamus.

A. *Certum eſt Turcam ſedere.*

B. *Probabile eſt Turcam ſedere.*

nam Turcam ſedere, non certum, aut probabile, ſed dubium eſt. Igitur contrariè opponuntur.

A. & C.

Contraria. Hæ autem duæ.

A. *Certum eſt rem eſſe.*

C. *Dubium eſt rem eſſe.*

ſimul eſſe veræ non poſſunt; quia Certitudo omne Dubium, & Dubium Certitudinem omnem excludit. At poſſunt eſſe ſimul falſæ, puta, ſi ſimplex ſit probabilis: quoniam probabilis, nec certa, nec dubia eſt. Hinc, quia probabile eſt materiam eſſe puram potentiam, hæ duæ propoſitiones

A. *Materiam eſſe puram potentiam certum eſt.*

C. *Materiam eſſe puram potentiam dubium eſt.*

ſunt ſimul falſæ. Ergo contrariæ ſunt.

A & D.

Contradictoria. Propoſitiones ſubſequentes

A. *Certum eſt rem eſſe.*

D. *Non eſt certum rem eſſe.*

opponuntur contradictoriè: & non poſſunt eſſe aut ſimul veræ, aut ſimul falſæ.

A & E.

Subalterna. Quæ autem ſequuntur,

A. *Certum eſt rem eſſe.* añs.

E. *Non eſt probabile rem eſſe.* coñs.

ſi agatur de re probabili ſunt ſimul falſæ: ſi autem de re certa ſunt ſimul veræ. Opportuna ſubjiciamus exempla.

A. *Certum eſt chocolatum frangere jejunium.*

E. *Non eſt probabile chocolatum frangere jejunium.*

Vtraque eſt falſa; nam chocolatum non frangere jejunium probabile eſt. Hæ autem

A. *Certum eſt Deum eſse.*

E. *Non eſt probabile Deum eſse.*

ſunt ſimul veræ. At quia prior infert poſteriorem, debent ſubalternæ vocari.

A & F.

Subalterna. Similiter & iſtæ duæ

A. *Certum eſt rem eſse.*

F. *Non eſt dubium rem eſse.*

quoniam, ſi ſimplex propoſitio ſit certa, erit utraque vera; &, ſi dubia, erit utraque falſa. Sequentes conſidera propoſitiones.

A. *Certum eſt hominem eſſe animal.*

F. *Non eſt dubium hominem eſse animal.*

ſunt ſimul veræ: aut verò hæ,

A. *Certum eſt Turcam dormire.*

F. *Non eſt dubium Turcam dormire.*

ſunt ſimul falſæ, quoniam, an Turca dormiat dubium eſt. Ergo ſunt diſparatæ ſimiliter. Cæterùm, quia prima infert ſecundam, ſubalternis accenſeri debebunt.

Tranſeamus ad ſimplices, quæ ſint negativa, & Modos ipſiſſimos conſideremus.

A & G.

Certitudinis Modus has exhibet propoſitiones *Contraria.*

A. *Certum eſt rem eſſe.*

G. *Certum eſt rem non eſſe.*

In nulla materia ſunt ſimul veræ: at in materia probabili, aut dubia ſunt ſimul falſæ. Pono exempla.

A. *Certum eſt materiam eſſe puram potentiam.*

G. *Certum eſt materiam non eſſe puram potentiam.*

Sunt ſimul falſæ: quia neutrum eſt certū, ſed utrumq, probabile. Sic etiam hæ ſunt ſimul falſæ.

A. *Certum eſt Ioannem, qui in Braſilia eſt, nunc ſtare.*

G. *Certum eſt Ioannem, qui in Braſilia eſt, nunc non ſtare.*

Ergo harum propoſitionum habitudo eſt contraria.

A & H.

Vocantur in judicium hæ lineæ. *Contraria.*

A. *Certum eſt rem eſſe.*

H. *Probabile eſt rem non eſſe.*

Simul eſſe veræ non poſſunt: at in materia dubia ſunt ſimul falſæ: rem enim dubiam, nec certum eſt eſſe: nec eſt probabile non eſſe. Sed & in impoſſibili materia poterunt eſſe ſimul falſæ, ut

Certum eſt hominem eſſe lapidem.

Probabile eſt hominem non eſſe lapidem.

Ergo contrariæ ſunt.

A & I.

Eodem modo diſcurrere debemus de ſequentibus Propoſitionibus, videlicet. *Contraria.*

A. *Certum eſt rem eſſe.*

I. *Dubium eſt rem non eſſe.*

Non poſſunt verificari ſimul. Cæterùm, ſi res impoſſibilis, aut probabilis ſit, utraque propoſitio erit falſa. Igitur opponuntur contrariè.

A & K. *Contradictoria.*

Strictiùs opponuntur iſtæ.

Certum eſt rem eſſe.

Non eſt certum rem eſſe.

ſe mutuò deſtruunt; ſunt contradictoriæ: & non poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ.

A

A & L

Subalterna.

In his oppoſitionem non reperio.

Certum eſt rem eſſe

Non eſt probabile rem non eſſe.

Simul veræ eſſe poſſunt in materia neceſſaria, ut ſi diceres.

Certum eſt hominem eſſe rationalem.

Non eſt probabile hominem nõ eſſe rationalem.

Sunt autem ſimul falſæ in materia probabili, ut

A. *Certum eſt materiam primam à quantitate habere entitativas partes.*

L. *Non eſt probabile materiam primam à quantitate habere entitativas partes.*

In materia dubia prima ſemper erit falſa, & ſecunda vera. Interim, quia prima infert neceſſariò ſecundam, ſubalternæ dicantur.

A & M.

Subalterna.

Tandem hæ lineæ,

A. *Certum eſt rem eſſe.*

M. *Non eſt dubium rem non eſſe.*

ſimiliter ſunt ſubalternæ. Si enim rei exiſtentia certa eſt, naſcitur per evidentem conſequentiam ejus non-exiſtentiam eſſe certò falſam, adeoque in dubium revocari non poſſe.

B. *Probabile, rem eſſe.*

An ſemper ſtare debeamus ſententiæ certæ?

An ſemper ſtrictiori?

MVlta debuimus ſcribere de Probabilitate. Debere ſequi ſemper hominem ſententiam certam, eſt jubere, ut homo operetur, ut Angelus. Debere ſemper adhærere ſtrictiori, eſt tyrannicum dogma, & involvit abſurda, & repugnantia. Et oſtenditur clarè, hunc caſum breviter proponendo. [Ponamus clamydem, quam habet Petrus, eſſe probabiliter ſuã, & eſſe probabiliter Ioannis.] Quid Petrus faciet? Non poterit illam retinere, quia tutius eſt carere re propria, quàm retinere alienam. Et ipſe debet ſequi ſecuriorem ſententiam. Illam igitur debebit Ioanni tradere. At illam Ioannes non poterit recipere propter eamdem rationem; quia fortè reciperet rem alienam, & ab hoc ſe eximet periculo, non acceptando. Quid ergo fiet de clamyde, quam nec retinere poteſt Petrus, nec recipere Ioannes? Erit primi occupantis? minimè: nam habet dominum, licet enim utrum ſit Petrus, aut Ioannes dominus, diſputetur; alterum eſſe dominum (hoc eſt, hunc, vel illum, & non aliquem tertium) indubitatum eſt. Libenter Merendam huic argumento reſpondentem audirem.

An Probabilitas magis & minus recipiat?

Probabilitatem non recipere magis, & minus, hoc eſt, Propoſitiones omnes, quæ verè probabiles ſunt, eſſe æquè probabiles; aſſerit Illuſtriſs. D. Gabriel Santanderius, Archiepiſcopus Hydruntinus, Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor Compluti; Vir doctiſſimus, & ingenioſiſſimus; quam ſententiam cum applauſu publicè & ſæpè defendit in Hiſpania. Eamdem Ego ſententiam, ſed ex aliis fundamentis in mea de Non-Certitudine Dialexi tueor, manifeſtè ut opinor, perſuadens illud *magis, & minus*, quod in opinionibus Probabilibus reperiri dicitur, aliunde deſumi, non autem pertinere ad lineam Probabilitatis. Et quidem qui hanc ſemel ſupponat opinionem, multas & graves conſequentias inferet in Theologia Morali.

B & C.

A Dubio Probabilitas differt.

Non debet Dubium cum probabilitate confundi, quod faciunt aliqui, nam contradictoriè opponuntur; quoniam Probabilitas inſiſtit motivo gravi, quo Dubium caret. Et hanc ob rem, hæ poſitiones,

B. *Probabile eſt rem eſſe.*

C. *Dubium eſt rem eſſe.*

Contraria.

non poſſunt eſſe ſimul veræ: at in materia neceſſaria, & impoſſibili ſunt ſimul falſæ. Pono exemplum in neceſſaria.

B. *Probabile eſt canem eſſe animal.*

C. *Dubium eſt canem eſſe animal.*

Vtraque eſt falſa: nam canem eſſe animal, non eſt probabile, aut dubium, ſed certum: etiam hæ in materia repugnante ſunt falſæ.

B. *Probabile eſt leonem eſſe lapidem.*

C. *Dubium eſt leonem eſſe lapidem.*

nam leonem eſſe lapidem non probabile, aut dubium, ſed certò & evidenter falſum eſt.

B & D.

Subalterna.

Perpende Poſitiones ſequentes.

B. *Probabile eſt rem eſſe.*

D. *Ergo non eſt certum rem eſſe.*

Si prima admittatur inferet neceſſario ſecundam. Et poterunt eſſe ſimul veræ, & ſimul falſæ. Sed hoc ſubalternarum proprium eſt.

B & E.

Contradictoria.

Opponuntur contradictoriè, ut ſi dicas,

B. *Probabile eſt rem eſſe.*

E. *Non eſt probabile rem eſſe.*

Nota bene.

Multi ſcribillant, & hanc oppoſitionem ignorant, probantque Simplicem, cum deberent Modalem. Huic Aſſertioni, *Probabile eſt ova poſſe comedi*; non opponitur hæc, *Ova non poſſunt comedi*; ſed hæc, *Nõ eſt probabile ova poſſe comedi*. Doctrina hæc eſt certiſſima, & tametſi ab annis quadraginta & quinque clamem, nullus eam intelligit Anticaramuel.

B & F.

Subalterna.

Probabile ſubalternat indubium: quod enim probabile eſt, nec certum, nec dubium eſt, ut ſi dixeris,

B. *Probabile eſt rem eſse.*

F. *Ergo non eſt dubium rem eſse.*

Qui enim graves rationes habet probabiliter philoſophatur: ſed dubiè, qui leves, aut nullas.

B & G.

Contraria.

Non poſsunt eſse ſimul veræ hujuſmodi propoſitiones, nam Probabilitas omnē Certitudinem, Certitudo omnem Probabilitatem excludit; ut

B. *Probabile eſt rem eſſe.*

G. *Certum eſt rem non eſse.*

At eſse poſsunt ſimul falſæ: ut in materia dubia,

B. *Perſam dormire probabile eſt.*

G. *Perſam non dormire certum eſt.*

& utramque hic propoſitionem eſse falſam indubitatum eſt. Ergo ipſæ opponuntur contrariè.

B & H.

Reciproca.

Sunt Reciprocæ: nam conſequentia ab altera ad alteram tranſit. Conſidera conſequentiam ſequentem.

B. *Probabile eſt rem eſse.*

H. *Ergo probabile eſt rem non eſse.*

Repugnat enim alteram è duabus Contradictoriis eſse probabilem, quin altera probabilis ſit. Ergo etiam tenebit conſequentia, ſi dicas,

H. *Probabile eſt rem non eſſe.*

B. *Ergo Probabile eſt rem eſſe.*

Nota bene.

Qui enim dicunt alteram aliquando eſse probabilem (me audio, cùm hæc dico) non intelligunt Probabilitatis conceptum.

B & I.

Contraria.

Non poſsunt eſse ſimul veræ, ut ſi dicas,

B. *Probabile eſt rem eſse*

I. *Dubium eſt rem non eſse.*

ubi enim adeſt Probabilitas, Dubium exeſt, nec poſsunt ullo modo componi. At in materia neceſsaria ſunt ſimul falſæ. Sequentes poſitiones conſidera.

B. *Probabile eſt triangulum habere tres lineas.*

I. *Dubium eſt triangulum non habere tres lineas.*

Sunt ſimul falſæ: hęc enim ſimplex, *Triangulus habet tres lineas*, non eſt probabilis, ſed evidens: & hæc, *Triangulus non habet tres lineas*; non dubia, ſed evidenter falſa. Idem continget in materia repugnante, ut ſi dixeris.

B. *Probabile eſt Ioannem eſse arborem.*

I. *Dubium eſt Ioannem non eſſe arborem.*

utraque enim eſt falſa: Ioannem enim non eſſe arborem evidens eſt. Ergo B & I. opponuntur contrariè.

B & K.

Subalternæ.

Exhibeantur, & examinentur etiam iſtæ.

Probabile eſt rem eſſe. añs.

Non eſt certum rem non eſse. coñs.

Prima ſecundam inſert: nam, ſi eſſet certum rem non eſſe, non eſſet probabile illam eſſe.

B & L.

Cōtradictoriæ.

Majoris indaginis viderentur iſtæ propoſitiones.

Probabile eſt rem eſse,

Non eſt probabile rem non eſse.

Eſſe non poſſunt ſimul veræ: nam ſi prima admittatur, debebit altera neceſſariò negari. An eſſe ſimul falſæ poterunt? In materia certa, aut dubia, ſemper prima erit falſa: & ſecunda erit vera. Contradictoria igitur eſt harum propoſitionum oppoſitio.

B & M.

Subalterna.

Alias denique propoſitiones in examen vocemus: nempe has duas.

B. *Probabile eſt rem eſse.* añs.

M. *Non eſt dubiū rem non eſse.* coñs.

Primam ſecunda ſequitur: nec enim prima admitti poteſt, quin etiam ſecunda admittatur. Ergo ſunt ſubalternæ.

C. *Dubium, rem eſse.*

Quid Dubium ſit, & quomodo Probabilitate diſtinguatur?

PRoponitur hæc propoſitio, *Perſa ridet*. Nullam habes rationem, ut aſſeras; nullam, ut neges: dubius es negativè. At leves aliquæ rationes occurrunt: dubius es poſitivè. Et neutrum Dubium eſt morum Regula; nam vel habere leves, vel nullas, perinde eſt. Qui habet æquè graves rationes, hinc inde militantes, non eſt in Dubio (& nota hoc bene) ſed habet conſcientiam probabilem, & facere poteſt alterutrum.

C & D.

Subalternæ.

Occurrunt ſtatim iſtæ propoſitiones,

C. *Dubium eſt rem eſse.* añs.

D. *Non eſt certum rem eſse.* coñs.

Prima infert ſecundam: ſed non contra: nam licet omnia dubia ſint incerta, non autem omnia incerta ſunt dubia, nam etiam probabilia incerta ſunt. Ergo ſunt Subalternæ.

C & E.

Subalterna.

Etiam ſunt Subalternæ ſequentes.

C. *Dubium eſt rem eſse.*

E. *Non eſt probabile rem eſse.*

Quidquid eſt dubium caret probabilitate: non autem omnia, quæ non ſunt probabilia, ſunt dubia: nam & certa ſunt non

pro-

probabilia, & tamen dubia non ſunt.

C & F.

Contradictoria. Cæterùm hæ propoſitiones,

C. *Dubium eſt rem eſse.*

F. *Non eſt dubium rem eſse.*

Sunt contradictoriæ, nec poſsunt eſſe ſimul veeæ, nec ſimul falſæ.

C & G.

Contraria. Conſideremus Aſſertiones ſequentes.

C. *Dubium eſt rem eſse.*

G. *Certum eſt rem non eſse.*

Simul falſæ eſſe poſſunt: quod enim probabiliter eſt, nec dubiè eſt, nec certò non eſt. At non poſſunt eſſe ſimul veræ; nam Dubium omnem ceetitudinem excludit.

C & H.

Contraria. Hæ ſimilitet contrariæ ſunt.

C. *Dubium eſt rem eſse.*

H. *Probabile eſt rem non eſse.*

Sanè, ſi res in dubio ſit, non eſt probabile, quod non ſit. Verùm enim verò, ſi certò ſit, nec dubiè eſt, nec probabiliter non eſt.

C & I.

Æquipollentes. Si res benè intelligatur hæ duæ poſitiones coincidunt.

C. *Dubium eſt rem eſse.*

I. *Dubium eſt rem non eſse.*

nam idem eſt dubitare, an res ſit? ac dubitare, an ipſa non ſit? Ideò enim ego dubito, quia neutrum ſcio.

C & K.

Subalternæ. Infert prima ſecundam: videlicet,

C. *Dubium eſt rem eſse.* añs.

K. *Non eſt certum rem non eſse.* coñs.

non autem primam ſecunda; nam etiam probabilia non ſunt certa.

C & L.

Subalternæ. Etiam has duas conſideremus.

C. *Dubium eſt rem eſſe.* añs.

L. *Non eſt probabile rē non eſse.* cons.

Sunt ſimiliter Subalrernæ; nam prior infert poſterioem, & non contra.

C & M.

Contradictoriæ. Denique non obſtante negationum accutſu, hæ ſunt contradictoriæ.

C. *Dubium eſt rem eſſe.*

M. *Non eſt dubium rem non eſse.*

Et probatur clariſſimè: nam hæ

C. *Dubium eſt rem eſse*

I. *Dubium eſt rem non eſse.*

ſunt æquipollentes, ut probavimus: & hæ

I. *Dubium eſt rem non eſse.*

M. *Non eſt dubium rem non eſse.*

Conteadictoriæ ſunt.

D. *Non certum, rem eſse.*

Non certum ab Incerto diſtinguitur. NOn eſt idem *Non eſt certũ*, ac *Eſt incertum*: quam ob rem, tametſi hæc duo in materia probabili, ac dubia ſine periculo confundi poſſint, in materia manifeſta non poſſunt. Conſidera propoſitiones ſubſequentes.

Certum eſt hominem eſse lapidem.

Non eſt certum hominem eſse lapidem.

Incertum eſt hominem eſse lapidem.

Prima eſt falſa. Secunda eſt vera, & contradicit primæ; non enim dicit dubiè, aut probabiliter hominem eſſe lapidem: ſed negat eſſe veeam propoſitionem primam. At tertia tam eſſendi, quàm non eſſendi excludit certitudinem. Nos igitur hic vocem in ſenſu formali ſumemus: at notabimus obiter, quando cum Incertitudine confundi poſſit.

D & E.

Subcontraria. Hinc patet, quid de his propoſitionibus dicendum ſit.

D. *Non eſt certum rem eſse.*

E. *Non eſt probabile rem eſse.*

Vtraque eſt vera, ſi res dubiè ſit. At ſimul eſſe falſa non poteſt: nam ubi Certitudo ſit, Probabilitas abeſſe debet. Ergo harum propoſitionum Oppoſitio, Subcontraria eſt.

D & F.

Subcontraria. Conſideremus propoſitiones ſubſequentes.

D. *Non eſt certum rem eſse.*

F. *Non eſt dubium rem eſse.*

Poſſunt eſſe ſimul veræ: quod enim probabiliter eſt, nec certò, nec dubiè eſt. At non poſſunt eſſe ſimul falſæ; nam certitudo cum dubio componi non poteſt. Subcontrariam igitur habent oppoſitionem.

D & G.

Diſparata. Attentione, & conſideratione indigent ſequentes lineæ.

D. *Non eſt certum rem eſse.*

G. *Certum eſt rem non eſse.*

Si illud *Non eſt certum* eſſet idem, ac *Incertum eſt*, opponerentur contradictoriè iſtæ propoſitiones, quandò enim certò cognoſcis eſſe veram hanc aſſertionem *Eſt*, tunc certò cognoſcis hanc, *Non eſt*, eſſe falſam. Ergo tunc ipſa, *Non eſt*, non eſt incerta. At quia illud *non* negat certitudinem, & non affirmat incertitudinem, [quia hæc, *Canis eſt lignum*, non eſt certò vera, quia eſt certò falſa] aliter philoſophandum eſt.] Et hoc hic breviter adnotaſſe ſufficiat, qui enim plura de hoc argumento habere velit, legat noſtræ Dialexeos *de Non-Certitudine* Prologum. Ibi enim interrogo, cur illa diſputatio ſit po-

An, & quomodo Incertitudo & Non-certitudo diſtinguantur?

tiùs de Non-Certitudine, quàm de Incertitudine: & oſtendo clariſſimè hæc duo ſyncategoremata *Non certum*, & *Incertum* toto Cœlo differre.]

Dico igitur utramque poſſe eſſe ſimul veram; quia ex duabus iſtis

Canis eſt lignum,

Canis non eſt lignum.

Secunda eſt certò vera; & prima non eſt certò vera, quoniam, ut dicebamus, eſt certò falſa. Sed, & ſimul eſſe falſæ poſſunt: nam ſi hæc, *Non eſt certum hominem eſſe animal*, eſt falſa; hæc, *Certum eſt hominem eſſe animal*, erit vera: &, ſi hæc eſt vera, hæc *Certum eſt hominem non eſſe animal*, erit falſa. Igitur diſparatæ ſunt.

D & H.

Subalterna. Breviùs, & faciliùs hæ poterunt expediri.

D. *Non eſt certum rem eſſe.* conſ.

H. *Probabile eſt rem non eſſe.* anſ.

Secunda infert primam: ergo ſunt ſubalternæ: non enim certò ſunt, quæ probabiliter non ſunt.

D & I.

Subalterna. Similiter ſunt ſubalternæ, quæ ſequuntur.

D. *Non eſt certum rem eſſe.* conſ.

I. *Dubium eſt rem non eſſe.* anſ.

Si enim dubitamus, an res non ſit, non ſcimus certò illam eſſe: ſi enim certò ſciremus illam eſſe, certò ſciremus falli eos, qui dicerent, *Non eſt*. Ergo ceſſaret dubium, nam de propoſitione certò falſa dubium eſſe non poteſt.

D & K.

Subcontraria. Poſſunt ſimul iſtæ verificari,

D. *Non eſt certum rem eſſe.*

K. *Non eſt certum rem non eſſe.*

Quando enim res dubiè, aut probabiliter eſt, nec certò eſt, nec certò non eſt. At nequeunt ſimul falſificari; ſi enim verum eſt rem certò eſſe, erit falſum illam certò non eſſe. Opponuntur igitur ſubcontrariè.

D & L.

Subcontraria. Pergo ulteriùs, & examini ſubſequentes ſubjicio.

D. *Non eſt certum rem eſſe.*

L. *Non eſt probabile rem non eſſe.*

Veræ eſſe ſimul poſſunt: quæ enim dubiè ſunt, nec certò ſunt, nec probabiliter non ſunt: at ſimul eſſe falſæ non poſſunt. Ergo ſubcontrariè opponuntur.

D & M.

Subcontraria. Tandem has duas pro coronide conſideremus.

D. *Non eſt certum rem eſſe.*

M. *Non eſt dubium rem non eſſe.*

Sunt veræ ſimul, ſi de re probabili diſſeramus: ſimul falſæ eſſe nequeunt, Ergo ſunt Subcontrariæ.

E. *Non Probabile, rem eſſe.*

NOn probabile, & *Improbabile* differunt, nam propoſitiones certò veræ, certò falſæ, & dubiæ non dicuntur *probabiles*; priores, quoniam carent formidine; poſteriores, quoniam deſtituuntur ratione gravi. At *improbabilis* illa ſola dicitur, quæ certò falſa: illa videlicet, quæ argumentis poſitis pro ratione contraria, veriſimiliter reſpondere non poteſt. Vnde Theologi, qui amant loquendi & ſcribendi rigorem, inter has propoſitiones diſtinguunt. *Quomodo non probabilitas ab Improbabilitate diſtinguatur?*

Hæc ſententia videtur improbabilis.

Hæc non videtur probabilis.

Hæc non videtur improbabilis.

Hæc videtur probabilis.

Hæc non videtur certa.

Hæc videtur incerta.

Er quidem tunc ſententia *videtur improbabilis*, quando pro contraria occurrit ratio quæ non poteſt ſufficienter diſſolvi: tunc autem *non videtur probabilis*, quando eſt dubia, & gravem rationem non habet. *Huc pertinet illa veritatis diſtinctio; aliqua enim poſſunt & ſolent eſſe probabilia quo ad ſe, & tamen nec eſſe vera nec probabilia quoad nos.*

Tunc verò *non videtur improbabilis*, quando pro oppoſita nulla ſuccurrit ratio, quæ opportunam ſolutionem non habeat: & tunc *Videtur probabilis*, quando rationes habet graves, quæ evidenti ſolutioni non ſubſint.

Similiter, aliud eſt ſententiam *non videri certam*, & aliud *videri incertam*. Non videtur certa, ſi de certitudine poſitivè non conſtat: at videtur incerta, quando poſitivè conſtat de incertitudine.

E & F.

Probabilitatis carentiam cum cæteris Modis Moralibus compoſituro, primò occurrunt hæ lineæ. *Subcontraria.*

E. *Non eſt probabile rem eſſe.*

F. *Non eſt dubium rem eſſe.*

Simul veræ eſſe poſſunt, nam res certa, nec probabilis, nec dubia eſt. Cæterùm non poſſunt eſſe ſimul falſæ, nam non poteſt Dubium cum Probabilitate componi. Ergo erunt Subcontrariæ.

E & G.

Simul veræ poſſunt & ſolent eſſe hæ. *Subcontraria.*

E. *Non eſt probabile rem eſſe.*

G. *Certum eſt rem non eſſe.*

Et manifeſtè ſuadebitur, ſi dicamus.

E. *Non eſt probabile Humanam animam eſſe mortalem.*

G. *Certum eſt, Humanam animam non eſſe mortalem.*

Simul eſſe falſæ non poſſunt. Ergo ſubcontrariè opponuntur.

E & H.

Contradictoriæ ſunt, ut ſi dicas. *Contradictoria.*

E. *Non eſt probabile rem eſſe.*

H. *Pro-*

H. *Probabile eſt rem non eſſe.*
B. *Ergo probabile eſt rem eſſe.*
Tertia neceſſariò oritur à ſecunda,& contradicit primæ: ergo prima & ſecunda componi ſine contradictione non poterunt.

E & I.

Subalterna. Poſſunt, & ſolent eſſe ſimul falſæ; ut conſtat ex exemplo ſequenti.
E. *Non eſt probabile rem eſſe.* coñs.
I. *Dubium eſt rem non eſſe.* añs.
Si enim res dubia ſit, falſæ erunt ſimul. At quia ſecunda primam infert, debebunt ſubalternæ vocari.

E & K.

Subcontraria. Turbant ſenſum negationes interdum: & indigebis attentione, ut de ſequentibus aſſertionibus iudices.
E. *Non eſt probabile rem eſſe.*
K. *Non eſt certum rem non eſſe.*
Sunt ſimul veræ: nam hæc, *Homo eſt animal*, non eſt probabilis, ſed certò vera: & hæc *Homo non eſt animal*; non eſt certò vera, ſed certò falſa. Cum autem ſimul eſſe falſæ non poſſint accenſebuntur Subcontrariis.

E. & L.

Reciproca. Paucæ ſunt poſitiones Reciprocæ, at hæ poni debebunt inter paucas.
E. *Non eſt probabile rem eſſe.*
L. *Non eſt probabile rem non eſſe.*
Vt perſuadeam addo has.
B. *Probabile eſt rem eſſe.*
H. *Probabile eſt rem non eſſe.*
Hæ enim duæ poſteriores ſunt reciprocæ, & duabus prioribus contradicunt (nempe B ipſi E, & H ipſi L) Ergo etiam priores (E & L) ſunt Reciprocæ.

E & M.

Subcontraria. Claudunt hanc Sectionem hæ.
E. *Non eſt probabile rem eſſe.*
M. *Non eſt dubium rem non eſſe.*
Erunt ſimul veræ ſi materia ſit certa, ut ſi dixeris,
E. *Non eſt probabile Solem eſſe.*
M. *Non eſt dubium Solem non eſſe.*
Sanè hæc poſitio, *Sol eſt*, eſt manifeſta. Ergo non eſt probabilis. Ergo prima (nempe, E) eſt vera. Tranſeo ad ſecundam. Hæc poſitio, *Sol non eſt*, eſt manifeſtè falſa. Ergo hæc, *Dubium eſt Solem non eſſe*, eſt falſa. Ergo, *Non eſt dubium Solem eſſe*, erit vera. Ergo utraque (ſcilicet, E & M) ſunt veræ. At non poſſunt eſſe ſimul falſæ. Ergo ſunt ſubcontrariæ.

F. *Non Dubium, rem eſſe.*

Differentia quæ eſt inter Non dubium & Indubium. VT voces communiter ſumimus, differunt *Non dubium*, & *Indubium*. Propoſitiones tam certæ, quàm probabiles non ſunt dubiæ: at probabiles non ſunt indubiæ, nam indubium ſeu indubitatum (ſic accipitur nomen) eſt id, quod certum, quod incertitudini non eſt obnoxium.

F & G.

Subſequentes poſitiones conſidera. *Subalterna.*
F. *Non eſt dubium rem eſſe.*
G. *Certum eſt rem non eſſe.*
Secunda infert primam: ergo ſunt ſubalternæ.

F & H.

Sunt etiã Subalternæ ſequentes. *Subalterna.*
F. *Non eſt dubium rem eſſe.* coñs.
H. *Probabile eſt rem non eſſe.* añs.
Priorem infert poſterior.

F & I.

Contradictoria Oppoſitio reperitur in his. *Cõtradictoria.*
F. *Non eſt dubium rem eſſe.*
I. *Dubium eſt rem non eſſe.*
C. *Dubium eſt rem eſſe.*
Æquipollentes ſunt ſecunda & tertia: & tertia contradicit primæ.

F & K.

Habent Oppoſitionem Subcontrariam. *Subcontraria.* Pono exemplum.
F. *Non eſt dubium rem eſſe.*
K. *Non eſt certum rem non eſſe.*
Si res probabilis ſit, nec dubiè erit, nec certò non erit: Ergo hæ propoſitiones poterunt eſſe ſimul veræ. At non poterunt eſſe ſimul falſæ: ergo inadæquatè opponentur.

F & L.

Eamdem ſententiam de Aſſertis ſequentibus profeſſes. *Subcontraria.*
F. *Non eſt dubium rem eſſe.*
L. *Non eſt probabile rem non eſſe.*
Sunt ſimul vera, ſi materia ſit certa: nequeunt eſſe ſimul falſa: Ergo ſubcontrariè opponuntur.

F & M.

Coincidunt poſitiones ſequentes. *Æquipollentes.*
F. *Non eſt dubium rem eſſe.*
M. *Non eſt dubium rem non eſſe.*
Contradicunt enim his.
C. *Dubium eſt rem eſſe.*
I. *Dubium eſt rem non eſſe.*
Quæ, ut ſuperius vidimus, erant æquipollentes.

G. *Certum, rem non eſſe.*

QVi certò cognoſcit rem non eſſe, manifeſtè percipit propoſitionem aſſerentem (videlicet, *Res eſt*) eſſe falſam: & negantem (videlicet, *Res non eſt*) eſſe veram. Hanc Modalem cum aliis breviter componamus.

G & H.

Hæ duæ propoſitiones.

Contraria.

G. *Certum eſt rem non eſse.*

H. *Probabile eſt rem non eſse.*

Non poſsunt eſſe ſimul veræ, excludit enim probabilitatem certitudo. At poſſunt eſſe ſimul falſæ; quod enim dubium, nec certum, nec probabile eſt. Ergo intercedit Oppoſitio Contraria.

G & I.

Contraria.

Idem dicito de ſequentibus propoſitionibus.

G. *Certum eſt rem non eſse.*

I. *Dubium eſt rem non eſse.*

Simul verificari nequeunt; nam opponitur certitudini dubium: at ſimul falſificabuntur, ſi agatur de materia probabili, quæ nec certa, nec dubia eſt.

G & K.

Contradictoria.

Opponuntur ex diametro; nec poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ, ut

G. *Certum eſt rem non eſse.*

K. *Non eſt certum rem non eſse.*

Sunt igitur Contradictoriæ.

G & L.

Subalternæ.

Prior infert poſteriorem, ut conſtat ex exemplo ſequenti.

G. *Certum eſt rem non eſse.* añs.

L. *Non eſt probabile rẽ non eſse* coñs.

Quod enim certum eſt, & non eſt probabile. Sunt ergo ſubalternæ.

G & M.

Subalternæ.

Earum cenſui etiam ſubſequentes adjungeſ.

G. *Certum eſt rem non eſse.*

M. *Non eſt dubium rem non eſſe.*

Hæc enim eſt bona conſequentia. *Eſt certum: Ergo non eſt dubium.*

H. *Probabile, rem non eſſe.*

Reciproca.

SI quis aſſerat poſſe alteram ex duabus propoſitionibus contradictoriis eſſe probabilem, & alteram certam, aut dubiam, dicendus erit, nondum fuiſſe adſequutus Probabilitatis conceptum. Si autem mordicùs tenere vellet has duas propoſitiones,

Probabile eſt rem eſſe.

Probabile eſt rem non eſſe.

Æquipollentes eſſe; ſemper habebit, quid reſpondeat; & ſemper quid adverſario objiciat. At Ego, quia tantillam differentiam reperio, malo illas diſtinguere, ita tamen, ut reciprocas aſſeram: ſi enim non coincidunt, ſaltem ſe mutuò inferunt. Alios Modos igitur cum Modo Probabilitatis conferamus.

H & I.

Occurrunt primò iſtæ aſſertiones.

Contraria.

H. *Probabile eſt rem non eſſe.*

I. *Dubium eſt rem non eſſe.*

Sunt ſimul falſæ, ſi certum ſit rem eſſe, aut non eſſe. Eſſe ſimul veræ non poſſunt. Ergo ſe reſpiciunt contrariè.

H & K.

Subalternæ.

Infert prima ſecundam; ut ſi dicas,

H. *Probabile eſt rem non eſſe.* añs.

K. *Non eſt certum rem non eſſe.* coñs.

Quod enim probabile eſt, certum non eſt. Ergo ſunt Subalternæ.

H & L.

Contradictoria.

Opponuntur totaliter, ſeu contradictoriè: quidquid enim prior aſſerit, negat poſterior. Eas contemplare.

H. *Probabile eſe rem non eſſe.*

L. *Non eſt probabile rem non eſſe.*

Nota bene.

[Iterum dixi: iterum dicam. Videntur hoc neſcire aut diſſimulare, qui poſitionis alicujus probabilitatem impugnant. Huic aſſertioni, *Probabile eſt materiam à quantitate præciſam habere entitativas partes.* non contradicit hæc, *Materia à quantitate præciſa non habet entitativas partes:* ſed hæc, *Non eſt probabile materiam à quantitate præciſam habere entitativas partes.* Centies eamdem rem repeto, ſi fortè ſemel Logicam Anticaramueles addiſcant.]

I. *Dubium, rem non eſſe.*

Objectio contra doctrinam poſitam.

DUm doceo Logicam, videor tibi inconſequentia laborare, & prædicanti prædicas, & jubes hos Propoſitionum binarios bene conſiderari.

Quomodo differant iſtæ propoſitiones?

A. *Certum eſt rem eſſe.*

G. *Certum eſt rem non eſſe.*

B. Probabile eſt rem eſse.

H. Probabile eſt rem non eſſe.

C. *Dubium eſt rem eſſe.*

I. *Dubium eſt rem non eſse.*

Et ſic argumentaris. Primæ non ſunt æquipollentes, ut de ſe patet. Secundas non eſſe æquipollentes docuimus. Ergo nec tertiæ erunt æquipollentes. *Vel aliter.* Tertiæ dicuntur æquipollentes, ergo ſaltem ſecundæ etiam erunt æquipollentes.

De æquipollentia.

Reſpondeo priores differre realiter & objectivè; medias mentaliter, & concipiẽdi modo: poſteriores vocaliter. Priores non poſſunt æquipollentes dici, nam re ipſa differunt. Poſteriores nequeunt non dici æquipollentes; nam ſolis verbis diſtinguuntur, & quæ ſolis verbis differunt, æquipollentes nominantur. Tota ergo difficultas in medias vertitur. Quo ad rem ipſæ & objectum non differunt, ſed tantùm quoad modum concipiendi nam illæ mediæ dilucidantur his.

Aſſero rem eſse, ſed timidè, quia fortè non eſt.

Aſſero

Aſſero rem non eſſe, ſed timidè, quia fortè eſt.

utraque enim, ſi rem ipſam aſſertam conſideremus, includit hanc.

Fortè res eſt, & fortè non eſt.

at illam includit diverſimodè; & quia hæc diverſitas non ſe tenet ex parte vocum, non ſunt æquipollentes poſitiones vocales, nam ſignificant differentes conceptus.

An dentur propoſitiones mentales, quæ ſint æquipollentes?

Dices te fateri illas duas medias propoſitiones (B & H) ſi vocales ſint, non eſſe æquipollentes: at perſuadere vis illas eſſe æquipollentes, ſi ſint mentales. Et ſic argumentaris. Illæ vocales, ſunt æquipollentes vocaliter quæ tantummodò differunt modo loquendi, ut

Nullus homo eſt lapis.

Omnis homo non eſt lapis.

Omnis homo eſt non lapis.

Ergo illæ mentales, erunt æquipollentes mentaliter, quæ tantummodò differunt modo concipiendi. Reſpondeo, hanc conſequentiam, ſi non mutentur recta admitti poſſe: adeoque impræſentiarum non poſſe, quoniam recta mutantur. Sed, ne diſputemus de vocibus, mentales propoſitiones B & H, aſſeramus non eſſe æquipollentes formaliter, & Argumentatori permittamus, ut dicantur, ſi velit æquipollentes materialiter. [Et hic obiter noto, me loqui de Probabilitate cum communi recepta & præſcripta ſententia, quæ aſſerit, Propoſitionem Probabilem eſſe Aſſenſum unius cum formidine alterius. Interim in meo Telearcho re meliùs perſpecta rotundè aſſero erraviſſe Ariſtotelem, omneſq; Peripateticos, qui ejuſdem errori ſubſcribunt. Omnis enim Intellectus aſſenſus eſt certus, & formido non cadit ſupra Intellectum, ſed ſupra voluntatem, & id exemplo manifeſto demonſtro. Vis ire Roma Neapolim, inquiris de ſecuritate itineris, & quatuor vel ſex homines probi & experti obſeſſum à latronibus aſſerunt: totidem alii eſſe dicunt expeditum, liberum & ſecurum. Tu, quia negotia gravia ſic poſtulant, eligis ſententiam, quæ aſſerit iter eſſe ſecurum, & te committis itineri. Hic in te volo diſtinguere Intellectum à voluntate, utrùm Intellectus tuus habuerit vires ut poſſet dicere, *Iter eſt ſecurum*. Ergo tuus Intellectus ſemper dicit, *ſit Iter ſecurum, an non, incertum eſt*. Et hæc modalis non jam Probabilis ſed Certa eſt; carens omni formidine. Elegiſti tamen propoſitionem quæ doceret iter eſſe ſecurum; & hic fuit actus voluntatis elicitus cum formidine erroris. Non ergo uſque intellexere Ariſtotelei, quid *Opinionis Probabilis* nomine Intelligatur.]

I & K.

Subalternæ.

Vocantur ad tribunal examenque iſtæ propoſitiones.

I. *Dubium eſt rem non eſſe.* añs.

K. *Non eſt certum rem non eſſe.* cõs.

Infertur à priori poſterior: Ergo sũt Subalternæ.

I & L.

Subalternæ.

Idem omninò dixerim de ſequentibus.

I. *Dubium eſt rem non eſſe.* añs.

L. *Non eſt probabile rẽ non eſſe.* cõs.

prior enim etiam infert poſteriorem, & debet vocari Subalternans.

I. & M.

Contradictoriæ.

Tandem hæ ſunt Contradictoriæ.

I. *Dubium eſt rem non eſſe.*

M. *Non eſt dubium rem non eſſe.*

Quidquid enim in prima aſſeritur, hoc totum in ſecunda negatur.

K. *Non certum, rem non eſſe.*

An in re certa Non certitudo locum habeat?

Quid ſit *Non certum*, & quomodo ab *Incerto* differat jam expoſuimus. Non eſt cur eadem repetamus. Poſtulas interim, An in materia manifeſta & evidenti habeat locum, Non certitudo? Et conſultò de Non certitudine quæſtionem excitas, nam non habere ibi locum Incertitudinem, tanquam certum ſupponis.

Reſpondeo hanc propoſitionem eſſe falſam. *Certum eſt triangulum habere quatuor lineas*. Ergo ejus contradictoria erit vera, videlicet, *Non eſt certum Triangulum habere quatuor lineas.* hoc eſt, *Falſum eſt, quòd ſit certum triangulum habere quatuor lineas*. Ergo *Non certum* prout ab *Incerto* diſtinguitur, Modus eſt, qui poſitiones evidenter falſas poteſt afficere, ipſæ enim certæ, hoc eſt, certo veræ non ſunt.

K & L.

Subcontrariæ.

Utraque poteſt eſſe vera ut conſtat ex exemplo ſequenti.

K. *Non eſt certum rem non eſſe.*

L. *Non eſt probabile rem non eſſe.*

Quod enim dubium eſt, nec certum nec probabile eſt. At eſſe ſimul falſæ nequeunt: Ergo ſe ſubcontrariè reſpiciunt.

K & M.

Subcontrariæ.

Idem dicendum eſt de ſequentibus propoſitionibus.

K. *Non eſt certum rem non eſſe.*

M. *Non eſt dubium rem non eſſe.*

Poſſunt eſſe ſimul veræ: quod enim probabile, nec certum id, nec dubium eſt. Ergo etiam ſubcontrariè opponuntur.

L.

L. *Non Probabile, rem non eſſe.*

Non probabilitas, & Improbabilitas differunt.

SEmper debet *Non Probabilitas* ab *Improbabilitate* diſtingui: illa enim, ut diximus, formaliter dicit Probabilitatis carentiam, quæ in propoſitionibus certis & Dubiis invenitur: hæc autem afficit certò falſam propoſitionem, quam rationes manifeſtæ proſternunt.

L & M.

Subcontraria.

Sunt ſimul veræ iſtæ propoſitiones.

L. *Non eſt probabile rem non eſſe*

M. *Non eſt dubium rem non eſſe.*

quod enim certum, nec probabile nec dubium eſt. Sed non poſſunt eſſe ſimul falſæ, nihil enim ſimul & probabile & dubium eſſe poteſt. Inter has igitur propoſitiones erit ſubcontraria Oppoſitio.

M. *Non Dubium, rem non eſſe.*

De particula Non Moralibus Modis præpoſita.

SVmitur etiam hic *Non dubium* ut ab *Indubio*, ſeu *Indubitato* condiſtinguitur: & opponitur contradictoriè *Dubio*. Et hic univerſaliter notandum eſt particulam *Non* quæ Modis præfigitur non eſſe infinitantem, ſed negantem, & non poſſe cum *In*, quæ in compoſitione eſt particula negativa, confundi. Sed neque ſemper *Non* infinitans cum illa convertitur: nam *Non ſanus*, non ſonat idem ac *Inſanus*, &c.

NOTA.

An exibuerimus omnes Moralium Modorum poſſibiles combinationes?

DEdimus omnes poſſibiles combinationes: nam, ſi v. gr. L & B, non reperias in L, tranſi ad B, & ibi reperies B & L: nos enim in hac Modorum dilucidatione literam, quæ priorem in Abecedario locum occupat, juſſimus antecedere.

De Conſequentiis Modalibus.

Quo modo alia Modales ex aliis deducantur?

NEgativæ ſunt, ſi ſit affirmativum antecedens: &, ſi negativum, affirmativæ.

Copulativæ ſunt, ſi ſit affirmativum antecedens, & ſi negativum disjunctivæ. Ob oculos pono præcipuas.

Eſt certum. Ergo nec eſt probabile, nec dubium.

Eſt probabile. Ergo nec certum, nec dubium.

Eſt dubium. Ergo nec certum, nec probabile.

Non eſt certum. Erit igitur vel probabile, vel dubium.

Non eſt probabile. Erit igitur vel certum vel dubium.

Non eſt dubium. Erit igitur vel certum, vel probabile.

Trilemma tranſit in Dilemma, ut vidiſti: & potes pergere, & ad lemma determinatum pervenire, ut ſi dicas. *Propoſitio hæc, aut certa aut probabilis, aut dubia eſt. At non eſt certa; ſupereſt igitur, ut probabilis, aut dubia ſit. At ipſa non eſt dubia; ergo eſt probabilis.* Et ſimili diſcurſu poteris de Modis cæteris dialecticari.

SECTIO X.

De Oppoſitione Modalium Virtualium.

Quomodo opponantur Virtualia?

DE Virtualitatibus jam ſupra diſſeruimus; ſupereſt, ut de earumdem hic oppoſitione diſſeramus. Sequentes Propoſitiones contempleris.

A. *Petrus civiliter eſt Pater.*

B. *Petrus civiliter eſt non Pater.*

C. *Petrus non eſt civiliter Pater.*

D. Ioannes eſt Pater adoptivus (civilis ſeu virtualis.)

E. Ioannes eſt Pater non adoptivus (civilis, ſeu virtualis.)

F. Ioannes non eſt Pater adoptivus (civilis, ſeu virtualis.)

G. *Franciſcus Iuris fictione vivit* (habet vitam fictam à Iure.)

H. *Franciſcus Iuris fictione non vivit;* (habet non vitam fictam à Iure.)

I. *Franciſcus non fictione Iuris vivit.* (habet vitam, ſed non fictam à Iure.)

K. *Non eſt verum quod Franciſcus Iuris fictione vivat.*

Pater Civilis; quis? Pater Communitatis.

Pater Civilis eſt, qui revera non eſt Pater, & tamen Civilis Iuris virtute, & hypotheſi ita ſe habet, ac ſi Pater eſſet. Et hoc dupliciter poteſt contingere: vel enim ſit Pater hominis realis (Petri, aut Pauli) vel hominis myſtici (communitatis.) Varii ſunt modi, quibus unus præficitur Communitati, ſed communiſſimus eſt electio, quæ vel unam perſonam tantùm eligit, & illa mortua eligit aliam: vel eligit unam ſtirpem, ut mortuo patri filii, & nepotes ſuccedant hæreditariò. Vnius realis perſonæ pater Petrus, verbi gratia, efficitur per adoptionem, vel arrogationem, qui enim non erat Pater, arrogando, vel adoptando hoc conſequitur, ut ita ſe habeat, ac ſi revera Pater eſſet. Sic è converſo Non-pater Civilis ille eſt, qui revera eſt Pater, & tamen Civilis Iuris virtute ita ſe habet, ac ſi Pater non eſſet. Hoc fit per emancipationem: qui enim revera erat Pater, emancipando hoc conſequitur, ut ita ſe habeat, ac ſi revera Pater non eſſet. Dari ergo poteſt, qui nec Civilis ſit Pater,

ter, nec Civilis non Pater. Ergo prima & ſecunda enunciatio (A & B) poſſunt eſſe ſimul falſæ. Prima autem (A) & tertia (C) opponuntur contradictoriè: quia totum, quod in altera aſſeritur, totum id in altera negatur.

Vt propoſitio D. per contradictionem deſtruatur, opus eſt ut negatio afficiat copulam, non verò partem prædicati: & quia in propoſitione E non totum negatur prædicatum, ſed pars; ideò D, & E poſſunt eſſe ſimul falſæ, & neſciunt contradictoriam repugnantiam: nam ſi Ioannes nullum realiter genuerit, & nullum etiã adoptaverit, utraque propoſitio (D & E) erit falſa. Ergo ſolæ D & F ſunt contradictoriæ, & ſeſe reſpiciunt ex diametro.

Iura vitam moralem concedunt.

Dicitur autem moraliter vivere, qui eſt quidem realiter mortuus, ita tamen ſe habet, ac ſi reverà viveret.

Difficilius erit adſignare contradictoriã propoſitionis G. nam, ſi falſa dicatur, *Franciſcus Iuris fictione vivit*, quid negare debemus, ut ſit vera? an vitam? an Iuris fictionem? an utrumque? & hoc quomodo. Pono exemplum. Viri docti œconomiæ domeſticæ ſtudere non ſolent, & quia omnia expendunt, ſemper ſunt pauperes. Moriebantur aliqui Profeſſores Salmanticæ, quin pro libitinis & cerâ neceſſaria relinquerent, & ideò huic inconvenienti Vniverſitas ſumma providentia proſpexit, jubendo ut Cathedratici poſt naturalem mortem menſe vivant, & lectionis ſtipendia faciant ſua, ut vel hinc habeant, ut poſſint ſepeliri decenter. Hæc vita, quæ ipſis conceditur moralis eſt, virtualis eſt: non enim reveta illi vivunt, ſed Vniverſitatis favore & hypotheſi (vel etiam fictione, ſi loqui cum Iuriſtis volueris) ita ſe habent (nempe, quoad ſtipendii receptionem) ac ſi eſſent vivi. Ergo Franciſcum talem vitam habere ſupponamus. Hujuſmodi illi vitam accenſet propoſitio G. Propoſitio autem H. non negat Franciſco iſtam vitam, ſed moralem non vitam (ſeu mortem moralem) adtribuit: quia ſicut per Iuris fictionem (hypotheſim) poteſt, & ſolet fieri, ut qui mortuus revera eſt, cenſeatur vivere: ſic ſimiliter poteſt, & ſolet fieri, ut qui revera vivit, mortuus eſſe cenſeatur: ut in ſolenni profeſſione videre eſt: in illa enim homo moritur virtualiter, ita enim ſe habet, ac ſi realiter moreretur, nam ante profeſſionem, ſicut ante mortem alii ſolent, ipſe condidit teſtamentum; aut, ſi non condidit, poſt profeſſionem bona tranſeunt ab inteſtato. Propoſitio igitur H, non negat Franciſco vitam moralem, ſed moralem non vitam (qualem expoſuimus) adſingit. Poteſt igitur utraque propoſitio (G & H) eſſe ſimul falſa: quia Franciſcus, ſi infans ſit v. gr. nec habebit moralem vitam, nec moralem non vitam. Propoſitio penultima, videlicet, *Franciſcus non fictione Iuris vivit*, videtur reddere hunc ſenſum, *Vivit quidem, ſed non fictione Iuris*; &, ſi ſic accipiatur, non contradicit ipſi G. contradicet autem ſi reddere hunc ſenſum dicatur, *Franciſcus non vivit fictione Iuris*.

Obſcura ſunt Propoſitiones, quæ reduplicationibus onerantur.

Addidi ultimam illam propoſitionem K ut meos Lectores moneam eſſe inretdum aſſertiones nonnullas, aut negationibus, aut reduplicationibus implicatas, quibus vix, aut ne vix quidem contradictoriam adſignes: & in ſimilibus caſibus patet via facilis, & expedita, nam ſi proſter hæc enunciatio, *Petrus in quantum homo eſt non lapis*; & contradictoria petatur, diſcurre ſic.

L. *Petrus, in quantũ homo, eſt non lapis.*

M. *Verum eſt Petrum, in quantum homo eſt, eſſe non lapidem.*

N. *Non eſt verum Petrum, in quantum homo eſt, eſſe non lapidem.*

O. *Falſum eſt Petrum, in quantum homo eſt, eſſe non lapidem.*

Prima & ſecunda (L & M) ſunt æquipollentes: tertia & quarta (N & O) ſimiliter ſunt æquipollentes, & his duabus poſterioribus illæ duæ priores contradictoriè opponuntur.

SECTIO XI.

De Oppoſitione Modalium Moralium:

QVI dicunt, *Bonum ex integra cauſa, Malum ex quocumque defectu*, æquali ratione & jure *Malum ex integra cauſa, & Bonum ex perfectione quacumque*, poſſent dicere. Quod ut intelligas, ſcito Bonum ſicut & Malum in adæquatum, & inadæquatum, ſeu in totale & partiale dividi. Bonum totale, & adæquatum ex integra cauſa eſt, nam ſi in Bono aliquis inveniatur defectus, Bonum illud adæquatum non eſt. Sic etiam Malũ adæquatũ, ex integra cauſa etiã eſt; nã, ſi in Malo aliqua inveniatur bonitas, aut perfectio, Malum adæquatum non eſt.

An Bonum æquè ac Malũ in adæquatum & inadæquatum dividatur?

Quotuplex ſit ipſa totalitas?

Hæc Totalitas vel eſt in omni genere, vel in uno determinato genere. Bonum totale in omni genere eſt Deus: nullum enim eſt genus ubi invenire imperfectionem poſſis, quæ Deo competat. Repugnat autem Malum totale in omni genere: nam vel atrociſſimum peccatum, vel pro materiali diceracttum realem, vel circumſtantiam realem, vel objectum reale, vel connotatum reale; quæ omnia bonitate reali carere non poſſunt. Pono exemplum. Nihil exſecrabilius odio Dei. An hic actus ſceleratiſſimus eſt in omni Entis ge-

De odio Dei.

An in eo aliquid bonis ſit?

genere malus? minimè. Eſt actus realis, ſpiritualis, vitalis, liber, in Deum tendit, legem Divinam violat, &c. ideoque non obſtante moralis malitiæ immenſitate, qua inficitur, in ipſo realitas, ſpiritualitas, virtualitas, libertas; nec non Deitas, in quam tendit; lex, quam violat, &c. bonæ ſunt.


In genere autem motum eſſe poterit actus, qui totaliter bonus ſit; & actus, qui totaliter malus. Actus bonus totaliter, nec ab objecto, nec à circumſtantia aliqua maculatur; & tales fuerunt omnes Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Deiparæ, & aliqui Sanctorum actus. Actus malus totaliter ille eſt, qui ab objecto & à ſingulis circumſtantiis eſt malus: & tales ſunt plerique actus Dæmonum & Damnatorum, qui ſunt obſtinati in peccato. Conſultò poſui illud *plerique*; non enim repugnat in æternæ damnationis ſtatu aliqua moralis actus bonitas, tametſi illa quæcumque ſit ſemper erit extrinſecus deordinata. Opera autem, quæ communiter ab hominibus fiunt, *Sunt mala mixta bonis, ſunt bona mixta malis*; nam in ipſis bonis actibus per aliquam circumſtantiam ſe inſinuat humana fragilitas: & in ipſis malis, hac illac ſe inſinuat Dei miſericordia, & efficacia gratiæ: rarò enim ita gratiæ divinitùs inſuſæ reſiſtitur, ut nihil omninò gratia faciat: nam in ipſo mortali peccato, quando Petrus graviter peccat, tunc ipſe, quòd cũ conſcientiæ remorſu, & intentione agendi pœnitentiam peccet; imò etiam tunc, quod ita & non graviùs exorbitet, debet Divinæ gratiæ.

De Deo, de Chriſto, de Deipara.

An Dæmones, aliter poſſint aliquem actum bonum moraliter?

Cognitio Bonitatis & Malitiæ, adæquatæ, & inadæquatæ conceptu, quomodò inter ſe opponantur, definiamus.

Paradigma morale, Bonitatum actuum conferens cum Malitia.



Opponuntur contrariè.

Bonum totale & Malum totale opponuntur contrariè: non dabitur enim actus, qui totaliter bonus & totaliter malus ſimul ſit: & tamen multi occurrunt quotidie, qui neutrum ſint.

Contradictoriè.

Bonum totale & Malum partiale, nec non etiam Malum totale & Bonum partiale contradictoriè opponuntur: repugnat enim ut qui talis totaliter eſt, partialiter talis non ſit.

Subcontraria.

Si dicamus non dari actus totaliter indifferentes, Bonum partiale & Malum partiale opponentur ſubcontrariè: omnis enim actus vel aliquam bonitatem, vel aliquam malitiam ſortietur, vel utramque. Cæterùm, ſi actus totaliter indifferentes admittamus, ſe habebunt diſparatè: nam dare eleemoſynam ob vanam gloriam erit actus ſimul bonus & malus, & facere rem totaliter indifferentem, erit actus, qui ſimul ſit nec bonus, nec malus. Et hîc obiter nota eſſe Quæſtionem diverſam, quæ inquirit, *An dentur actus indifferentes in ſpecie?* ab illa quæ inquirit, *An dentur in individuo?* & utraque ab illa, quæ examinat, *An dentur actus totaliter indifferentes?*

An dentur actus indifferentes.

An etiam qui ſimul boni & mali ſint?

Bonum partiale vel ſumitur præciſivè vel excluſiuè: ſi præciſivè, ſe habere partem dicit, non autem negat aut aſſerit ſe habere compartem: ſi excluſivè, ita ſe habere partem dicit, ut neget ſe habere compartem. Si accipiatur, ut accipi debet, priori ſenſu Bonum partiale Bono totali [& ſimiliter Malum partiale Malo totali] debet ſubalternari. Si accipiatur in poſteriori ſenſu, ceſsat ſubalternatio, & oppoſitio ſuccedit: & hoc non eſt hic ſpeciale, nam tametſi hæc, *Aliquis homo eſt albus*, ſubalternetur huic, *Omnis homo eſt albus*: huic ipſi non ſubalternatur hæc. *Tantùm aliquis homo eſt albus.* poſtulat enim ſubalternatio ut ſyncategorema *Aliquis*, præciſivè, & non excluſivè ſumatur.

Partiale Boni debet bifariam accipi.

SECTIO XII.

An duæ Contradictoriæ in Moralibus ſint ſimul veræ?

De materia & forma propoſitionum.

PRopoſitio poteſt dupliciter conſiderari; materialiter, formaliterque. Conſideratur materialiter, quando ſecundum voces materiales, quas habet: formaliter, quando ſecundum veram & legitimam ſignificationem.

In quo conſiſtat contradictio?

Sit Concluſio. *Duæ Contradictoriæ non poſſunt ſimul eſſe veræ.* Patet; quia Contradictio non verſatur inter materialia vocum corpora, ſed inter ſignificationes: debent enim eſſe duæ propoſitiones ſingulares, quarũ omnes & ſingulæ voces in eadem ſignificatione accipiantur, & tamen in altera copula ſit *eſt*, in altera verò *non eſt*; ut cum dicimus,

Petrus eſt animal.

Petrus non eſt animal.

Si eadem omninò maneat ſignificatio, etſi mutentur voces, manet contradictio: ut

Petrus eſt animal

Hic Homo (deſignato Petro) *non eſt vivens ſenſibile.*

Æquivocatio tollit contradictionem.

Manentibus eiſdem materialibus verbis, ſi tamen ſignificatio mutetur, nulla eſt contradictio. In his enim,

Aries eſt ſenſibilis.

Aries non eſt ſenſibilis.

Si Aries ſumatur diverſimodè (in altera pro animali, & in altera pro militari machina) tolletur contradictio: nam, ſi in affirmativa Aries ſit animal, utraq; erit vera: Si in negativa, utraq; falſa.

An univerſalis particulari contradictoriè opponatur?

Hæ Propoſitiones.

Omnis homo eſt rationalis

Aliquis homo non eſt rationalis.

& ſimiliter hæ,

Nullus homo eſt rationalis.

Aliquis homo eſt rationalis.

dici ſolent Contradictoriæ: quia nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ poſſunt eſſe: at non ſunt ejuſdem de eodem (*Omnis* enim non eſt *Aliquis.*)

Et cur?

Sed, cur Contradictoriæ nominantur? quoniam, qui illas admittat, duas Contradictorias admittet: ut in Philoſophia Rationali uberius oſtendi: & hanc ob rem dicere poterimus illas eſſe *Contradictorias* radicaliter. Interim ex dicendis adnotato, illud Syncategorema *Aliquis*, vel ſumi præciſivè, vel negativè: ſi primum, lex contradictionis obtinet, non enim hæ propoſitiones, aut erunt ſimul veræ, aut ſimul falſæ: ſi ſecundum dicatur, nihil certi ſtatuetur: nam hæ duæ

Et quid, ſi in particulari ſignum aliquis negativè ſumatur?

Omnis ſubſtantia purè humana habuit peccatum.

Aliqua (tantùm) *ſubſtantia purè humana peccatum non habuit.*

nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ ſunt: Adamus enim & Eva, etſi originale non habuerint, actualibus ſunt maculati: cæteri in originali ſunt concepti, & etiam gravia aut levia commiſerunt actualia, ubi ad uſum rationis pervenerunt: & ſola Angelorum Regina ab omni culpa fuit, tàm actuali, quàm originali præſervata. At in his nulla invenitur contradictio:

Omnis homo eſt albus.

Aliquis (tantùm) *homo non eſt albus.*

Prima eſt falſa: nam Æthiopes homines ſunt, & tamen ipſi albi non ſunt. Sed & ſecunda etiam eſt falſa, non enim aliquis tantùm, ſed multi & multi in Mundo homines ſunt, qui non ſint albi.

Ut ſit affirmatio & negatio ejuſdem de eodem ſecundum idem, in omni Oppoſitione requiritur.

Non autem eſt affirmatio & negatio ejuſdem, quando una & eadem vox, in uno ſenſu aſſeritur, & in alio negatur.

QVando mutatur alicujus vocis ſignificatio, tollitur contradictio: id jam dixi: cæterùm tametſi multis modis contingat mutari ſignificationem verborum: at gratias & acumina invenies quoties diſertè ex reali ſignificatione ad virtualem ſive moralem tranſeunt. Ponam exempli loco Doctoris Melliflui Epitaphium, in quo multa invenient, quæ diſcant Logici, quæ imitentur Aſcetæ.

S. Bernardi Mellifluí Doctoris Epitaphium.

MIra loquar: ſed digna fide. *Bernarde quid hoc eſt?*
Vivis adhuc? Vivo. *Non ergo es mortuus?* Immò.
Et quid agis? Requieſco. *Taces, an faris?* Vtrumque.
Cur retices? Quia dormio. *Cur loqueris?* Quia vivo.
Quid loqueris? Sacra myſtica. *Cui?* Mea ſcripta legenti.
Num cunctis? Non. *Ergo quibus?* Qui dulcia quærunt.
Nomen habes? Ita. *Quod?* Bernardus. *Num ſine cauſa?*
Non. *Dic ergo quid hoc eſt?* Bernardus, bona nardus.
Cur Nardus? Quia fragro. *Quo fragumine?* dulci.
Cui fragras, & ubi? Lectori, codice ſacro.
Quod cognomen habes? De Claravalle. *Manes hic?*
Manſi, ſed modò non. *Vbi nunc?* In vertice Montis.
Qualis eras in valle manens? Humilis. *Modò quantus?*
Major nunc ſurſum, quantò minor ante deorſum.
Nonne tui quicquam vallis tenet? Oſſa. *Quouſque?*
Donec cœleſte fiat terreſtre cadaver.
Hoc quando fiet? Omnis caro quando reſurget.

[Cœ]leſte habet [a]nimam lon[gu]m ob caſu[m] [...]am.

Antitheſes.

Sunt pulchræ Antitheſes, *Vivo*, Non *vivo. Sum mortuus*, Non *ſum mortuus. Ago, Quieſco. Taceo*, Non *taceo. Loquor*, Non *loquor. Maneo*, Non *maneo. Fui humilis, Sum excelſus. Fui major, Sum minor.*&c. Dicitur *de Claravalle*, ab Abbatia, quam rexit; non à Religione, quam fuit profeſſus: eſt enim Ciſtertienſis, quæ Ordinis Benedictini eſt Congregatio, Reformationis decus & ornamentum.

Similiter, ſi ſyncategoremata ſumantur moraliter, tollitur contradictio. Conſidera Poſitiones ſequentes.

Si ſignum univerſale ſumatur moraliter, tollitur contradictio.

Omnes Iudæi jubentur occidi. Eſth.19.

Eſther non jubetur occidi.

Omnes filii Adam fuerunt in peccato concepti.

Maria non fuit in peccato originali concepta.

Quoniam ſyncategorema Omnes moraliter ſumptum eſt Fere omnes.

Omnes, quos gratia habitualis afficit, filios Dei adoptivos reddit.

Chriſtum gratia habitualis afficit, & tamen Dei filium adoptivum non reddit.

Sunt omnes veræ; nã ſignũ *Omnes* ſumitur moraliter, & idẽ ſignificat, ac *Fere omnes*.

Ioannis 1.c.

Sacerdotes & Levitæ ad Ioãnem Baptiſtam leguntur.

ADdam aliud exemplum. Teſte Evangeliſta, qui in ultima cœna ſupra Domini pectus recubuit, Sacerdotes & Levitæ à Iudæis miſſi ex Hieroſolymis venerunt ad Iordanem, ut quiſnam ibi pœnitentiam prædicaret, & confluentem populum baptizaret, inquirerent. Tria interrogarunt. (1.) An eſſet Chriſtus? (2) An eſſet Elias? (3) An eſſet Propheta? Et ad omnia ille tria reſpondit, *Non ſum.*

Quid inquirerent?

Ioannes non fuit Chriſtus.

Circa PRIMAM reſponſionem nulla ſuccurrit difficultas, quoniam ipſe non erat Chriſtus, & ideò *confeſſus eſt, & non negavit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.*

An fuerit Propheta?

Circa TERTIAM occurrit gravis difficultas, nam D. Ioannes erat Propheta. Ergo ſe non eſſe Prophetam aſſerendo, falſum dixit, vel habemus duas Contradictorias (*Ioannes eſt Propheta*, *Ioannes non eſt Propheta*) ſimul veras.

Hanc difficultatem dilucidavi ſuperiùs in Morali Grammatica, quoniam tametſi hæ ſint contradictoriæ

Si fue Propheta?

Ιωάννης ἐςὶ Προφήτης.
Ιωάννης οὐκ ἐςὶ Προφήτης.
Ioannes eſt Propheta.
Ioannes non eſt Propheta.
Iuan es Propheta.
Iuan no es Propheta.

in his autem nulla invenitur contradictio; ſunt enim omnes veræ.

An fuerit ὁ Προφήτης

Ιωάννης ἐςὶ Προφήτης.
Ιωάννης οὐκ ἐςὶ ὁ Προφήτης.
Ioannes eſt Propheta.
Ioannes non eſt ipſe Propheta.

Si fue el Propheta?

Iuan es Propheta.
Iuan no es el Propheta.

Sed de hoc uberiùs *in Grammatica Morali, art.1.*

An Ioannes fuerit Elias?

Circa SECVNDAM major eſt difficultas: hæc enim Propoſitio, *Ioannes eſt Elias*, in Sacra Pagina eſt vera; ergo Ioãnes, quando dixit, *Non ſum*, vel falſum adſtruit, vel dantur duæ Contradictoriæ ſimul veræ.

S. Gregorius Papa *homil. 7. in Evang.* negat has propoſitiones

Ioannes eſt Elias.
Ioannes non eſt Elias.

eſſe contradictorias: non enim ſunt ejuſdem de eodem ſecundum idem. Ipſum audiunto. *Cùm ex lectione alia*, inquit S. Doctor, *Redemptoris noſtri ſententia ad mentem reducitur, ex hujus lectionis verbis nobis quæſtio valdè implexa generatur. Alio quippe in loco inquiſitus à Diſcipulis Dominus de Eliæ adventu, reſpondit*, Elias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eum quæcumque voluerunt, & ſi vultis ſcire, Ioannes ipſe eſt Elias. *Requiſitus autem Ioannes dicit:* Non ſum Elias. *Quid eſt hoc fratres cariſſimi, quia quod Veritas affirmat, hoc Propheta veritatis negat? Valdè namque inter ſe diverſa ſunt.* Ipſe eſt: *&* Non ſum. *Quomodo ergo Propheta Veritatis eſt, ſi ejuſdem Veritatis ſermonibus concors non eſt? Sed ſi ſubtiliter veritas ipſa requiratur, hoc quod inter ſe contrarium ſonat, quomodo contrarium non ſit, invenitur. Ad Zachariam namq; de Ioanne Angelus dicit:* Ipſe præcedet ante illum in Spiritu & Virtute Eliæ. *Qui idcircò venturus in Spiritu & virtute Eliæ dicitur, quia ſicut Elias ſecundum Domini adventum præveniet, ita Ioannes prævenit primum. Sicut ille præcurſor venturus eſt Iudicis, ita iſte præcurſor eſt factus Redemptoris. Ioannes igitur in ſpiritu Elias erat, in perſona Elias non erat. Quod ergo Dominus fatetur de Spiritu, hoc Ioannes denegat de perſona.*

Propoſitur Quæſtio.

Ioannes in ſpiritu fuit Elias, in perſona autẽ non fuit Elias.

PRo coronide hujus Sectionis placet addere Epiſtolam ſub annum 1640. Bruxellis ad D. Godefridum Vendelinum miſſam, quam poſt Præterintentionalem Theologiam pag. 190. poſui: & quia videtur Contradictionum plena, poterit hic reponi, & exponi. Sic Ego ibi.

De mirabili Libro, qui apud Excellentiſſimũ Principem de Ligne aſſervatur.

Dies diei doctior Wendeline doctiſſime *Ars hodie audentior & hominum induſtria felicior. Viderit Vetus ætas Homerum in nuce ſphæras omnium Planetarum in vitro, maneat illam ſua laus, modò primas deferat noſtra, quæ Architecti Herculis columnas prætergreſſa, auſa fuit dicere* Plus ul-

ultà

trà. *Multa hodie Antuerpia, utriuſq; orbis emporium, ex Sina, ubi ſol naſcitur; ex America, ubi pacifico tumulatur Oceano, inviſa & rara oſtentat; quæ quia apud Philophyſicos videris, non recenſebo.* Ilias *ſit prodigiorum ſolius Domini Edeleetij Muſeum, in quod Indicarum divitiarum copiam manu liberali, vel prodiga Auſtralis Amalthea profudit: at hodie hic, hic Bruxellis,* Neſcio quid majus naſcitur Iliade. *Et quid? Mirus apud Principem de Ligne liber, quem deſcribo.*

Qualis ille ſit?

Sunt in ipſo literæ, quæ abierunt, imò quia abierunt: ſunt, quæ non ſunt; quæ nihil ſunt: quoquo velis colore in oculos humanos incurrunt, quia nullo colore tinguntur. Eſt Sanè Divinæ Sapientiæ character, videre ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, *& ibi attributi hujus umbra hominibus communicatur. Dubiteat in noſtra univerſitate Philoſophi, an mente poſſit,* nihil *concipi, an* Carentiæ & rerum Privationes *intelligi: hic Artis ingenioſæ prodigio,* Abſentiæ, Carentiæ, Privationes *oculis corporeis conſpiciuntur, imò & leguntur. Vt vidi, in admirationem effuſus, ſumpſi calamum, & Apollinis extemporanei influxui cedens numeros ſequentes ſcripſi.*

Extemporaneū Hexaſtichū ad ejus laudem.

Grammata quod tereti, tot ſunt miracula libro,
Nam quas nos legimus, non habet ille notas.
Hic quocumque velis eſt littera tincta colore;
Cur? quia nullius ſigna coloris habet.
Cerno characteres, nullus nam in fronte character
Qui non ſunt video, nam color omnis abeſt.

videbis eadem cras, & quia doctior eloquentiorq; nobilioribus numeris celebrabis. Te exſpectat Princeps; Tui, ſicut omnium Illuſtrium Virorum amantiſſimus. Fac venias: & admirationes appara, quas pendas; laudes, quas eroges; tabellam, quam appendas; numeros, quos inſcribas. Vale.

Regulus difficultatis hic eſt Erat apud Excellentiſſimum Principem de Ligne pulcher & pretioſus libellus, erant characteres exciſi, non inciſi. v. g. in charta mundâ & nitidâ ſcribe has literas, LAVS DEO. & poſtcà cultello ſubtiliſſimo omnia, quæ ſunt nigra excîde, quin auferas vel minimam particulam albam, & tunc illîus libelli mirabilis habebis ſpecimen.

Explicatur.

Ibi manebunt literæ, quæ abierunt: erunt, quæ non ſunt; immò, quæ nihil ſunt, nam cum poſt chartam exciſam, nihil in literæ corpore manſerit, illæ literæ profectò ſunt nihil. Nullum illæ literæ colorem habent, & tamen omnem, ſi velis habent, nam ſi ſerico nigro ſuperponas, erunt nigræ: ſi aureo, aureæ; ſi rubro, rubræ; virides, ſi viridi: &c. Et profectò in libello illo multa erant mirabilia: primò enim literæ, nam erant quantæ character ille, quem *Sylvium* Typographi nominant: ſecundò erant Sanctorum Icones, perfectiſsimè expreſsæ, in quibus eadem arte erant exciſæ lineæ: addebat admirationem tertiò ipſe foliorum numerus, nam labor improbus potuiſſet unum aut alterum excidere; at tot & tam pulchra, non potuerunt magna patientia, nimioq; temporis diſpendio excidi. Et quidem tanti (& meritò) fiebat hic libellus à Principe, ut Camerario, quem miſerat Infans Cardinalis, qui cum optabat videre, noluerit credere: ſed ipſemet ſecum ad palatium contulerit: & rogatus ut ad Regem mitteret, ſe urbaniſsimis verbis excuſavit, ex hac vel illa cauſa impotentiam oſtendens; tandem non miſit, quia re tam pulchra exſui non voluit.

Cur illius Libri literæ ſint nihil?

Cur nullius coloris ipſæ ſint & tamen omnium colorum eſſe ſoleant?

SECTIO XIII.

Iterum de Contradictoriis.

Vtrum ſit infelicitas felix poſſibilis?

PErilluſtris D. Levichius, *non fuiſſet fœlix, niſi infelix fuiſſet.* Ergo de illo non ſolùm duo Oppoſita verificantur videlicet

D. Levichius fuit infelix.
D. Levichius fuit felix.

Sed alterum alterius fuit cauſa; videlicet,

Quia D. Levichius fuit infelix,
Ideò D. Levichius fuit felix.

Deus interdum clementiſſimè diſponit, ut mala etiā cooperentur in bonum.

Studuerat Iuri, agebatque Pariſiis cauſas in tribunalibus. Et dum altercaretur cum partis contrariæ Advocato, unum *Nego antecedens*, verſum in *Tu mentiris*, præbuit duello occaſionem, in quo Levichius alterum Advocatum occidit. Habebat cognatos divites, & potentes occiſus, & coactus occiſor è Gallia fugere, ſuæ vitæ proſpexit in Belgio: in quo nomen dedit militiæ, & tam generosè, & ſtrenuè ſub Principe Alberto proceſſit, ut ad magnas dignitates evectus avita Majorum ſuorū Stemmata exornarit hoc Lemmate, *Ab infortunio fœlix.*

Nego antecedens, *naturæ humanæ infirmitatem incuſat: eſt enim idem ac* Tu deciperis, *& hominum errare eſt. At verò* Tu mentiris, *loquentis conſcientiam & malitiam incuſat, quod ſciens & volens audent veritatem negare. Et ideò illud honorem non tangit, hoc evellit. Illud licitè dicitur, hoc à pendentibus nō toleratur.*

Idem jam olim D. Manriquo de Lara accidiſſe in Comœdia, quæ inſcribitur, *Como han de ſer los Amigos.* Tirſus de Molina *lib. 1. pag. 15 r. Cigarralium* recenſet: nam D. Manriquus ob privatas ſimultates & inimicitias in Galliam profugus,

Digitized by Google

ad D. Gaſconem Foxii Comitem divertii. Et Comes gaudio ſuffuſus ſic exclamat.

Dominus Mãrique de lara, vulgò el Torneador, Heros in Hiſpania notiſſimus.

D. Gasc. *Valgame el Cielo. En mi caſa*
Tengo al Conde Don Manrique?
Su dicha el alma publique
Pues tan adelante paſſo.
Deſde oy famoſo Eſpañol,
Conoſciendo la ganancia,
Que he de tener con vos Francia
Embidia me tendra el Sol.
Pues yo ſe del que ſe honrara
La luz de ſu quarta Esfera,
Si por ſu gueſped tuviera
A Don Manrique de Lara.
Mas pues yo ſolo mereſco
La honra, que me aveis dado,
La vida, hazienda, y eſtado,
Con los braços os ofrezco.
D. Manriq. *Eſſos eſtimo de modo,*
Que el pecho que los recibe,
Se honrara en ver que en vos vive
El valor de Francia todo.
Con ellos, y ſi haſta aqui
Contra la fortuna ayrada,
De mi deſdicha paſſada
Quexas inutiles di;
Ya famoſo don Gaſcon
Sus rigores agradeſco,
Pues que por ellos merezco
Veros en eſta occaſion
Pues ſi quanto havia perdido,
En vueſtra amiſtad he hallado,
Sino fuera deſdichado,
Deſdichado huviera ſido,
Perdiendo el no conoceros.
D. Gasc. *Ya yo ſe, que en corteſia*
Venceis, como en valentia
A los demas Cavalleros.

Fuit fœlix quoniam infœlix fuit.

Concludit ergo D. Manriquus, dicens, *Si no fuera deſdichado, deſdichado huviera ſido*, hoc eſt, *Si non fuiſſem infelix, fuiſſem infelix.*

Verba Eccleſiæ digniſſima ponderatione.

Hæc doctrina eſt generalis, & in prima Theologiæ fundamenta ſe inſinuat: nam die Sabbati Sancta in Eccleſia ad Cerei benedictionem cantatur, *O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt. O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* Homo igitur eſt ab infortunio fœlix: & niſi fuiſſet infœlix, modò fœlix non eſſet. Si non peccaſſet Adam, Verbum Æternum carnē humanam non ſumpſiſſet. Sic Angelicus Doctor, & tota Eccleſia Thomiſtarum definit. Peccavit homo: æterna merebatur ſupplicia: ſed Deus, qui cum iraſcitur, miſericordiæ recordatur, eum dignatus eſt adjuvare & redimere, & Redemptionis fœlicitatem non habuiſſet, ſi non peccaſſet.

Ideò homo fœlix eſt, quòd fuerit infœlix.

Portò hæ propoſitiones, *Fuiſſem, Non eſſem*; & *Eſſem, Non eſſem*: nec non *Non fuiſſem, Eſſem*, & *Non eſſem, Eſſem*; ſibi non contradicunt: nam ſunt de diverſis temporibus, & caſus diverſos afficiunt.

Contradictionem tollit temporis & caſus mutatio.


SECTIO XIV.

De Humanorum Actuum Oppoſitione.

In quonam ſita ſit actuum humanorum oppoſitio?

PRopoſitiones omnes, actus ſunt intellectus; & ideò poſtquam de Propoſitionum Oppoſitione, & Æquipollentia diſputavimus, de aliorum actuum intellectus voluntatis, &c. Oppoſitione, & Æquipollentia diſſeramus. Hic jam non quæritur, an in veritate, aut falſitate, ſed an in exiſtentia opponantur? Et, ne multis te onerem, placet de *Aſſenſu*, & *Diſſenſu*; *Volitione*, & *Nolitione*; *Affirmatione*, & *Negatione*; *Occultatione*, & *Revelatione*, &c. breviter impræſentiarum diſputare.

Ne hoc Paradigma plures cogeremur reponere, quatuor in unicum congeſſimus, quæ diſtinximus numeris, ut ſciat lector, quænam termini ad ſingulos ſpectent.



PRI-

De Aſſenſu & diſſenſu.

PRimi actus, qui conſiderantur, & notantur ſigno (1) ſunt *Aſſentior, Diſſentio, Non aſſentior, Non diſſentio*: quorum priores ſunt poſitivi, & poſteriores negativi.

Porrò *Aſſenſus*, & *Non-aſſenſus circa idem objectum* ſunt termini contradictorii, nec de abſoluta Dei potentia poſſunt ſimul in eodem intellectu coexiſtere. Et in hoc nemo unquam reperit difficultatem. Sed neque poſſunt ſimul abeſſe. Hæc enim eſt contradictoriorum terminorũ natura, ut ſi alter adſit, alter abſit omninò: nec poſſint, aut ſimul adeſſe, aut abeſſe. Et eodem modo de *Diſſenſu* & *Nondiſſenſu* debebimus philoſophari.

Non-aſſenſus, & *Non-diſſenſus circa idem objectum* poſſunt ſimul adeſſe, qui enim dubitat, nec aſſentitur, nec diſſentit.

An dubius in Fide ſit hæreticus.

Quid ſit Hæreſis?

Petis, *An, qui dubitat de veritate Propoſitionum Fidei Chriſtianæ, ſit Hæreticus?* Antonius Cotonius *in ſumma. verb. Hæreſis. num. 1. &* 2. reſpondet dicens. [Hæreſis eſt error hominis Chriſtiani in rebus Fidei cum pertinacia. Vt ergo quis ſit Hæreticus, requiritur primò error in intellectu: quamvis enim extrinſecus Dœmonem colat, aut quotcumque actus hæreticos exerceat, ſi benè credit, non eſt hæreticus; quamvis, quia hæc crimina indicant internum errorem in Fide, poſſit ab Inquiſitoribus puniri, ut dicemus *verb. Inquiſitorum Iuriſdictio in qua delicta?* an verò à ſimplici Confeſſario abſolvi poſſit è dictum eſt *verbo. Abſolvere ab hæreſi*. Vide Dianam *part. 1. tract. 5. reſol. 1. & par. 4. tract. 4. reſol. 240. in fin.* Error autem intellectus debet eſſe cum aſſenſu poſitivo; hæreſis enim eſt erroris electio: unde dubius in fide non eſt hæreticus poſitivè, ſed tantùm privativè, quatenus caret aſſenſu Fidei. Et ita intelligi debet authoritas Stephani Papæ *in cap. 1. de Hæretic.* ut ſatis probabiliter, & tutè explicant Puteanus *in 2. 2. qu. 11. art. 2. dub. 2.* & alii contra Fabrum *de Sacram. Ordinis. diſt. 25. qu. 5. diſp. 3. cap. 4. num. 112.*] Ego autem cum Fabro pronuncio eum, qui de veritate Fidei Chriſtianæ dubitat, hæreticum eſſe poſitivè: tam enim injurius infinitæ Dei veracitati, qui dicat, *Falſum eſt Deum eſſe trinum*, quàm ille qui dicat, *Dubium eſt Deum eſſe trinum*; quoniam infinita veracitas, ſicut omnem falſitatem, ſic etiam omne dubium excludit. Nec hoc negat Cotonius; nam ſibi contrarius ſubjungit eſſe nimirum hæreticum poſitivè dubitantem, quando ſupra dubium reflectens eliceret judicium erroneum ſpectans *res Fidei eſſe ſolum probabiles*; & citat Dianam *part. 2. tract. 19. reſol. 51.* Ergo, ſi poſitivè eſt Hæreticus, qui dicit, *Merè probabile eſt Deum eſſe trinum*; etiam erit à fortiori Hæreticus poſitivè, qui dicat, *Dubium eſt Deum eſſe trinum*; nam magis certitudini opponitur Dubium, quàm Probabilitas. Videtur Cotonius Dubium cum Animi Suſpenſione confundere: nam Suſpenſio in actus carentia conſiſtit, ac Dubium eſt actus poſitivus, cum carentia Aſſenſus, & Diſſenſus neceſſariò connexus. Hanc differentiam inter animi Suſpenſionem, & Dubium, clariſſimè voces exponent. Suſpendit linguam, qui tacet: dubitat lingua, qui *Vtrumque eſt incertum*, pronunciat. Ergo ſuſpendit mentem, qui neutrum cogitat: mente autem dubitat, qui utrumq; eſſe incertum affirmat. Porrò, quia præcepta in poſitiva, & negativa dividuntur; &, ut ſcitè docet S. Thomas *1. 2. qu. 33. art. 2.* negativa omni, poſitiva nonniſi determinato tempore obligant; hinc eſt eſſe circa Fidem duo præcepta: nempe *Crede*, & *Ne decrede*; hoc eſt negativum, & ſemper obligat: illud eſt poſitivum, & non ſemper obligat: nam licet nullo tempore poſſis Fidei poſitiones decredere, non tamen ſemper debes actu illas credere, ſed potes licitè alias res cogitare, quando credendi præceptum non inſtat. Hæc doctrina eſt generalis, & ad alias materias extenditur: nam, ſi agamus de Præcepto, *Non concupiſces*, tametſi nunquam poſſis concupiſcentiæ aſſentiri, non tamen ſemper teneris poſitivè diſſentire, niſi fortè per accidens ex diſſenſus carentia in conſentiendi conſtituaris periculo; tunc enim per accidens poſitivè diſſentire teneris: nam propter hoc periculum malæ cogitationes, *ut attigerunt animum, reſpui debent*; ut ait S. Auguſtinus *libr. 12. de Trin. cap. 12.* Vide Ludovicum Abelly *in Medulla Theol. par. 2. tr. 2. cap. 2. ſect. 5. pag. 291.*

Quæ à Deo dicta ſunt certa: & eadem nec dubia nec parò probabilia eſſe poſſunt.

Non ſuſpendit animum, qui dubitat: ſed actum poſitivum elicit.

Præcepta circa Fidem ſunt duo.

An debeas ſemper poſitivè concupiſcentiæ contradicere?

Tandem *Aſſenſus*, & *Diſſenſus circa idem objectum*, in eodem intellectu ſimul eſſe non poſſunt: & tamen ſimul abeſſe poſſunt.

Aſſenſus & Diſſenſus opponuntur contrariè.

Quæ contrariæ qualitates dicantur?

Hinc patet Oppoſitionem inter Aſſenſum & Diſſenſum eſſe in coexiſtentia, non autem in abſentia: & ideò eſſe contrariam phyſicè: nam contraria phyſica apud Ariſtotelem ea ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubjecto mutuò ſe expellunt: Oppoſitionem verò inter *Non-aſſenſum*, & *Non-diſſenſum* non eſſe in coexiſtentia, ſed in abſentia tantùm. & ideò poſſe phyſicè Subcontrariam vocari: illamque, quæ inter Aſſenſum, & Non-aſſenſum, nec non inter Diſſenſum, & Non-diſſenſum eſſe adæquatam (in coexiſtentia, & abſentia) adeoq; eſſe realiter contradictoriam, Sup-

An Aſſenſus & Diſſenſus differant formaliter: an objectivè?

Supponit totus iſte diſcurſus Aſſenſum & Diſſenſum eſſe duos actus poſitivos, & diſtinctos ſpecie, ut eum Ariſtotele communis opinio fatetur; nam, ſi cum Herenle Logico Diſſenſus formales negemus, & differentiam ab objecto ſumamus, ita ut Aſſenſus ſit *Puto rem eſſe*, Diſſenſus verò, *Puto rem non eſſe*; in præcedentibus nonnulla alterare deberem: ſed volui in gratiam mei Lectoris communem tenere doctrinam, & juxta illam diſcurrere, & dialecticari.

An Volitio, & Nolitio differant formaliter; an objectivè?

SECUNDO loco alios quatuor actus proponam, qui notantur hoc ſigno (a) videlicet, *Volo, Nolo, Non-volo, Non-nolo*; quorum duo priores poſitivi,& duo poſteriores negativi, hoc eſt, actus carentiæ puræ ſint. Et etiam hic *Velle* & *Nolle* duos actus poſitivos, & oppoſitos eſſe ſuppono, quod etiam opinabatur Vlpianus *lib.3. ad Sabinum*; cum dixit, *Ejus eſt non nolle, qui poteſt velle*: cui lex 4.*de adquir. hæred.* conſonat. Nam ſi *nolle* eſſet *non velle*, tunc *non nolle* eſſet *non non velle*; & quia duæ negationes ſe elidunt, & affirmationi æquipollent, eſſet *velle*: &

Duæ negationes affirmant.

Regulæ eſſet ſenſus, *Ejus eſt velle, qui poteſt velle*; & tunc non eſset doctrinalis, ſed fere identica.

Eamdem rem eodem ſenſu, idem homo non poteſt ſimul velle,& non velle.

Porrò *Volitio*,& *Non-volitio* (volitionis carentia) nec non *Nolitio* & *Non-nolitio* (nolitionis carentia) ſi agatur de eodem objecto, ſunt termini realiter contradictorii; &, ne quidem de abſoluta potentia Dei, poſsunt ſimul eſse,aut ſimul abeſſe ab eadem Humana voluntate, aut Angelica. Sed contra ſic argumentaris. Datur caſus, in quo aliquis velit & nolit ſimul: nam, quæ quis ex ignorantia, aut metu facit, facit quia vult: non enim faceret, ſi nollet illa facere: interim à Iuriſconſultis in omni tribunali judicantur non velle. Ergo aliqua ſunt volita,& non volita ſimul. Aſsumptum probas: nam ſunt duæ in Iure Regulæ, quæ illud important. Prima eſt. *In totum omnia, quæ animi deſtinatione agenda ſunt,non niſi vera & certa ſcientia perfici poſſunt*. Ita Papinianus (vel certè Pomponius) *lib.24.q.* Cui conſonat Paulus *lib. 35. ad Edict.* dicens. *Quidquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur,non priùs ratum eſt,quam ſi perſeverantia apparuit Iudicium animi fuiſſe. Ideoque brevi reverſa uxor, nec divertiſſe videtur*. Secunda Regula eſt, *Nihil conſenſui tam contrarium eſt (qui bonæ fidei judicia ſuſtinet) quàm vis aut metus: quem comprobare contra bonos mores eſt. Non capitur, qui jus publicum ſequitur. Non videntur, qui errant,conſentire*. Vlpianus *lib.11. ad Edict.* & eruitur ex titul. *de his, qui vi, metus-ve cauſa*. Et agit de metu gravi, qui in conſtantem virum caderet, quoniam *vani timoris juſta excuſatio non eſt*, ut benè ait Celſus *lib.7.Digeſt.*& ediſſeritur *leg.ſi quis ab alio. De re judic.* Stat igitur eumdem hominem eamdem rem velle & non velle ſimul. Reſpondeo diſtinguendo hoc conſequens: & quidem eumdem hominem, eamdem rem, eodem ſenſu ſimul velle, & non velle nego: in ſenſu diverſo, concedo. Nec contrarium textus allati oſtendunt. Qui enim ex ignorantia, aut gravi metu aliquid vult, illud realiter vult, & in ſenſu reali eſt falſum dicere *Non vult*. At ipſe in ſenſu virtuali id non vult, quia prudentum æſtimatione ita ſe habet, ac ſi nollet; & ideò in ſenſu virtuali ſic ut eſt verum dicere, *Non vult*. Ita eſt falſum dicere, *Vult*.

De Volitionis & Nolitionis carentia.

Præterea *Non volitio*, & *Non-nolitio* (Volitionis, & Nolitionis carentiæ) coexiſtere in eadem voluntate poſsunt: at ſimul abeſſe non poſſunt. Quoniam quando hæc ſcribebam,Romæ non recordabar, adeoque nec volebam, nec nolebam illam Vrbem adire.

An, & quomodo eſſe poſſint in homine voluntates contrariæ?

Tota tandem eò vertitur difficultas,ut exponam, an *Volitio*, & *Nolitio* in eadem ſimul poſſint voluntate coexiſtere? Videretur quod ſic: nam Gentium Apoſtolus ad Galatas ſcribens ait. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*. Et ad Romanos 7.*Quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum,illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum,quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis,repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis?*

Vocem illam peccatum *nominamus hic pro concupiſcentia,non quod peccatum ipſa reverà ſit, ſed quod ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, definivit Sancta Synodus Tridentina.*

Experiebatur ergo in ſe Paulus duas voluntates contrarias: oppoſitas quidem formaliter & entitativè, nam erat Volitio, & Nolitio ejuſdem boni, aut mali; vel etiam aliquando oppoſitas objectivè, nam erant duæ poſitivæ Volitiones, altera boni, & altera mali. Has etiam experiebatur ille, qui lachrymis ſuffuſus clamabat,

Quod luget Paulus, universi experiuntur.

Nec

Nec ſine me tandem, nec mecum vivere
poſsum.

Et quia ex eadem maſsa ſumus ficti, has in nobis univerſi experimur.

Quomodo animantes reguntur?

Reſpondeo ejuſdem objecti Volitionẽ, & Nolitionem in eodem ſubjecto eſse nõ poſse. Nec contra verba Apoſtoli militant, nec nos experimur contrarium, *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Et, ne ſitis eis ſimiles, eos attentè contemplemini. Appetitu reguntur. Bibunt, comedunt, laſciviunt, & quo ſenſualis eos pellit delectatio, ſine regula ſuperiori feruntur. Hominis anima, tametſi unica, & ſpiritualis ea ſit, eſt ſimul vegetativa, ſenſitiva, & rationalis. Habet ſicut inſtinctum communem brutis, intellectumque communem Angelis: ſic habet appetitum materialem correſpondentem inſtinctui, & voluntatem correſpondentem intellectui. Appetitus ſenſitivus in homine non eſt liber formaliter, quoniam liberum arbitrium pertinet ad voluntatem. *Caro* (appetitus ſenſitivus) *concupiſcit adverſus ſpiritum* (adverſus voluntatem ſpiritualem). Tunc igitur, ſi *concupiſcere* eſt in ſenſitivo appetitu, & *deteſtari* eſt in rationali (in voluntate) non ſunt in eodem ſubjecto. Eamdem igitur rem non proſequitur, & fugit appetitus ſenſitivus: & eamdem non proſequitur & fugit appetitus rationalis (voluntas) ſed quam ſenſitivus appetitus proſequitur, deteſtatur voluntas. Non ergo ſunt Velle, & Nolle (Proſequi & Deteſtari) in eodem ſubjecto.

Humana anima tres diſtinctas habet formalitates.

Inſtinctus ab Intellectu, & Appetitus diſtinguitur à Voluntate.

Fuga & Proſequutio ſunt in diverſis ſubjectis.

His tamen non obſtantibus non eſt tanta inter ejuſdem rei Nolitionem, & Volitionem contrarietas, ut non poſſit elidi ex diverſis motivis: contingit enim frequentiſſimè, ut eamdem rem horreamus & deſideremus, propter concomitantes circũſtantias. Rem hoc exemplo expono.

An ejuſdem rei eſſe ſimul poſſint volitio & Nolitio ob diverſa motiva?

D. Paſchaſius Aragonius, S.R.E. Cardinalis, erat Neapoli Prorex: & quia eſt integerrimus, & beniguiſſimus, ab univerſis amabatur, & ſuſpiciebatur. Vt audiit Populus, ſummum eum Quæſtorem contra Hæreſes (Hiſp. *Inquiſidor General*) à Rege noſtro renunciari, in lachrymas, & gaudia profuſus, dolebat & delectabatur. Gratulabatur illi, & ominabatur majora, ſed condolebat regno, cujus ſalus ab illius vigilantia pendebat. Prodierunt multa Illuſtrium Ingeniorum carmina: ſed quia D. Michaelis de Rubeis Diſticha meam hanc de Volitionis, & Nolitionis ob diverſa motiva coexiſtentia dilucidant, illa huc adnecto: cecinit enim ſic.

D. Paſchaſius Neapolitanus Prorex, Inquiſitor ſupremus renunciatur.

Gaudet & dolet populus.

Lætor, an in mæſtas abeat mea lingua querelas
Fluctuo, & ancipitem me mea cura rapit.
Deſtinat ad magnũ te dives Iberia munus,
Vt ſit, te ſummo vindice, tecta fides.
Arbitrio ſtet nixa tuo illibata vetuſta
Relligio: quæres crimina, & ultor eris,
Par oneri virtus: pietas par: æmulus ardor
In ſuperos: conſtans robur, & alma fides.
Candorem, quem mente geris, ſervabis avito
Robore; dia fides nulla pericla feret.
In fidei obſequium vindex armabitur oſtrum,
Et tuus ipſe cruor, ſi illius optet opem.
Interea qui ſenſus erit tibi Regia Siren,
Cum fuerint rapidis credita vela notis?
In te pugnabis juſtis contraria votis;
Læta iter expedies; mæſta negabis iter.
Quod tibi ab Eſperia regalis veneris Heros
Geſtis; quod rapiat tam citò, mæror habes.
Expertam nolles tam dulcia fræna regentis;
Major ab amiſſo plaga doloris erit.
Sic partire tuos Siren mæſtiſſima ſenſus
Ne procul eſse putes, quem prope ſiſtet Amor.

Erant Paſchaſii Aragonii, majora hæc præmia, & ideò fuit citò ad Toletana Eccleſia Põtificatũ promotus: ubi aliquot annos vitæ innocentia & morum elegantia ſuperans eſt Iuſtitiæ Vindex Cleri forma, & pauperum ſolamen & pater.

Eſt D. Michael magni ingenii adoleſcens, & licet altioribus impalleſcat ſtudiis, etiã cum induciæ permittunt, humanioribus vacat.

De Affirmatione & Negatione.

Tertio conſiderentur iſti actus: *Affirmo, Nego*: *Non-affirmo, Non-nego*; quorum priores ſunt poſitivi; & poſteriores ſunt eorumdem carentiæ.

Nec aſſerit, nec negat, qui tacet.

Sanè *Affirmatio*, & *Non-affirmatio*: & etiam *Negatio* & *Non-negatio*; ſunt termini realiter contradictorii: adeoq; nec ſimul eſſe, nec ſimul abeſſe poſſunt, & hoc etiam de potentia Dei abſoluta.

Cur non poſſimus rem ſimul affirmare & negare?

Cæterum *Non-affirmatio*, & *Non-negatio* opponuntur inter ſe ſubcontrariè, non enim in exiſtentia, nam ſimul coexiſtere poſſunt, & frequenter coexiſtunt; ſed in abſentia, non enim ſimul abeſſe poſſunt. Et quidem poſſe & ſolere crebrò ſimul coexiſtere, demonſtratur clariſſimè, nam qui dormit, qui tacet, nec affirmat, nec negat. Hinc patet *Affirmationem* & *Negationem* non poſſe eſſe ſimul: nam una & eadem lingua non poteſt ſimul duas dictio-

ctiones proferre; nam ratio motus poſtulat, ut una proferatur poſt aliam. Ergo Affirmatio, & Negatio opponuntur contrariè.

An homines tacendo loquantur?

Dicis, homines etiam tacendo loqui nam Bonifacius VIII. Regulas Practicas Iudicibus præſcripſit in Sexto, & *num.*43. hanc, *Qui tacet conſentire videtur*; quam dilucidant, Laymannus *libr.*1.*tract.*2.*cap.*3.*num.*3. Coſcanus *de Voluntario* 29. Azor *lib.*1.*cap.*40. Paulus Zehetner *de Pœnit.fol.*390. Reginaldus *libr.*25. *num.*76. *&* 284. Pirtus *qu.*55.*Theſ.*Relig. *& libr.*2.*cap.*40. & tandem ego diverſis in locis, & ſuperiùs hoc ipſo tom. *in Prodromo Art.* 4. Conſonat hæc Regula verbis Vlpiani *lib.*20. *diſput.* dicentis *Semper, qui non prohibet pro ſe intervenire*, (videlicet, ſi prohibere poſſit & debeat) *mandare creditur*; quæ adducit, & benè expendit Laymannus *ubi ſupr.* Conſultò illam interpoſui parenteſim, *ſi prohibere poteſt & debet*; nemo enim tenetur ad impoſſibile; nam, ut ſcitè lib.5. ad Edictum Paulus ait. *Nullum crimen patitur*, (incurrit) *qui non prohibet cum prohibere non poteſt*. Vide Titul. *de his, qui not. infam. & leg. liberorum eodem titul.* & alias ſubſequentes connecte. Itaque his præmiſſis diſcurris ſic. Qui tacet, nec affirmat nec negat: quoniam affirmare, & negare eſt loqui; &, qui tacet, non loquitur: & tamen qui tacet, affirmat & negat; quoniam qui tacet conſentire videtur; unde, ſi aſſerenti conſentit, affirmat; &, ſi neganti, negat. Dantur ergo duæ contradictoriæ ſimul veræ. Lex igitur de contradictione, quæ inviolabilis credita, jam tandem aliquando violatur.

Impoſſibilium nulla obligatio eſt. Celſus libr.8.Digeſt.

Si mutetur Propoſitionum ſenſus tollitur contradictio.

Reſpondeo, ut paulò antè dicebam, duas Propoſitiones materialiter contradictorias eſſe ſimul veras, aut ſimul falſas, ſi ſenſu diverſo ſumantur. Vnde, qui tacet, ſi ſenſu reali voces intelligamus, nunquam loquitur: ſi virtuali aliquando loquitur. Quam ob rem illæ duæ Regulæ, *Qui tacet conſentire* (affirmare, ſi affirmes; & negare, ſi neges) *videtur*, & *Is, qui tacet, non fatetur, ſed neque negare videtur*: (vel, ut Pauli *leg.*185. D. *de reg. Iuris*. verbis utar, *Qui tacet, non utique fatetur, ſed tamen verum eſt, eum non negare.*) non opponuntur inter ſe, nam in priori prædicatum ſumitur in ſenſu virtuali, in poſteriori in ſenſu reali, & ideò utraque verificatur: & utraque eſſet ſimul falſa, ſi in prima prædicatum realiter, & in ſecunda virtualiter acciperetur.

De latronum Occultatione & Revelatione.

Venivnt tandem quartò conſiderandi hi actus; *Occulto, Revelo: Non-occulto, Non-revelo*; quorum etiam priores ſunt poſitivi, & poſteriores negativi; ſunt enim priorum meræ carentiæ & privationes. Et quidem in Regno Neapolitano hodiè ſummè neceſſaria videtur horum terminorum intelligentia; vexamur enim graſsatoribus; & leges, ut publicæ quieti proſpiciant, ne illi ab aliquo occultentur, ſtatuunt.

Quinam dicantur Graſſatores?

Vt autem ſcias, quos *graſſatorum* nomine ſignificemus *ex leg. capitalium* §. *Graſſatores*. D. *de pœnis*; propono hæc verba Calliſtrati. *Graſſatores*, ait ille, *qui prædæ cauſa id faciunt, proximi latronibus habentur: &, ſi cum ferro aggredi, & ſpoliare inſtituerunt, capite puniuntur: utique ſi ſæpiùs, atque in itineribus hoc admiſerunt.* Perduiſſimi hi homines, niſi ab aliis foveãtur, ſubſiſtere minimè poſsent; nã ut habet Hiſpanorũ Adagiũ, *Si no huviera encubridores; no auria ladrones*; nam humana conditio non patitur, ut tota homo hyeme ſub jove dormiat, & in luto vel nive cubet: & hanc ob rem hujuſmodi nebulones ſemper habent in urbibus, & pagis amicos, apud quos, ſi fuerit opportunum latitent, & cibos neceſsarios recipiant.

Quomodo ſubſiſtant in hyeme?

Contra hos ſceleratorũ occultatores plurimæ Pragmaticę in hoc regno prodierunt quæ verbis fortè differunt, ſed non ſenſu: nam omnes cum prima, quæ à Carolo V. Imperatore, & Ferdinando Rege lata, conveniunt. In illa hæc lego. *Quibus ſumma occaſio erat, quod facinoroſi homines de facili poſt delictum, tutum receptaculum, ac ſecuram habitationem in pleriſque locis dicti regni invenire poterant. Latrones, ceteroſque facinoroſos recepiant; & hinc ad delinquendum datur pronior licentia & temeritas.*

Contra latronũ celatores Pragmatica.

Brevem moram à longiori *leg.* 1. C. *de deſert. lib.*12. Theodoſius Imperator diſtinguit: inquit enim, *Siquis fortè deſertorem agro tecto-ve ſuſceperit, atque apud ſe diu paſſus fuerit deliteſcere.* Conſidera illud *diu*: quoniam, qui brevi tempore, ſine lucro ſuo, nec alius damno, recipit graſſatorem, videtur à Theodoſio excuſari. Cæterùm qui ob lucrum graſsatores recipiunt, eorum rapinis cooperari videntur, & ideò in eos animadverti ſtatuit Martianus, *Quia, cum adprehendere latrones poſſent, pecunia accepta, vel ſubreptorum parte, dimiſerunt.* Vnde D. Dominicus de Rubeis *Cert.*1.*pag.*17.*num.*80. infert eum, qui ſine lucro, aut lucri ſpe ſuſceperit (à fortiori, qui metu) nullum delictum admiſiſse: & Cravettæ *conſ.*18. Marſ.*conſ.*53. *apud Gugot. ad Clar. qu.*90.*num.*9. *liter.* F. & aliis viris doctis ſubſcribens. Si ob receptionem (etſi unius diei, aut horæ ſit) alius patiatur damnum, eſt crimini obnoxia

An illas violat, qui ipſos ni celat diu?

De his, qui eos ob lucrum ſuſcipiunt.

De his, qui aliorum damno.

xia

xia ſuſceptio: ait enim Prætor apud Vlpianum (*& leg. 1. D. de ſerv. corrupt.* habetur) *Qui ſervum, ſervam; alienum, alienam; recepiſſe perſuaſiſſe-ve quid ei dicetur dolo malo, quo eum, eam-ve, deteriorem faceret*. Prætor adjecit §. 3. DOLO MALO, *quo eum deteriorem faceret: neque enim delinquit, niſi qui tale aliquid ſervo perſuadet, ex quo eum facit deteriorē*. Et conſonat ſibi *in l. 11. §. 2. eod.* idem Vlpianus dicens, *idem & in eo, qui ſervum recepit & celavit, & deteriorem fecit*.

Quid ſit dolo malo ſuſcipere?

An Monachi, qui in ſylvis habitant, ſi fortè latrones advenientes ſuſcipiant, eorūdem occultatores cenſendi ſint?

Hinc patet Religioſos, qui habent extra loca habitata monaſteria (nempe, in montibus, campis, aut ſylvis) ſi ad illos latrones & viarum graſſatores non invitati divertant, non eſſe incriminandos; (1) quia nullo lucro, aut lucri ſpe illos ſuſcipiunt. (2) quia non faciunt deteriores, eos dolo malo offirmando, aut ſceleratiori persuadendo: immò illis pericula æternæ damnationis proponunt, & ut ad bonam frugem ſe recipiant, & Rempublicam turbare deſinant, quantum tempus, & prudentia permittit, ſuadent, ſi non perſuadent. (3) quia illos non recipiunt, ſed paſſivè ſe habent; &, ſi adveniant, portas eis aperire, ciboſque miniſtrare metu mortis coguntur. *Si vi, metu-ve compulſus fuit hic, qui diſtractus eſt, dicemus eum dolo carere*; inquit Vlpianus, & habetur *leg. 16. §. 1. D. de liber. cauſ.* unde Gothofredus *ibid.* univerſim loquens, ait, *Vis & metus à dolo excuſant*. Et quia hujuſmodi Religioſi metu & violentia aguntur, à dolo neceſſariò excuſantur.

Ea, quæ ex metu fiunt, dolo carent.

An, qui non revelat, occultare dicendus ſit?

Ex illa Propoſitione *Qui tacet* (qui non loquitur) *conſentire videtur*, naſcitur hæc *Qui non revelat, occultare cenſetur*. Et neutra eſt univerſaliter vera, nam habent congruas & analogas limitationes. In hujus Logicę Prodromo *art.* 4. ſic priorem propono, & expono. *Qui tacet; in rebus favorabilibus, & in cæteris, ſi poſſit & debeat loqui, conſentire videtur*. Ergo poſterior erit hæc, *Qui non revelat, quando ipſe ex non revelando lucrum importat; &, ſi lucrum ex ſua taciturnitate non importet, ſed tamen poteſt & debet revelare, & non facit, occultare cenſetur*. Qua doctrina firmatur & dilucidatur *lex 1. D. de fugit.* in qua lego. *Quod autem Prætor ait, recepiſſe; ita accipimus, ſi ſuſceperit ſervum alienum ad ſe: & eſt propriè* recipere, *refugium abſcondendi gratia ſervo præſtare*. Ergo *ſuſcipere* latiùs patet, quàm *occultare*, quod oculatiſſimè perſpiciens Modeſtinus *in leg. 5. D. ad leg. Flav. de plag.* unum ab altero diſtinxit dicens, *Eum, qui fugitivum alienum ſuſcepiſſe, & celaſſe doceatur, crimen, ſi probetur, evitare minimè poterit*. Nō judicabat Vir conſultiſſimus ſuſceptionē ſolam ad condemnationem ſufficere, niſi accederet etiam celatio. At ſola celatio ſufficeret, quia includat aut non includat ſuſceptionem, dolum malum importat, ut conſtat ex Deocletiani, & Maximini verbis, qui *leg. 9. C. ad leg. Flav. de plag.* ſic inquiunt. *Eum, qui mancipium alienum celat, Fabia legis crimine teneri, non eſt incerti Iuris*.

Aliud eſt latronem recipere, & aliud occultare, aut dolo malo recipere.

An, qui tacet, conſentire dicendus ſit?

Cæterùm, *non revelare*, non eſt *abſcondere*, niſi paulò antè expreſſæ circumſtantiæ concurrant. Audi *leg. 1. de fugit.* quæ id dilucidat. Ibi lego. *Is, qui fugitivum celavit, fur eſt*. Quid, ſi non celaverit, ſed tantummodò nō revelaverit? *Lex 1. D. de fugit.* reſpondebit: quoniam, *qui novit furem, nec indicat, fur quidem non cenſetur, ſed qui celat*, celat autem, qui ob lucrum, aut lucri ſpem non indicat: & etiam, qui eum poſſit & tenetur, non revelat.

Confirmantur hæc omnia *ex leg. 1. C. de his, qui latron. occultav. ibi* occultando. *ex leg. 1. de receptat. verb.* latere. *ex leg. 2. eod. verb.* conſervatus. *ex leg. 1. C. de deſert. lib. 12. ibi* deliteſcere. *ex rubric. C. de his, qui latron. verb.* occultaverint. *ex pragm. 1. de recept. ibi* tutum receptaculum, ac ſecuram habitationem. *ex regni Conſtitutionibus*. Et vide Doctores, quos *nu.* 55. Farinacius adlegat.

Hæc eſt doctrina communis, in quam omnes leges & Authores conſpirant.

His præmiſſis terminorum Oppoſitionem contemplemur.

Horum adductorum oppoſitio explicatur.

Occultat, & *Non-occultat*, nec non *Revelat*, & *Non-revelat*; ſunt termini contradictorii; & ſi in eodem ſenſu ſumantur, ſimul coexiſtere, aut ſimul abeſſe, ne quidem divinitùs poſſunt.

Non-occultat, & *Non-revelat*, poſſunt ſimul coexiſtere, non tamen ſimul abeſſe; & ideò opponi ſubcontrariè cenſentur.

Occultat, & *Revelat* contrariantur, & eſſe ſimul non poſſunt, ſed tamen ſimul abeſſe poſſunt.

CAPVT III.

DE MODO SCIENDI MORALI.

Quid, quotuplex, & quo ordine tradendus ſit?

Quid ſignificet Modus?

VARIAS apud Iuris peritos ſignificationes *Modus* habet; ſed noſtra intererſunt illi, qui hoc nomine ſignificant ſpecialem legem, ſub quâ res fieri permittitur, vel jubetur. Balduinus *tit. de legatis*. [Modus, &c. ſignificat moderationem quamdam rei de qua agitur adjectam, ut qui rem illam conſequutus fuerit, aliquid vel faciat, vel det.] Ecce Modum confundit cum onere, quod eſt quid extrinſecum rei. At Nos vocem uſurpamus ſtrictiùs. Alii Modum cum conditione confundunt, errant tamen, quoniam ipſe à verâ conditione plurimùm abeſt, nam obligationem differt, aut ſuſpendit conditio, modus verò non item. Errant etiam, qui Modum cum fine confunduot: non enim ille finis, ſed ratio, quæ rem ad finem dirigit. Et hoc ſenſu venit intelligeodus Papinianus *leg. cui neceſſitas, D. liber. caus*. Eſt autem modus intrinſecus rem ipſam afficiens, & quo illa modo uti debeas, præſcribens.

Modus pro onere.

Modus pro conditione.

Modus pro fine.

Modus nec eſt conditio, nec finis.

Quid Modus ſit?

Hinc Modus manomiſſioni impoſitus exponit quot & quos ſervos, & qoando poſſit dominus libertate donare. *leg. demonſtratio. §. fin. de Condit. & demonſtr. leg. 1. & 2. de his quæ ſub mod. leg. placuit* D. *de uſur. & §. cum ergo Inſtit. quibus ex cauſis manum non lic.* Hine eriam Modus legatis conſtitui dicitur lege Falcidia, quæ teſtatorem dirigit, & normam ponit, juxta quam & non aliter legare debeat: quoniam legandi libertatem concedit, dummodò non minus quarta hæreditaris parte apud hæredem maneat *leg. 1. in pr. §. interdum. leg. 81. in fin.* D. *ad leg. Falcidiam. leg. 36. §. 5.* D. *de ſtatu lib. leg. 24.* D. *de dolo*. Hue reſpexit Taeitus *libr. 1.* cùm dixit. *Legata non ultra civilem modum reliquit* hoc eſt, Non exceſſit io legaris modum, qnem leges Civiles præſcribunt. Hinc retentionis Modus explicat, quomodo res ſit retinenda. *leg. 16.* C. *fam. erciſc.*

Modus manumiſsionis.

Modus legatorum.

Quid Lex Falcidia ſtatuat?

Modus legandi.

Modus retinendi.

Modus ſervitutis, quo vehiculi genere, per quam ſundi partem, quâ horâ, quibus temporibus, &c. eatur; qua parte aqua ducatur. &c. *leg. 32.* D. *de act. empt. leg. 1. §. illud tamen.* D. *de aqua quotid. leg. 4. §. 1.* D. *de ſervitutib. leg. 13. §. 1. de ſervit. ruſtic. leg. 11.* D. *quemadm. ſervit. amitt.* Hanc ob rem, qui modum exceſſit, ut conſiſtat, ad modum reducendus eſt. *leg. placuit* D. *de uſur. & not.* Vnde Iuſtinianus in §. *finitur inſtitut. de uſufr.* cùm dixit. *non utendo per modum* voluit dicere, ut exponit Briſſonius, non utendo per legem dictam in conſtitutione uſusfructus.

Modus ſervitutis.

Modus pro lege.

Hinc jam patet, quid ſit Modus ſciendi? Intellectum hominibus conceſſit Deus ſed ſub modo. Hic autem modus non eſt onus extrinſecum, quod inferat faciendi vel dandi gravamen, non eſt conditio *ſine qua non*, ſed ratio & lex intrinſeca ipſummet intellectum aſficiens, normamq; qua uti illo debeamus præſcribens. Non eſt finis, ſed intellectus uſum ad finem ordinat. Sed ad quem? Ad notitiam ſcientificam, & ideò *Modus ſciendi* vocatur.

Quid ſit modus ſciendi?

Sed dices. Scire, & Opinari ſunt res toto cœlo diverſæ: & pauca Viri docti ſciunt, de multis opinantur; & ideò ſyllogiſmus probabilis vel opioativus, *Dialecticus* vocari ſolet. Ergo Modus, quem Deus Humano intellectui præſcripſit, ad opinandum dirigitur; & non debet *Modus ſciendi*, ſed *Modus opinandi* vocari.

Differunt ſcire & opinari.

Sanè hæc Objectio poſtulare videtur, ut ante reſponſionem aliqua apud Scholaſticos multos, ut ſpecies ab ſpecie diſtingui, quæ nonniſi ut pars à toto, & via à termino diſtingui & ſecerni deberent." Profectò tres ſunt operationes Medicinæ: Præſervare, Sanare, Levare. An-ne ſpecie diſtinctæ? Minimè: una in alia clauditur; &, ſi ad finem Ars pervenire non poteſt, manet ſaltem in via, & quò licet, progreditur. Finis hujus Facultatis eſt ab omni morbo corpus humanum præſervare: ſi quando finem adſequi neſcit, & homo in morbum incidit, illum reſtituere ſanitati conatur. Et, ſi hoc non poteſt, ſaltem levat,

An pars à toto diſtinguatur ſpecie?

An dentur tres Medicinæ ſpecies?

An in Practico laudatur Speculativum?

levat, ut minori dolore ſupetvivat. * In omni Scientia Practica ineluditur Speculativa, aliud enim eſt ſcire, & aliud ſacere: at ſine ſcientia opus non fit, & ideò ſcitè dixit Doctot Angelicus, *Intellectus extenſione fit Practicus*. Non ergo Speculativum & Practicum ſpecie differunt, ſed hoc illud includit, ut Totum Partem. *

Quot & quæ ſint mentis operationes? Et, an diſtinguantur ſpecie?

Idem de Intellectus Operationibus dicendum eſt. Tres ipſæ ſunt: Apprehenſio, Iudicium, Diſcurſus. Sed neq; hæ diſtinguuntur ſpecie, ut *Homo & Brutum*; ſed vt incluſum & includens ſe habent: nam ex apprehenſionibus judicium, & diſcutſus ex judiciis compooitur. *Sed neque aliter diſtinguitur à Scientia Opinio.

Quomodo Opinio & Scientia diſtinguantur?

A tencbris Intellectû Humanum Logica ad lucem dirigit, promoverq; à oocte in diem. Si ille ad finem(videlicet ad diem) perveniat, ubi nulla iovenitut tenebrarum ſuſpicio, ſcire dicitur: ſi in autora permaneat, & crepuſculino ſplendore ſruiſcatur, in quo plurimæ luci multa etiam immiſcetut caligo, habebir Opinionem probabilem. Ergo, ſicut Intellectus ſpeculativus teſte D. Thoma exteoſione fit Practicus: ſic etiam Opinarivus redditur lucis intenſione ſcientificus. Eſt, quamdiu opinatur, Intellectus & tenebris & luce ſuffuſus, qua tencbratum impotentiam ſentiſcit, formidat, & ait, *Hæc qua hoc mihi modo proponuntur, ſeſe aliter habere poſſunt & forſitan aliter ſe habent*: verùm enim verò quà illuminarur multa luce aſſentitur, quia tamerſi illud Objectum non exæquaret intellectum omnimoda luce ſuffuſum, nihilominùs illum tanta tantùm illuſtratum exæquat.

Lucem immiſtam tenebris habet opinio.

Cur aſſentiamur Opinioni?

Hanc doctrinam didici à D. Thoma *part.3.quæſt.9.art.2. in ſolut.ad.2.* dicente. *Quòd Opinio eſt via ad ſcientiam, quæ per demonſtrationem adquiritur: qua tamen adquiſita poteſt remanere cognitio, quæ eſt per ſyllogiſmum Dialecticum* (Probabilem) *quaſi conſequens ſcientiam demonſtrativam*. Suarez in hujus articuli Comment. ex his verbis colligit ſenſiſſe D. Thomam ſimul in eodem intellectu Scientiam & Opioionem remanere: ſed ut ſcitè animadvertit Ioannes à S. Thoma, Sanctus Doctor opinionem à Cognitione per ſyllogiſmum Dialecticum adquiſita diſtinguit.

An Scientia & Opinio ſint ſimul?

De carnis reſurrectione.

Vt hoc meliùs intelligas, & mentem Angelici Doctoris capias, aliam Quæſtionem, ut decidas, produco, Intertogo. An in reſurrectione earnis manebunt cadavera ſimul cum vita? An poſtquam Animæ cadaveribus refuſæ ſint in reſuſcitatis hominibus temaneant cadavera & Animæ ſimul? Reſpondebis & bene: corpus, cadaverq; eſſe idem materialiter, formaliter verò diſ-

Quid ſit cadaver?

ſerre: oon enim qualecumq; corpus, ſed quod carer animâ, quam habuerat, *cadaver* dicitur. In carnis autem reſurrectione vivificabuntut cadavera, at verò poſt reſurrectionem non manebunt ſub ratione cadaverum, ſed ſub tatione corporum animatorum; nam adveniente forma tollitur formæ priv[illegible] Sic philoſopharis, & bene, & me[illegible]uo debeam modo de Scientia & O[illegible]oe diſcurrere. In cognirione per ſyllogiſinum probabilem adquiſita duo reperiuntur; nempè objecti notitia, & evidentiæ privatio, quam comitatur formido. Nomen *Opinio* eſt nomiois *Cadaver* ſimile: utrumq; enim includit, nimirùm poſitivam entitatem actus & evidentiæ carcotiam, quæ eſt quædam forma negativa.

Quid ſit Opinio?

Opinio igitur, ſi ſic accipiatur, non poteſt eum Scientia componi: at hoc poteſt cognitio per ſyllogiſmum Dialecticum adquiſita, hoc eſt, illa notitia poſitiva, quam dicit pro materiali opinio; Nam ſicut vita non poterit eſſe ſimul cum cadavere, bene tamen cum corpote, quod erat cadaver, antequam illa* ſupervenitet: ſic ſimiliter ſcientia, non poteſt eſſe ſimul cum Opinione, bene tamen cum illa cognitione, quæ antequam ſupervenitet claritas, erat Opinio.

Cur nequeat cum ſcientia componi?

Hæc eſt expreſſa Cajetani ſententia; nam hunc eumdem locum S. Thomæ dilucidans aſſerit, *Cognitionem Dialecticam ante Demonſtrationem habere rationem Opinionis* (inficiebatur enim claritatis carentiâ) *poſteà autem* (ſupetveniente clatitate) *non habere rationem Opinionis, ſed ſolum manere cognitionem Dialecticam ceſſante illa cognitione* ratione) *formidinis ex parte ſubjecti*. Quod certè deber intelligi de eadem numero cognitione, quidquid Ioannes de S. Thoma contrà objecerit.

An Ioannes à S. Thoma bene Cajetanum intelligat?

Agemus igitus impræſentiarùm de Modo ſciendi; conabimurq; finem, hoc eſt ad ſcientificam, evidentemque cognitionem pertingere, ad quam ſi fortè pervenire non liceat, promovebimus iter, quo uſque poſſimus, & remanendo in via Probabili cognitione fruemur.

Quem Modus ſciendi finem habeat?

Vt autem, quid Modus ſciendi ſit profundiùs ſcias, dabo mellea S. Bernardi verba, qui tametſi de ſupernaturali agat Logica, congruè poterit intelligi de Naturali; maximè, cùm in Chriſtianis omnes ſcientiæ ſcholaſticæ, & omnes Morales Virtutes, ſi (quod debent) Charitate formentur, ſint (ſi liceat ſic loqui) quodamodò ſupernaturalizatæ. His igitur verbis Sanctus Abbas, *ſerm.36.in Cantic.* exponens illud ad Corinth.8. *Si quis exiſtimat ſe ſcire*. Sciendi Modum ingenioſè deſcribit. *Vides*, ait, *quòd non probat ma-*

Logica duplex naturalis, & ſupernaturalis

Quomodo S. Bernardus Modum ſciẽdi definiat?

lum ſcientes, ſi Modum ſciendi neſcierunt? Vides, quomodo fructum & utilitatē Scientia in Modo ſciendi conſtituit? Quid ergo dicis Modus ſciendi niſi ut ſcias, quo ordine, quo ſtudio, quo fine, unum quodque ſcire oporteat? Quo ordine? ut illud prius, quod maturiùs movet ad ſalutem. Quo ſtudio? ut illud ardentiùs, [illegible] vehementiùs ad Amorem. Quo fi[illegible] ad inanem gloriam, ſeu oſtenſion[illegible] ſed ad tuam & aliorum ſalutem. Ergo Modus ſciendi in Dialectica docebit nos, quo ordine, quo

Dialectica Finis:

ſtudio, & quo fine, colere intellectum debeamus. Laboris ſtudioſi finis, non debet eſſe inanis gloria, impos dilectionis Divinæ: nam de hoc ipſo ſtudio dixit Paulus, *Scientia inflat, Charitas verò ædificat.*

Studium:

Quoniam, ut ſerviamus Deo, & proſimus hominibus, ſtudere debemus. Hoc ſit noſtrum ſtudium, ut in Dei & proximi dilectione creſcamus.

Ordo.

Ordinem præſcribit ipſamet rerum tractandarum natura; quia adſcendere debemus per gradus, & non poſſumus incipere à ſummo. Sanè ſcala, per quam ad Sapientiæ Arcem ſubrigemur, & nobis præparavit Logica, tres gradus habet, Primus definit, ſecundus divid**it**, tertius argumentatur.

Quot ſint gradus ſciendi?

Ergo Modus Sciendi ſumptus pro Arte Practica, eſt triplex, videlicet, Lex, & Regula docens, dirigens & cooperans ut bene Intellectus definiat, adæquate dividat, & ſecurè diſcurrat, & argumentetur Intellectus: & ſumptus pro ipſamet praxi erit triplex ſimiliter, nimirùm, Definitio, Diviſio, & Argumentatio.

Quotuplex ſit Modus ſciendi?

Quem ordinem Modi ſciendi obſervent?

Sed quo illæ ordine tradendæ ſunt? De Argumentatione ne dubita, eſt enim illa ultimo loco neceſſariò exponenda. Definitionem & Diviſionem reſpiciet, & utra utri præponi debeat examinabit. Pro Definitionis Primatu ſic argumentatis, Diviſio eſt aliquid, ergo habet ſuam eſſentiam, ergo illam debet definire, qui tradat. Ergo antequàm de diviſione agat, docuiſſe debet leges Definitionum; nam aliàs quid ſit *Diviſio* explicare non poterit. Sed hæc ratio poteſt ſimili excurſu contra Definitionem retorqueri, quoniam ſuas habet ſpecies & differentias Definitio. Ergo communem Definitionis conceptum debet, qui de illa diſſerat, in minùs communes dividere: Ergò antequam de Definitione agat, debet leges Diviſionum docuiſſe; nam alias ſe bene illam diviſiſſe demonſtrare non poterit. Hæ duæ rationes ita Definitionem Diviſionemq; involverint, ut hæreret animus, & utram priùs deberet illuſtrare, neſciret. Ergò aliò recurrere debemus, ut controverſiam dirimamus.

An Definitio debeat Diviſioni præponi?

Sit Concluſio. *Univoca priùs ſunt definienda, quàm dividenda: Æquivoca autem contrà, priùs dividenda ſunt, quàm definienda.* Docuit nos utramq; Concluſionis partem Vlpian. *Inſtit. libr. 1.* nam cùm nomen *Ius* ſit æquivocum, aut ſaltem ita analogum, ut non poſſit ad unicum communem conceptum reduci, priùs diviſit nomen exponendo, quo ſenſu acciperet. Et quia illo Iuriſprudentiam ipſam ſignificari voluit, progreſſus fuit, & hoc nomine ab aliis ſignificationibus ſecreto, & ad hoc membrum ſpeciale determinato, definitionem tradidit.

Reſolutio utriuſque Opinionem conciliatur.

Leg. 1. D. de juſt. & jur.

Hinc patet Definitionem Nominis poſſe fieri dupliciter: nempè, vel ſumendo unum membrum expreſſè, & ut tollatur æquivocatio, illud ab aliis membris ſeparando: ut, ſi dixeris. *Aries, ſi hoc nomine Cæleſte intelligatur, eſt primum ſignum Zodiaci.* Vel omnia membra enumerando; ut, ſi dixeris, *Canis, vel eſt animal domeſticum, vel Conſtellatio cæleſtis, vel lapis prominens, in ædificio: nos qui tractamus Aſtronomica, vocem in ſecunda ſignificatione uſurpabimus. Eſt autem Canis, quidam Aſteriſmus,* &c.

Nominis definitio duplex.

Aries vox æquivoca.

Canis vox æquivoca.

Ex iſtis duobus modis primum amplexus eſt Vlpianus *loc. cit.* poſteriorem Paulus *libr. 4. ad Sabin.* Et quidem Vlpianus, poſtquam quo ſenſu acceperat vocem Ius expoſuerat, illud definit dicens, *Ius* (hoc eſt, Iuris prudentia) *eſt Ars boni & æqui*: Et poſteà Iuriſprudentiam jam definitam in Publicam & Privatam diviſit dicens *Hujus ſtudii* (Iuriſprudentiæ) *duæ ſunt Poſitiones, Publicum & Privatum. Publicum Ius eſt, quod ad ſtatum Rei Romanæ ſpectat. Privatum verò, quod ad ſingulorum utilitatem. Sunt enim quædam publicè utilia, quædam privatim.* Hanc Iuriſprudentiæ diviſionem in Publicam & Privatam, eſſe generis in ſpecies, non judicavit Vlpianus, & hanc ob rem membra dividentia *Poſitiones*, & non *Species* nominavit. Eſt porrò diviſio non conceptus univoci, ſed analogi, & ideò vocibus ille utitur, minùs notis in Peripatu.

leg. 11. D. de Iuſt. & Iur.

Quid & quotuplex ſit Iuriſprudentia?

An in Species dividatur?

QVÆSTIO INCIDENS.

Ad quam Mentis Operationem Modus ſciendi pertineat?

MOdus ſciendi, ut paulò antè dicebam, eſt Ars Intellectum dirigens, & in Definitionem, Diviſionem, & Argumentationem dividitur: &, *Ad quam Mentis Operationem ille ſpectet?* interrogat Ingenioſa Curioſitas.

Quid ſit Modus ſciendi.

De Argumentatione moveri nequit Dubium: ipſa enim ad Tertiam pertinet.

Quid de Argumentatione ſentiendum?

Ergo

Digitized by Google

Ergo de Definitione tantùm & Diviſione diſputabimus.

PRIMA SENTENTIA Definitionem, & Diviſionem ad Primam mentis Operationem reducens.

ILlas Dialectici communiter ad Primam Operationem Intellectus reducunt: in hac enim Propoſitione, *Homo eſt animal rationale*, Prædicatum *Animal rationale* eſt Definitio: & Prædicatum eſt ſimplex terminus, ad Primam mentis pertinens Operationem. Et quidem ad ſecundam non pertinere probant, quia Definitio aliquando dicitur eſſe *bona* vel *mala*; nunquam autem eſſe *vera* vel *falſa*: & tamen, ſi ea eſſet integra Propoſitio, vocari *vera*, aut *falſa*, neceſſariò deberet. Et hic modus loquendi hodie eſt in ſchola communis. Complutenſes *in Inſtitut. ad Logic. cap. 2.* id ſtatuunt clariſſimè. [Obſerva, inquiunt, quòd inquirenti, &c. qualis ſit hæc Definitio? nunquam reſpondebitur, eſt *vera* vel *falſa*; quia ſignificare veritatem, vel falſitatem eſt propriũ ſolius Propoſitionis; ſed reſpondebis, *eſt bona*, ſi ſervet leges adſignatas; vel *mala*, ſi non obſervet. &c.] Sentiunt ergo Complutenſes, ad Primam, & non ad ſecundam mentis Operationem, Definitionem pertinere.

Nec Definitio, nec diviſio dicenda eſt vera aut falſa, ſed bona aut mala.

In Diviſione etiam nihil volunt affirmari aut negari, quando enim dicimus, *Animal, quod eſt Rationale, aut Irrationale*, videmur ſubjectum Propoſitionis ponere & de Animali velle aliquid prædicare. Ad Primam ergo mentis Operationem revocatur Diviſio. Accedit, quòd etiam Diviſio dicenda ſit *bona* vel *mala*, & non *vera* vel *falſa*. Audi Complutenſes, qui *libri citati cap. 3.* ſic inquiunt. [Circa modum loquendi obſervanda ſunt, quæ de Definitione ſtatuimus. Vnde &c. inquirenti, qualis ſit? dices *bona*, vel *mala*, non autem, *vera* vel *falſa*. &c.]

SECVNDA SENTENTIA. Definitionem, & Diviſionem, ad ſecundam Operationem Intellectus reducens.

SEd & utram alii ad ſecundam reducunt: inquiunt enim hæc verba, *Animal rationale* non explicare naturam Equi. Cujus ergo? Quid ſciam, niſi Definitum ſumatur. Poſito autem definito, tota Definitio erit, *Homo eſt animal rationale*, quæ Definitiva Propoſitio eſt, & poterat *Definitio* vocari.

Ad illud quod dicebatur, videlicet Definitionem paſſim *bonam*, aut *malam* dici, nunquam *veram*, aut *falſam*; reſpondent, eamdem enunciationem eſſe Aſſertivam & Definitivam; quà Aſſertivam, *veram* aut *falſam*, non autem *bonam*, aut *malam* dici: qua Definitivam dici *bonam* aut *malam*, & non *veram* aut *falſam*.

An Diviſio conſiſtat in Propoſitione Disjunctiva?

Et venientes ad Diviſionem, inquiunt, illam his concipi verbis debere, *Animal eſt Rationale, aut Irrationale*, in quibus expreſsè continetur Disjunctiva Enunciatio. Secundæ igitur mentis Operationi accenſenda eſt Diviſio.

TERTIA SENTENTIA. Eoſdem dicendi Modos (Definitionem & Diviſionem) Tertiæ operationi Intellectus adjudicans.

SVnt tandem alii, qui tam Definitionẽ, quam Diviſionem ad Tertiam pertinere aſſeverant, docentque illas ut definiendo & dividendo argumentemur intellectum dirigere. Complutenſes *in Inſtitutionib. ad logic. lib. 1. cap. 2.* ſic inquiunt. [Inferuntur duo Modi arguendi in Definitione. PRIMVS eſt, quod à Definitione ad Definitum, & è converſo, valet benè Conſequentia, tàm affirmativè, quàm negativè; ut *Eſt animal rationale, ergo eſt homo. Non eſt animal rationale, ergo non eſt homo.* &c. SECVNDVS eſt, quod quidquid prædicatur de Definitione, prædicatur de Definito, & contra; ut, ſi dicas, *Animal rationale eſt ſenſibile, ergo homo eſt ſenſibilis. Homo eſt diſcurſivus. Ergo animal rationale eſt diſcurſivum.* Hoc autem procedit in Prædicatis realibus; non autem in illis, quæ conveniunt rebus per operationem Intellectus [*] & ideò non valet, *Animal rationale eſt oratio. Ergo homo eſt oratio.* Et ſic de aliis.

Quo modo in Definitione argumentemur?

[*] Non videtur hæc limitatio à Complutenſibus ponatur, nam hic agitur de Definitione, & hæc verba Anima rationale *materialiter ſumpta, nõ ſunt definitum Verbi* Homo *materialiter ſumpti.*

Etiam quæcumque de Diviſione dicuntur, ad argumentationem ordinantur. Vnde *lib. cit. cap. 3.* Complutenſes. [In Diviſione tripliciter poſſumus arguere. PRIMO à Diviſo ad omnia membra dividentia, & è converſo valet Conſequentia, tam affirmativè, quàm negativè: unde hæc eſt legitima, *Eſt animal, ergo rationale, vel irrationale. Eſt rationale, vel irrationale. Ergo animal.* SECVNDO, à quolibet Membro dividente ad Diviſum valet affirmativè, non verò negativè; ut, ſi dicas. *Eſt rationale, Ergo animal*, tenet Conſequentia: ſi autem dicas, *Non eſt rationale. Ergo non eſt animal*, non valet, quia poteſt eſſe brutum. E contra verò à Diviſo ad quodlibet membrum dividens valet negativè, non verò affirmativè, ut ſi dicas, *Non eſt animal, Ergo non eſt homo*; tenet Conſequentia. Sed hæc non valet, *Eſt animal. Ergo homo*; quia poteſt eſſe leo. TERTIO à Diviſo cum negatione aliorum Membrorum dividentium valet Conſequentia ad affirmationem alterius Membri, quod ſupereſt; ut, ſi dicas, *Eſt Elementum; & non Ignis, Aer, vel Aqua. Ergo eſt Terra* &c.]

SENTENTIA AVTORIS.

HÆ ſunt tres diverſæ Sententiæ, quæ in hac Quæſtione haberi poſſunt: quas puto, in re non differre inter ſe, ſed in modo loquendi tantummodò, & in

modo

Cur poſt propoſitiones, & ante ſyllogiſmos de Sciendi Modo diſputamus?

modo accipiendi vocabula. Nos ergo, quia id ad majorem facilitatem conducit, poſt Caput de Propoſitionibus, de Modo ſciendi diſſerimus; nam ad Iudicium Definitio & Diviſio potiùs, quàm ad Apprehenſionem Simplicem ſpectare videntur, Et Argumentatio, tametſi poſſet ad Propoſitionem Rationalem, aut Cauſalem reduci, in fine hujus Capitis collocari poterit, ut viam expeditam & facilem Capiti ſequenti aperiat, in quo de Tertia Mentis Operatione ex profeſſo tractabitur.

ARTICVLVS I.

De Definitione. *Quid, & quotuplex ſit? Quo modo Res non ſolùm per Rationes, & Formalitates eſſentiales ſed & per Accidentales, immò etiam per Nomina definiantur. Præſcribuntur Definitionum Leges; & inquiritur, An illas Doctores obſervent? Et, quia Nomina interdum unico Charactère exprimuntur, quæritur*, Quid L. C. D. π̃. ff. §. *& alia ſimiles Notæ ſignificent?*

De Definitionis univerſim ſumpta quiditate.

DEfinitio univerſim ſumpta eſt *Oratio explicans naturam rei*: &, ut id præſtet vel rei, quæ definitur, Nomen, vel eſſentiales partes, vel proprietates & accidentia in examen appellat. Si primum, dicitur *Etymologia*, ſi ſecundum *Definitio eſſentialis*, ſi tertium *Deſcriptio*, ſeu *Definitio accidentalis*. Et, ſi fortaſsè dicas Deſcriptionem, aut Accidentariam Definitionem, ſub Definitionis Definitione non comprehendi, accidentia enim, & non rerum eſſentias, aut naturas exponit; reſpondebo eſſentiam eſſe quæ inquiritur, & in ejus notitiam per genus & differentiam à priori, à poſteriori per accidentia, & circumſtantias deveniri. De ſingulis breviter diſſeramus.

An Definitionis Definitio Deſcriptioni cõveniat?

SECTIO I.

De Etymologia, ſeu Nominum Definitione.

Quid Etymologia ſit, & unde dicatur?

TAmetſi nomen ἔτυμος, hoc eſt, *Verus*, & *Verax* late pateat, jam ἔτυμον ſignificat Nominum veritatem, & Facultas, quæ illam conſiderat dicitur ἐτυμολογία. Et quia in ipſis rerum Nominibus latent interdum plurima, ſunt ipſa à Viris doctis ſpeculatiſſimè conſideranda. Quam ob rem Ἀρχὴ τῆς παιδεύσεως ἡ ὀνομάτων ἐπίσκεψις, *Initium Doctrinæ eſt nominum conſideratio*; apud Arrianum libr. 1. de Epict. diſp. cap. 17. & Chriſtianum Hoffmannum, libro, qui Vmbra in Luce inſcribitur, exclamat Socrates; & meritò, Nomina enim, ut ſcitè nos monet Plato, ſunt breves quædam rerum Definitiones.

An, & ad quid ſit utilis?

Porrò in Nomine cujuſcumq; rei quatuor poſſunt breviter in examen venire. Literarum figura, Sonus, Nomen, Significatio.

SECTIO II.

Nomen Rei, aut Perſonæ per Figuras Literarum exponitur.

NVdas Characterum Figuras depingendo, cùm ſcribimus, conceptas res ſignificamus. Et quia eaſdem Figuræ verbis poſſunt deſcribi etiam verbis eaſdē poterimus literas imaginare. Præſtiterunt id olim Poetæ Veteres, nuper Recentiores nonnulli: unum, aut alterum exemplū proponamus.

Quidam Ruſticus analphabetus apud Euripidem (ut ex Athenæo Novitii ſcriptores recenſent) his rudi modo verbis THESEI nomen exponit.

Ἐγὼ πέφυκα γραμμάτων μὲν οὐκ ἴδρις.
Μορφὰς γὰρ λέξω καὶ σαφῆ τεκμήρια.
Θ Κύκλος τὶς ὡς τόρνοισιν ἐκμετρούμενος
Οὗτος δ' ἔχει σημεῖον ἐν μέσῳ σαφές.
Η Τὸ δεύτερον γὰρ πρῶτα μὲν γραμμαὶ δύο.
Ταύτας διείργει δ' ἐν μέσαις ἄλλη μία.
C Τρίτον γὰρ βόστρυχός τις ὡς εἱλιγμένος [*]

[*] Errant hic Typothetæ, cùm in margine ponunt nomen θησευς: *non enim minuſculas literas, ſed capitales ob oculos proponit Ruſticus; & errant literam* Σ *quarto & ſexto loco ponendo; eſt enim C. & non* Σ *litera quam ille depingit.*

Tὸ

Τὸ δ' αὖ τέταρτον ἦν εἰς ὀρθὸν μία.
E Λοξαὶ δ' ἐπ' αὐτῆς τρεῖς κατεστηριγμέναι
Εἰσίν. τὸ πέμπτον δ' οὐκ ἐν εὐμαρεῖ φράσαι.
Υ Γραμμαὶ γάρ εἰσιν ἐκ διεστώτων δύο.
Αὗται γὰρ συντρέχουσιν εἰς μίαν βάσιν.
C Τὸ λοίσθιον γὰρ τῷ τρίτῳ προσεμφερές. [*]

Quos verſus Natalis Venetus ſic reddidit.

Cum literarum non peritus ipſe ſim
Dicam Figuras ſignaq; evidentia.

Θ Eſt Circulus torno velut factus bene
Signumq; habens in ventre quod clarè patet.
H Binas ſecunda forma lineas tenet
Diſpeſcit medio incidens mox altera [a]
C Cincinnus inde tortus ipſa tertia.
E Subit Figura quarta recta linea
Tres incidentes [b] dividunt hanc lineæ.
Y Quintam minus promptum ſit ipſam dicere,
Sunt differentes lineæ inter ſe duæ
Quæ conveniunt ambæ ſimul in unã baſim.
C Extrema differt nil figura à tertia.

a] *Secundus per ſcit me eſt Trochaus, & Iambus eſſe deberet. Et vox* incidens *ſecũdam corripit. Ergo venit à* cado, *non à cado.*

b] *Et idem de voce* incidentes *dicendũ eſt.*

Fuit curioſè imitatus Euripidem D. Franciſcus de Azevedo, in Comœdia, quę obſidionem expugnationemque Granatenſis Civitatis proponit, nonnulloſque mirabiſes caſus & occaſus recenſet. Vult Legionarium Lucium adoleſcentem generoſum, Armindæ ſponſum, dum cum Chriſtianis copiis audacter adverſarios aggreditur, vulneratum & captum poſtridiè mortuum: & cum pompa militari (nam etiam apud hoſtes habetur nobilitatis & dignitatis ratio) poſtridiè conditum in ſepulchro marmoreo, cui inſculptum fuit ab infortunii ſociis in Caſtellana lingua nomen LVCIO.

Hæc cogitata Hiſtoria inſolentiis non caret; & inter alias hæc eſt animadverſione digna; Nam Principum illuſtrium cadavera non ſepeliuntur apud hoſtes, ſed redimuntur auro, ut in ſuorum avorum condi poſſint ſarcophago.

Ergo Armindam audiunto.

Arm. *No tengo un rato de guſto,*
Deſpues de Lucio eſta preſſo
En la Ciudad de Granada
En manos del Saraceno. [a]
Pero alli viene un Trompeta
Del Rey Chico, Caballero.
Porque cauſa ſe ha hecho ſalva?
Que hay en la Ciudad de nuevo.
Tubicen. *De nuevo nada, Señora,*
De viejo ſi; que ſe ha muerto
De los Chriſtianos cautivos
Vn valeroſo mancebo.
Armind. *Pero como ſe llamaba?*

a b] *Ab Iſmaele Mauri & Turca proveniunt. Sara illã nomine progenuit Agar, &* ideò Iſmaelitæ, Agareni, & Saraceni *dici ſolent. Quia tamen Sara erat domina, Agar ancilla, illos (ut in* a*) honoris gratia* Saracenos, *& (ut in* b*)* Agarenos, *vocamus, ubi eos contemnimus, & vilipendimus.*

Tubic. *Eſſo no lo ſe por cierto;*
Pero por algunas ſeñas,
Pues que guſtais de ſaberlo,
Explicare brevemente,
Señora, el nombre del Muerto,
Que aunque de leer y eſcribir
No tuve jamas Maeſtro,
Las Letras, que ſus Amigos
En el Marmol eſculpieron,
Sin ſaber como ſe llaman,
Las pintare por lo menos.
La primera, era dos lineas
Vna en pie y otra en el ſuelo. L
Y la ſegunda un Compas,
Las puntas vueltas al Cielo. V
La otra de una nueva Luna
Repreſentaba los cuernos. C
Era la quarta un baſton
Delgado pero derecho I
Y ultimamente la quinta
Era un Circulo perfecto. O
Armind. *Moro, que has dicho? que has dicho?*
Mira, Traydor, que me has muerto.
Lucio es el que ſe murio:
De Lucio ha ſido el Entierro;
Lucio me dicen las ſeñas,
Que me ha dado el Agareno. [b]
El fin mi vivir no ſupo;
Yo ſin el vivir no puedo.
El fin mi vivir no quiſo,
Yo ſin el vivir no quiero.

Nomen *LVCIO* per Figuras Literarum deſcribitur.

Literarum Figuras à Tubicine verbis deſcriptas Arminda colligit, & diſcit illis exponi nomen *LVCIO*.

Sicut apud Euripidem ille imperitus Ruſticus deſcripſit aliquorum Græcorum Characterum figuras, potuiſſet alius omnes depingere, ſi placuiſſet Euripidi. Idem de Abecedario Hiſpanico, cujus nonnullas Tibicen literas verbis expoſuit, dixero. Cæterum, quia Carmina, quæ in noſtræ Metametricæ Apolline Acroſticho Muſa I. leguntur, figuram Hebraicorum characterum concernunt, uberioris doctrinæ gratia illa ſubjicio.

Hebraorũ Characterum figura verbis repræſentantur.

ALEPHBETHVM.

Aleph *curva refert præfortis cornua tauri.* א
Beth *domus eſt, veterem ſervans Hebræa figuram.* ב
Gimel *gibboſi mentitur terga cameli:* ג
Dalet *porta patens, venientes excipit omnes.* ד
He *loquitur digitis & nutu ſingula prodit.* ה
Vau *retinet clavi, periit quo Siſera, formam.* ו
Zaiin *Herculeum vibrat cum turbine fuſtem.* ז
Chet *terret reprobos, Vitam credentibus adfert.* ח

Thet

Theth *coclea formam repræſentare videtur.* ט

Iod, *ſi vis, manus iſti: ſi vis, confeſſio fit.* י

Caph *bene depingit creſcentis cornua Lunæ.* כך

Lamed *ad prunas vitulorum corpora torret.* ל

Mem *maculas veſtes, maculatas abluit unda.* מם

Nun *ſibi piſcis erit primò, poſt filius infans.* נ

Samech *vipereo reflexum ſibilat ore.* ס

Aiin *fontanam præbet ſitientibus undam.* ע

Pe *Domini celebres in laudes ora reſolvit.* פף

Tzade *ſetigeris acuit venabula porcis.* צ

Qoph *celeri ſaltu ſcandit quaſi ſimia malum.* ק

Reſc *quandoq; caput, nonnunquam denotat Irum.* ר

Scin *ſua Neptuno præfert regalia ſceptra.* ש

Thau *ſacra forma Crucis, ſignans in fronte fideles.* ת

Vltima linea antiquam formam hujus characteris deſcribit; olim enim apud Hebræos *Thau* habebat formam, quam hodie apud Latinos *Te*, & apud Græcos *Tau*.

Cum antepenultimam ſcribebat Poeta recordabatur in Proverb. 10. 4. legi ראש ו רש *pauper*.

SECTIO III.

Exponitur Rei, aut Perſona nomen per pronunciationem Literarum.

Singulæ literæ ſuum valorem determinatum habent: poſſunt enim ſingulæ à cæteris per ſonum & pronunciationem diſcerni.

SIngulæ Literæ ſuum ſonum reddũt,& propriam prolationem habent. Quo ſingulæ modo debeant exprimi Martianus Capella expoſuerat, illumque imitatus Quintianus Stoa hos Hexametros edidit.

Abecedarivs.

A *ſub directo memorabilis oris hiatu eſt.*

B *ſimul incluſis profertur utrinque labellis.*

C *linguam adpulſos compellit adusque molares.*

D *cogit ſuperos linguam contingere dentes.*

E *paulum preſſa profertur gutture lingua.*

F *labrum inferius ſuperis cum dentibus urget.*

G *dumus extremum urget cum lingua palatum.*

H *oritur tractis cum ventus faucibus halat.*

I *linguam impellit collidi dentibus imis.*

K *fauces formas media cum parte palati.*

L *facit extremum contingens lingua palatum.*

M *cùm ſit preſſum premitur per utrumque labellum.*

N *lingua adpulſa collidit litera dentes.*

O *venit, exoritur cùm ſpiritus ore rotundo.*

P *datur, eruptis ter litera quinta labellis.* [a]

Q *fit in adpulſu, cum ſtringimus ora palati.*

R *facit, ut ſupero criſpetur lingua repulſu.*

S *cùm fit, peragit colliſo ſibila dente.*

T *lingua impulſu contactis dentibus exit.* [b]

V *facit os ſtrictum, ſic promula labra fatigat.*

X *reddit quidquid C atq; S formare videmus.* [c]

Y *pſilon apprenſis labris procedere juſtum eſt.*

Z *eta ſepulchrales imitatur concita dentes.*

a] *Quaris qui appellat illud ter l hoc eſt, An hac litera ter quinta ſit; an verò ter labiis eruptis proferatur? Reſpondeo illud ter debere cum quinta conjungi, P enim in abecedario locum quintum decimum obtinet.*

b] *legi debet* linguæ *non* linguam, *ut in aliquibus libris habetur.*

c] *Latinorum X, eſt duplex litera, & non ſemper repræſentat C & S, nam aliquando ponitur pro G. & S. ut ex ſequentibus conſtare poterit. Nam* Luceo *in præterito dat* luxi, *&* Lugeo *etiam* luxi, *at ibi* luxi *eſt* luc-ſi, *& hic eſt* lug-ſi.

In noſtra Metametrica *loc. cit.* Characterum hanc etiam deſcriptionem reperio: & illam ſubſcribere volui, quia multas Latini Abecedarii Literas ex pronunciatione diſtinguit.

Abecedarivs Philosophicvs.

A *Voce vocat pluviam princeps de robore cornix.*

B *Pone bidens viridi poſt matrem balat in herba.*

C *Inde ſuis fulget formoſa coloribus Iris.*

D *Iuxta dimidia clareſcunt cornua Luna.*

E *Sterno maritalem Rhenana per oppida lectum,*

F *Eolibus ſolis, & Gracis cognita vivo.*

G *Rite repreſento coclearum concava tecta.*

H *Quem mihi Cres aufert, reddit Romanus honorem.*

I *Noſtra cavernicolis vox eſt gratiſſima gryllis.*

K *Me Latii coluere Patres, odere nepotes.*

L *Gramina falce meto, vitulis jentacla futura.*
M *Plus reliquis valeo Connymphis omnibus una.*
N *Zura forem, niſi me juſſiſſent ſtare Quirites.*
O *Sphæra Syracoſii ſum cognita clara Magiſtri.*
P *Inter Cadmæas ſoleo latrare ſorores.*
Q *Auſoniæ ſolùm virtus mea nota per oras.*
R *Parva fuit noſtri Latiis reverentia priſcis.*
S *Contempsère meum ſemper male numen Athenæ.*
T *Belgica præcipuè ſummo me tollit honore.*
V *Ingeminant Vlulæ noſtram ſub nocte Poeſim.*
W *Germanus triſtem Vates denunciò cladem.*
X *Ferre Crucem doceo, vincet me quiſque Magiſtra.*
Y *Pythagoras noſtrum primus detexit honorem.*
Z *Heſper ſum Roma, genuit me Græcia Civem.*

Et hunc Abecedarium *Philoſophicum* vocari placuit, quia in multis Literis modum realem & phyſicum, quo illæ proferuntur exponit. Supereſt, ut eum ſcholiis ſequentibus dilucidemus.

NOTÆ.

VT meliùs intelligantur Carmina præcedentia, addimus hæc ſcholia.

Quæ ſit Cornicis litera?

A) exprimit ſonum Literæ, quoniam Cornix exprimit vocalem *A.* Virgilius.

Tunc Cornix pluviAm plenA vocAt improbA voce
Et ſolA in ſiccA ſecum ſpectAtur ArenA.

An Oves belent potius, quàm balent?

B) Etiam à voce nomen habet; unde mirari debeat, cur oves, cùm dicant *be*, à Nomenclatore *balare* dictæ ſint, cum deberent *belare*.

De Arcu Caleſti.

C) Convetit ad Iridem oculos; quæ, quia Arcus repræſentat imaginem *el Arco* ab Hiſpanis vocatur. Etiam Latinè *Arcus* dicitur, & in hac ſignificatione ſolet per ſecundam inflecti. Cicero de nat.deor. *Cur autem Arci ſpecies in Deorum numerum non reponitur*. Et quia *Iris* Græcè fæmenini generis eſt, ut *Arcus*, ubi *Iridem* ſonat, fæmenini eſſet generis, Ennius juſſit.

Cujus generis ſit nomen arcus?

D) Poeta hic, non ſonum,ſed figuram reſpexit.

Quo modo Matrimonium appelletur Germanicè.

E) ſyllaba eſt, quæ Germanicè *matrimonium ſignificat*.

Quæ ſit Digamma?

F) *Digamma* à figura vocatur, nam ſuum Gamma Græci pingunt ſic. Et hanc ob rem *litera ſcandens literam* nominatur à Plauto. *Æolica litera* appellatur interdum, quoniam ejus pronunciatione & figura Æoles utebantur; nam ſicut Hiſpani veteres,ubi juniores *hallo*,*hiço*,*hijo*, &c. dicimus,*fallo*,*fizo*,*fijo*,&c.dicebant,ſic ponebant F Æoles,ubi denſam aſpirationem Attici.

G) In hoc figuram carmine Poeta conſideravit.

An Aſpiratio ſit litera?

H) Verum eſt hodie,quod hic dicitur; nam Græcus non numerat inter literas aſpirationem: at illam olim numerabat. Voſſius de arte Grammat. libr. 1. cap. 16. pag. 71. ſub fin. [Vt Attici ponunt H in verſu,idq; tum initio,tum medio; ita Æoles utrobique pro eo F ſcribunt. Attica enim eſt ſcriptura ΗΟΔΟΣ, & ΕΝΗΟΔΙΟΣ, ac Æolica eſt FOINOΣ & TAFΩΣ, pro οἶνος & ταώς. Sane ſemel iterũque [*] teſtatur Priſcianus ſeſe in tripode vetuſtiſſimo, qui ſtabat in Xerolopho Byzantii inveniſſe ſic ſcriptum ΔΗΜΟΦΟFΩΝ ΛΑFΟΚΑFΩΝ.&c.]

*] *libr. 1. cap. de numero literarum; & libr. 6. quo loco de terminatione oi agit.*

I) Sonum reſpicit,quem grylli proferre videntur.

An K fuerit à Latinis recepta?

K) In manuſcriptis antiquis etiamnum legitur *Kajus*, *Kaſar*, &c.

Quo modo differant inter ſe voces Podon, Hoz & Guadaña.

L) Figuram Poeta expreſſit, eſt enim falci ſimilis,qua ruſtici fœnum demetunt; nempe illi,qua armatur in picturis Mors, & vocatur ab Hiſpanis *Guadaña*. Et hic obiter nota,hæc Hiſpanica nomina *Podon*, *Hoz*,& *Guadaña* differre inter ſe, & tamen pro omnibus poni Latinè *Falcem*. Eſt autem, *Podon*,falx parvula,qua arborum ramuſculi ſuperflui amputantur. *Hoz* autem eſt falx quædam major,qua demetuntur ſegetes; & tandem *Guadaña* illa falx maxima, qua fœnum cæditur.

Quænam literæ ſint Numeraria in Abecedario Latino?

M) Convertit ad aritmethicam Poeta oculos; nam literæ quibus Romani uti ſolent in numeris, ſunt I.V.X.L.C.D.M. & valent, 1.5.10.50.100.500.1000. Plus ergo valet ſola M.quàm cæteræ literæ ſimul ſumptæ.

N) Hæ duæ literæ N & Z ſola differre poſitione videntur.

Cur ȣ quando ſonat ut O corripi debeat?

O) In voce Syracoſii corripiunt Virgilius & Ovidius illud *co*, tametſi Græcè Συρακȣ́σιος per ȣ diphthongũ ſcribatur. Et correptionis ratio hæc eſt, Diphthongus ȣ producitur,nam eſt OY,& duas vocales habet;ubi ergo perdit alteram vocalem, in prolatione minus tempus impendit. Et hæc litera Sphæricam figuram habet.

ad D. Gaſconem Foxii Com item divertit. Et Comes gaudio ſuffuſus ſic exclamat.

Dominus Mãrique de lara, valgò el Torneador, Heros in Hiſpania notiſſimus.

D. Gasc. *Valgame el Cielo. En mi caſa*
Tengo al Conde Don Manrique?
Su dicha el alma publique
Pues tan adelante paſſa.
Deſde oy famoſo Eſpañol,
Conoſciendo la ganancia,
Que ha de tener con vos Francia
Embidia me tendra el Sol.
Pues yo ſe del que ſo honrara
La luz de ſu quarta Eſfera,
Si por ſu gueſped tuviera
A Don Manrique de Lara.
Mas pues yo ſolo mereſco
La honra, que me aveis dado,
La vida, hazienda, y eſtado,
Con los braços os ofrezco.
D. Manriq. *Eſſos eſtimo de modo,*
Que el pecho que los recibe,
Se honrara en ver que en vos vive
El valor de Francia todo.
Con ellos, y ſi baſta aqui
Contra la fortuna ayrada,
De mi deſdicha paſſada
Quexas inutiles di;
Ya famoſo don Gaſcon
Sus rigores agradeſco,
Pues que por ellos merezco
Veros en eſta occaſion

Fuit fœlix quoniam infœlix fuit.

Pues ſi quanto havia perdido,
En vueſtra amiſtad he hallado,
Sino fuera deſdichado,
Deſdichado huviera ſido,
Perdiendo el no conoceros.
D. Gasc. *Ya yo ſe, que en corteſia*
Venceis, como en valentia
A los demas Cavalleros.

Concludit ergo D. Manriquus, dicens, *Si no fuera deſdichado, deſdichado huviera ſido*, hoc eſt, *Si non fuiſſem infelix, fuiſſem infelix.*

Verba Eccleſiæ digniſſima ponderatione.

Hæc doctrina eſt generalis, & in prima Theologiæ fundamenta ſe inſinuat: nam die Sabbati Sancta in Ecclesia ad Cerei benedictionem cantatur, *O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt. O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* Homo igitur eſt ab infortunio fœlix: & niſi fuiſſet infœlix, modò fœlix non eſſet. Si non peccaſſet Adam, Verbum Æternum carnẽ humanam non ſumpſiſſet. Sic Angelicus Doctor, & tota Eccleſia Thomiſtarum definit. Peccavit homo: æterna merebatur ſupplicia: ſed Deus, qui cum miſeretur, miſericordiæ recordatur, eum dignatus eſt adjuvare & redimere, & Redemptionis fœlicitatem non habuiſſet, ſi non peccaſſet.

Ideò homo fœlix eſt, quòd fuerit infelix.

Contradictionem tollit temporis & cauſæ mutatio.

Porrò hæ propoſitiones, *Fuiſſem, Non eſſem*; & *Eſſem, Non eſſem*: nec non *Non fuiſſem, Eſſem, & Non eſſem, Eſſem*; ſibi non contradicunt: nam ſunt de diverſis temporibus, & caſus diverſos afficiunt.


SECTIO XIV.

De Humanorum Actuum Oppoſitione.

In quonam ſita ſit actuum humanorum oppoſitio?

Propoſitiones omnes, actus ſunt intellectus; & ideò poſtquam de Propoſitionum Oppoſitione, & Æquipollentia diſputavimus, de aliorum actuum intellectos voluntatis, &c. Oppoſitione, & Æquipollentia differamus. Hic jam non quæritur, an in veritate, aut falſitate, ſed an in exiſtentia opponantur? Et, ne multis te onerem, placet de *Aſſenſu*, & *Diſſenſu*; *Volitione*, & *Nolitione*; *Affirmatione*, & *Negatione*; *Occultatione*, & *Revelatione*, &c. breviter impræſentiarum diſputare.

Ne hos Paradigma plurie cogeremur reponere, quatuor in unicum congeſſimus, quæ diſtinximus numeris, ut ſciat lector, quinam termini ad ſingulos ſpectent?



Pri-

De Aſſenſu & diſſenſu.

PRimi actus, qui conſiderantur, & notantur ſigno (1) ſunt *Aſſentior, Diſſentio, Non aſſentior, Non diſſentio*: quorum priores ſunt poſitivi, & poſteriores negativi.

Porrò *Aſſenſus*, & *Non-aſſenſus circa idem objectum* ſunt termini contradictorii, nec de abſoluta Dei potentia poſſunt ſimul in eodem intellectu coexiſtere. Et in hoc nemo unquam reperit difficultatem. Sed neque poſſunt ſimul abeſſe. Hæc enim eſt contradictoriorum terminorũ natura, ut ſi alter adſit, alter abſit omninò: nec poſſint, aut ſimul adeſſe, aut abeſſe. Et eodem modo de *Diſſenſu* & *Nondiſſenſu* debebimus philoſophari.

Non-aſſenſus, & *Non-diſſenſus circa idem objectum* poſſunt ſimul adeſſe, qui enim dubitat, nec aſſentitur, nec diſſentit.

An dubius in Fide ſit hæreticus.

Petis, *An, qui dubitat de veritate Propoſitionum Fidei Chriſtianæ, ſit Hæreticus?* Antonius Cotonius *in ſumma. verb. Hæreſis. num. 1. & 2.* reſpondet dicens. [Hæreſis eſt error hominis Chriſtiani in rebus Fidei cum pertinacia. Vt ergo quis ſit Hæreticus, requiritur primò error in intellectu: quamvis enim extrinſecus Dœmonem colat, aut quotcumque actus hæreticos exerceat, ſi benè credit, non eſt hæreticus; quamvis, quia hæc crimina indicant internum errorem in Fide, poſſit ab Inquiſitoribus puniri, ut dicemus *verb. Inquiſitorum Iuriſdictio in qua delicta?* an verò à ſimplici Confeſſario abſolvi poſſit? dictum eſt *verbo. Abſolvere ab hæreſi*. Vide Dianam *part. 1. tract. 5. reſol. 1. & par. 4. tract. 4. reſol.* 240. *in fin.* Error autem intellectus debet eſſe cum aſſenſu poſitivo; hæreſis enim eſt erroris electio: unde dubius in fide non eſt hæreticus poſitivè, ſed tantùm privativè, quatenus caret aſſenſu Fidei. Et ita intelligi debet authoritas Stephani Papæ *in cap. 1. de Hæretic.* ut ſatis probabiliter, & tutè explicant Puteanus *in 2. 2. qu. 11. art. 2. dub. 2.* & alii contra Fabrum *de Sacram. Ordinis. diſt. 25. qu. 5. diſp. 3. cap. 4. num. 112.*] Ego autem cum Fabro pronuncio eum, qui de veritate Fidei Chriſtianæ dubitat, hæreticum eſſe poſitivè: tam enim injurius infinitæ Dei veracitati, qui dicat, *Falſum eſt Deum eſſe trinum*, quàm ille qui dicat, *Dubium eſt Deum eſſe trinum*; quoniam infinita veracitas, ſicut omnem falſitatem, ſic etiam omne dubium excludit. Nec hoc negat Cotonius; nam ſibi contrarius ſubjungit eſſe nimirum hæreticum poſitivè dubitantem, quando ſupra dubium reflectens eliceret judicium erroneum ſpectans *res Fidei eſſe ſolum probabiles*; & citat Dianam *part. 2. tract. 19. reſol.* 51. Ergo, ſi poſitivè eſt Hæreticus, qui dicit, *Merè probabile eſt Deum eſſe trinum*; etiam erit à fortiori Hæreticus poſitivè, qui dicat, *Dubium eſt Deum eſſe trinum*; nam magis certitudini opponitur Dubium, quàm Probabilitas. Videtur Cotonius Dubium, cum Animi Suſpenſione confundere: nam Suſpenſio in actus carentia conſiſtit, at Dubium eſt actus poſitivus, cum carentia Aſſenſus, & Diſſenſus neceſſariò connexus. Hanc differentiam inter animi Suſpenſionem, & Dubium, clariſſimè voces exponent. Suſpendit linguam, qui tacet: dubitat lingua, qui *Vtrumque eſt incertum*, pronunciat. Ergo ſuſpendit mentem, qui neutrum cogitat: mente autem dubitat, qui utrumq; eſſe incertum affirmat. Porrò, quia præcepta in poſitiva, & negativa dividuntur; &, ut ſcitè docet S. Thomas 1. 2. *qu. 33. art.* 2. negativa omni, poſitiva nonniſi determinato tempore obligant; hinc eſt eſſe circa Fidem duo præcepta: nempe *Crede*, & Ne *decrede*; hoc eſt negativum, & ſemper obligat: illud eſt poſitivum, & non ſemper obligat: nam licet nullo tempore poſſis Fidei poſitiones decredere, non tamen ſemper debes actu illas credere, ſed potes licitè alias res cogitare, quando credendi præceptum non inſtat. Hæc doctrina eſt generalis, & ad alias materias extenditur: nam, ſi agamus de Præcepto, *Non concupiſces*, tametſi nunquam poſſis concupiſcentiæ aſſentiri, non tamen ſemper teneris poſitivè diſſentire, niſi fortè per accidens ex diſſenſus carentia in conſentiendi conſtituaris periculo; tunc enim per accidens poſitivè diſſentire teneris: nam propter hoc periculum malæ cogitationes, *ut attigerunt animum, reſpui debent*; ut ait S. Auguſtinus *libr. 12. de Trin. cap.* 12. Vide Ludovicum Abelly *in Medulla Theol. par. 2. tr. 2. cap. 2. ſect. 5. pag.* 291.

Quid ſit Hæreſis?

An hæreſis externa ſit vera Hæreſis?

De Hæreſi poſitiva & negativa.

Quæ à Deo dicta ſunt certa: & eadem nec dubia nec purè probabilia eſſe poſſunt.

Non ſuſpendit animum, qui dubitat: ſed actum poſitivum elicit.

Præcepta circa Fidem ſunt duo.

An debeas ſemper poſitivè concupiſcentiæ contradicere?

Tandem *Aſſenſus*, & *Diſſenſus circa idem objectum*, in eodem intellectu ſimul eſſe non poſſunt: & tamen ſimul abeſſe poſſunt.

Hinc patet Oppoſitionem inter Aſſenſum & Diſſenſum eſſe in coexiſtentia, non autem in abſentia: & ideò eſſe contrariam phyſicè: nam contraria phyſica apud Ariſtotelem ea ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubjecto mutuò ſe expellunt: Oppoſitionem verò inter *Non-aſſenſum*, & *Non-diſſenſum* non eſſe in coexiſtentia, ſed in abſentia tantùm. & ideò poſſe phyſicè Subcontrariam vocari: illamque, quæ inter Aſſenſum, & Non-aſſenſum, nec non inter Diſſenſum, & Non-diſſenſum eſſe adæquatam (in coexiſtentia, & abſentia) adeoq; eſſe realiter contradictoriam,

Aſſenſus & Diſſenſus opponuntur contrariè.

Quæ contraria qualitate dicantur?

Sup-

An Aſſenſus & Diſſenſus differant formaliter: an objectivè?

Supponit totus iſte diſcurſus Aſſenſum & Diſſenſum eſſe duos actus poſitivos, & diſtinctos ſpecie, ut cum Ariſtotele communis opinio fatetur: nam, ſi cum Herculе Logico Diſſenſus formales negemus, & differentiam ab objecto ſumamus, ita ut Aſſenſus ſit *Puta rem eſſe*, Diſſenſus verò, *Puto rem non eſſe*; in præcedentibus nonnulla alterare deberem: ſed volui in gratiam mei Lectoris communem tenere doctrinam, & juxta illam diſcurrere, & dialecticari.

An Volitio, & Nolitio differant formaliter; an objectivè?

SECVNDO loco alios quatuor actus proponam, qui notantur hoc ſigno (2) videlicet, *Volo, Nolo, Non-volo, Non-nolo*; quorum duo priores poſitivi, & duo poſteriores negativi, hoc eſt, actus carentiæ puræ ſint. Et etiam hic *Velle* & *Nolle* duos actus poſitivos, & oppoſitos eſſe ſuppono, quod etiam opinabatur Vlpianus *lib.3. ad Sabinum*; cum dixit, *Ejus eſt non nolle, qui poteſt velle*: cui *lex 4. de adquir. hæred.* conſonat. Nam ſi *nolle* eſſet *non velle*, tunc *non nolle* eſſet *non non velle*; & quia duæ negationes ſe elidunt, & affirmationi æquipollent, eſſet *velle*: & Regulæ eſſet ſenſus, *Ejus eſt velle, qui poteſt velle*; & tunc non eſſet doctrinalis, ſed fere identica.

Duæ negationes affirmant.

Eamdem rem eodem ſenſu, idem homo non poteſt ſimul velle, & non velle.

Porrò *Volitio*, & *Non-volitio* (volitionis carentia) nec non *Nolitio* & *Non-nolitio* (nolitionis carentia) ſi agatur de eodem objecto, ſunt termini realiter contradictorii; &, ne quidem de abſoluta potentia Dei, poſſunt ſimul eſſe, aut ſimul abeſſe ab eadem Humana voluntate, aut Angelica. Sed contra ſic argumentaris. Datur caſus, in quo aliquis velit & nolit ſimul: nam, quæ quis ex ignorantia, aut metu facit, facit quia vult: non enim faceret, ſi nollet illa facere: interim à Iuriſconſultis in omni tribunali judicantur non velle. Ergo aliqua ſunt volita, & non volita ſimul. Aſſumptum probas: nam ſunt duæ in Iure Regulæ, quæ illud important. Prima eſt. *In totum omnia, quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi vera & certa ſcientia perfici poſſunt*. Ita Papinianus (vel certè Pomponius) *lib. 24. q.* Cui conſonat Paulus *lib. 35. ad Edict.* dicens. *Quidquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum eſt, quam ſi perſeverantia apparuit Iudicium animi fuiſſe. Ideoque brevi reverſa uxor, nec divertiſſe videtur*. Secunda Regula eſt, *Nihil conſenſui tam contrarium eſt (qui bonæ fidei judicia ſuſtinet) quàm vis aut metus: quem comprobare contra bonos mores eſt. Non capitur, qui jus publicum ſequitur. Non videntur, qui errant, conſentire*. Vlpianus *lib. 11. ad Edict.* & eruitur ex titul. *de his, qui vi, metus-ve cauſa*. Et agit de metu gravi, qui in conſtantem virum caderet, quoniam *vani timoris juſta excuſatio non eſt*, ut benè ait Celſus *lib. 7. Digeſt.* & ediſſeritur *leg. ſi quis ab alio. De re judic.* Stat igitur eumdem hominem eamdem rem velle & non velle ſimul. Reſpondeo diſtinguendo hoc conſequens: & quidem eumdem hominem, eamdem rem, eodem ſenſu ſimul velle, & non velle nego: in ſenſu diverſo, concedo. Nec contrarium textus allati oſtendunt. Qui enim ex ignorantia, aut gravi metu aliquid vult, illud realiter vult, & in ſenſu reali eſt falſum dicere *Non vult*. At ipſe in ſenſu virtuali id non vult, quia prudentum æſtimatione ita ſe habet, ac ſi nollet; & ideò in ſenſu virtuali ſicut eſt verum dicere, *Non vult*. Ita eſt falſum dicere, *Vult*.

De Volitionis & Nolitionis carentia.

Præterea *Non volitio*, & *Non nolitio* (Volitionis, & Nolitionis carentiæ) coexiſtere in eadem voluntate poſſunt: at ſimul abeſſe non poſſunt. Quoniam quando hæc ſcribebam, Romæ non recordabar, adeoque nec volebam, nec nolebam illam Vrbem adire.

An, & quomodo eſſe poſſint in homine voluntates contrariæ?

Tota tandem eò vertitur difficultas, ut exponam, an *Volitio*, & *Nolitio* in eadem ſimul poſſint voluntate coexiſtere? Videretur quod ſic: nam Gentium Apoſtolus ad Galatas ſcribens ait. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*. Et ad Romanos 7. *Quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Experiebatur ergo in ſe Paulus duas voluntates contrarias: oppoſitas quidem formaliter & entitativè, nam erat Volitio, & Nolitio ejuſdem boni, aut mali; vel etiam aliquando oppoſitas objectivè, nam erant duæ poſitivæ Volitiones, altera boni, & altera mali. Has etiam experiebatur ille, qui lachrymis ſuffuſus clamabat,

Vocem illam peccatum non ſumi hic pro concupiſcentia, non quod peccatum ipſa reverà ſit, ſed quod ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, definivit Sancta Synodus Tridentina.

Quod luget Paulus, univerſi experiuntur.

Nec

Nec ſine me tandem, nec mecum vivere
poſſum.

Et quia ex eadem maſſa ſumus ficti, has in nobis univerſi experimur.

Quomodo animantes regantur?

Reſpondeo ejuſdem objecti Volitionē, & Nolitionem in eodem ſubjecto eſſe nō poſſe. Nec contra verba Apoſtoli militant, nec nos experimur contrarium, *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Et, ne ſitis eis ſimiles, eos attentè contemplemini. Appetitu reguntur. Bibunt, comedunt, laſciviunt, & quo ſenſualis eos pellit delectatio, ſine regula ſuperiori feruntur. Hominis anima, tametſi unica, & ſpiritualis ea ſit, eſt ſimul vegetativa, ſenſitiva, & rationalis. Habet ſicut inſtinctum communem brutis, intellectumque communem Angelis: ſic habet appetitum materialem correſpondentem inſtinctui, & voluntatem correſpondentem intellectui. Appetitus ſenſitivus in homine non eſt liber formaliter, quoniam liberum arbitrium pertinet ad voluntatem. *Caro* (appetitus ſenſitivus) *concupiſcit adverſus ſpiritum* (adverſus voluntatem ſpiritualem). Tunc igitur, ſi *concupiſcere* eſt in ſenſitivo appetitu, & *deteſtari* eſt in rationali (in voluntate) non ſunt in eodem ſubjecto. Eamdem igitur rem non proſequitur, & fugit appetitus ſenſitivus: & eamdem non proſequitur & fugit appetitus rationalis (voluntas) ſed quam ſenſitivus appetitus proſequitur, deteſtatur voluntas. Non ergo ſunt Velle, & Nolle (Proſequi & Deteſtari) in eodem ſubjecto.

Humana anima tres diſtinctas habet formalitates.

Inſtinctus ab Intellectu, & Appetitus diſtinguitur à Voluntate.

Fuga & Proſequutio ſunt in diverſis ſubjectis.

An ejuſdem rei eſſe ſimul poſſint volitio & Nolitio ob diverſa motiva?

His tamen non obſtantibus non eſt tanta inter ejuſdem rei Nolitionem, & Volitionem contrarietas, ut non poſſit elidi ex diverſis motivis: contingit enim frequentiſſimè, ut eamdem rem horreamus & deſideremus, propter concomitantes circūſtantias. Rem hoc exemplo expono.

D. Paſchaſius, Neapolitanus Prorex, Inquiſitor ſupremus renunciatur.

D. Paſchaſius Aragonius, S.R.E. Cardinalis, erat Neapoli Prorex: & quia eſt integerrimus, & benigniſſimus, ab univerſis amabatur, & ſuſpiciebatur. Ut audiit Populus, ſummum eum Quæſtorem contra Hæreſes (Hiſp. *Inquiſidor General*) à Rege noſtro renunciari, in lachrymas, & gaudia profuſus, dolebat & delectabatur. Gratulabatur illi, & ominabatur majora, ſed condolebat regno, cujus ſalus ab illius vigilantia pendebat. Prodierunt multa Illuſtrium Ingeniorum carmina: ſed quia D. Michaelis de Rubeis Diſticha meam hanc de Volitionis, & Nolitionis ob diverſa motiva coexiſtentia dilucidant, illa huc adnecto: cecinit enim ſic.

Gaudet & dolet populus.

Later, an in mæſtas abeat mea lingua querelas
Fluctuo, & ancipitem me mea cura rapit.
Deſtinas ad magnū te dives Iberia munus,
Ut ſit, te ſummo vindice, tecta fides.
Arbitrio ſtet nixa tuo illibata vetuſta
Relligio: quæres crimina, & ultor eris,
Par oneri virtus: pietas par: æmulus ardor
In ſuperos: conſtans robur, & alma fides.
Candorem, quem mente geris, ſervabis avito
Robore; dia fides nulla pericla feret.
In fidei obſequium vindex armabitur oſtrum,
Et tuus ipſe cruor, ſi illius optet opem.
Interea qui ſenſus erit tibi Regia Siren,
Cum fuerint rapidis credita vela notis?
In te pugnabis juſſis contraria votis;
Læta iter expedies; mæſta negabis iter.
Quod tibi ab Eſperia regalis venerit Heros
Geſtis; quod rapiat tam citò, mæror habet.
Expertam nolles tam dulcia fræna regentis;
Major ab amiſſo plaga doloris erit.
Sic partire tuos Siren mæſtiſſima ſenſus
Ne procul eſſe pates, quem prope ſiſtet Amor.

Erant Paſchaſii Aragonii, majoru hoc præmio, & ideò fuit etiā ad Toletana Eccleſia Pōtificatū promotus; ubi atatis annos vita innocentia & morum elegantia ſuperans eſt Juſtitia Vindex Clero forma, & pauperum ſolamen & pater.

Eſt D. Michael magni ingenii adoleſcens, & licet altioribus impalleſcat ſtudiis, etiā cum induciæ permittunt, humanioribus vacat.

De Affirmatione & Negatione.

TERTIO conſiderentur iſti actus: *Affirmo, Nego*: *Non-affirmo, Non-nego*; quorum priores ſunt poſitivi; & poſteriores ſunt eorumdem carentiæ.

Nec aſſerit, nec negat, qui tacet.

Sanè *Affirmatio*, & *Non-affirmatio*: & etiam *Negatio* & *Non-negatio*; ſunt termini realiter contradictorii: adeoq; nec ſimul eſſe, nec ſimul abeſſe poſſunt, & hoc etiam de potentia Dei abſoluta.

Cur non poſſimus rem ſimul affirmare & negare?

Cæterum *Non-affirmatio*, & *Non-negatio* opponuntur inter ſe ſubcontrariè, non enim in exiſtentia, nam ſimul coexiſtere poſſunt, & frequenter coexiſtunt; ſed in abſentia, non enim ſimul abeſſe poſſunt. Et quidem poſſe & ſolere crebrò ſimul coexiſtere, demonſtratur clariſſimè, nam qui dormit, qui tacet, nec affirmat, nec negat. Hinc patet *Affirmationem & Negationem* non poſſe eſſe ſimul: nam una & eadem lingua non poteſt ſimul duas dictio-

ctiones proferre; nam ratio motus poſtulat, ut una proferatur poſt aliam. Ergo Affirmatio, & Negatio opponuntur contrariè.

An homines tacendo loquantur?

Dices, homines etiam tacendo loqui: nam Bonifacius VIII. Regulas Practicas Iudicibus præſcripſit in Sexto, & *num.* 43. hanc, *Qui tacet conſentire videtur*; quam dilucidant, Laymannus *libr. 1. tract. 2. cap. 3. num. 3.* Coſcanus *de Voluntario* 29. Azor *lib. 1. cap* 40. Paulus Zehetner *de Pænit. fol.* 390. Reginaldus *libr.* 25. *num.* 76. *&* 284. Pirrus *qu.* 55. *Theſ.* Relig. *& libr. 2. cap.* 40. & tandem ego diverſis in locis, & ſuperiùs hoc ipſo tom. *in Prodromo Art.* 4. Conſonat hæc Regula verbis Vlpiani *lib. 20. diſput.* dicentis *Semper, qui non prohibet pro ſe intervenire*, (videlicet, ſi prohibere poſſit & debeat) *mandare creditur*; quæ adducit, & benè expendit Laymannus *ubi ſupr.*

Impoſſibilium nulla obligatio eſt. Celſus libr. 8. D. geſt.

Conſultò illam interpoſui parenteſim, *ſi prohibere poteſt & debet*; nemo enim tenetur ad impoſſibile; nam, ut ſcitè lib. 5. ad Edictum Paulus ait. *Nullum crimen patitur*, (incurrit) *qui non prohibet cum prohibere non poteſt*. Vide Titul. *de his, qui not. infam. & leg. liberorum eodem titul.* & alias ſubſequentes connecte. Itaque his præmiſſis diſcurris ſic. Qui tacet, nec affirmat nec negat: quoniam affirmare, & negare eſt loqui; &, qui tacet, non loquitur: & tamen qui tacet, affirmat & negat; quoniam qui tacet conſentire videtur; unde, ſi aſſerenti conſentit, affirmat; &, ſi neganti, negat. Dantur ergo duæ contradictoriæ ſimul veræ. Lex igitur de contradictione, quæ inviolabilis credita, jam tandem aliquando violatur.

Si mutetur Propoſitionum ſenſus tollitur contradictio.

Reſpondeo, ut paulò antè dicebam, duas Propoſitiones materialiter contradictorias eſſe ſimul veras, aut ſimul falſas, ſi ſenſu diverſo ſumantur. Vnde, qui tacet, ſi ſenſu reali voces intelligamus, nunquam loquitur: ſi virtuali aliquando loquitur. Quam ob rem illæ duæ Regulæ, *Qui tacet conſentire* (affirmare, ſi affirmes; & negare, ſi neges) *videtur*, & Is, *qui tacet, non fatetur, ſed neque negare videtur*: (vel, ut Pauli *leg.* 185. D. *de reg. Iuris*. verbis utar, *Qui tacet, non utique fatetur, ſed tamen verum eſt, eum non negare.*) non opponuntur inter ſe, nam in priori prædicatum ſumitur in ſenſu virtuali, in poſteriori in ſenſu reali, & ideò utraque verificatur: & utraque eſſet ſimul falſa, ſi in prima prædicatum realiter, & in ſecunda virtualiter acciperetur.

De latronum Occultatione & Revelatione.

Venivnt tandem quattò conſiderandi hi actus; *Occulto, Revelo: Non-occulto, Non-revelo*; quorum etiam priores ſunt poſitivi, & poſteriores negativi; ſunt enim priorum meræ carentiæ & privationes. Et quidem in Regno Neapolitano hodiè ſummè neceſſaria videtur horum terminorum intelligentia; vexamur enim graſſatoribus; & leges, ut publicæ quieti proſpiciant, ne illi ab aliquo occultentur, ſtatuunt.

Quinam dicantur Graſſatores?

Vt autem ſcias, quos *graſſatorum* nomine ſignificemus *ex leg. capitulum* S. *Graſſatores*. D. *de pænis*; propono hæc verba Calliſtrati. *Graſſatores*, ait ille, *qui prædæ cauſa id faciunt, proximi latronibus habentur: &, ſi cum ferro aggredi, & ſpoliare inſtituerunt, capite puniuntur: utique ſi ſæpiùs, atque in itineribus hoc admiſerunt.* Perditiſſimi hi homines, niſi ab aliis foveãtur, ſubſiſtere minimè poſſent; nã ut habet Hiſpanorũ Adagiũ, *Si no huviera encubridores, no auria ladrones*; nam humana conditio non patitur, ut tota homo hyeme ſub jove dormiat, & in luto vel nive cubet: & hanc ob rem hujuſmodi nebulones ſemper habent in urbibus, & pagis amicos, apud quos, ſi fuerit opportunum latitent, & cibos neceſſarios recipiant.

Quomodo ſubſiſtant in hyeme?

Contra hos ſceleratorũ occultatores plurimæ Pragmaticę in hoc regno prodierunt quæ verbis fortè differunt, ſed non ſenſu: nam omnes cum prima, quæ à Carolo V. Imperatore, & Ferdinando Rege lata, conveniunt. In illa hæc lego. *Quibus ſumma occaſio erat, quod facinoroſi homines de facili poſt delictum, tutum receptaculum, ac ſecuram habitationem in pleriſque locis dicti regni invenire poterant. Latrones, cæteroſque facinoroſos receptant; & hinc ad delinquendum datur promtior licentia & temeritas.*

Contra latronũ celatores Pragmatica.

Brevem moram à longiori *leg.* 1. C. *de deſert. lib.* 12. Theodoſius Imperator diſtinguit: inquit enim, *Siquis fortè deſertorem agro tecto-ve ſuſceperit, atque apud ſe diu paſſus fuerit deliteſcere*. Conſidera illud *diu*: quoniam, qui brevi tempore, ſine lucro ſuo, nec alius damno, recipit graſſatorem, videtur à Theodoſio excuſari.

An illas violet, qui ipſos non celat diu?

Cæterùm qui ob lucrum graſſatores recipiunt, eorum rapinis cooperari videntur, & ideò in eos animadverti ſtatuit Martianus, *Quia, cum adprehendere latrones poſſent, pecunia accepta, vel ſubreptorum parte, dimiſerunt.* Vnde D. Dominicus de Rubeis *Cert. 1. pag.* 17. *num.* 80. infert eum, qui ſine lucro, aut lucri ſpe ſuſceperit (à fortiori, qui metu) nullum delictum admiſiſſe: & Cravettæ *conſ.* 18. Marſ. *conſ.* 53. *apud Gugot. ad Clar. qu.* 90. *num.* 9. *liter.* F. & aliis viris doctis ſubſcribens.

De his, qui eos ob lucrum ſuſcipiunt.

Si ob receptionem (etſi unius diei, aut horæ ſit) alius patiatur damnum, eſt crimini obnoxia

De his, qui alterum damno.

xia

Digitized by Google

xia ſuſceptio : ait enim Prætor apud Vlpianum (*& leg.* 1. *D. de ſerv. corrupt.* habetur) *Qui ſervum, ſervam ; alienum, alienam ; recepiſſe perſuaſiſſe-ve quid ei dicetur dolo malo, quo eum, eam-ve, deteriorem faceret*. Prætor adjecit §. 3. DOLO MALO, *quo eum deteriorem faceret : neque enim delinquit, niſi qui tale aliquid ſervo perſuadet, ex quo eum faciat deteriorẽ*. Et conſonat ſibi *in l.* 11. §. 2. *eod.* idem Vlpianus dicens, *idem & in eo, qui ſervum recepit & celavit, & deteriorem fecit*.

Quid ſit dolo malo ſuſciperel

Hinc patet Religioſos, qui habent extra loca habitata monaſteria (nempe, in montibus, campis, aut ſylvis) ſi ad illos latrones & viarum graſſatores non invitati divertant, non eſſe incriminandos ; (1) quia nullo lucro, aut lucri ſpe illos ſuſcipiunt. (2) quia non faciunt deteriores, eos dolo malo offirmando, aut ſceleratiora perſuadendo : immò illis pericula æternæ damnationis proponunt, & ut ad bonam frugem ſe recipiant, & Rempublicam turbare deſinant, quantum tempus, & prudentia permittit, ſuadent, ſi non perſuadent. (3) quia illos non recipiunt, ſed paſſivè ſe habent ; &, ſi adveniant, portas eis aperire, ciboſque miniſtrare metu mortis coguntur. *Si vi, metu-ve compulſus fuit hic, qui diſtractus eſt, dicemus eum dolo carere* ; inquit Vlpianus, & habetur *leg.* 16. §. 1. *D. de liber. cauſ.* unde Gothofredus *ibid.* univerſim loquens, ait, *Vis & metus à dolo excuſant*. Et quia hujuſmodi Religioſi metu & violentia aguntur, à dolo neceſſariò excuſantur.

An Monachi, qui in ſylvis habitant, ſi fortè latrones advenientes ſuſtinant, eorũdem occultatores cenſendi ſint?

Ea, quæ ex metu fiunt, dolo carent.

Ex illa Propoſitione *Qui tacet* (qui non loquitur) *conſentire videtur*, naſcitur hæc *Qui non revelat, occultare cenſetur*. Et neutra eſt univerſaliter vera, nam habent congruas & analogas limitationes. In hujus Logicę Prodromo *art.* 4. ſic priorem propono, & expono. *Qui tacet ; in rebus favorabilibus, & in cæteris, ſi poſſit & debeat loqui, conſentire videtur*. Ergo poſterior erit hæc, *Qui non revelat, quando ipſe ex non revelando lucrum importat ; &, ſi lucram ex ſua taciturnitate non importet, ſed tamen poteſt & debet revelare, & non facit, occultare cenſetur*. Qua doctrina firmatur & dilucidatur *lex* 1. *D. de fugit.* in qua lego. *Quod autem Prætor ait*, recepiſſe ; *ita accipimus, ſi ſuſceperit ſervum alienum ad ſe : & eſt propriè* recipere, *refugium abſcondendi gratia ſervo præſtare*. Ergo *ſuſcipere* latiùs patet, quàm *occultare*, quod oculatiſſimè perſpiciens Modeſtinus *in leg.* 5. *D. ad leg. Flav. de plag.* unum ab altero diſtinxit dicens, *Eum, qui fugitivum alienum ſuſcepiſſe, & celaſſe doceatur, crimen, ſi probetur, evitare minimè poterit*. Nõ judicabat Vir conſultiſſimus ſuſceptionẽ ſolam ad condemnationem ſufficere, niſi accederet etiam celatio. At ſola celatio ſufficeret, quia includat aut non includat ſuſceptionem, dolum malum importat, ut conſtat ex Deocletiani, & Maximini verbis, qui *leg.* 9. *C. ad leg. Flav. de plag.* ſic inquiunt. *Eum, qui mancipium alienum celat, Fabia legis crimine teneri, non eſt incerti Iuris*.

An, qui non revelat, occultare dicendus ſit?

An, qui tacet, conſentire dicendus ſit?

Aliud eſt latronem recipere, & aliud occultare, aut dolo malo recipere.

Cæterùm, *non revelare*, non eſt *abſcondere*, niſi paulò antè expreſſæ circumſtantiæ concurrant. Audi *leg.* 1. *de fugit.* quæ id dilucidat. Ibi lego. *Is, qui fugitivum celavit, fur eſt*. Quid, ſi non celaverit, ſed tantummodò nõ revelaverit? *Lex* 1. *D. de fugit.* reſpondebit : quoniam, *qui novit furem, nec indicat, fur quidem non cenſetur, ſed qui celat*, celat autem, qui ob lucrum, aut lucri ſpem non indicat : & etiam, qui cum poſſit & tenetur, non revelat.

Confirmantur hæc omnia *ex leg.* 1. *C. de his, qui latron. occultav. ibi* occultando. *ex leg.* 1. *de receptat. verb.* latere. *ex leg.* 2. *eod. verb.* conſervatus. *ex leg.* 1. *C. de deſert. lib.* 12. *ibi* deliteſcere. *ex rubric. C. de his, qui latron. verb.* occultaverint. *ex pragm.* 1. *de recept. ibi* tutum receptaculum, ac ſecuram habitationem. *ex regni Conſtitutionibus*. Et vide Doctores, quos *nu.* 55. Farinacius adlegat.

Hæc eſt doctrina communis, in quam omnes leges & Authores conſpirant.

His præmiſſis terminorum Oppoſitionem contemplemur.

Horum aſſium oppoſitio explicatur.

Occultat, & *Non-occultat*, nec non *Revelat*, & *Non-revelat* ; ſunt termini contradictorii ; & ſi in eodem ſenſu ſumantur, ſimul coexiſtere, aut ſimul abeſſe, ne quidem divinitùs poſſunt.

Non-occultat, & *Non-revelat*, poſſunt ſimul coexiſtere, non tamen ſimul abeſſe ; & ideò opponi ſubcontrariè cenſentur.

Occultat, & *Revelat* contrariantur, & eſſe ſimul non poſſunt, ſed tamen ſimul abeſſe poſſunt.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE MODO SCIENDI MORALI.

Quid, quotuplex, & quo ordine tradendus ſit?

Quid ſignificet Modus?

VARIAS apud Iuris peritos ſignificationes *Modus* habet; ſed noſtra intereſſunt illi, qui hoc nomine ſignificant ſpecialem legem, ſub quâ res fieri permittitur, vel jubetur. Balduinus *tit. de legatis*. [Modus, &c. ſignificat moderationem quamdam rei de qua agitur adjectam, ut qui rem illam conſequutus fuerit, aliquid vel faciat, vel det.] Ecce Modum confundit cum onere, quod eſt quid extrinſecum rei. At Nos vocem uſurpamus ſtrictiùs. Alii Modum cum conditione confundunt, errant tamen, quoniam ipſe à verâ conditione plurimùm abeſt, nam obligationem differt, aut ſuſpendit conditio, modus verò non item. Errant etiam, qui Modum cum fine confundunt: non enim ille finis, ſed ratio, quæ rem ad finem dirigit. Et hoc ſenſu venit intelligendus Papinianus *leg. cui neceſſitas, D. liber. caus.* Eſt autem modus intrinſecus rem ipſam afficiens, & quo illa modo uti debeas, præſcribens.

Modus pro onere. *Modus pro conditione.* *Modus pro fine.* *Modus nec eſt conditio, nec finis.* *Quid Modus ſit?*

Hinc Modus manumiſſioni impoſitus exponit quot & quos ſervos, & quando poſſit dominus libertate donare. *leg. demonſtratio. §. fin. de Condit. & demonſtr. leg. 1. & 2. de his quæ ſub mod. leg. placuit* D. *de uſur. & §. cum ergo Inſtit. quibus ex cauſis manum. non lic.* Hinc etiam Modus legatis conſtitui dicitur lege Faleidia, quæ teſtatorem dirigit, & normam ponit, juxta quam & non aliter legare debeat: quoniam legandi libertatem concedit, dummodò non minus quarta hæreditatis parte apud hæredem maneat *leg. 1. in pr. §. interdum. leg. 81. in fin. D. ad leg. Falcidiam. leg. 36. §. 1. D. de ſtatu lib. leg. 24. D. de dolo*. Huc reſpexit Tacitus *libr. 1.* cùm dixit. *Legata non ultra civilem modum reliquit* hoc eſt, Non exceſſit in legatis modum, quem leges Civiles præſcribunt. Hinc retentionis Modus explicat, quomodo res ſit retinenda. *leg. 16. C. fam. erciſc.*

Modus manumiſſionis. *Modus legatorum.* *Quid Lex Falcidia ſtatuat?* *Modus legandi.* *Modus retinendi.*

Modus ſervitutis, quo vehiculi genere, per quam fundi partem, quâ horâ, quibus temporibus, &c. eatur; qua parte aqua ducatur. &c. *leg. 32. D. de act. empt. leg. 1. §. illud tamen. D. de aqua quotid. leg. 4. §. 1. D. de ſervitutib. leg. 13. §. 1. de ſervit. ruſtic. leg. 11. D. quemadm. ſervit. amitt.* Hanc ob rem, qui modum exceſſit, ut conſiſtat, ad modum reducendus eſt. *leg. placuit* D. *de uſur. & not.* Vnde Iuſtinianus in §. *finitur inſtitut. de uſufr.* cùm dixit *non utendo per modum* voluit dicere, ut exponit Briſſonius, non utendo per legem dictam in conſtitutione uſusfructus.

Modus ſervitutis. *Modus prologo.*

Hinc jam patet, quid ſit Modus ſciendi? Intellectum hominibus conceſſit Deus ſed ſub modo. Hic autem modus non eſt onus extrinſecum, quod inferat faciendî vel dandi gravamen, non eſt conditio *ſine qua non*, ſed ratio & lex intrinſeca ipſummet intellectum afficiens, normamq; qua uti illo debeamus præſcribens. Non eſt finis, ſed intellectus uſum ad finem ordinat. Sed ad quem? Ad notitiam ſcientificam, & ideò *Modus ſciendi* vocatur.

Quid ſit modus ſciendi?

Sed dices. Scire, & Opinari ſunt res toto cœlo diverſæ: & pauca Viri docti ſciunt, de multis opinantur; & ideò ſyllogiſmus probabilis vel opinativus, *Dialecticus* vocari ſolet. Ergo Modus, quem Deus Humano intellectui præſcripſit, ad opinandum dirigitur; & non debet *Modus ſciendi*, ſed *Modus opinandi* vocari.

Differunt ſcire & opinari.

Sanè hæc Objectio poſtulare videtur, ut ante reſponſionem aliqua apud Scholaſticos multos, ut ſpecies ab ſpecie diſtingui, quæ nonniſi ut pars à toto, & via à termino diſtingui & ſecerni deberent. Profectò tres ſunt operationes Medicinæ: Præſervare, Sanare, Levare. An-ne ſpecie diſtinctæ? Minimè: una in alia clauditur; &, ſi ad finem Ars pervenire non poteſt, manet ſaltem in via, & quò licet, progreditur. Finis hujus Facultatis eſt ab omni morbo corpus humanum præſervare: ſi quando finem adſequi neſcit, & homo in morbum incidit, illum reſtituere ſanitati conatur. Et, ſi hoc non poteſt, ſaltem levat,

An pars à toto diſtinguatur ſpecie? *An dentur tres Medicinæ ſpecies?*

Digitized by Google

An in Practico laudatur Speculativum?

levat, ut minori dolore ſupervivat. * In omni Scientia Practica includitur Speculativa, aliud enim eſt ſcire, & aliud facere: at ſine ſcientia opus non fit, & ideò ſcitè dixit Doctor Angelicus, *Intellectus extenſione fit Practicus*. Non ergo Speculativum & Practicum ſpecie differunt, ſed hoc illud includit, ut Totum Partem. *

Quot & quæ ſint mentis operationes? Et, an diſtinguantur ſpecie?

Idem de Intellectus Operationibus dicendum eſt. Tres ipſæ ſunt; Apprehenſio, Iudicium, Diſcurſus. Sed neq; hæ diſtinguuntur ſpecie, ut *Homo & Brutum*; ſed vt incluſum & includens ſe habent: nam ex apprehenſionibus judicium, & diſcurſus ex judiciis componitur. * Sed neque aliter diſtinguitur à Scientia Opinio.

Quomodo Opinio & Scientia diſtinguantur?

A tenebris Intellectũ Humanum Logica ad lucem dirigit, promovetq; à nocte in diem. Si ille ad finem (videlicet ad diem) perveniat, ubi nulla invenitur tenebrarum ſuſpicio, ſcire dicitur: ſi in aurora permaneat, & crepuſculino ſplendore fruiſcatur, in quo plurimæ luci multa etiam immiſcetur caligo, habebit Opinionem probabilem. Ergo, ſicut Intellectus ſpeculativus teſte D. Thoma extenſione fit Practicus: ſic etiam Opinativus redditur lucis intenſione ſcientificus. Eſt, quamdiu opinatur, Intellectus & tenebris & luce ſuffuſus, qua tenebrarum impotentiam ſentiſcit, formidat, & ait, *Hæc quæ hoc mihi modo proponuntur, ſeſe aliter habere poſſunt & forſitan aliter ſe habent*: verùm enim verò quà illuminatur multa luce aſſentitur, quia tametſi illud Objectum non exæquaret intellectum omnimoda luce ſuffuſum, nihilominùs illum tanta tantùm illuſtratum exæquat. Hanc doctrinam didici à D. Thoma *part. 3. quæſt. 9. art. 2. in ſolut. ad. 2.* dicente. *Quòd Opinio eſt via ad ſcientiam, quæ per demonſtrationem adquiritur: quâ tamen adquiſita poteſt remanere cognitio, quæ eſt per ſyllogiſmum Dialecticum* (Probabilem) *quaſi conſequens ſcientiam demonſtrativam*. Suarez in hujus articuli Comment. ex his verbis colligit ſenſiſſe D. Thomam ſimul in eodem intellectu Scientiam & Opinionem remanere: ſed ut ſcitè animadvertit Ioannes à S. Thoma, Sanctus Doctor opinionem à Cognitione per ſyllogiſmum Dialecticum adquiſita diſtinguit. Vt hoc meliùs intelligas, & mentem Angelici Doctoris capias, aliam Quæſtionem, ut decidas, produco, Interrogo. An in reſurrectione carnis manebunt cadavera ſimul cum vita? An poſtquam Animæ cadaveribus refuſæ ſint in reſuſcitatis hominibus remaneant cadavera & Animæ ſimul? Reſpondebis & bene: corpus, cadaverq; eſſe idem materialiter, formaliter verò differre: non enim qualecumq; corpus, ſed quod caret animâ, quam habuerat, *cadaver* dicitur. In carnis autem reſurrectione vivificabuntur cadavera, at verò poſt reſurrectionem non manebunt ſub ratione cadaverum, ſed ſub ratione corporum animatorum; nam adveniente forma tollitur formæ priv[illegible]. Sic philoſopharis, & bene, & me[illegible]uo debeam modo de Scientia & Op[illegible]one diſcurrere. In cognitione per ſyllogiſmum probabilem adquiſita duo reperiuntur; nempè objecti notitia, & evidentiæ privatio, quam comitatur formido.

Lucem immiſſam tenebris habet opinio.

Cur aſſentiamur Opinioni?

An Scientia & Opinio ſint ſimul?

De carnis reſurrectione.

Quid ſit cadaver?

Quid ſit Opinio?

Nomen *Opinio* eſt nominis *Cadaver* ſimile: utrumq; enim includit, nimirùm poſitivam entitatem actus & evidentiæ carentiam, quæ eſt quædam forma negativa. Opinio igitur, ſi ſic accipiatur, non poteſt cum Scientia componi: at hoc poteſt cognitio per ſyllogiſmum Dialecticum adquiſita, hoc eſt, illa notitia poſitiva, quam dicit pro materiali opinio; Nam ſicut vita non poterit eſſe ſimul cum cadavere, bene tamen cum corpore, quod erat cadaver, antequam illa ſuperveniret: ſic ſimiliter ſcientia, non poteſt eſſe ſimul cum Opinione, bene tamen cum illa cognitione, quæ antequam ſuperveniret claritas, erat Opinio. Hæc eſt expreſſa Cajetani ſententia; nam hunc eumdem locum S. Thomæ dilucidans aſſerit, *Cognitionem Dialecticam ante Demonſtrationem habere rationem Opinionis* (inficiebatur enim claritatis carentiâ) *poſteà autem* (superveniente claritate) *non habere rationem Opinionis, ſed ſolum manere cognitionem Dialecticam ceſſante illa cognitione* ratione) *formidinis ex parte ſubjecti*. Quod certè debet intelligi de eadem numero cognitione, quidquid Ioannes de S. Thoma contrà objecerit.

Cur nequeat cum ſcientia componi?

An Ioannes à S. Thoma bene Cajetanum intelligat?

Quem Modus ſciendi finem habeat?

Agemus igitur impræſentiarùm de Modo ſciendi; conabimurq; finem, hoc eſt ad ſcientificam, evidentemque cognitionem pertingere, ad quam ſi fortè pervenire non liceat, promovebimus iter, quo uſque poſſimus, & remanendo in via Probabili cognitione fruemur.

Logica duplex: naturalis, & ſupernaturalis

Quomodo S. Bernardus Modum ſciendi definiat?

Vt autem, quid Modus ſciendi ſit profundiùs ſcias, dabo mellea S. Bernardi verba, qui tametſi de ſupernaturali agat Logica, congruè poterit intelligi de Naturali; maximè, cùm in Chriſtianis omnes ſcientiæ ſcholaſticæ, & omnes Morales Virtutes, ſi (quod debent) Charitate formentur, ſint (ſi liceat ſic loqui) quodamodò ſupernaturalizatæ. His igitur verbis Sanctus Abbas, *ſerm. 36. in Cantic.* exponens illud ad Corinth. 8. *Si quis exiſtimat ſe ſcire*. Sciendi Modum ingenioſè deſcribit. *Vides*, ait, *quòd non probat ma-*

Digitized by Google

lum ſcientes, ſi Modum ſciendi neſcierunt? Vides, quomodo fructum & utilitatē Scientia in Modo ſciendi conſtituit? Quid ergo dicit Modus ſciendi niſi ut ſcias, quo ordine, quo ſtudio, quo fine, unum quodque ſcire oporteas? Quo ordine? ut illud prius, quod maturiùs movet ad ſalutem. Quo ſtudio? ut illud ardentiùs, [illegible] vehementiùs ad Amorem. Quo fi[illegible]m ad inanem gloriam, ſeu oſtenſione[illegible] ſed ad tuam & aliorum ſalutem. Ergo Modos ſciendi in Dialectica docebit nos, quo ordine, quo

Dialectica Finis:

ſtudio, & quo fine, colere intellectum debeamus. Laboris ſtudioſi finis, non debet eſſe inanis gloria, impus dilectionis Divinæ: nam de hoc ipſo ſtudio dixit Paulus, *Scientia inflat, Charitas verò ædificat.*

Studium.

Quoniam, ut ſerviamus Deo, & proſimus hominibus, ſtudere debemus. Hoc ſit noſtrum ſtudium, ut in Dei & proximi dilectione creſcamus.

Ordo.

Ordinem præſcribit ipſamet rerum tractandarum natura; quia adſcendere debemus per gradus, & non poſſumus incipere à ſummo. Sanè ſcala, per quam ad Sapientiæ Arcem ſubrigemur, & nobis præparavit Logica, tres gradus habet, Primus definit, ſecundus dividit, tertius argumentatur.

Qui ſint gradus ſciendi?

Ergo Modus Sciendi ſumptus pro Arte Practica eſt triplex, videlicet, Lex, & Regula docens, dirigens & cooperans ut bene Intellectus definiat, adæquate dividat, & ſecurè diſcurrat, & argumentetur Intellectus: & ſumptus pro ipſamet praxi erit triplex ſimiliter, nimirùm, Definitio, Diviſio, & Argumentatio.

Quotuplex ſit Modus ſciendi?

Sed quo illæ ordine tradendæ ſunt? De Argumentatione ne dubita, eſt enim illa ultimo loco neceſſariò exponenda.

Quem ordinem Modi ſciendi obſervent?

Definitionem & Diviſionem reſpiciet, & utra utri præponi debeat examinabit. Pro Definitionis Primatu ſic argumentaris, Diviſio eſt aliquid, ergo habet ſuam eſſentiam, ergo illam debet definire, qui tradat.

An Definitio debeat Diviſioni proponi?

Ergo antequàm de diviſione agat, docuiſſe debet leges Definitionum; nam aliàs quid ſit *Diviſio* explicare non poterit. Sed hæc ratio poteſt ſimili excurſu contra Definitionem retorqueri, quoniam ſuas habet ſpecies & differentias Definitio. Ergo communem Definitionis conceptum debet, qui de illa diſſerat, in minùs communes dividere: Ergò antequam de Definitione agat, debet leges Diviſionum docuiſſe; nam alias ſe bene illam diviſiſſe demonſtrare non poterit. Hæ duæ rationes ita Definitionem Diviſionemq; involverint, ut hæreret animus, & utram priùs deberet illuſtrare, neſciret. Ergò aliò recurrere debemus, ut controverſiam dirimamus.

Sit Concluſio. *Univoca priùs ſunt definienda, quàm dividenda: Æquivoca autem contrà; priùs dividenda ſunt, quàm definienda.*

Reſolutio utriuſque Opinionem concilians.

Docuit nos utramq; Concluſionis partem Vlpian. *Inſtit. libr.* 1. nam cùm nomen *Ius* ſit æquivocum, aut ſaltem ita analogum, ut non poſſit ad unicum communem conceptum reduci, priùs diviſit nomen exponendo, quo ſenſu acciperet.

Leg. 1. D. de juſt. & jur.

Et quia illo Iuriſprudentiam ipſam ſignificari voluit, progreſſus fuit, & hoc nomine ab aliis ſignificationibus ſecreto, & ad hoc membrum ſpeciale determinato, definitionem tradidit. Hinc patet Definitionem Nominis poſſe fieri dupliciter: nempè, vel ſumendo unum membrum expreſſè, & ut tollatur æquivocatio, illud ab aliis membris ſeparando: ut, ſi dixeris. *Aries, ſi hoc nomine Cæleſte intelligatur, eſt primum ſignum Zodiaci.*

Nominis definitio duplex.

Aries vox æquivoca.

Vel omnia membra enumerando; ut, ſi dixeris, *Canis, vel eſt animal domeſticum, vel Conſtellatio cæleſtis, vel lapis prominens, in ædificio: nos qui tractamus Aſtronomica, vocem in ſecunda ſignificatione uſurpabimus. Eſt autem Canis, quidam Aſteriſmus*, &c.

Canis vox æquivoca.

Ex iſtis duobus modis primum amplexus eſt Vlpianus *loc. cit.* poſteriorem Paulus *libr. 4. ad Sabin.*

leg. 11. D. de Iuſt. & Iur.

Et quidem Vlpianus, poſtquam quo ſenſu acceperat vocem Ius expoſuerat, illud definit dicens, *Ius* (hoc eſt, Iuris prudentia) *eſt Ars boni & æqui*: Et poſtrà Iuriſprudentia jam definitam in Publicam & Privatam diviſit dicens *Hujus ſtudii* (Iuriſprudentiæ) *duæ ſunt Poſitiones, Publicum & Privatum. Publicum Ius eſt, quod ad ſtatum Rei Romanæ ſpectat. Privatum verò, quod ad ſingulorum utilitatem. Sunt enim quædam publicè utilia, quædam privatim.*

Quid & quotuplex ſit Iuriſprudentia?

Hanc Iuriſprudentiæ diviſionem in Publicam & Privatam, eſſe generis in ſpecies, non judicavit Vlpianus, & hanc ob rem membra dividentia *Poſitiones*, & non *Species* nominavit.

An in Species dividantur?

Eſt porrò diviſio non conceptus univoci, ſed analogi, & ideò vocibus ille utitur, minùs notis in Peripatu.

QVÆSTIO INCIDENS.

Ad quam Mentis Operationem Modus ſciendi pertineat?

MOdus ſciendi, ut paulò antè dicebam, eſt Ars Intellectum dirigens, & in Definitionem, Diviſionem, & Argumentationem dividitur: &, *Ad quam Mentis Operationem ille ſpectet?* interrogat Ingenioſa Curioſitas.

Quid ſit Modus ſciendi.

De Argumentatione moveri nequit Dubium: ipſa enim ad Tertiam pertinet.

Quid de Argumentatione ſit dubium?

Ergo

Ergo de Definitione tantùm & Diviſione diſputabimus.

PRIMA SENTENTIA Definitionem, & Diviſionem ad Primam mentis Operationem reducens.

ILlas Dialectici communiter ad Primam Operationem Intellectus reducunt: in hac enim Propoſitione, *Homo eſt animal rationale*, Prædicatum *Animal rationale* eſt Definitio: & Prædicatum eſt ſimplex terminus,ad Primam mentis pertinens Operationem. Et quidem ad ſecundam non pertinere probant, quia Definitio aliquando dicitur eſſe *bona* vel *mala*; nunquam autem eſſe *vera* vel *falſa*: & tamen, ſi ea eſſet integra Propoſitio, vocari *vera*,aut *falſa*, neceſſariò deberet. Et hic modus loquendi hodie eſt in ſchola communis. Complutenſes *in Inſtitut.ad Logic.cap.2.* id ſtatuunt clariſſimè. [Obſerva, inquiunt,quòd inquirenti, &c. qualis ſit hæc Definitio? nunquam reſpondebitur,eſt *vera* vel *falſa*; quia ſignificare veritatem, vel falſitatem eſt propriū ſolius Propoſitionis; ſed reſpondebis, *eſt bona*, ſi ſervet leges adſignatas; vel *mala*, ſi non obſervet. &c.]Sentiunt ergo Complutenſes, ad Primam, & non ad ſecundam mentis Operationem, Definitionem pertinere.

Nec Definitio, nec diviſio dicenda eſt vera *aut* falſa, *ſed* bona *aut* mala.

In Diviſione etiam nihil volunt affirmari aut negari, quando enim dicimus, *Animal,quod eſt Rationale,aut Irrationale*, videmur ſubjectum Propoſitionis ponere & de Animali velle aliquid prædicare. Ad Primam ergo mentis Operationem revocatur Diviſio. Accedit, quòd etiam Diviſio dicenda ſit *bona* vel *mala*,& non *vera* vel *falſa*. Audi Complutenſes,qui *libri citati cap.3.* ſic inquiunt. [Circa modum loquendi obſervanda ſunt, quæ de Definitione ſtatuimus. Vnde &c. inquirenti, qualis ſit? dices *bona*,vel *mala*,non autem,*vera* vel *falſa*. &c.]

SECVNDA SENTENTIA. Definitionem, & Diviſionem, ad ſecundam Operationem Intellectus reducens.

SEd & utram alii ad ſecundam reducunt: inquiunt enim hæc verba,*Animal rationale* non explicare naturam Equi. Cujus ergo? Quid ſciam, niſi Definitum ſumatur. Poſito autem definito, tota Definitio erit, *Homo eſt animal rationale*,quæ Definitiva Propoſitio eſt, & poterat *Definitio* vocari.

Ad illud quod dicebatur, videlicet Definitionem paſſim *bonam*, aut *malam* dici, nunquam *veram*,aut *falſam*;reſpondent, camdem enunciationem eſſe Aſſertivam & Definitivam; quà Aſſertivam, *veram* aut *falſam*,non autem *bonam*, aut *malam* dici: qua Definitivam dici *bonam* aut *malam*, & non *veram* aut *falſam*.

An Diviſio conſiſtat in Propoſitione Disjunctiva?

Et venientes ad Diviſionem,inquiunt, illam his concipi verbis debere, *Animal eſt Rationale, aut Irrationale*, in quibus expreſsè continetur Disjunctiva Enunciatio. Secundæ igitur mentis Operationi accenſenda eſt Diviſio.

TERTIA SENTENTIA. Eaſdem docendi Modos (Definitionem & Diviſionem) Tertiæ operationi Intellectus adjudicans.

SVnt tandem alii, qui tam Definitionē, quam Diviſionem ad Tertiam pertinere aſſeverant, docentque illas ut definiendo & dividendo argumentemur intellectum dirigere. Complutenſes *in Inſtitutionib.ad logic.lib.1.cap.2.*ſic inquiunt. [Inferuntur duo Modi arguendi in Definitione. PRIMVS eſt, quod à Definitione ad Definitum, & è converſo, valet benè Conſequentia, tàm affirmativè,quàm negativè; ut *Eſt animal rationale, ergo eſt homo. Non eſt animal rationale, ergo non eſt homo.* &c. SECVNDVS eſt, quod quidquid prædicatur de Definitione, prædicatur de Definito, & contra; ut, ſi dicas, *Animal rationale eſt ſenſibile, ergo homo eſt ſenſibilis. Homo eſt diſcurſivus. Ergo animal rationale eſt diſcurſivum.* Hoc autem procedit in Prædicatis realibus; non autem in illis, quæ conveniunt rebus per operationem Intellectus [*] & ideò non valet, *Animal rationale eſt oratio. Ergo homo eſt oratio.* Et ſic de aliis.

Quo modo in Definitione argumentemur?

**] Non video cur hæc limitatio à Complutenſibus ponatur, nam hic agitur de Definitione, & hæc verba* Animal rationale *materialiter ſumpta,nō ſunt definitio Verbi* Homo *materialiter ſumpti.*

Etiam quæcumque de Diviſione dicuntur, ad argumentationem ordinantur. Vnde *lib.cit.cap.3.* Complutenſes. [In Diviſione tripliciter poſſumus arguere. PRIMO à Diviſo ad omnia membra dividentia, & è converſo valet Conſequentia,tam affirmativè, quàm negativè: unde hæc eſt legitima, *Eſt animal, ergo rationale, vel irrationale. Eſt rationale, vel irrationale. Ergo animal.* SECVNDO, à quolibet Membro dividente ad Diviſum valet affirmativè, non verò negativè; ut, ſi dicas. *Eſt rationale, Ergo animal*,tenet Conſequentia: ſi autem dicas, *Non eſt rationale. Ergo non eſt animal*, non valet, quia poteſt eſſe brutum. E contra verò à Diviſo ad quodlibet membrum dividens valet negativè, non verò affirmativè, ut ſi dicas, *Non eſt animal, Ergo non eſt homo*; tenet Conſequentia. Sed hæc non valet, *Eſt animal. Ergo homo*; quia poteſt eſſe leo. TERTIO à Diviſo cum negatione aliorum Membrorum dividentium valet Conſequentia ad affirmationem alterius Membri, quod ſupereſt; ut, ſi dicas, *Eſt Elementum; & non Ignis, Aer, vel Aqua. Ergo eſt Terra* &c.].

SENTENTIA AVTORIS.

HÆ ſunt tres diverſæ Sententiæ, quæ in hac Quæſtione haberi poſſunt: quas puto, in re non differre inter ſe, ſed in modo loquendi tantummodò, & in

modo

Cur poſt propoſitiones, & ante ſyllogiſmos de Sciendi Modo diſputamus?

modo accipiendi vocabula. Nos ergo, quia id ad majorem facilitatem conducit, poſt Caput de Propoſitionibus, de Modo ſciendi diſſerimus; nam ad Iudicium Definitio & Diviſio potiùs, quàm ad Apprehenſionem Simplicem ſpectare videntur, Et Argumentatio, tametſi poſſet ad Propoſitionem Rationalem, aut Cauſalem reduci, in fine hujus Capitis collocari poterit, ut viam expeditam & facilem Capiti ſequenti aperiat, in quo de Tertia Mentis Operatione ex profeſſo tractabitur.

ARTICVLVS I.

De Definitione. *Quid, & quotuplex ſit? Quo modo Res non ſolùm per Rationes, & Formalitates eſſentiales ſed & per Accidentales, immò etiam per Nomina definiantur. Præſcribuntur Definitionum Leges; & inquiritur, An illas Doctores obſervent? Et, quia Nomina interdum unico Charactere exprimuntur, quæritur*, Quid L. C. D. π̃. ff. §. *& alia ſimiles Notæ ſignificent?*

De Definitionis univerſim ſumptæ quiditate.

DEfinitio univerſim ſumpta eſt *Oratio explicans naturam rei*: &, ut id præſtet vel rei, quæ definitur, Nomen, vel eſſentiales partes, vel proprietates & accidentia in examen appellat. Si primum, dicitur *Etymologia*, ſi ſecundum *Definitio eſſentialis*, ſi tertium *Deſcriptio*, ſeu *Definitio accidentalis*. Et, ſi fortaſsè dicas Deſcriptionem, aut Accidentariam Definitionem, ſub Definitionis Definitione non comprehendi, accidentia enim, & non rerum eſſentias, aut naturas exponit; reſpondebo eſſentiam eſſe quæ inquiritur, & in ejus notitiam per genus & differentiam à priori, à poſteriori per accidentia, & circumſtantias deveniri. De ſingulis breviter diſſeramus.

An Definitionis Definitio Deſcriptioni cōveniat?

SECTIO I.

De Etymologia, ſeu Nominum Definitione.

TAmetſi nomen ἔτυμος, hoc eſt, *Verus*, & *Verax* latè pateat, jam ἔτυμον ſignificat Nominum veritatem, & Facultas, quæ illam conſiderat dicitur ἐτυμολογία. Et quia in ipſis rerum Nominibus latent interdum plurima, ſunt ipſa à Viris doctis oculatiſſimè conſideranda. Quam ob rem Α'ρχὴ τῆς παιδεύσεως ἡ ὀνομάτων ἐπίσκεψις, *Initium Doctrinæ eſt nominum conſideratio*; apud Arrianum libr. 1. de Epict. diſp. cap. 17. & Chriſtianum Hoffmannum, libro, qui Vmbra in Luce inſcribitur, exclamat Socrates; & meritò, Nomina enim, ut ſcitè nos monet Plato, ſunt breves quædam rerum Definitiones.

Quid Etymologia ſit, & unde dicatur?

An, & ad quid ſit utilis?

Porrò in Nomine cujuſcumq; rei quatuor poſſunt breviter in examen venire. Literarum figura, Sonus, Nomen, Significatio.

SECTIO II.

Nomen Rei, aut Perſonæ per Figuras Literarum exponitur.

NVdas Characterum Figuras depingendo, cùm ſcribimus, conceptas res ſignificamus. Et quia eaſdem Figuræ verbis poſſunt deſcribi etiam verbis eaſdē poterimus literas imaginari. Præſtiterunt id olim Poetæ Veteres, nuper Recentiores nonnulli: unum, aut alterum exemplū proponamus.

Quidam Ruſticus analphabetus apud Euripidem (ut ex Athenæo Novitii ſcriptores recenſent) his rudi modo verbis THESEI nomen exponit.

Ε'γὼ πέφυκα γραμμάτων μὲν οὐκ ἴδρις.
Μορφὰς γὰρ λέξω καὶ σαφῆ τεκμήρια.
Θ Κύκλος τὶς ὡς τόρνοισιν ἐκμετρούμενος
Οὗτος δ' ἔχει σημεῖον ἐν μέσῳ σαφές.
Η Τὸ δεύτερον γὰρ πρῶτα μὲν γραμμαὶ δύο.
Ταύτας διείργει δ' ἐν μέσαις ἄλλη μία.
C Τρίτον γὰρ βοστρυχός τις ὡς οἰλιγμένος [*]

*] *Errant hic Typothetæ, cùm in margine ponunt nomen* θησευς: *non enim minuſculas literas, ſed capitales ob oculos proponit Ruſticus; & errant iterum* Σ *quarto & ſexto loco ponendo; eſt enim* C. *& non* Σ *litera quam ille depingit.*

Tὸ

Τὸ δ' αὖ τέταρτον ἦν εἰς ὀρθὸν μία.
E Λοξαὶ δ' ἐπ' αὐτῆς τρεῖς κατεστηριγμέναι
Εἰσίν. τὸ πέμπτον δ' οὐκ ἐν εὐμαρεῖ φράσαι.
Υ Γραμμαὶ γάρ εἰσιν ἐκ διεστώτων δύο.
Αὗται γὰρ συντρέχουσιν εἰς μίαν βάσιν.
C Τὸ λοίσθιον γὰρ τῷ τρίτῳ προσεμφερές. [*]

Quos verſus Natalis Venetus ſic reddidit.

Cum literarum non peritus ipſe ſim
Dicam Figuras ſignaq; evidentia.

Θ Eſt Circulus torno velut factus bene
Signumq; habens in ventre quod clarè patet.
H Binas ſecunda forma lineas tenet
Diſpeſcit medio incidens mox altera [a]
C Cincinnus inde tortus ipſa tertia.
E Subit Figura quarta recta linea
Tres incidentes [b] dividunt hanc lineæ.
Y Quintam minus promptum ſit ipſam dicere,
Sunt differentes lineæ inter ſe duæ
Quæ conveniunt ambæ ſimul in unã baſim
C Extrema differt nil figura à tertia.

a] *Secundus pes ſeit me eſt Trochæus, & Iambus eſſe deberet. Et vox* incidens *ſecũdam corripit. Ergo venit à* cado, *non à cædo.*

b] *Et idem de voce* incidentes *dicendũ eſt.*

Fuit curioſè imitatus Euripidem D. Franciſcus de Azevedo, in Comœdia, quę obſidionem expugnationemque Granatenſis Civitatis proponit, nonnulloſque mirabiles caſus & occaſus recenſet. Vult Legionarium Lucium adoleſcentem generoſum, Armindæ ſponſum, dum cum Chriſtianis copiis audacter adverſarios aggreditur, vulneratum & captum poſtridiè mortuum: & cum pompa militari (nam etiam apud hoſtes habetur nobilitatis & dignitatis ratio) poſtridiè conditum in ſepulchro marmoreo, cui inſculptum fuit ab infortunii ſociis in Caſtellana lingua nomen LVCIO.

Hæc cogitata Hiſtoria inſolentiis non careat; & inter alias hæc eſt animadverſione digna; Nam Principum illuſtrium cadavera non ſepeliuntur apud hoſtes, ſed redimuntur auro, ut in ſuorum avorum condi poſſint ſarcophago.

Ergo Armindam audiunto.

Arm. *No tengo un rato de guſto,*
Deſpues de Lucio eſta preſſo
En la Ciudad de Granada
En manos del Saraceno. [a]
Pero alli viene un Trompeta
Del Rey Chico, Caballero.
Porque cauſa ſe ha hecho ſalva?
Que hay en la Ciudad de nuevo.
Tubicen. *De nuevo nada, Señora,*
De viejo ſi; que ſe ha muerto
De los Chriſtianos cautivos
Vn valeroſo mancebo.
Armind. *Pero como ſe llamaba?*
Tubic. *Eſto no lo ſe por cierto;*
Pero por algunas ſeñas,
Pues que guſtais de ſaberlo,
Explicare brevemente,
Señora, el nombre del Muerto,
Que aunque de leer y eſcribir
No tuve jamas Maeſtro,
Las Letras, que ſus Amigos
En el Marmol eſculpieron,
Sin ſaber como ſe llaman,
Las pintare por lo menos.
La primera, era dos lineas
Vna en pie y otra en el ſuelo. L
Y la ſegunda un Compas,
Las puntas vueltas al Cielo. V
La otra de una nueva Luna
Repreſentaba los cuernos. C
Era la quarta un baſton
Delgado pero derecho I
Y ultimamente la quinta
Era un Circulo perfecto. O
Armind. *Moro, que has dicho? que has dicho?*
Mira, Traydor, que me has muerto.
Lucio es el que ſe murio:
De Lucio ha ſido el Entierro;
Lucio me dicen las ſeñas,
Que me ha dado el Agareno. [b]
El ſin mi vivir no ſupo;
Yo ſin el vivir no puedo.
El ſin mi vivir no quiſo,
Yo ſin el vivir no quiero.

Nomen *LVCIO* per Figuras Literarum deſcribitur.

Literarum Figuras à Tubicine verbis deſcriptas Arminda colligit, & diſcit illis exponi nomen *LVCIO*.

a b] *Ab Iſmaele Mauri & Turcæ proveniunt, Sara illũ nomine progenuit Agar, & ideò* Iſmaelitæ, Agareni, & Saraceni *dici ſolent. Quia tamen Sara erat domina, Agar ancilla, illos (ut in* a*) honoris gratia* Saracenos, & (*ut in* b) Agarenos, *vocamus, ubi eos contemnimus, & vilipendimus.*

Sicut apud Euripidem ille imperitus Ruſticus deſcripſit aliquorum Græcorum Characterum figuras, potuiſſet alius omnes depingere, ſi placuiſſet Euripidi. Idem de Abecedario Hiſpanico, cujus nonnullas Tibicen literas verbis expoſuit, dixero. Cæterum, quia Carmina, quæ in noſtræ Metametricæ Apolline Acroſticho Muſa I. leguntur, figuram Hebraicorum characterum concernunt, uberioris doctrinæ gratia illa ſubjicio.

Hebræorũ Characterum figura verbis repræſentantur.

ALEPHBETHVM.

Aleph *curva refert præfortis cornua tauri.* א
Beth *domus eſt, veterem ſervans Hebræa figuram.* ב
Gimel *gibboſi mentitur terga cameli.* ג
Dalet *porta patens, venientes excipit omnes.* ד
He *loquitur digitis & nutu ſingula prodit.* ה
Vau *retinet clavi, periit quo Siſera, formam.* ו
Zaiin *Herculeum vibrat cum turbine fuſtem.* ז
Chet *terret reprobos, Vitam credentibus adfert.* ח

Thet

Theth *coclea formam repræſentare videtur.* ט

Iod, *ſi vis, manus eſt: ſi vis, confeſſio fiet.* י

Caph *bene depingit creſcentis cornua Lunæ.* כך

Lamed *ad prunas vitulorum corpora torret.* ל

Mem *maculat veſtes, maculatas abluit unda.* מם

Nun *ſibi piſcis erit primò, poſt filius infans.* נ

Samech *vipereo reflexum ſibilus ore.* ס

Aiin *fontanam præbet ſitientibus undam.* ע

Pe *Domini celebres in laudes ora reſolvit.* פף

Tzade *ſetigeris acuit venabula porcis.* צ

Qoph *celeri ſaltu ſcandis quaſi ſimia malum.* ק

Reſe *quandoq; caput, nonnunquam denotat Irum.* ר

Scin *ſua Neptuno profert regalia ſceptra.* ש

Thau *ſacra forma Crucis, ſignans in fronte fideles.* ת

Vltima linea antiquam formam hujus characteris deſcribit; olim enim apud Hebræos *Thau* habebat formam, quam hodie apud Latinos *Te*, & apud Græcos *Tau*.

Cum antepenultimam ſcribebat Poeta recordabatur in Proverb. 10. 4. legi ראש ו רש *pauper*.

SECTIO III.

Exponitur Rei, aut Perſonæ nomen per pronunciationem Literarum.

Singulæ literæ ſuum valorem determinatum habent: poſſunt enim ſingulæ à cæteris per ſonum & pronunciationem diſcerni.

SIngulæ Literæ ſuum ſonum reddũt, & propriam prolationem habent. Quo ſingulæ modo debeant exprimi Martianus Capella expoſuerat, illumque imitatus Quintianus Stoa hos Hexametros edidit.

ABECEDARIVS.

A *ſub directo memorabilis oris hiatu eſt.*

B *ſimul incluſis profertur utrinque labellis.*

C *linguam adpulſos compellit adusque molares.*

D *cogis ſuperos linguam contingere dentes.*

E *paulum preſſo profertur gutture linguæ.*

F *labrum inferius ſuperis cum dentibus urget.*

G *domus extremum urget cum lingua palatum.*

H *oritur tractis cum ventus faucibus halat.*

I *linguam impellit collidi dentibus imis.*

K *fauces formas media cum parte palati.*

L *facis extremum contingens lingua palatum.*

M *cùm ſit preſſum premitur per utrumque labellum.*

N *lingua adpulſa collidit litera dentes.*

O *venit, exoritur cùm ſpiritus ore rotundo.*

P *datur, eruptis ter litera quinta labellis.* [a]

Q *fit in adpulſu, cum ſtringimus ora palati.*

R *facis, ut ſuperò criſpetur lingua repulſu.*

S *cùm ſit, peragis colliſo ſibila dente.*

T *linguæ impulſu contactis dentibus exit.* [b]

V *facit os ſtrictum, ſic promula labra fatigas.*

X *reddis quidquid C atq; S formare videmus.* [c]

Y *pſilon opprenſis labris procedere juſſum eſt.*

Z *eta ſepulchrales imitatur concita dentes.*

In noſtra Metametrica *loc. cit.* Characterum hanc etiam deſcriptionem reperio & illam ſubſcribere volui, quia multas Latini Abecedarii Literas ex pronunciatione diſtinguit.

a] *Quæris quid appellat illud ter? hoc eſt, an hæc litera ter quinta ſit; an verò ter labiis eruptis proferatur? Reſpondeo illud* ter *debere* cum quinta *conjungi, P enim in abecedario locum quintum decimum obtinet.*

b] *legi debet* linguæ *non* linguam, *ut in aliquibus libris habetur.*

c] *Latinorum X, eſt duplex litera, & non ſemper repræſentat C & S. nam aliquando ponitur pro G. & S. ut ex ſequentibus conſtare poterit. Nam* Luceo *in præterito dat* luxi, *&* Lugeo *etiam* luxi, *at ibi* luxi *eſt* luxſi, *& hic eſt* lugſi.

ABECEDARIVS PHILOSOPHICVS.

A *Voce vocas pluviam princeps de robore cornix.*

B *Pone bidens viridi poſt motrem halos in herba.*

C *Inde ſuis fulges formoſa coloribus Iris.*

D *Iuxta dimidia clareſcunt cornua Lunæ.*

E *Sterno maritalem Rhenana per oppida lectum,*

F *Eolibus ſolis, & Græcis cognita vivo.*

G *Rite repreſento coclearum concava tecta.*

H *Quem mihi Cres aufert, reddit Romanus honorem.*

I *Noſtra cavernicolis vox eſt gratiſſima gryllis.*

K *Me Lasu coluere Patres, odere nepotes.*

L

L *Gramina falce meto, vitulis jentacla futura.*
M *Plus reliquis valeo Connymphis omnibus una.*
N *Ζῆτα forem, niſi me juſſiſſent ſtare Quirites.*
O *Sphæra Syracoſii ſum cognita clara Magiſtri.*
P *Inter Cadmæas ſoleo latrare ſorores.*
Q *Auſonias ſolùm virtus mea nota per oras.*
R *Parva fuit noſtri Latiis reverentia priſcis.*
S *Contempsêre meum ſemper male numen Athenæ.*
T *Belgica præcipuè ſummo me tollit honore.*
V *Ingeminant Vlulæ noſtram ſub nocte Poeſim.*
W *Germanus triſtem Vates denuncio cladem.*
X *Ferre Crucem doceo, vincet me quiſque Magiſtra.*
Y *Pythagoras noſtrum primus detexit honorem.*
Z *Hoſpes ſum Romæ, genuit me Græcia Civem.*

Et hunc Abecedarium *Philoſophicum* vocari placuit, quia in multis Literis modum realem & phyſicum, quo illæ proferuntur exponit. Supereſt, ut eum ſcholiis ſequentibus dilucidemus.

NOTÆ.

VT meliùs intelligantur Carmina præcedentia, addimus hæc ſcholia.

Quæ ſit Corniçis litera?

A) exprimit ſonum Literæ, quoniam Cornix exprimit vocalem *A*. Virgilius.

Tunc Cornix pluviAm plenA vocAt improbA voce
Et ſolA in ſiccA ſecum ſpectAtur ArenA.

An Oves belent potiùs, quàm balent?

B) Etiam à voce nomen habet; unde mirari debeat, cur oves, cùm dicant *be*, à Nomenclatore *balare* dictæ ſint, cum deberent *belare*.

De Arcu Cœleſti.

C) Convertit ad Iridem oculos; quæ, quia Arcus repræſentat imaginem *el Arco* ab Hiſpanis vocatur. Etiam Latinè *Arcus* dicitur, & in hac ſignificatione ſolet per ſecundam inflecti. Cicero de nat. deor. *Cur autem Arci ſpecies in Deorum numerum non reponitur*. Et quia *Iris* Græcè fæmenini generis eſt, ut *Arcus*, ubi *Iridem* ſonat, fæmenini eſſet generis, Ennius juſſit.

Cujus generis ſit nomen arcus?

D) Poeta hic, non ſonum, ſed figuram reſpexit.

Quo modo Matrimonium appelletur Germanicè.

E) ſyllaba eſt, quæ Germanicè *matrimonium ſignificat*.

Quæ ſit Digamma?

F) *Digamma* à figura vocatur, nam ſuum Gamma Græci pingunt ſic. Et hanc ob rem *litera ſcandens literam* nominatur à Plauto. *Æolica litera* appellatur interdum, quoniam ejus pronunciatione & figura Æoles utebantur; nam ſicut Hiſpani veteres, ubi juniores *hallo, hizo, hijo*, &c. dicimus, *fallo, fizo, fijo*, &c. dicebant, ſic ponebant F Æoles, ubi denſam aſpirationem Attici.

G) In hoc figuram carmine Poeta conſideravit.

An Aſpiratio ſit litera?

H) Verum eſt hodie, quod hic dicitur; nam Græcus non numerat inter literas aſpirationem: at illam olim numerabat. Voſſius de arte Grammat. libr. 1. cap. 16. pag. 71. ſub fin. [Vt Attici ponunt H in verſu, idq; tum initio, tum medio; ita Æoles utrobique pro eo F ſeribunt. Attica enim eſt ſcriptura ΗΟΔΟΣ, & ΕΝΗΟΔΙΟΣ, ac Æolica eſt ΦΟΙΝΟΣ & ΤΑΦΩΣ, pro οἶνος & ταώς. Sane ſemel iterũque [*] teſtatur Priſcianus ſeſe in tripode vetuſtiſſimo, qui ſtabat in Xerolopho Byzantii inveniſſe ſic ſcriptum ΔΗΜΟΦΟΦΩΝ ΛΑΦΟΚΑΦΩΝ. &c.]

[*] libr. 1. cap. de numero literarum; & libr. 6. quo loco de terminatione οι agit.

I) Sonum reſpicit, quem grylli proferre videntur.

An K fuerit à Latinis recepta?

K) In manuſcriptis antiquis etiamnum legitur Ka*jus*, *Kaſar*, &c.

Quo modo differant inter ſe voces Podon, Hoz & Guadaña.

L) Figuram Poeta expreſſit, eſt enim falci ſimilis, qua ruſtici fœnum demetunt; nempe illi, qua armatur in picturis Mors, & vocatur ab Hiſpanis *Guadaña*. Et hic obiter nota, hęc Hiſpanica nomina *Podon*, *Hoz*, & *Guadaña* differre inter ſe, & tamen pro omnibus poni Latinè *Falcem*. Eſt autem, *Podon*, falx parvula, qua arborum ramuſculi ſuperflui amputantur. *Hoz* autem eſt falx quædam major, qua demetuntur ſegetes; & tandem *Guadaña* illa falx maxima, qua fœnum cæditur.

Quænam literæ ſint Numeraria in Abecedario Latino?

M) Convertit ad aritmethicam Poeta oculos; nam literæ quibus Romani uti ſolent in numeris, ſunt I.V.X.L.C.D.M. & valent, 1.5.10.50.100.500.1000. Plus ergo valet ſola M. quàm cæteræ literæ ſimul ſumptæ.

N) Hæ duæ literæ N & Z ſola differre poſitione videntur.

Cur ȣ quando ſonat ut O corripi debeat?

O) In voce Syracoſii corripiunt Virgilius & Ovidius illud *co*, tametſi Græcè Συρακȣ́σιος per ȣ dipthongũ ſcribatur. Et correptionis ratio hæc eſt, Dipthongus ȣ producitur, nam eſt OY, & duas vocales habet; ubi ergo perdit alteram vocalem, in prolatione minus tempus impendit. Et hæc litera Sphæricam figuram habet.

Litera Phœnicia qua?

P) Phœnicias literas quæ fuerunt tantum ſedecim, invenit Cadmus unde apud Sextum Philoſophum canebat Timo,

Φοινικικα σήματα Κάδμȣ.

—— *Cadmi Phœnicia ſigna.*

Litera canina, qua?

Dicitur autem *latrare*, quia hac figura Græci ſuum ρῶ deliocant, quæ eſt canina litera, quam ubi tinguntur invidia, exprimunt canes.

Q) Eſt Latinorum litera, quam non admittunt Græci.

Sinenſes literā R pronunciare non poſſunt.

R) Sunt populi, qui R proferre non poſſint. Sinenſes in fine Orientis poſiti, pro R ſemper proferunt L. Etiam Americani in Occidentis fine conſtituti, eadem litera carent: ait enim P. Auguſtinus Vetancurtius in Arte Linguæ Mexicanæ. fol. 1. *Carece la Lengua Mexicana conforme a la mejor pronunciacion, de ſiete letras, que ſon* B, D, F, G, R, S, j. &c. Eam apud Latinos Græcoſq;, opinione aliquorum, omiſerunt antiqui, nam *Valeſius* pro *Valerius* dicebant. Et nuper in Gallia liber prodiit, *l R abandone* dicitur, quod in ipſo præter illam quę in inſcriptione legitur; nulla alia *R* inveniatur.

Quibus nam literis careant Americani?

De ſono litera S.

S) Neſcio, cur Græcorom Σ non æquivaleat noſtræ S. Interim Poeta Atticam Dialectum reſpexiſſe videtur, in qua pro Σ paſsim T oſurpatur.

T & D. nō differūt in lingua Germanica.

T) Belgæ immò verius Germani ipſam D ſcribunt quidem, ſed tam durè proferunt, ut illam non diſceroant à T.

An V & u diſtinguantur?

V) Auditur in Vlularum næniis. Dividitur in vocalem & conſonam: quas ſtylus antiquus confundebat, & jam junior diſtinguit; nam vocalis ſcribitur ſic U, conſonans ſic V.

De W quomodo Proferatur?

W) Eſt litera Linguæ Germanæ propria; & vocatur Weh quod nomen vult Poeta æquipollere ioterjectioni *Va*. Et hìc obiter nota literas duplices à ſecundariis debere neceſſario diſtiogui; nam duplices ſunt X & Z, quarum prior pro *C S*, aut *G S*, ſeribitur, poſterior autem pro *SS*. At quia C, *N*, *L*, *R*, in Hiſpania, & in Germania *V* duplicem ſooum habet, ot prior à poſteriori diſtioguatur, cum priori modo litera proferri debet, ſimplex ponitur; cum verò poſteriori ſubponendo aut ſuperponendo punctum, aut duplicando characterem (ut conſpicis ç, ñ, *ll*, *rr*, W.) admonentur Lectores ut erroris præcludatur occaſio.

Quo modo Duplices literæ à ſecundariis diſtinguantur?

De Cruce Chriſti & Sancti Andreæ.

X) Lineæ incidentes rectè (nempe ſic ✝) ob oculos ponunt Crucem Chriſti: at decuſatæ (ſic X) dant Crucem Sancti Andreæ: & talis eſt illa quæ habitui pœnitentiæ aſſuitur, & apud Hiſpanos imponitur ab Inquiſitoribus, & *San Benito* nominatur.

Cur litera Y. vocetur Pythagorica?

Y) Litera Pythagorę dicitur, non quou fuerit inventa, ſed ad mores explicata à Pythagora: conditionem enim Humanæ Vitæ repræſentat. Ejus figuram exponit Perſius Satyr. 3. his verbis.

Perſius Satyr. 3

Et tibi qua Samio diduxit litera ramos.
Surgentem dextro monſtravit limite callem.

Martialis lib. 13. Epigramm. 75.

Illam ante Pythagoram ſexcentis annis Palamedes invenerat: unde & nacta fuit nomen.

Turbabis verſus, nec litera tota volabit,
Vnam perdideris ſi Palamedis avem.

Vera literæ Pythagoricæ Delineatio.

Quia autem Moralia impræſentiarùm ediſſerimus, operæ pretium erit audire Salutaria Monita, quæ deducit ex figura hujus Characteris Pythagoras. Audi Virgilium.



Litera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni (à B in C & in D.)
Humana Vitæ ſpeciem præferre videtur.
Nam via Virtutis dextrum ponit ardua callem, (nempe à C in D.)
Difficilemq; aditum primùm ſpectantibus offert (eſt enim ſtricta.)
Sed requiem prabet feſſis in vertice ſummo. (hoc eſt in C.)
Molle oſtentat iter via lata, (à B in D defluēs.) *ſed ultima meta* (nēpe in D)
Præcipitat captos volvitque per ardua ſaxa.

An Z, ſit litera latina?

Z) Perplacuit Græcis, & nunquam fuit à Latinis admiſſa, niſi ubi voces Græcas Romanis characteribus repræſentabat. Sed & Mexicaoi in America literam S neſciunt, & denſa literæ Z pronuociatione delectantur. Vetaocurtius citatus.

SECTIO IV.

De Characteris à Simonide inventi Myſtica ſignificatione.

An Græca Litera ab illis inventa reverà fuerint, à quibus inventa dicuntur?

QVia non eſt idem Literæ figuram adſignare, ac figuram Literæ ab alio inventam cenſui ſymbolorum adſcribere, & conceptibus myſticis dilucidare, accidit, ut Literas, quas ab Epicharmo, Pythagora, Palamede, & Simonide inventas fuiſſe cōmunis aſſeverat Opinio, Critici, qui oculatiores videri volunt, eſſe antiquiores putent, & ab illis Philoſophis, quorum decorantur nominibus, non ſanè inventas, conceptibus Politicis fuiſſe illuſtratas.

De Literis Palamedis.

Exponant ergo alii, quid ſibi velint Literæ Palamedis, quem eo ipſo tempore, quo incinerata Troja fuit, floruiſſe aſſerunt. Ejus Literæ ſunt Y, Ξ, &: Φ nam pri-

Digitized by Google

Litera Y. figuram myſticè explicavit Pythagoras.

primam Pythagoras, ut Sectione præcedenti jam vidimus, ingenioſè explicavit: & duæ poſteriores minus neceſſariæ videntur, ſunt enim duplices, & calami compendia concernunt; nã ξ eſt γσ, aut κσ; & φ eſt π', nam & Latini ſic exprimunt *ph*, videlicet per *p* aſpiratum.

De literis ſiculi Epicharmi.

Epicharmi Siculi Literas, nempe Θ & X, qui voluerint, tueantur; ſuperfluas enim Critici ingenioſiores judicant; nam, re bene perſpecta, nihil aliud ſunt Θ & X, quam τ & κ aſpiratæ.

De literis Simonidis Melici.

Quoniam me impræſentiarùm vocat Simonidis Melicis accuratio Grammaticea: has enim quatuor Literas Z H Ψ & Ω, dicitur Alphabeto addidiſſe. Quæ,

An omnes ſint duplices?

cùm duplices ſint, non videntur neceſſariæ fuiſſe grammaticè conſideratæ, (nam æquipollent his Literis σσ, εε πσ, οο.) verum enim verò, quidquid ſit de aliis tribus, Tertiæ figuram, quia Politicis exuberat Monitis, ſpeciali contemplatione meditabor.

De ſæculo aureo: & communi rerum omnium dominio.

Sanè in Sæculo Aureo, (ſic fabulabatur Antiquitas) omnia erant communia ac propterea nullus in toto Mundo ditior, & nullus pauperior erat alio. Terminum poſuit illi Sæculo, rerum & bonorum

De dominiorũ Diviſione.

Diviſio: vi cujus alii indepti ſunt multa, alii pauca; & ideo illi opulenti & divites, hi autem pauperes & mendici, vocati. In medio interfuerunt nonnulli, qui Fortu-

Bona fuerunt tribus modis diviſa: nam alii fuerũt ſortiti nimis multa, alii nimis pauca, alii mediocria.

nam nec prodigam nec avaram experti, fruebantur divitiarum & opum ſecuriſſima mediocritate. Vices Simonides hominum oculis Politicis contemplabatur. Et omnia animo volvens & præterita cum futuris componens, dicebat.

Semper ſollicitus ſuis Irus: Cur? Quia pauper.
Nec tu Crœſe minùs. Cur? Quia dives eras.

Extrema ſunt periculoſa, & in medio reperitur ſecuritas.

Extrema igitur ſunt periculoſa, & eos tantummodo manet Felicitas, qui viam mediam ingreſſi. Nam inſit Palladas.

Η μεσότης γὰρ ἄριστον, ἀπεὶ τὰ μετὰ ἄκρα πέφυκε
Κινδύνους ἐπάγειν ἔσχατα δ' ὕβριν ἔχει.

Mediocritas enim primum, quid, quoniam Summa quidem apta ſunt
Pericula inducere: Extrema (Inſima) autem convicium habens.

Vnde Horatius libr.1.Epiſt. 18. ſcribebat.

Virtus eſt medium; vitioſum & utrumque Reductum.

Proverb. 30.8. & legitur Dom.1. Auguſti Reſp.3. Noct.II.

Confirmat doctrinam iſtam Salomon, qui in terram corã Deo provolutus, ſumma animi demiſſione exclamabat. *Divitias, & paupertatem* (mendicitatem) *ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria*, Ac ſi diceret, Inſolentiam, & Audaciam divitiæ, ſi nimiæ, parturiunt:

Divitiæ & paupertas ſubjacẽt manifeſtis periculis: & ſoli ſecuri ſunt, qui fruuntur opum mediocritate.

paupertas hominem corruptibilem reddit: divitias ergo & paupertatem comitantur pericula. Adeoque ſumme Deus, neutras dederis; ſed per mediam me viam, à procellis ſecurum, in Portum conduc interminabilis felicitatis.



Vt hæc omnia non jam brevi Oratione, ſed unico charactere Simonides complecteretur, invenit literam Ψ, quæ velut Arbos depingitur: & in trunco ab A ad B, Ætas Aurea, in qua erant omnia communia, [adeoque nullus erat, qui ob divitiarum affluentiam ſuperbiret, nullus qui à paupertate premeretur] in B habuit Aureũ Sæculum finem, rerum Diviſio initium, & homines in trivio poſiti, vel ingredi viam BD. amplam (opulentam & divitem) vel viam BC. ſtrictam (ſordidam & pauperrimam) vel tandem viam BE mediocrem (expeditam liberam & ſecuram) quæ omnia tametſi in Charactere Ψ expreſſa clariſſimè propriis oculis videas, ut & eadem propriis auribus audias, libero olim Calamo Diſticha ſequentia compoſui.

Id ipſum Simonidis, quam vocant, Litera (nepe Ψ) ſua figura myſticè repræſentat.

Cur ſequentes Numeri fuerunt ſcripti?

Littera Simonidis, diſcrimine ſecta tricorni (a)
Myſtica, nos hominum ſæcla viaſque docet.

a] *A B in tres ramos dividitur.*

Principio ſimplex (b) *iter unicum in Orbe fuiſſe,*
Irent qua gentes Orbis in initio.

b] *Ab A ad B De ſæculo aureo.*

Tunc auri, nec dira fames, tunc nulla Cupido;
Tunc homini gratis munera terra dabat.

De dominiorum diviſione.

Poſteà quiſque ſibi, potuit quã cepit, ubique
Confuſus rebus debitus, ordo fuit.
Quæ primùm (b) *ſimplex fuerat via, jam ipſa triſecta;* (a)
Mortales trivio, ſed variata, vehit.
Ampla homines latis ſpatiis hac (c) *ducit, & illa* (d)
Correptis miſeros invidioſa premit.

c] A B in D.

d] *A* B in C.

Hàc graditur, fortuna potens, cui eſt æmula, & illac
Quos amat illuſtres delitioſa vehit.
Cæca tamen cum cuncta regat, ſit ſive peroſa,
Seu ſit amica, ſuos ubſide præcipitat.
Felices animi, qui contempſere rotantem,
Extremaſque (e) *vias ire ſuperfugiunt.*
Hi peramant mediamq; viam, (f) *quã cœlica virtus*
Fortuna ancipitis crimina dura fugat.

e] *Felices, qui nec à B in D, nec à B in C.*

f] *A B in E.*

Recto iſthac ductuq; vehis, regis iſta quietem
Ad ſuperam, qualem nulla pericla manent,

SECTIO V.

Quo modo, Verſus, qui Sectione præcedenti ſunt poſiti, ingenioſis & ſecretis poſſint Steganographiæ Operationibus inſervire?

De Steganographia, & arcano uſu præcedentis Abecedarii.

VArii profectò eſſe poſſunt Abecedarii Philoſophici uſus; nam per eum poterunt voces qualiſcumque deſcribi; ſed inter ipſos Steganographic⁹ eſt curioſiſſimus. Qui enim amico vult ſecretiſſimas literas ſcribere, poterit verſibus præcedentibus uti, illiſq; aliter & aliter, digeſtis & ordinatis mentis arcana declarare. Nam, ſi Proconſuli Imperator ſcripſerit hæc Hemiſtichia,

Inde ſuis fulges, princeps de robore cornix,
Noſtra cavernicolis, noſtram ſub nocte poeſim,
Plus reliquis valeo. Vox eſt gratiſſima gryllis,
Zeta forem, niſi me, formoſa coloribus Iris,
Voce vocat pluvias, Latiis reverentia priſcis
Inde ſui fulges Rhenana per oppida lectum,
Parva fuit noſtri, princeps de robore, cornix,
Belgica præcipuè ſum cognita clara Magiſtri.

Explicatur ſecretum, quod præcedentibus verſibus continebatur.

Recognoſcit literas, quibus reſpondent ſingula (nam *Inde ſuis fulges* pertinet ad C: & *princeps de robore cornix* ad A. &c.) & eorum loco literas ipſas ad quas illa ſpectant, ſcribens, hanc ſententiam reperiet *Cajum incarcerato*.

Et interrogo, An aliquis Mortalium, qui hoc careat Abecedario, poſſit epiſtolam hanc excipherare?

Ut erga Virginem-Matrem devotionem, & Steganographiæ uſum promoveat, alios verſus proponit.

Quænam ſint raçones de carta rota apud Hiſpanos?

PEriodos, quæ non cohærent, & congruam ſententiam non reddunt, *raçones de carta rota* appellamus Hiſpani: & quia hac cenſura quis poſſet notare illas Imperatoris literas, quas paulò antè expoſuimus, placet verſus alios proponere, quorum idem in Steganographia ſit uſus, quin de vocum abuſu conqueratur Grammaticus.

ABECEDARIUS PARTHENIUS.

A *Salve Virgo Parens, Sanctiſſima Virgo Maria,*
B *Candidior nivibus, rutilis fulgentior aſtris,*
C *Te Sol exornat, te cælitùs aſtra coronant.*
D *Lucida Stella Maris, miſeros Cynoſura gubernans,*
E *Cui innumera dotes, Charites quam plurima adornant,*
F *Regina Empyrei, tu quam miſer advocat omnis,*
G *Te Diva imploro, ſed enim ſcis Virgo ſavere,*
H *Ante tuoſq; pedes, veneror te acclinis & oro.*
I *Ora pro populo, noſtris pro Regibus ora.*
L *Da pacem Europæ, rege nos cæleſtibus armis*
M *Salvum fac Carolum, precibus pia regna tuere,*
N *Dirige Chriſticolas, Sperios in pace guberna*
O *Ethnica caſtra fuga, Mahometana arma coerce,*
P *Turcas deleto, Perſarum comprime turmas,*
Q *Confunde Hæreticos, populos converte rebelles;*
R *Subjicito Perſas, debella protinùs Afros,*
S *Indis da lucem, ſerva ſub lege fideles,*
T *Sis nautis portus, peregrinis patria felix,*
V *Diva fave miſeris, lugenti gaudia præbe,*
X *Da cæcis oculos, morbos expelle nocentes* (*)
Y *Intercede parens, pro peccatoribus ora,*
Z *Proſpice ſupplicibus, peccatorum miſerere.*

*] *Oranda eſt Deipara ut morbos nocētes expellat, nō enim omnes nocent morbi, quoniam infirmitates corporeas ſæpè immittit Altiſſimus ut animas infirmas & ægrotas recuret. Quò reſpiciens Propheta Rex pſalm. 118. 71. dicebat,* Bonū mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.

Qui epiſtolam ſecretam mittere ad Amicum voluerit, hemiſtichiis præcedentis Abecedarii loco literarum utatur; unde, ſi ex. gr. voluerit hanc ſententiam ſcribere, *Cras venias huc*, numeros ſequentes moduletur.

Steganographica ad amicum Epiſtola.

Te ſol exornas (debella protinus Afros)
Salve Virgo parens, ſerva ſub lege fideles.
Diva fave miſeris, Charites quam plurima adornant
Dirige Chriſticolas, noſtris pro Regibus ora,
Salve Virgo parens ſerva ſub lege fideles.

Ante

Digitized by Google

Ante tuoſque pedes lugenti gaudia præbe
Te Sol exornat. &c.

Has recipiens literas Amicus ad Abecedarium Parthenium, ad quem ſunt elimatæ, recurrit,& valorem ſingulorum ſemiverſuum adnotans, reperit hanc ſententiam, *Cras venias huc*.

SECTIO VI.

Exponitur Rei, aut Perſonæ vocabulum per nomina ipſarum literarum.

Verum hic Modus antiquus ſit?

ANtiquus eſt hic deſcribendi modus; exſtat enim apud Athenæum *in* 10. & Voſſium *de Arte Grammatica lib.* 1. *cap.* 32. *pag.* 117. curioſum Diſtichum, quod Neoptolemus Parianus compoſuit: videlicet.

Τοὔνομα θῆτα · ῥῶ ἄλφα, Σὰν ὖ, μῦ, ἄλφα · χῖ · οὖ σάν.
Πατρὶς Χαλκηδών, ἡ δὲ τέχνη σοφίη.

Nomen theta, rho, alpha, ſan, y, my, alpha, chi, ou, ſan;
Patria? Chalcedon. Ars? Sophia ſtadium.

Et literæ, quæ nominantur in Hexametro dant hoc nomen Τρασύμαχος.

Fuerunt duo Neoptolemi.

Hic autem Neoptolemus, Diſtichi præcedentis Author, non eſt Pyrrhus, Achillis filius, quem quia admodum adoleſcentulus primum militiæ tyrocinium in bello Trojano poſuerat, Νεοπτόλεμον, *Novum militem* cæteri nominabant, hunc enim carmina compoſuiſſe neſcimus; ſed eſt Tragœdus Vetus, cujus in Calig. cap. 57. Suetonius meminit.

An Græcæ Literæ aliis olim nominibus ſignatæ fuerint?

Et hic obiter nota eumdem Tragœdum eſſe ſatis antiquum, ſiquidem exhibet literarum nomina, quæ jam ſunt antiquata; quoniam Σ, Υ, & Ο quas hodie Σίγμα, Υψιλον, & Ομικρον dicimus, Σὰν, ὖ, & οὖ, more vetuſto nominant.

An olim Y ſpiritum lenem receperit?

Nota etiam ſecundò literam ὖ olim habuiſſe ſpiritum lenem, cum tamen hodie in Theſauro Latino nulla reperiatur dictio, quæ incipiat ab Y; omnes enim Græcæ, quæ ab υ initium ſumunt, & fuerunt à Romanis admiſſæ, ponuntur Latinis in Hy.

An pro ſuis nominibus Literæ poni poſſint, aut ſoleant?

Nota denique tertiò ſicut nomina pro literis Neoptolemus, ſic alios contra literas ipſas pro ſuis nominibus poſuiſſe. Quam ob rem cum à Dionyſio Tyranno revocaretur Philoxenus, ad longam Principis epiſtolam reſpondit ſcribens tantùm O. Suidas enim ſcribit, Τὸ Ο ςοιχεῖον ἔγραφε μόνον, *Literam O ſolam ſcripſerit*. Breve quidem reſponſum! Quid autem illo Philoſophus ſignificabat? Poſuit literam pro nomine ejuſdem; quæ enim nunc appellatur Ομικρον, tunc οὐ, id eſt, *Non* vocabatur. Vnde in proverbium abiit, Φιλοξένειον γράμμα, *Philoxeni litera*; quæ Negativa reſponſio, quæ brevis, & ingenioſa ſit, ſignificatur. Simile reſponſum dederunt olim Lacedæmonii, inquit enim Auſonius,

Vna fuit quondam, qua reſpondere Lacones,
Litera, & irato Regi placuere (*) negantes,

(*) Sæpe & ſi res, quæ dicta diſplicent, dicendi modus, ſi ingenioſus ſit perplacet.

quorum verſuum ſententiam non ſatis percepit Iulius Scaliger *lib.* 1. *de cauſ. L. L. cap.* 40. ut Voſſius *lib.* 1. *nuper citati cap.* 13. *pag.* 61. teſtatur. Et ſanè in aliis Linguis Φιλοξένειον γράμμα imitari occaſione ſuccurrente poterimus, ſi pro ſuo nomine literam ſcribamus. In Abecedario Latino ſola litera T, & in Hiſpanico ſola D. ſortita eſt nomen ſignificativum, & illis poſſet quis uti, ſi vellet reſpondere Laconicè. Has Hiſtorias opportunè cogitatas conſidera. Scripſerat ad Amicum Milo.

Clodius occiſus ſerò (*) eſt, ſed ſcire peropto,
Quem tanti ſceleris, judicet Aula reum.

(*) Petenti, quando fuerat occiſus Clodius, *Serò* reſpondit Cicero non ut veſpere eum periiſſe diceret, ſed ut citiùs debuiſſe occidi ſignificaret.

Epiſtola, in qua una ſola litera legitur.

Et Amicus nam ingenioſus erat, & dicendi acuminibus delectabatur, reſpondit, & in epiſtola tantummodò ſcripſit unum T. Addo hanc Hiſpanicam. Principi Roſimundo ſcribebat Oeconomus.

Pide aquel Caballero,
Que para ir por la poſta,
Por ayuda de coſta
Le de treynta ducados en dinera.
Y yo, que errar no quiera
En eſta contingencia
Hare lo que mandare V excelencia.

Et pro reſponſo Princeps illi tantummodò reſcripſit unum D. hoc eſt *det*. * Inter Lipſii epiſtolas una legitur, in qua ex conſilio Medici ab Archiepiſcopo Mechlinienſi licentiam poſtulat veſcendi carnibus in Quadrageſima. Non exſtat Archiepiſcopi epiſtola: ſed quid, ſi verborum profuſioni brevitatem opponeret, & in epiſtola Belgicè ſuperſcripta delinearet tantummodò unum S. Tunc enim illa litera per ſuperſcriptionem reſtricta imbueret ſignificationem Linguæ Belgicæ, & eſſet ea, hoc eſt, *veſcere*. * Tandem in Lingua Sancta, quia omnia ſuorum Characterum vocabula ſpecialem & propriam ſignificationem habent, hæc ſcribendi Ars poſſet uberiùs exerceri.

Vna T.

Vna D.

Vna S.

De Lingua Hebræa.

De Græcis literis ad Italicã Linguam reductis.

Nec carebo Latinorum exemplis, quibus ipſaſmet literas pro ſuis nominibus accipi ſolere perſuadeam, quoniam quidam

dam Curioſus Græcarum literarum figuris pro nominibus utens, ſequentes characteres ſcripſit,

*) Illud *la* nota poſſet Muſica ſignificari.

Nella φδ φιρ la β. [*]

hoc eſt, *Nella Fideltà finirò la vita*.

Et denique, ut revertar ad lineam, Artemque, qua Neoptolemus Thraſymachi epitaphium ſcripſit, dilucidè, S. Hieronymum producam, qui cap. 6. Ieremiæ Prophetæ dilucidans, *Satis eleganter*, ait, *in Hebræo, verbum, quod quatuor literis ſcribitur*, res, ain, jod, mem, *ſi legatur* Reim, Amatores, *ſi* Roim paſtores, *ſignificat*. Et hoc ego teſtimonio utor, ut oſtendam S. Hieronymi ævo nondum fuiſſe inventa illa puncta, quæ hodie pro vocalibus ponunt.

An S. Hieronymi tempore habuerit puncta Lingua Sacta?

רעים pro punctorum varietate jam *amatores*, & jam *paſtores* ſignificat.

SECTIO VII.

Rei, aut Perſonæ attributa, & qualitates exponuntur ex Nominis ſignificatione.

Quo modo in Etymologiis procedant Critici?

ET hic eſt communis, ac fere unicus modus, quem in Etymologiis Critici indagandis obſervant; quæruut enim, ex quo dictio deducatur vocabulo, ut ex ſignificatione originis ſententiam de derivatis ingenioſè pronuncient. Etymologias aliquas in exemplum propono. *Homo* latinè ab humo dicitur, *quia ex terra eſt & in terram ibit*. Conſonat & vox Hebræa; quoniam אדם, Adam, *Homo* ab אדמה Adama, *Terra* in Sacra Sriptura vocatur. Ab Hiſpanis Homo vocatur *Hombre*, quod nomen aliqui deducere volunt ab *umbra*, quoniam Iobo aſſerente. *Effugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet*. Et quidem utraque Etymologia eſt doctrinalis.

Nomina ſunt breves definitiones rerum.

Homo unde dicatur?

Sed unde dicuntur *Mancipia*? Florentinum *lib. 9. Inſtit.* audiunto. *Mancipia dicta ſunt, quod ab hoſtibus manucapiantur*. Vnde autem *Servi*? Reſpondet idem Authot, *ex eo appellari, quod Imperatores captivos vendere, nec occidere ſolent*. Vocabuli originem innuit, non exprimit; *nam ſervi à ſervando dicti ſunt*, ut habetur *in leg. Pupillus. §. 1. D. de verb. ſignific.* quoniã qui Iure belli occidi poterant, ut venderentur, ſervabantur. Auguſtinus *libr. 9. de Civit. Dei*.

leg. 4. §. ſervi. D. de ſtatu homin.

Vnde Mancipia *unde ſervi?*

Hinc patet fideles Romanæ Eccleſiæ filios ineptiſſimè *Papæ mancipia* ab Hæreticis & Heterodoxis appellari; inſanireq; Alſtedium *lib. 32. cap. 8. pag. 52. a.* cum ait. *Hæc Decreta & Conſtitutiones poſteà, multis poſt Ius Iuſtinianeum ſæculis, à Pontificibus Romanenſibus, eorum-ve mancipiis, ad illius credo æmulationem, in corpus quoddam collecta ſunt*. Non ſumus mancipia Catholici; non enim manu aliena capimur, ſed rationis lumine ducti Chriſtum ſequimur, captivantes intellectum in obſequium Fidei. Eſt miſera Germanicarum Civitatum *libertas*, quam *conſcientiæ* vocant, per quam diabolo mancipantur: & eſt beatiſſima Hiſpanorum neceſſitas, quæ mentes in vera Religione devincit: nam, ut ex Auguſtino Bernardus *libr. de præc. & diſp.* ait *Felix neceſſitas, quæ in melius cogit*.

An Catholici ſimus Papæ mancipia?

Libertas conſcientiæ, quam vocant, eſt miſerrima ſervitus.

Eſt felix, quæ ad bonum, neceſſitas.

Antequam ſubtiliùs de vocis ſignificatione Iuris-conſultus diſſerat, examinare debet, Græca ſit, an Latina? nam Tribonianus Reſponſa Græca etiam Græcè repoſuit; unde & Pandectę Florentini etiamnum illa retinent in Græca lingua. Authentica Græcè fuerunt ſcripta, & quia agunt de Latinorum muneribus, verba latina immiſcent. Hinc eſt, quod in Latinis libris *Hypotheca, Chirographum, Emphiteuſis, Sitonia, Epiſtalma, Orphanotrophus, Archigeronte, Dioceti*, & ſimilia, & in Theophili, Conſtantini, & aliorum Conſtitutionibus, nec non in multis Græcorum Legiſtarum codicibus Δόμινος, Δόμνος, Δομίνιον. Λιγᾶτος, Λιγᾶτον. Λιγατάριος Μανδατάριος Δωνατάριος συνσαίρης Κυράτωρ κυρατορεύειν. Ἐξκυσάτιο, πατρώνος; & textenta his ſimilia leguntur, quæ adeò moleſta erant Herennio Modeſtino, ut ex hac duarum linguarum commiſtione aſſereret utriuſq; linguæ elegantiam corrumpi.

An Tribonianus & alii Græca Latinis immiſcuerint?

An-ne utramque linguã hæc commiſtio corruperit?

SECTIO VIII.

De falſis Vocum etymologiis. *An aliquando præferenda ſint veris?*

VBI ſemel cognoveris, ad quam Linguam vox examinanda pertineat, duplicem Etymologiam ſtatue, aliam veram, aliam fictã. Illa verã nominis rationẽ explicat, hæc obludit, & aliquando gratiam habet; nimirùm, quando ingenioſè exorbitat, ut ſunt pleræque omnes vocum Hebræarum derivationes, quas ex lingua Cymbrica, ſeu Belgica antiqua Goropius Becanus deducit. Ponam unam, aut alteram. Primus in Mundo Rex, fuit Nembrod: qui amicis & cognatis oppreſſis, rebellavit: & ideò nomen hoc eſt ſortitus, nam *Nembrod* ſonat *Rebellem*. De illo Sacer Textus hæc habet, *Porrò Chus genuit Nembrod; Ipſe cœpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus venator coram Domino. Ob hoc exivit Proverbium*, Quaſi Nembrod robuſtus venator coram Domino. *Fuit autem principium regni ejus Babylon*. Venabatur familias integras, & tranſcendendo in Chaldæam ædificavit Babylonẽ, ur-

Nominis definitio dividitur.

Nembrod Rex primus.

Nembrod, *Rebellis*.

Adagiorum antiquitas.

Quomodo conſtructa fuerit Babylon?

urbem numeroſiſſimam, & poſteà Arachiam, Achadiam, Chalannem, & alias in provincia Senaar. Sed quæ ſuis militibus, quibus vicinas regiones perturbabat, ſtipendia ſolvebat? quæ noſtra ætate Dux Lotharingiæ Carolus; concedebat enim (Hiſp. *la Campaña libre*) liberam licentiâ furandi. Vnde divinante Goropio militi unicuique dicebat, *Nempt-broot*, Latinè, *Cape panem*; hoc eſt. *Opus eſt, at qui ſervit, etiam mercedem habeat. Hanc ergo ob cauſam, ſiquidem ſervis, ubicumque reperias*, nempt-broot, *cape panem*; & nomine *panis* omnia intelligebat neceſſaria, [quæ vocis acceptio etiamnum apud Hiſpanos viget; nam hæc phraſis *Ha comido mi pan*, æquivalet huic, *Mihi ſervivit, & à me victum, amictum, & omnia neceſſaria recepit.*] Et milites, qui Principem ſuum eſſe de alienis rebus liberaliſſimum videbant, & illud lemma *Nempt-broot* frequentiſſimè audiebant, illum *Nempt broot*, hoc eſt, *Dominum Capepanem* vocabant.

Quomodo ſtipendia Nemrod ſolverit?

Panis, quid ſignificet?

De excellentiſſima Frangipaniorum Domo.

Huic ex diametro opponitur Anicius ille, qui antiquiſſimæ & nobiliſſimæ Frangipaniorum Domus fuit Caput. Nembrod nihil dabat militibus, ſed furandi indulgebat liberam poteſtatem: huic contra Anicius, nullum in exercitibus ſuis tolerabat prædonem; &, ut nemo haberet occaſionem furandi, ſingulis frangebat panem ſuum hoc eſt, neceſſaria omnia ſubminiſtrabat) unde milites diſtinguebant eum ab aliis Principibus, *& cognoſcebant eum in fractione panis*; unde vocabant eum latinè, *Dominum Frangis-panem*, & Italicè, *il Signor Frangipane*. Huc enim reſpiciunt antiqua Magnatum Hiſpanorum ſtemmata; in quibus præter cacabos & lituos (*calderas, y cuernos*) nil invenies. Præſeferunt in ſtemmatibus (*en ſus armas*) lituos; quia lituus eſt tuba bellica milites congregans, eoſque in hoſtes ciens. Et qui hujuſmodi tuba clangebat, *Liticen* dicebatur. Virgilius *Æneid. lib. 6.*

Diſcipuli in Emaus cognoverunt Dominum in fractione panis.

De Hiſpanorū. Procerum antiquis ſtemmatibus.

Quid ſit lituus Hiſpan. Cuerno, o Corneta?

Et lituo pugnas inſignis obibat & haſta.

Et Lucretius *lib. 1.*

Tuba militaris.

—— *Stridor lituum, clangorque tubarum.*

Et etiam Ovidius *lib. 3. Faſt.*

Iam lituus pugnæ ſigna daturus erat.

Cur litui in ſtemmatibus pingantur?

Antiqui igitur Proceres & Magnates Hiſpaniæ, in ſuis ſtemmatibus, jam ab antiquo lituos (*cornetas*) gerunt, quia militem congregabant, in aciem ducebant, & bella, prout juſtitia poſtulabat; &c. cacabos (*calderas*) quia ſine ruſticorum, aut aliorum injuria, ſuos ſinguli nutriebant milites, & omni re neceſſaria donabant. At hodie multi in Mundo ſunt Principes Nembrodo ſimiles, qui opulenta militi ſtipendia promittunt, & cum agitur de ſolutione, inculcant, *Nempt-broot*, hoc eſt, *Cape panem*: videlicet ubicumque reperias.

Metaphyſica.

Etiam aliquando cum gratia, & ingenio obluditur in Idiomate Græco & Latino. In exemplum propono vocem *Metaphyſica*, cujus vera derivatio à Græca lingua peti debet; nam μετὰ apud Græcos eſt *Vltra*, & Φυσικὴ, *Phyſica* (rerum naturalium cognitio) unde ſcientiam, quæ ultra Phyſicam eſt, *Metaphyſicam* vocari oportuit: quo ſenſu vocem accepimus, cum duos Tomos edidimus, quorum alterum *Metametricam*, alterum *Metalogicam* inſcribi juſſimus. Ad falſam derivationem venio. *Meta* apud Latinos eſt *terminus*: vocetur ergo *Metaphyſica* illa ſublimis ſcientia, quæ eſt meta (ſeu terminus) Phyſicæ, & *Metalogica* alia etiam ſubtiliſſima multarum queſtionum deciſio, quę eſt meta (ſeu terminus) Logicæ. Sic etiam nomen *Tutor* derivationem duplicem habere poteſt: veram, falſam: monet illa, quid ipſi debeant facere; carpit iſta, quid ſoleant. Si enim à *tueor* vocem iſtam ducamus, pupillo adſignati Tutores, ut tutus reddatur, diſcemus. *leg. dum plures §. cum tutor. D. de adminiſt. tut. & tit. C. de alim. pupill. praſt.* Si verò à *tollo* ducimus, ſciemus *Tutores*, quaſi *Tollitores* nominari, quod ſæpè pupillorum bona, quæ defendere deberent, tollant, aut etiam aliquando deglutiant. Vnde, quæ olim de falſo ab Vlpiano *leg. 1. D. quod falſ. tutor.* & nuper à Brechæo *in leg. Paulus reſp. D. de verb. ſign.* Gæddæo *ibid.* & aliis dicta, poſſent hodie (proh dolor!) veris non paucis appropriari. Vide Alciatum *in comment. ad leg. unde tabernacula de verb. ſignific.* Placet etiam hic *Phaſiani* nomen conſiderare. Eſt ſanè Iberiæ in Aſia fluvius,

Μετὰ, quid?

Φυσικὴ, quid?

Metalogica.

Tutor.

Quid debeant facere?

Quid verò ſoleant?

Tollo, llis. ſuſtuli: ſublatum. antiquitùs tetuli, tollitum.

Tutor in falſum, & verum dividitur.

Phaſcianus. Parelius.

Colchorum qui rara facit ditiſſima Phaſis.

Lucanus lib. 3.

& apud eum naſcuntur aves illæ, quæ in Europam delatæ nominantur *Phaſiani.* Martianus lib. 13.

Phaſis Iberia in Aſia fluvius.

Argiva primùm ſum tranſportata carina:

Ante mihi notum nil niſi Phaſis erat.

Vnde Phaſianus nominetur?

Interim hodie, nam habent carnem ſaluberrimam, *Phaſianum* dici aſſerunt Itali Medici, quia *fa ſano*, quia facit ſanum. * Addamus & vocem Παρήλιον. Eſt autem Parelium, Solis imago in nube repræſentata: & ſic dici exiſtimarunt aliqui, quod ſit *par Soli*; nam ἥλιος apud Græcos eſt Sol. In Meteorologia art. 1. pag. 1301. ſic ſcribo [Fromondus. *Ridicula etymologia, quod ſit par Soli.* At ego falſas rationes nominum interdum eſſe pulchriores veris, in mea Logica oſtendo.] * *Magnes* lapis hodie

An Magnes ſic dicatur, quia magnus?

Digitized by Google

die eſt notiſſimus; & quid ſi *Magnes* tanquam *Magnus* dicatur? è falſo etymo veram doctrinam deſumemus; quoniam Nicolaus Cabeus in Philoſophiæ Magneticæ libr. 1. cap 1. pag. 2. ſic ſcribit. (Dicitur *Magnes*, ut vult Lucretius, à Magneſia, in qua oritur: ſic enim ille,

> *Quem* Magneta *vocant patria de nomine Graji*,
> *Magnetum quoniam patriis in finibus ortus*.

An vero à loco, aut veriùs ab inventore nomen habeat?

Licet Plinius *Magnetem* velit appellatum ab Inventore lib. 36. cap. 17. *Magnes*, inquit, *appellatus eſt ab Inventore, ut author eſt Nicander, in Ida repertus. Inveniſſe autem fertur clavis crepidarum, & baculi cuſpide hærentibus, cum armenta paſceret.* Quod niſi viderem omnium ſuffragio *Magnetem* dici à regione, aut inventore, non diſpliceret Etymon Portæ, qui ex eo putat *Magnetem* appellatum, quod ſit magnus inter lapides; ut ſit *Magnes* quaſi *Magnus*: re enim vera, ſi *Magnum* dicimus Alexandrum, aut alium hujuſmodi Imperatorem, quod ferro barbaras domuerit regiones, *Magnus* & erit Magnes qui ferrum ipſum captivum trahit, ſibiq; ſubjicit.]

Per phraſim.

Monopolium.

Vera Etymologia ſubdividitur; nam vel per phraſin, vel per antiphraſin voces derivat. Per phraſin ἀπὸ τοῦ μόνος, *unus* & πωλέομαι *vendo* ducitur *Monopolium*, & fit ex avaritia Principis, cum ſub tributo magno alicui ſoli tales merces vendendi indulgetur poteſtas; quod Iura Univerſa C. *de Monopol.* adſonantia, condemnant. Per antiphraſin multa nomina habemus: nam *Bellum* dicitur, quia minimè bellum: *Parca*, quia nemini parcit: *Lucus*, quia minimè lucet &c. De *Montis* etymo non conveniunt Authores: Vult Spiegelius ab eminendo *Montes* dici: & à movendo Bartolus, per antiphraſin, quia minimè moveri poſſunt. Bartolo ſubſcripſit quidam junior, qui cùm centenos dici Doctores in Eccleſiis & Conſiliis videret omni doctrina vacuos exclamavit, dicens, *Doctores hodie à docendo, ſicut Montes à movendo vocantur*. Et ſcitè, ut reor; per antiphraſim enim derivatio procedit; nam ſicut immoti montes ſunt, ſic illi indocti. Agebat de aliquibus in ſingulari: nam, ſi de omnibus, fuiſſet multis viris magnis injurius.

Per antiphraſim.

Bellum.
Lucus.
Parca.
Montes.

Doctores.

An nulla ſint voces æquivocæ?

Si nulla eſſent nomina æquivoca, nulla incertæ acceptionis eſſent, cur de illorum ſignificatione diſſereremus: ſed eo nos invexit Nomenclatorum avaritia, & vocum penuria, ut quia una & eadem vox diverſa ſignificet, & variè accipiatur, neceſſarium omninò ſit examinare, quid vox ſignificet, ne laborantes in æquivoco ad rei quæſtionem pervenire impediamur.

Ianſeniſtarum fraus.

Una & eadem aſſertio, quæ in ore unius eſt catholica in alius ore erit hæretica.

Magna arte & fraude Ianſeniſtæ anno 1643. aliquas propoſitiones, quas dicebant ex Angelico Doctore deſumi, ſubjecerunt Theologorum Cenſuræ. Multi Scripſerunt clauſis oculis; illæ enim in Thomiſtæ ore omni ſuſpicione carerent; quibus tamen ſubſcriptionibus abuſi ſunt mutata vocum ſignificantia. Ego viſus ſum cautior; quia cùm probè cognoſcerem fundamenta Ianſenij, volui, ut exponerent, quo ſenſu voces illas acciperent, vel ſaltem mihi permitterent explicare, quo eſſent ſenſu Thomiſticæ, quo tolerabiles, quo autem hæreticæ. Grandia pendent ab unius ſignificatione vocabuli. Quantæ olim quæſtiones inter Patres Latinos propter variam ſignificationem vocis *Subſtantia* Arriani interdum videbantur Catholici, hi Hæretici, & tamen antequam judicaretur ſententia, fuerant voces dijudicandæ. Sed etiam Græci acriter de voce ὁμούσιος diſſertarunt. Illa uſus fuit Iuſtinianus in *leg. 4. C. de Sūm. Trin.* & Latinè *conſubſtantialem*, aut ſtrictiùs *coeſſentialem* ſonat. Hanc Filio Arrius, & Spiritui ſancto Macedonius negabat. Hanc Chriſto Neſtorius, & Eutyches: ille enim hominem tantùm credidit, licèt divinitate ſuperfuſum: unde Virginem, Deiparam fuiſſe negabat: hic autem Ariſtotelica de elementorum commixtione opinione præventus in Chriſto Divinitatem & Humanitatem mixtas fuiſſe, & tranſiviſſe in formam tertiam, quæ propriè loquendo neutra eſſet, impropriè utraq;. Qua propter Nicæna Arrius, Epheſinâ Neſtorius, Chalcedonenſi Eutyches ſynodo condemnantur. c. *ſunt igitur.* 15. *diſtinct.* & 35. *quæſt.* 3. c. *quidem* Spieg. Et quidem Athanaſio teſte, nomen hoc ὁμούσιον in Sacra Pagina non invenitur, ſed neceſſarium fuit rem antiquam novo vocabulo ſignificari, ut veritas cognoſceretur, & condemnarentur Hæretici, qui novis ſententiarum chimæris Eccleſiam perturbabant. Hanc poſitionem, *Nō potuit Deus ab initio creare hominem qualis nunc naſcitur*, in Bayo, & meritò condemnavit Apoſtolica Sedes: & eamdem ipſam Lovanii repoſuerunt, & publicæ Diſputationi expoſuerunt Patres Franciſcani Hiberni; & tamen quæ in ore Bayi fuerat intolerabilis, in horum ore fuit Catholica, & Theologicæ Cenſuræ incapax. Agebat Bayus de realibus imperfectionibus (corporis, animi) & quia nunc infantes ægroti, debiles, ignorantes, &c. naſcuntur, auſus fuit dicere, primum à Deo hominem (Adamum) claudum, cœcum, ægrotum, &c.

Maxima à parvis pendent.

De voce Subſtantia.

De voce ὁμούσιος.

Sint-ne filius & Spiritus ſanctus conſubſtantiales Patri.

An Virgo Mater Dei?

An in Chriſto Divinitas & Humanitas commixta ſint?

An nomen ὁμούσιον *in Sacra Pagina inveniatur?*

An ab initio creare potuerit hominē Deus, qualis nunc naſcitur?

Eadem propoſitio quæ in ore unius Catholica eſt, in ore alterius poteſt eſſe hæretica.

igno-

ignorantem, delirum, phreneticum, &c. non potuiſſe creari. At PP. Franciſcani agebant de originali labe, & Sanctiſſimè ſtatuerunt, non potuiſse Deum facere, ut primus homo (Adam) peccato originali infectus produceretur. Quod ita eſt verum, ut reduci in quæſtionem non poſſit.

An in Scientiis initium ſit de nominis expoſitione ſumendū?

Hanc ob rem Vlpianus *libr. 7. Inſtitutionum* (& habetur *leg. 1. D. de Iuſt. & Iur.*) priùs examinat nomen quàm rem, *Iuri operam daturum*, inquit, *priùs noſſe oportet, unde nomen Iuris deſcendat. Eſt autem Ius à Iuſtitia appellatum: nam, ut eleganter Celſus definit, Ius eſt Ars boni & æqui, cujus meritò quis Nos Sacerdotes appellet, Iuſtitiam enim colimus boni & æqui notitiam profitemur.* &c. Et Ioannes Coraſius, in hanc Legem. [Mirum eſt, quod priùs dicendum moneat Vlpianus, unde Iuris nomen deſcendat, quàm quid ſit Ius, cùm vera Traditio (Methodus doctrinæ) jubeat à definitione proficiſci, ne vagari & errare cogamur, ſi ignoremus quid ſit id, de quo diſſeritur. Cicero *de Orat. & 1. de Offic.* Sed non temerè: Vera ſiquidem Iuris diſcendi, & alterius cujuſvis diſciplinæ ratio eſt, ut à notatione & etymologia verborum incipiamus, quæ profectò rei propoſitæ vim aperit, & non mediocriter illuſtrat. *leg. 2. §. Appellata. D. ſi cer. pet. l. 1. D. de adq. poſſeſſ.* uſumque habet neceſſarium (inquit Fabius) quoties interpretatione res, de qua quæritur, eget. Quintilianus *libr. 1. Inſtitut.* Ea tamen in re ut in alijs plerique peccaſſe graviter Tribonianum fateor. &c.]

An potius à rei definitione?

An erraverit Tribonianus?

At hic, quando Vlpianus ſuo exemplo, & peritiſſimi Iuriſconſulti ſua doctrina te monent, ut ab Etymologia exordium ſumas, ſunt enim nomina, ut habet Plato, breves rerum imagines & definitiones; ego te interpellabo dicens,

An fidendum ſit etymo?

O Studioſe *Puer, nimium ne fide colori.* Nam Etymologia eſt veritatis color, non coloris veritas, ſæpè enim neſcitur, & interdum obludit, & Philomuſos, dum Ariadnæ filum ſe inveniſſe gloriantur, in profundiores labyrinthos præcipitat: multi enim ab Etymo dialecticantes conſequentias temerarias eliciunt. Vt eos ad verum tramitem reducat Vaconius de vacuna *libr. 2. decl. 32. pag. 64. b.* pronunciat leges, quibus carere poſſint, ſi dicant, *nullam eſſe ab Etymo illationem ſecuram*, quoniam, ſi aliquando eſſe veram contingeret, nunquam continget eſſe bonam. Logicam tractamus, nec moleſtus videri alicui porrò, ſi demonſtrem, quod dico.

Virgil. Egl. 2.

An Etymologiæ fidendum ſit?

An & quando ab Etymo validè argumentemur?

Sanè Conſequentia dicitur vera, quando propoſitio, quæ inferri dicitur, eſt vera; bene aut malè inferatur: dicitur autem bona, cùm bene infertur; ſit falſa aut vera. Doctrinam exemplis illuſtremus.

Quanam conſequentia dicatur vera: & quanam bona?

I *Iuriſtæ ſunt Sacerdotes. leg. 1. D. de juſt. & jur.*
Sacerdotes ſunt honore digniſſimi. (*Panormitanus in cap. ſi Sacerdos de offic. ordin. Prat.*
Ergo Iuriſtæ ſunt honore digniſſimi.

II Arbores illuſtrant Rempublicam.
Iuriſperiti ſunt arbores.
Ergo Iuriſperiti illuſtrant Rempublicam.

III *Vlpianus eſt homo Ethnicus.*
Omnes Ethnici ſunt imperiti.
Ergo Vlpianus eſt imperitus.

Conſiderentur bene hi ſyllogiſmi, omnes enim quatuor terminis conſtant.

Prima Conſequentia eſt vera, & tamen mala: nam ille Syllogiſmus, quem claudit, habet quatuor terminos: vox enim *Sacerdos* in minori accipitur pro Presbytero, in majori autem pro Divinæ voluntatis Interprete. Vt hoc melius intelligas adnotato ex Calino verb. *Sacerdos* & verb. *Pontifex*, duo fuiſſe Sacerdotum genera apud Romanos: alterum quod ad placandos Deos conſtituebatur, & ſacris præerat: alterum, quod oracula, Vaticinia, ſeu Deorum reſponſa, in quibus arcanum aliquid ſemper latere putabatur, interpretabatur iis, quorum ſcire intererat. Et ex Pomponio liquet Romanos, cùm de Iuris intelligentia dubitarent, à nullis tutiùs, quàm à Sacerdotibus reſolutionem ſe habituros ſperaſſe: judicabant enim, ſincerè tractaturos humana, quibus concredita fuerant Divina, Vide Ciceronem *in Oratione ad Pontifices pro domo ſua.* Et huc reſpiciens Vlpianus Iuris Interpretes *Sacerdotes* appellat.

Syllogiſmus bonus non poteſt habere quatuor terminos.

Sacerdotes erāt olim cauſarum Iudices.

Secunda Conſequentia eſt etiam vera. An ne bona? Formaliter loquendo eſt bona; nam, ſi ſemel concedantur præmiſſæ, à nemine negari poterit. At materialiter loquendo eſt mala; nemo enim illas admittet; & quando aliqua negatur præmiſſa, enervatur ſyllogiſmus, nec poteſt progredi, quouſq; illa probetur.

An & quomodo ſit bonus Syllogiſmus cujus præmiſſæ ſint falſæ?

Tertia Conſequentia eſt falſa: nam Vlpianus vir doctiſſimus fuit: tantus, ut non ignorantia, ſed malitia in Chriſtianos peccaverit. Eſt formaliter bona; ab eo enim, qui præmiſſas conceſſerit, admitti debet. At illarum prima eſt vera, ſecunda falſa; nam ſicut inter Iudæos & Arabes fuerunt Medici & Philoſophi ſubtiliſſimi, ſic inter Gentiles prudentiſſimi Iuriſperiti, inter quos Vlpianus eminere videtur. Sed quia ſcientiæ concatenatæ ſunt, ex ſcelerata Theologia, qua imbutus erat, umbras non paucas in Iuriſprudentiam derivavit.

An infideles poſſint eſſe docti?

Scientiæ concatenatæ ſunt.

Dixi *nullam unquam ab Etymo ſecurè conſequentiam deduci.* [1] nam Scriptores

Cur ratio ab etymo nil valeat?

ſæpè veram nominum rationem & radicem non tangunt.[2] nam aliud ſæpè eſt, unde deducitur, & aliud quod ſignificat nomen. Quod ſi fortè contingeret aliquando, ut ſignificatio cum derivatione coincidat, tunc bona erit illatio, at bonitatem non ab Etymologia, ſed à ſignificatione recipiet.

Pontifex unde dicatur?

Aliud eſſe unde vox derivatur, & aliud quod ipſa ſignificat, demonſtraturus, ob oculos ponam nomen *Pontifex*, quod à ponte & faciendo oritur, & tamen non eum ſignificat, qui pontem facit, ſed qui Sacerdotibus præeſt. Inceperunt Sacerdotes nominari *Pontifices*, nam ab iis Sublicius factus eſt primùm, & reſtitutus ſæpè; ut notat Varro, de cujus ſententia fusè diſſerit Coraſius *Miſcell. libr. 1. cap. 10. num. 13. & libr. 3. cap. 22. num.* 8. Hanc hiſtoriam Alciatus ad myſterium reducit; Summos Sacerdotes *Pontifices*, & Summos Principes *Auguſtos* vocati jubens, & ſi illi ad vitam æternam pontem non faciant, ne hi imperium augeant; nam id nomen reſpicit, quod fieri deberet, licèt non fiat. Sed obludit: nam in pontis fabrica non fuit metaphora, & Auguſtus non ab augendo, ſed ab augurio dictus.

Auguſtus unde.

Cæſar unde?

Addo aliud exemplum. In vna voce *Cæſar*, quanta ſunt Criticorum diſſidia! (1) Cæſarem dici à cœſo matris utero voluit Servius, Virgilij interpres, cui Acurſius *in præf. inſtit. verb. Imperator* ſubſcripſit. Scipionem Africanum ab elephante in prælio occiſo, qui in lingua Maurorum *Cæſa* dicitur, nomen habuiſſe Cæſaris Plinius, Solinus, alii multi tradiderunt. Vide Phil. Beroaldum *in ſuis contra Servium adnotationib.* Alij liberius nomen à cæſarie derivant quaſi dictus ſit Cæſar, qui cum magnis crinibus ex utero matris effuſus. Alij liberiùs adhuc ob oculis cæſiis nomen trahunt. Cæterùm in tanta opinionum varietatem vox *Cæſar* nihil horum ſignificat, ſed ponitur pro Imperatore regnante, vel ſaltem electo: ſunt enim, qui inter Imperatorem, & Cæſarem diſtinguant, aſſerentes Imperatorem eſſe, qui gubernat, Cæſarem, qui denominatus eſt, ut ſuccedat. Vnde ab Auguſto interdum Cæſar ſeparatur, ut *in leg. etſi excepta. ibi. in comitatu meo, vel Cæſaris* vide. *Cod. de malef. & mathem.* apud Spartiam, Capitolinum, Lampridium, & alios. Sed hodie *Cæſar & Imperator* idem ſunt: & qui debet ſuccedere *Rex Romanorum* nominatur.

Cæſa, elephas.

Vocum Cæſar *& Imperator differentia.*

Rex Romanorũ.

Et hic obiter noto illa ſuperbiſſima verba, vel *Cæſar, vel nihil.* à nemine fuiſſe intellecta. Omnes, quos viderim, putant reddere hunc ſenſum, *volo eſſe Imperator, vel nullus. Imperator, ſi victor; nullus, ſi victus fuero: nam victi ſunt ſervi, & ſervi civiliter cenſentur nulli.* At multò arrogantior fuit hominis ſuperbi exclamatio; nam tunc vox illa *Cæſar* Imperatorem nondum ſignificabat. Ergo verus ſenſus eſt hic. *Aut Iulius, aut nihil*, ac ſi diceret. *Eſt Iulius, humana natura prodigium cælitùs conditum, ut univerſis imperet; ut omnes ſub pedibus habeat. Si quis ſubrigit caput, & mihi ſervire non vult, injuriam infert: habeo à Natura, ut præſim omnibus. omnes ab eadem habent, ut mihi ſubſint. Si tantùm dimidij mundi fuero dominus; non ero Iulius; ergo pugnandum eſt quouſq; vel occumbendo nihil ſim; aut vincendo omnia & omnes proſternam, & maneam* Iulius.

Nota id bene: mihi enim certum & indubitatum eſt, verba illa in ſignificatione, in qua fuerũt dicta paſſim à Criticis accipi & explicari.

SECTIO IX.

De falſis & illegitimis Etymologiis. An aliquando ſint aptiores, quàm vera?

OStendi derivationem ſæpè à ſignificatione diſtingui, & terminum *à quo* cum termino *ad quem* rarò coincidere: aliud enim ferè eſt, unde vox oritur, & aliud quod ipſa ſignificat: & hoc ſtando legitimæ derivationi. Sed quot ſunt Critici, qui cum de nominum ratione diſſerunt, fluvios à valle in montem derivare conantur? quot qui ineptias protrudunt, & tamen grandi ore loquuntur, & volunt à nobis audiri? Vberioris doctrinæ gratiâ exempla nonnulla producam.

Multa juniorum aut veterum etiã Etymologia ſunt ficta immò malè ficta.

Pontificem à poſſe & facere vocatum fuiſſe. Q. Scevola affirmat. Aſſentiunt Alciatus, cui *facere* eſt ſacrificare, nam Pontifices erant, ad quos ſpectabat ſacra faciendi authoritas. Sed nomen *Pontifex* conſideremus. *Fex* à facio, ut in vocibus *Artifex*, *Aurifex* &c. venerit: an *Ponti* à poſſum? non certè niſi dixeris, *Poſſum* in ſupinn eſſe *Pontum*, quod nemo admitet.

An à poſſe & facere dictus ſit Pontifex.

Quid ſit facere?

An Poſſum *in ſupino habeat* pontum?

Poſſeſionem, quaſi pedum poſitionem dici Paulus, & Labeo aſſerunt, & non vident vocem hanc non à *pono* prodire, ſed à *ſedeo*. Ergo manifeſtè cœcutiunt.

Vnde dicta Poſſeſſio ſit?

Teſtamentum; quod teſtatio mentis ſit, Iuſtinianus *in prin. Inſtit. de teſt. ordin.* affirmando fecit ſuum, errorem Servij Sulpicii qui *libr. 2. de teſt. ord.* id totidem verbis ſcripſerat, ut notat Gellius *libr. 6. Noctium Attic. cap. 12.* Quod *ibi* Etymon, Gellius & Laurentius Valla *lib. 6. elegant. cap. 32.* Quorum authoritas tantùm apud plurimos valet, ut *ad legem* 1. D. *de adquir. vel amitt. poſſeſſ. & legem* 2. §. *Appellatur. D. de reb. cred.* liberè inſultent Iuſtinjano

Teſtamentum

Quanti Gellius & Laurentius Valla ſunt?

njano

niano & Sulpicio,& hanc riſu opinionem excipiant. Porrò, ſi *Teſtamentum* dicitur, quaſi teſtatio mentis, dicetur procul dubio *Calceamentum*, quaſi calceatio mentis; nec abſurde multi enim tam ſtupidi ſunt,ut non in capite,ſed in calcaneis potiùs videantur intellectum habere: erunt *Armenta*, arma mentis: & *Condimentum*, ſi *di* corripiat, erit quo mens conditur, ſi protrahat, quo condîtur. *Salſamentum*, exponetur ſal mentis: & poſtulante derivationis analogia *Alimentum* dicetur,quaſi alienatio mentis, *Impedimentum* quaſi impeditio mentis, *Vnguentum* quaſi unctio mentis: *Elementorum*, quaſi electio mentis: *Iumentū* quaſi juvamen mētis,&c. & Hiſp. *Cumplimiento*, cumplo y miento: *Penſamiento*, pienſo y miento &c. *Lucéro*, lux ero: *Sombra*,olim *Solombra* Solis umbra,*Hombre*,umbra. &c.

Calceamentū. Armenta. Cōdimentum. Salſamentum. Alimentum. Impedimentum. Vnguentum. Elementum. Iumentum. Cumplimiēto. Penſamiento. Sombra. Hombra.

Etymologia non eſt locus Dialecticus ſed rhetoricus.

Non eſt *Etymologia* Philoſophicus locus; unde ſeveri Dialectici argumenta deducant; eſt Rhetoricus, unde diſcurſus ſuos Oratores exornent, & in Comœdiis ſuis Poetæ, quo plus exorbitent, magis populum recreent. Sequentes à theatro fuerunt cum applauſu receptæ. Centurio Velaſcus in Comœdia, quæ inſcribitur: *Quien calla fulminara*. act. 2.

Nomen Damaſco. *Non ſine gratia dividitur.*

Eſta caſa es de Damaſco,
Segun ſe llega a entender,
Porque Marido y Muger,
Ella es Dama y el es aſco.

Occaſione nominis Caballero, *alia diluciduntur.*

Et poſteà act. 3. introducit Lauram cum Tabaco, famulo Frederici loquentem.

Lavra: *ah Caballero* Tab. *Señora.*
Y quienes dixo, que yo,
Soy Caballero? Lavra. *Ay de mi*
Soſpecho: que me he engañado
Pues decidme, no he acertado
En daros tal nombre? Tab. *Si*
Porque quien en un Iardin, — Iardinero.
Luego que ſale el luzero,
Dando a las tinieblas fin,
Riega el Roſal, y Romero,
La açucena y el jaſmin
Es llamado jardinero.
Mercader, quien libros trata,
Suele llamorſe Librero, — Librero.
Quien haze platos Platero — Platero.
Aunq;nunca ſean de plata:
Quien trahe la baca Baquero, — Baquero.
Matadero, *do ſe mata.* — Matadero.
Aquel ſe llama Cochero. — Cochero.
Que un coche ſuele guiar
Quien litera, Literero. — Literero.
Y aſſi me puedo llamar
Yo, que trato en balmeaẓar
Vn Caballo, Caballero. — Caballero.

Placet addere Etymologiam nominis *Eſcudero*. Vocantur autem apud Hiſpanos *Eſcuderos*, qui Nobiles. Claudius itaque audiens Theophriſum ab Amicis *Eſcuderum* vocari; & reſciens *Eſcudo* in Hiſpania, in Latio *Scutum* dici, auream quamdam, notam univerſis, monetam, nomen *Eſcudero*, à voce *Eſcudo* ducens, Theophriſum ſcutis abundare ſupponens, in Dominum & Herum adſumpſit. At diſcens poſteà Theophriſum eſſe pauperem,exclamabat Latinè,

Nominis Eſcudero *falſa, ſed pulchra Etymologia.*

An nomina rebus conveniāt?

Diſcordant rebus nomina ſæpè ſuis.

dicebatq;(illi vale dicens) Hiſpanicè.

Aunque vine a tu caſa
Con deſeo de ſervirte muchos años,
Con racion[*] *tan eſcaſa*
Padeceria mi vida muchos daños,
Y aſſi licencia pido,
Para buſcar en otra parte nido.
Te llaman Eſcudero
Que es (vive [a] *Laura) tan glorioſo nōbre,*
Que, quando es verdadero,
Significa en rigor, que tiene el hombre,
Que Eſcudero *ſe dize,*
Copia de eſcudos,que le immortaliẓe.
Pero deſpues,que vive
Contigo, ſi ſe puede llamar vida,
La de un pobre cautivo,
En tu caſa para comprar comida,
No vi jamas eſcudo,
Y aſſi, Señor,a otro Cuartel me mudo.

[*] Quod diebus ſingulis ad victum datur, vocatur ab Hiſpanis *racion.*

a] Per Amicā Domini jurans famuli.

Alia poſſem ſubjungere, ſed hæc ut intentum evincam,adduxiſſe ſuffecerit.

Concluſiones.

Stat igitur (1) Scriptores obludere cum de vocum Etymologia differitur: (2) derivationem à ſignificatione differre: (3) nullius eſſe efficaciç in Logica argumenta, quæ ab etymo deſumpta.

De Characteribus.

Sicut Nomenclatores voce aliqua interdum feliciter inventa, rei naturam exponunt, ſic etiam Orthographi charactere aliquo feliciter cogitato & delineato,nam

Conveniunt rebus ſigna poſita ſuis.

Et in hac Arte Ægyptii eminuiſſe dicuntur. Hanc ob rem poſtquam nominum rationem reddidimus,rationem etiam characterum reddamus.

SECTIO X.

De Characterum Definitione.

Quid Character ſignificet?

TAmetſi *Character* aliquando ſumatur pro litera, uſus obtinuit, ut potius alia ſigna ſignificet,quæ non ſunt literæ. Et quidem charactere ſæpiſſimè rerum naturam explicamus. Hos breviter dilucidemus.

Septem Planetarum characteres.

☉ ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿

Significant ſeptem Planetas, qui dilucidantur hoc Tetraſtico.

Lumina magna duo, medius Sol, infima Luna,
Menſem, annum, noctem ſignificantq; diem.
Cum Iove, Saturnus, Mavorſq; per Æthera currunt.
Et Venus inferius, Mercuriuſque volant.

De Planetarum characteribus diſſerit in Iacobi Bartſchii planiſpherio Andræas Goldmayerus *ca.* 3. quem imitabor ſaltem, ſi non omninò velim ſequi.

Solis character. An ſymbolum ampliſſimum ſit?

Sol Planetarum medius maximus, & primarius; eſt mundi Etherei rector, temporis definitor, lucis fons, & caloris origo. Character ejus eſt circulus habens in medio punctum, ſic ☉, Apollinis enim imago pomum aureum manu tenet, unde pomi ſpecie meritò figuratur. Alii illum potiùs pingunt ſic ☼ ut meliùs ab univerſis cognoſcatur.

Lunæ character.

Notatur Luna figura corniculata, ☽ qua ut plurimùm cernitur.

Hos duos characteres ob oculos habebat Corripus Africanus, cum cecinit.

Ornavit Solem radiis, & cornua Lunæ,
Paulatim minui, & paulatim creſcere juſſit.

Saturni character quid innuat?

Aſtronomi hoc charactere ♄, quo Saturnum ſignificant, vel figurare falcem volunt, vel ſenem baculo innitentem.

Iovis character.

Iuppiter dicitur à Græcis Ζεύς, & ideò initiali nominis litera ſignificatur ſic ♃.

Martis character.

Mars eſt bellorum Dominus, & ideò per hunc characterem ♂, hoc eſt, per clypeum & haſtam denotatur.

Venus unde dicta? quo denotetur charactere?

Venus, Amorum Dea, à Venuſtate dicta; manu tenet ſpeculum, cujus figuram exprimit hic character ♀

Mercurij character.

Caduceus eſt inſigne Mercurii & pingitur ſemper hac forma ☿

An argumentum à charactere efficax ſit.

Non multùm proficiet Dialecticus, ſi argumenta à figura characterum deſumat, ut ſolent Poetæ & Rhetores aliquem Principem collaudaturi, ejus ſtemmata conſiderare, & pulchros conceptus eruere ex ſtemmatum avitis figuris.

SECTIO XI.

De origine, & derivatione literarum. Exponuntur illa, quibus utuntur in notis ſuis Iuriſperiti.

An Græcæ literæ ab Hebraicis profluxerint?

GRæcas literas ab Hebræis prodiiſſe videntur etiamnum nomina illarum demonſtrare, quas enim in lingua ſancta dicimus *Aleph, Beth, Gimel, Daleth.* &c. nominamus in Græca *Alpha, Beta, Gama, Delta.* &c. Vnde Gerardus, Ioannes Voſſius *libr.* 1. *Gramm. cap.* 10. *in fin.* [Poni illud extra controverſiam debet, prioris literis uſos eſſe Hebræos; ac hujuſce rei argumentum ſupereſſe evidentiſſimum, quod literarum apud Græcos nomina, nunc quoque nominibus vocentur ex Hebræa appellatione leviter deflexis. Quam in ſententiam plura, qui volet adeat præclarum Euſebii opus de præparatione Evangelica *lib.* 10. *cap.* 2.] Firmat hoc Clemens Alexandrinus libr. 1. ſtrom. Εὐπόλεμος δὲ ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τῇ Ιουδαίᾳ Βασιλέων τὸν Μωϋσῆ φησὶ πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, καὶ γραμματικὴν πρῶτον τοῖς Ιουδαίοις παραδοῦναι, καὶ παρὰ Ιουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν, Ελληνας δὲ παρὰ Φοινίκων. *Eupolemus* libr. de Regib. Iudææ, ait, *Moyſem primum fuiſſe ſapientem; ac primum Iudæis tradidiſſe Grammaticam: ac à Iudæis accepiſſe eam Phœnices, à Phœnicibus Græcos.* Grammaticæ nomine artem literas ſcribendi intelligit: nam ante Moyſem Hebræi ſciebant loqui, non autem ſcribere: unde ſcitè Voſſius *cap.* 11. ait. [Eademque ex Eupolemo iiſdem propè verbis refert Euſebius *lib.* 9. *de præparat. Evangel. cap.* 7. Sed is pro Γραμματικὴν habet γράμματα: ut & Eupolemus ac Clemens, haud aliud videantur per γραμματικὴν intellexiſſe, per Γραμματιςικὴν ſive γράμματα.]

Quis literas Hebraicas invenerit?

Quid Grammatica ſit?

An Latini literas habuerint à Græcis.

A Græcis literis profluxiſſe latinas ſimilitudo figurarum oſtendit. Tacitus *libr.* 11. *Annal.* id affirmat his verbis. *Et formæ literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum.* Conſonat *libr.* 7. *cap.* 58. Plinius dicens *veteres Græcas fuiſſe eaſdem penè, quæ nunc ſunt latinæ, indicia erit Delphica Tabula antiqui æris, quæ eſt hodie in palatio dono Principum Minervæ dicata.* &c. Et hoc hodie omnium Latinorum opinio, quam ſequitur Antonius Nebriſſenſis in Metricæ initio dicens, *Literulas Græcas prodierunt unde latinæ* &c.

Authoris inſtitutum.

Non eſt animus ſingulorum characterum, quibus Latini utimur, figuram, & figuræ originem examinare; hoc enim pertinet ad Orthographiam: ſed doctrinam hanc aliquo exemplo dilucidare, & ideo in Iuriſtarum gratiam: *Cur Digeſta hoc ſignentur charactere* ff. inquiro.

Cur ff. ſignificet Pandectas?

ff. ponitur pro π.

Alciatus *libr.* 5 *diſput. cap.* 16. Compilatores fuiſſe Græcos; & quia libros, quos *digeſta* nos dicimus, illi *Pandectas* nominabant, illos litera π̃ ſignificaſſe: cùm ergo Exſcriptores Græcas neſcirent literas, aut non ſcivernnt illum characterem exprimere, aut eſſe *ff.* exiſtimarunt. Adde quòd, cùm Typographi literis Græcis ſub initio caruerint, uſi ſunt charactere Latino, qui Græco videbatur aſſimilis, ejus verba ſubjicio. *Cùm reſponſa hæc Iuriſpru-*

An Pandectæ ſit Cento ex veterum Placitis concinnatus?

prudentum tanquam in Centonem quemdã Tribonianus redigiſſet, Operi & Digeſtorũ & Pandectarum nomen impoſuit: & quoniam Græci ipſi conſartores fuerunt, veriſimile eſt, eos ſolitos ſub Græco nomine Pandectarum librum ipſum adducere. Cum itaq; primum tantùm notam π̃ *cum accentu circumflexo deſcriberent, noſtri Latini eos imitabantur: ſed ſcriptores, librarii, qui literas ignorabant, exiſtimarunt eſſe binas ff. in quam figuram facile fuit adjecto unco Græcam notam depravare.*

Earum character eſt π̃, *qui tandem in ff. degeneravit.*

Alciato conſonat Ioannes Henricus Alſtedius *in Encyclopadia libr.32.cap.8.pag.49.b.* ibi enim de origine & progreſſu Iuris ait, & ſic inquit. *Digeſtorum autem nomen primò Salvius Iulianus reperit, qui Ius Civile in artem quamdam digeſſiſſe putatur. Ejus nota eſt D. vel Dig. vel 9, & θ, quæ eſt prima litera in voce* θεματιον. *Porrò Veteres, cùm Pandectarum leges libroſq; ſignificabant, priorem ejus dictionis literam cum ſigno accentus circumflexi ſic ſcribebant* π̃: *id quod qui ſecuti ſunt, Græcarum ignoratione literarum, putantes eſſe digamma* ſΓ, *hoc ſigno notarunt* ff. Hæc eſt vera ſententia, hæc vera characteris ff. ratio. Et ideò ſcitè Iacobus Gothofredus paſsim, & præcipuè toto illo erudito Volumine, quo Regulas Iuris dilucidat, non ff, ſed π, ut ſignificet πανδέκτας, ſcribit. Et ei Ioannes Chiffletius in apologetica ad Linguã Sanctam Parænesi pag: 106. aſſentitur; inquit enim, (ſuum ff. formarunt indocti Legulei ex hoc ſigno π̃)! Sed quia nihil eſt tam certum, quod impugnationem non ſubeat, aliorum opinationes diſcutiamus.

Digeſtorum nomen quis primus invenerit, & cur?

An jus Civile ſit Ars?

Alciatus non impugnatur ſed demonſtratur.

Alciati conſiderationem, tanquam chimæricam divinationem, Cagnolus *in Proemio Digeſt. num.73.* condemnat his verbis. *Pondera hic aliud, Digeſtorum libros non per ziphram ff., ut nunc facimus, ſed ad longum ſcribi; & bene meo judicio; quia ziphra illa, qua utimur, bona ratione talem ſignificatum importare non probatur; quidquid in parvo Iuris Dictionario, ſeu per Alciatum lib.3.cap.16. diſpunction. dicatur: propterea hic & ubiq; in Iure* Digeſtum *extenſis literis ſcribitur, & non per ziphram illam. Meliùs rectiuſq; facerent, ſi ponerent ſolùm literam* D. *poſſet enim (ipſa)* Digeſtum *ſignificare, ut patet in ſimilibus dum allegamus* C. *codicem,* L. *legem, &* c. *caput primam literam ipſarum dictionum tantùm ponentes: arbitrorq; priſcis temporibus etiam litera* D. *uſos fuiſſe Majores noſtros Digeſtorum mentionem facientes, ſed ſucceſſu temporis id fuiſſe corruptum per volentes depingere ipſum* D. *ſic alterantes talem notam.* Sed quis non videat omnia, quæ contra Alciatum affert, ſuam opinationem deſtruere, & Alciati ſententiam roborare? C. ſignificare *Codicem*, l. *legem* c, *caput*: aſſerit, & admitto. D. poſſe denotare *Digeſta*, addit, & libenter concedo; nam Faber, ut alios prætercam, literam D. frequentiſſimè ponit, & non ff, quem ut vides in hac Morali Logica, ſui ſemper imitari conatus. Et quid hinc infert Cagnolus? *Ergo* πάνδεκται, *non potuerunt litera* π *ſignificari*. Sed unde egreditur hæc negativa? Sanè præmiſſæ hanc inferunt affirmativam. *Ergo* πάνδεκται *debuerunt debentque litera* π *ſignificari*. Stat igitur Alciati opinio, quidquid per Cagnolum dicatur.

An Pandectæ ſignificari debeant litera D?

Cagnolus Alciati opinionem adfirmat.

Præterea illa literæ D. deformatio, ut tranſiret in ff. non eſt veræſimilis; eſt enim inter hos characteres differentia notabilis: & exſcriptores ſciebant linguam Latinam, & ſicut C. *l.* & *c.* ſic etiam ſciebant literam *D.* delineare.

An D. in ff. degeneraverit?

Accedit, quod character ff. non ſit Ziphra, ſed litera, nempè duplex FF. Quid autem, ſi eſſet Ziphra? non ideò condemnari à Cagnolo deberet, nam paragraphus ab ipſo & aliis notatur hoc ſigno §. & numeri Ziphris 1.2.3.4. &c. ſignificantur. Sed, ſi rem benè examines §. non eſt Ziphra, nam paragraphus eſt major diviſio, quàm punctum. Olim exprimebatur ſic ; — ; hodie illam exprimimus à linea ſequenti incipiendo Lexicon Philologicũ. *Paragraphus eſt ſignum adſcriptum ad ordiendum novum textum*; & Latini *Articulos*, & *Sectiones* appellant, quos Græci παραγράφους. Signum ergo Sectionis erat ss, & literis colligatis hoc §.

An Ziphra rejicienda ſint?

An § ſit Ziphra?

Laurentius Valla in Raudenſem ſuſpicatur illam notam eſſe Δ Græcam deſiguratam, ſed meritò à Calvino *in Lexico Iuris verb. Digeſtorum liberi* impugnatur. Primò enim falſum eſt Veteres Digeſtorũ librum litera Δ ſignificaſſe; nam Digeſtum eſt nomen latinum, & latinis literis debuit ſcriptitari. Secundò inter Δ & ff, nulla eſt connexio, quo ergo modo Amanuenſes neſcientes Δ ſcribere ff. conformarunt: maximè, cùm literæ Δ facillima ſit delineatio.

An ff. poni ſoleat pro Δ?

Et quidem minùs à vero Valla obluderet, ſi *Digeſta*, olim ſic notari ÐÐ dixiſſet, nam inter ÐÐ. & ff. major intereſt ſimilitudo, ſed in quæſtione facti, temerè dicitur quod teſtibus non poteſt probari.

An hodie ff. pro duplici ÐÐ. ſcribamus?

Catelanus Cotta in Opere, quod *Memoralia* inſcripſit *verb. Pandecta* aſſerit notam hanc ff. ſignificare, *fuerunt facti.* At hæc ratio eſt nimis generalis, & rebus univerſis convenit; nam præter Deum, quæcumque videas, quæcumque cogites, fuerunt facta.

An ff. ſit fuerunt facti?

Cæ-

An ff. ſit fabre factum?

An legum volumen ſit templum?

Cæſar Coſta 1. *ambiguitatum* 2. in templorum frontiſpiciis veteres has literas FF. ſculpſiſſe ſupponit; & vult illis *fabrefactum* ſignificari. Cum ergo Digeſtorum volumen ſit quaſi quoddam Iuſtitiæ templum *leg. 1. §. cumq; hoc C. de vet. jure enucleand.* ideò ab ipſo Iuſtiniano juſſum, ut Digeſta duplici FF. deſignarentur. Placuit aliquibus hæc divinatio, illamque roborarunt Valerii Probi Grammatici teſtimonio: nam in libellis *de Romanorum notis interpretandis*, aſſerit per FF. varia ſignificari, & inter alia, *fecerunt, fundaverunt* &c. *fabre-factum, fieri fecit.* &c.

Putarem interim Coſtam, Cottamque ſicut nomine, ſic parùm opinione differre: adeoque eadem eſſe rejiciendos cenſura; ſunt enim nimis generalia quæ adducuntur, & multis aliis rebus conveniunt.

An ff. ſit ll & libros quinquaginta ſignificet?

An libros legũ? An leges?

Longiùs abiit à communi ſententia Ferrandus Advenſis libr. 1. explicat cap. 1. nam characterem ff. non vult eſſe duplicẽ f, f: ſed duplicem ll. lineola interjecta ligatam, ut denotentur aut *libri quinquaginta*, tot enim continent Pandectæ, & L. quinquaginta ſignificat, aut *libri legum* aut in plurali *leges*. Et quidem ex duplici ll. colligata in ff. tranſitus fuit facillimus.

Quid S.S. ſignificet?

Sine Arithmetica non eſt in mundo diſciplina.

Vt viam novam iniret Marcus Antonius Bellus, *de ſolut. extern. cap.* 1. apud Antiquarios aſſerit ſſ. ſignificare *Sextarium*. Et poſteà ad Philoſophos Græcos oculos, & mentem convertens, citat Platonem dicentem, *Si quis è ſingulis Artibus numerandi, metiendi, & ponderandi peritiam ſegreget, quid vile & informe remanſurum ſolummodè*. Et quidem meritò ſic loquutus eſt Plato: nam cùm omnia Deus in numero, pondere & menſura condiderit, nulla res poterit ab homine bene cognoſci, niſi fuerit benè numerata, menſurata & librata. Et hinc veniendo ad leges, omnes eo reſpicere, ut vigeat Iuſtitia aſſerit Bellus; at hæc, ſivè Diſtributiva, ſivè Commutativa ſit, in numero, pondere, & menſura conſiſtit; nam Diſtributiva proportionem Geometricam, & Commutativa æqualitatem Arithmeticam ſervat: unde *leg. non tantùm. D. de re judic.* ſcribit Modeſtinus, quòd in perſona mulieris juſtitiam æqua lance ſervari æquitatis ſuggerit ratio, quod ipſum *in D. de naturalib. liberis.* Iuſtinianus confirmat.

Legum finis Iuſtitia.

Diſtributiva Geometricam, Commutativa, Arithmeticam proportionẽ obſervat.

An ff. ſit ſſ.?

An Belli ſcriptor ſit Bellus?

His præmiſſis aſſerit Bellus notam ſſ. primariò *Sextarium*, ſecundariò *Digeſta* ſignificare: & Scriptores, ut duplicem ſſ. colligarent feciſſe ff. in quo charactere nõ eſt duplex FF. ſed duplex SS. vinculo colligata. Et, quis non videat, ſi omnia, quæ Bellus aſſerit, admitterentur, notam ſſ. tranſire in §. potiùs, quàm in ff. potuiſſe. Cæterùm rationem inferendi non video, utitur enim Bellus cespitante ſorite, in quo nihil colligitur. Erat ejus diſcurſus.

Nota SS ſignificabat ſextarium.
Sextarius eſt quædam menſura.
Sine menſura non poteſt inveniri juſtitia.
Iuſtitia debet adminiſtrari convenienti modo.
Hic modus traditur & dilucidatur in Digeſtis.
Ergo nota SS ſignificat Digeſta.

Concedo omnes præmiſſas & tamen nego Conſequentiam.

An ff. pro θ. ponatur?

Sunt etiam eruditi, qui exiſtiment literam Græcam θ, quâ θῆμα ſignificari volunt, in ff. degeneraſſe. Et hujus Opinionis in Parænesi, qua Sanctam Linguam exornat pag. 106. meminit Ioannes Chifletius: proponit enim duas, & ait, [Suum ff. formarunt Indocti leguli ex hoc ſiglo π̃, vel (ut nonnullis placet) ex θ, qua litera notabant Themata Iuris, ut ea vocari cœperunt, Romani Imperii Sede ab Imperatore Conſtantino in Orientem translata.]

An ff. à Fridericis Auguſtis deriventur?

Alii denique à duobus Imperatoribus, qui vocabantur *Friderici*, recognitas & Cæſarea authoritate Pandectas fuiſſe confirmatas affirmant, & Iuriſtas grati animi gratia ad perpetuam tantorum Imperatorum memoriam, ut hunc librum citarent, characterem ff. ſeu duplicem FF. aſſumpſiſſe. Sed quæ nullo gravi teſtimonio probantur, quàm facilè dicuntur, rejiciuntur.

Reſolutio:

Omnibus igitur conſideratis ſtat prima ſententia, quam Aleiatus tradidit: in quam ſolo rationis ductu olim iveram, antequam Aleiatum legiſſem.

An Characteres Monogrãmi per Numeros & Caſus inflectantur?

Quonam modo varientur Aſtronomici?

Monogrammi Characteres, qui pro integris dictionibus ſumuntur, poſſunt, & ſolent declinari; puta, ſi caſus terminatio adjungatur. Sic apud Aſtronomos ☉: ☉^{lis}: ☉^{li}: ☉^{lem}: *Sol, Solis, Soli, Solem.* &c. ☽: ☽^{næ}: ☽^{nam}: *Luna, Lunæ, Lunã*, &c. ♀: ♀^{ris}: ♀^{ri}: ♀^{rem}: *Venus, Veneris, Veneri, Venerẽ.* &c. His cõpẽdiis utitur frequẽter Aſtronomi, & ipſe etiam Tycho Brahæus, ex quo aliquos locos producam, Tomo ipſe primo Progymnaſm.

Pagina hæ reſpondent editioni primæ, inceptæ Vraniburgi, & abſoluta Pragæ anno 1610.

Pag. 05.	☽^{re} hoc eſt, *Lunare.*
Pag. 021.	☽^{næ} hoc eſt, *Lunæ.*
Pag. 115.	☽^{na} hoc eſt, *Luna.*
Pag. 117.	☽^{am} hoc eſt, *Lunam.*
Pag. 117. bis	☽^{a} hoc eſt, *Luna.*
Pag. 123.	☉^{is} hoc eſt, *Solis.*
Pag. 125.	*tam* ☉^{is} *quàm* ☽^{næ} *anom.*
Pag. 126.	*Latitudinis* ☽^{æ} *motum.*

Et

Et ſimilia apud alios Scriptores invenies.

Semidiametris $\odot^{na}$
In $\odot^{na}$ *deliquio.*
In Eclipſi $\odot^{is}$
Maximè verò $\odot^{is}$ &c.

An, & quomodo declinentur Characteres Iuridici ?

Ergo ſic etiam poſſent apud Iuris-peritos, characteres, quibus utuntur, declinari; nempè, §. §.^{phi}: §^{pho}: *Paragraphus, Paragraphi, Paragrapho*: &c. ff: ff^{orum}: ff^{tis}: *Digeſta, Digeſtorum, Digeſtis*. &c. Non ſunt frequentes (& in libris impreſſis præcipuè) hujuſmodi characterum inflexiones; interim producam Alexandrum Scot, qui Vocabulario utriuſque Iuris impreſſo Lugduni anno 1655. Compilatiooem Iuris Civilis addidit: & pag. 617. ſic ſcribit. *Tu notas tempora Iuſtiniani Imperatoris. Si Imperator, quomodo Conſul? Si Conſul, quomodo Imperator?*

An Imperator eſſe potuerit Conſul?

Reſpondeo, quod Imperator aliquando adſumebat ſibi Conſulatum, ut quidam extraneus. Et hoc erat, quando ſibi placebat: ut eſt tex. in auth. de Conſulib. § fin. *ibi.* advenit autem, cũ ipſe annuverit *& not.* gloſſ. in procem. ff^{orum}: &c. *Videtur, quòd quinque anni ſunt lapſi: nam Codex primus fuit tertio anno Imperii Iuſtiniani; liber verò ff^{orum}; anno octavo*: &c. *Alii verò opinantur, quod immediatè poſt compoſitionem Codicis fuerit inchoata compoſitio ff^{orum}*: &c *Ex parte Tractatus eſt diviſio Operis in Libros, Librorum in Titulos, Titulorum in Leges, Legum in §§ §^{orum} in verſic.* &c.

ff.^{orum}. Digeſtorum.

§^{orum}. Paragraphorum.

An aliquando derivationes falſæ præferendæ ſint veris?

Fictas interdum derivationes eſſe magis doctrinales, quàm ſolent eſſe veræ, paulò ante diximus, & exemplis oſtendimus. Id modò etiam in characteris ff. expoſitione occurrit. Sunt, qui feſtiva gratia Iuriſprudentiam eſſe ff. hoc eſt *Fatigationem facchinorum* pronuncient, nec immeritò, ſi lepos opportunè exponatur. Vocantur in Italia *facchini*. (bajuli) fortiſſimi quidam homines, qui immenſa pondera dorſo, aut humero vili pretio ſupportant. Hinc per metaphoram miniſtri illi, quibus grave onus imponitur *bajuli* nominantur. Audi Bulengerum. *Bajuli, qui morum Imperatoribus pueris erant rectores ſeu pædagogi*. Et meritò ſic dicebantur; grave enim onus in humeros ſuos recipiebant, nam Senecæ exemplo didicimus eſſe periculoſum imperanti imperare. Hinc apud Italos *il Balivo*, tabellarius, qui epiſtolas hinc inde defert, unde nomen ſumpſerunt Venetorũ Legati. Dicitur etiam *il Bali* mercatorum præfectus. Vide Lexicum Philologicum, & Onomaſticam Ioſephi Laurentii Amalthæam. Ergo, ſi vocem metaphoricè ſumas, poſſunt Iuriſperiti dici *bajuli*: magnum enim onus Advocatus, magnum Iudex adſumit: nam debet noctu & diu vigilare, legere, audire, laborare. Et quid ſi nomen in ſua propria ſignificatione accipiamus? Reſpondet Iuſtus Lipſius *Centur. Miſcell. Epiſt. 78. de legib.* [Amelii vetus querula, inquit, an Scomma fuit? *Iuriſprudentiam multorum camelorum onus eſſe*. Quid nunc dicam? Elephantes ab India adde; vix ferent. Atqui Platonis oraculum auribus meis inſonat: *quod ubi leges multæ, ibi & lites multæ & vita moreſque pravi*. Audi & ſcrutare. Verè oraculum eſt, & de multitudine litiũ noſtra Belgica, vicina Gallia, & Italia dicent. Quomodo autem non & mores pravi? Nam primum concordia tollitur, odia aperta, aut occulta in animis gignuntur; adde fraudes, inſidias & ſtudium vincendi quovis nexu ac ſupplantandi. *Non enim, ut Celſus veriſſimè ſcripſit, bona conſcientia, ſed victoria litigantium eſt præmium.*] Ergo in tam vaſto legum, & Commentatorum Oceano, ubi tot ſunt opinionum vortices, & tam procelloſi Interpretum Iuris conflictus, multum debet ſtuduiſſe Advocatus, qui cauſam aliquam propugnandam adſumit: multum Iudex, qui eſt ſententiam laturus.

Facchini apud Italos qui?

Bajuli.

Il Balivo.

Il Bali.

An Iuriſperiti ſint bajuli?

Ubi leges multæ lites multæ & mores pravi.

Litium finis.

In Areopago Athenis ſtatua erat marmorea, quæ, qualis eſſe deberet Iudex, repræſentabat. Ille Senator, qui in exemplum propoſitus, quem omnes imitari ſunt juſſi, *erat lapideus; libris circumdabatur, & tamen erat cæcus, manuſque habebat truncas*. Mira ſtatua! Si habebat multos libros, cur non etiam & multos oculos, ut eoſdem legeret? &, ſi carebat oculis, erant ſuperflui tanti libri. Si injuſtè oppreſſum ſublevare debebat, quare carebat manibus, ſine quibus Iuſtitiam non poterat manutenere? Reſpondebo. Advocati, Iudices, Senatores, habere debent multos libros, non legendos, ſed lectos: non enim in Tribunal admiſſi, ut diſcipulos agant, non ut doceantur Iura; ſed ut pronuncient ſecundum Iura, quæ jam ſciunt. Habeant igitur libros plurimos, quos jam legerunt: quorum ſenſa memoria retinent; & quia ita illa ſciunt, ut non ſit neceſſarium relegere, jam non indigent oculis ipſi: & ideò illorum Imago erat cœca. At ipſa etiam carebat manibus, ut moneantur Iudices nõ poſſe recipere munera. Quod ſubornare Latinè, Hiſpanicè *untar las manos* dicimus. Careat igitur manibus Iudex, ne fortè illas Cliens oleo peccatorum impinguet. Munuſcula, ut honeſto vocabulo defigurent, quam involvere ſolent malitiam Hiſpanus *guantes* (chirothecas) appellat, & longè Iudex aberit à recipiendo chirotecas, ſi careat manibus.

Statua Iudicis in Areopago.

De libris debẽt eſſe priùs lecti, non legendi.

De oculis.

De manibus.

Ecce Iudicum & Senatorum & omniũ

qui

Studuiſſe Iuriſperitis debēt.

qui adminiſtrant Iuſtitiam, labor primus. Debet Iudex in Iuventute diligentiſſimè ſtuduiſſe, multos Authores evolviſſe, multa in his obſervaſſe, & ad tantam doctrinæ perveniſſe eminentiam, ut nulla quæſtio in Iure ſit, ad quam decidendam lectione librorum indigeat; *integra cum ſit ei bibliotheca caput*. Diuturnus & magnus eſt hic primus labor, ſequitur ſecundus, non minùs moleſtus, & gravis.

Clientes audire.

Tenetur quotidie omnes illos audire, quos debet judicare. Debet factum diligenter inſpicere, & qui in Quæſtione Iuris non indigebat oculis, ut libros legeret, niſi enim eos legiſſet & ſciret, non eſſet admotus Senatui; hic ipſe in Quæſtione facti Argo ſimilis debet oculos aperire centenos & proceſſum benè conſiderare.

Proceſſum accuratè legere.

Hic eſt labor aſſiduus, & qui noctem cum die aliquando conjungit, & bono publico propriam valetudinē, aut etiam ſalutem poſtponit. Adde laborem tertium, munera non recipere, vitam tenui ſtipendio tolerare, paupertatem pati, & rebus etiam neceſſariis carere.

Munera non recipere.

Qui enim in Senatu diteſcunt, oſtendunt teſtimonio publico Iuſtitiam ſe expoſuiſſe venalem. Hæc veriſſima ſunt; & ſiquidem omnia vera barbarè loquuntur, ſed non barbarè ſentiunt, qui Iuris profeſſionem ff. hoc eſt, *fatigationem facbinorum* appellant. Fortiſſimus eſſe debet ille Hercules, quem iſti tres immenſi labores non terreant; conſtantiſſimus qui oneri tanti non ſuccumbat.

Reſolutio.

Iuridici Herculis labores eluduntur.

At dices. Hæc omnia dicuntur, non autem in praxi obſervantur. Qui loquax fit, aptus jam ut ſit Advocatus cenſetur. Dignitates Iudiciales alicubi pecunia numerata venduntur, alicubi dantur cognatis, & quos ad gradus inferiores nulla celebris Academia proveheret, hos ad Senatoria ſubſellia protrudit interdum affinitas. Ergo primus labor eluditur. Sed & plurimos ſecundus non aggravat. Indulgent genio aliqui Iudices, ludunt, nugantur; negotia coadjutori committunt, ſi committunt: & ipſi omni cauſæ, & proceſſui propriam anteferunt commoditatē. Ergo etiam eluditur ſecundus labor. Tertium rari cognoſcunt, quod filii, & nepotes teſtantur. Emunt ditiones, dant filiabus dotes opulentiſſimas, palatia erigunt, ludunt, libidinantur, & tamen habent à patrimonio nihil; ab ſtipendio ferè nihil. Tertius ergo etiam labor eluditur.

An indignus poſſit acceptare dignitatem?

Sed quid habes ò Iudex, qui hos labores eludis? novos & graviores incurris. Peccat mortaliter, qui dignitatem acceptat, ad quam doctrinam ſufficientem non habet. Illuſtriſs. Domini N. & N. (poſſem nomina ponere: & ponerem, ſi vel ſic Reipublicæ prodeſſe putarem) peccant mortaliter, quoties ad Senatum, quoties ad Conſilium accedunt. Et reum ſive condemnent, ſive abſolvant, peccant mortaliter; Nam temerè pronunciant, & ſe errandi periculo exponunt.

An docti poſſint non laborare?

Peccant etiam mortaliter docti & eruditi Iudices, quando ut factum penetrent, diligentiam convenientem non adhibent: quando munera extorquent, quando celebrant in tribunali nundinas, quando adulantur diviti, & pauperem tantùm condemnant. Quando his laborant morbis Iudices, graviſſimè laborat Reſpublica, & tenetur adhibere remedium Princeps ſub peccato mortali.

An & quando Iudices teneantur ad reſtitutionem?

Sequitur alius labor, qui reſtitutionem concernit. Qui ex ignorantia, qui ex negligentia pronunciavit injuſtè, ad reſtitutionem tenetur. Qui muneribus oblitus, reſtituere debet, judicaverit juſtè, aut injuſtè. Sed cur, ſi juſtè? quia habet ſtipendia publica, ut ſingulis gratis jus dicat. Et quid ſi injuſtè? Si in decem millium aureorum cauſa juſtitiam vendidit, & illegitimam ſententiam tulit, quidquid de ſubornationis pretio ſit, quia debet dare unicuique quod ſuum eſt; illi, quem condemnavit, decem millia reſtituere debebit.

SECTIO XII.

De Characterum ratione.

D. Thomas in libr. Perihermenias.

In Characteribus alia eſt delineationis ratio alia ſignificatio.

Dicebat doctè S. Thomas, *Aliud eſt, unde nomen deducitur, & aliud quod nomen ſignificat*; nam *Homo*, dicitur ab Humo, non autem humum, ſed animal rationale ſignificat. Hinc ego *Aliud eſt, unde character ſumitur; & aliud, quod ille ſignificat*. Et oſtenditur, nam ⊖ ſumitur à figura pomi, & notat Solem: ♄ creditur imaginare falcem, & Saturnum ſignat: ♂ eſt clypeus & haſta & ſignificat Martem: ♀ eſt ſpeculum, poniturque pro Venere: & ☿ eſt caducei figura, & tamen pro Mercurio uſurpatur. Et tandem ff. ſi eſſet vera illa opinio, quam S. *Sunt alii*, poſuimus, à Fridericis Auguſtis ſumeretur, & tamen non illos, ſed Pandectarum libros ſignificaret.

SECTIO XIII.

De Characterum inverſione.

Quid ſint ἀναγράμματα? LOGICA. ἀναγραμ. CALIGO.

NON ſine gratia rem dilucidamus, & explicamus: invertendo nominis characteres, & varios Proteos producendo, quos Græci vocarunt ἀναγράμματα. Sic LOGICA per antiphraſin CALIGO dicitur,

GALENVS. ἀνάγραμ. ANGELVS.

tur, nam ſplendore ſuo univerſa dilucidat. Galenvs etiam, qui Medicorum Princeps, inverſione literarum eſt *Angelus*; nam *Raphael* à Medicina nomen ſumpſit, & Angelorum eſt, infirmos & afflictos juvare. Hinc oritur pulchrum Anagramma. Poſtulas, *Quid ſit Ius?* Reſpondet Anagramma, *Eſt Vis*. Et Otomannus *in princ. tit. de actionib.* [Sunt etiam, qui Ivs tranſpoſitione literarum interpretentur pro Vis ut è contra Ivs pro Vis *de tutel. Inſtit. in princ.* Tutela eſt vis: ubi vertit Theophilus δίκαιόν τι. Initio namque homines manu ſuum ut Cicero *de finib.* loquitur; vel, ut apud Simonidem eſt, τὸ ὀφειλόμενον, aut, ut apud Platonem τὸ προσῆκον, conſequebantur: poſtea autem id quod Vis dicebatur voluntati contrarium, Ivs appellatum eſt. Terentius in Adelphis:

IVS eſt, ἀναγραμ. VIS.

τὸ ὀφειλόμενον. τὸ προσῆκον.

> *Hem illuc fidem nunc veſtram imploret Demea,*
> *Quod Ius vos cogit, id voluntate impetret.*]

Qualia argumenta ſunt, quæ ab Etymologia deducuntur?

Sed quantæ ſunt efficaciæ argumenta, quæ ab etymo & anagrammatico Proteo deſumpta? nullius, ut puto, ad perſuadendum, maximè ad exornandum. Audi Fabrum in ipſa ſuorum rationalium prima pagina doctè dicentem [valet argumentum ab Etymologia, vi non ſemper affirmativè, ſemper tamen negativè præſertim apud Iuriſconſultos, qui proprietatis verborum ſunt ſtudioſiſſimi, unde totus ille tam elegans tamque neceſſarius tractatus, *De verb. & rer. ſignificat.*] Et, ſi ad Anagrammata convertam oculos, reperiam aliquando ingenioſa miracula, nam ut eſt in Diverbio, *Conveniant rebus nomina ſæpè ſuis.*

Qualia, quæ ab Anagrámate?

SECTIO XIV.

De rei Definitione eſſentiali.

Quid ſit?

Realis Definitio eſt *Oratio per formalitates intrinſecas explicans naturam rei*, & ab Ariſtotele *libr. 2. de Analyſi poſt cap. 3. §. 7.* vocatur οὐσίας τις γνωρισμός, quia ut notat Voſſius *lib. 1. Gramm. cap. 2. §. Mario.* Eſſentialia dumtaxat adſignare debet. Hæc rem ipſam attentè meditatur, & in formalitates, aut etiam realitates partitur; & in Logicam, Hypophyſicam, Phyſicam, & Integralem dividitur.

Quotuplex ſit?

DEFINITIO LOGICA. Hominis definitio.

Definitio Logica conſtat genere & differentia, ut *Homo eſt animal rationale* Anne eſſentialis eſt hæc definitio, *Iuriſprudentia eſt Iuſti & Injuſti Scientia?* [ita communiter Iuriſperiti, quos vide *ad leg. 1. de Iuſt. & Iure* & Budæum & Vultejum præcipuè. Hac ego utor definitione in Theolog. Fundam. *tom. 1. in fin. num.* 1328. Illam dilucidat Vlpianus *libr. 1. Inſtit.* dicens *Ius* (*Iuriſprudentiam*) à Celſo *artem boni & æqui vocari.*] Reſpondeo Scientias & Habitus ab objectis ſpecificari: unde ſicut Orthographia eſt *Ars ſcribendi*; Grammatica, *Ars loquendi*, Rhetorica *Ars eloquendi*; Logica *Ars intelligendi*; Dialectica ſumpta in rigore voce, *Ars argumentandi*; Arithmetica, *Ars numerandi*; Geometria *Ars metiendi*; Phyſica *Ars corpus naturale cognoſcendi*; Medicina, *Ars medendi hominibus*, ſic etiam definiri Iuriſprudentia poterit, *Ars* (ſeu *ſcientia*) *juſtum cognoſcendi*. In hac definitione, *Ars* (ſeu *Scientia*) eſt genus, *cognoſcere juſtum* Differentia. Ex cognitione juſti neceſſariò naſcitur injuſti cognitio, & juſti ab injuſto diſcretio, ſed hæ (cognitio & Diſcretio) ſunt Iuriſprudentiæ proprietates. Ergo hæc definitio, *Iuriſprudentia eſt ſcientia Iuſti* vel quod idem eſt, *Scientia cognoſcendi juſtum*, eſt eſſentialis, & ſimilis huic, *Homo eſt animal rationale*: hæc autem, *Iuriſprudentia eſt ſcientia Iuſti & injuſti*, aut clariùs *eſt ſcientia cognoſcendi juſtum & injuſtum*, non ſolum eſſentiam ſed proprietatem etiam exprimit, & eſt ſimilis huic, *Homo eſt animal rationale riſibile*. Hinc oriuntur aliquæ definitiones videlicet, Grammatica *eſt Orationis congrua & incongrua ſcientia.* Rhetorica *eſt ornatæ & humilis Orationis ſcientia*. Logica *eſt bonæ & malæ operationis mentalis ſcientia*. Dialectica (ſumpta voce in ſignificatione rigoroſa) *eſt legitimæ & illegitimæ argumentationis Scientia*. Ethica *eſt ſcientifica bonitatis & malitiæ actuũ humanorum cognitio*. Medicina *eſt diſciplina ſani & ægri*: & hanc definitionem Petrus Hiſpanus *in Summul. logic. tract. 6. §. de fallac. petit. princ.* adſumit. Profectò veras differentias invenire difficillimum eſt: ſolent interdum Viri Docti rationem magis communem loco generis & minùs communem loco differentiæ collocare. Sic videtur feciſſe Florentinus *libr. 9. Inſtitut.* Cùm enim illa, quæ ſervituti opponitur, eſſet ſibi definienda libertas, nec facilè genus & differentia propria occurrerent, dixit *libertas eſt naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, niſi quid vi, aut jure prohibeatur*. Ponitur loco generis *Naturalis facultas*, nam facultates naturales ſunt multæ: cætera loco differentiæ ſubjunguntur, ut hæc naturalis facultas, quæ libertas eſt à cæteris facultatibus naturalibus diſtinguatur. Eadem arte *ibid.* ſer-

Libr. 1. Inſtit. cap. 1.

leg. 1. D. de Iuſt. & Iur.

Definitio Orthographiæ. Grammatica. Rhetorica. Logica. Dialectica. Arithmetica. Geometria. Phyſica. Medicina. Iuriſprudentia.

Quid in Iuriſprudentia ad eſſentiam, & quid ad paſſiones pertineat?

An errorum contra ſcientiã cõmiſſorum cõſideratio, ad ſcientiam ſpectet?

Lex. 4. D. de ſtatu. homin.

Quid ſit libertas?

Quid ſit Servitus? An poſſit ex duello ſubnaſci?

ſervitutem definiit. Inquit enim. *Servitus eſt conſtitutio* (paſſiva) *Iuriſgentium, quà quis juri alieno* (alterius poteſtati) *contra* (præter) *naturam ſubjicitur*. Ecce in hac definitione *Conſtitutio Iuris gentium* ponitur loco generis: & cætera loco differentiæ adjunguntur. Putavit Florentinus ſervitutem eſſe Iuris gentium; & bene, nam hujus Iuris eſt, quæ ex juſto bello naſcitur: at cur non poſſit ex duello, & Iure naturali promanare non video. Sed de hoc alibi diſputabo.

Petis, utrùm ſit hæc bona Definitio. *Animal eſt vivens rationale vel irrationale?*

An differentia diviſiva & ſpecierum conſtitutiva in generis definitionē ingrediantur?

Reſpondeo in generici conceptus definitionem non debere ingredi rationes, quæ genus dividunt, & ſpecies conſtituunt: nam ad animalis eſſentiam, nec rationalitas, nec irrationalitas pertinet, quam ob rem propoſitam Definitionem eſſe malam pronuncio. Addo linguarum Nomenclatores fuiſſe avaros; & multos rerum gradus carere vocabulis; & ideò cogi Logicos, ut genera definiāt, ad ſpecies disjunctivè recurrere; nam Ariſtoteles, cùm non haberet voces congruas quibus Propoſitionem ab affirmativa & negativa nec non à vera & falſa præciſam, Logicè definiret, dixit *Propoſitionem eſſe orationem, quæ aliquid affirmat aut negat.* & iterum, *eſſe orationem quæ verum & falſum ſignificat*: dicturus procul dubio, *Animal eſſe vivens rationale vel irrationale*, ſi caruiſſet voce qua ſenſibilitatem exprimeret.

Vbi caremus vocibus ut poſſimus conceptus explicamus.

Quid ſit Propoſitio?

HYPOPHYSICA.

Definitio Hypophyſica ſupponit in Concretis ſubſtantiæ in recto ſuppoſitum, ſeu hypoſtaſim, & in obliquo naturam, & id exprimit dicendo, *Homo eſt ſuppoſitum habens humanitatem*.

Quid dicat Concretum in recto?

Omnia Concreta accidentalia dicunt in recto ſubjectum, ſubſtantialia ſuppoſitum; nam *albus* eſt habens albedinem, & *Homo* habens humanitatem. Hoc ita certum eſt, ut probari non debeat, nam oppoſitum probabiliter ſuaderi non poteſt, Hæc enim propoſitio eſt vera *Deus eſt homo*, cui ęquipollet hęc etiā vera, *Habens Divinitatem eſt habens humanitatem*: non autem hæc *Divinitas in ſuppoſito eſt humanitas in ſuppoſito*, eſt enim evidenter falſa.

PHYSICA.

Definitio Phyſica per partes phyſicas (materiam & formam procedit) ut cùm dicimus, *homo eſt, qui conſtat corpore & anima rationali*.

Quomodo Artificialia definiantur?

Compoſita Artificialia, ſi definiantur phyſicè, debent dicere materiam loco termini magis communis, & loco differentiæ artificium: hoc enim eſt illorum forma. Huc pertinent plurimæ Dialecticæ definitiones; Nam, ſi poſtules, quid ſit ſyllogiſmus in *Fallitis*; reſpondere non potero, niſi materiæ loco tres illum habere propoſitiones dixero, & formæ loco, artificium, quo illæ cohærent, dilucidavero.

INTEGRALIS

Definitio Integralis eſt, quæ per partes quantitativas diſcurrit, ut *Homo eſt, qui habet talia & talia membra cum talibus animantibus communia; talia & talia ſibè propria per quæ à cæteris diſcriminatur.* Ejuſmodi Definitionis genere Ius Civile *libr. 2. definition.* dilucidavit Papinianus, dicens. *Ius Civile eſt, quod ex legibus, plebiſcitis, Senatuſconſultis, decretis Principum, & authoritate Prudentum venit* (conſtat, ſive componitur.)

Leg. 1. D. de Iuſt. & Iur.

Quomodo Vrbes & Provinciæ definiantur

Hic modus eſt maximè in uſu, cùm Arcem aut urbem deſcribimus, nam ut ob oculos ponamus totam illam, opportunè ſingula deſcribemus. Vberioris doctrinæ gratia hoc exemplum adjungo. Hiſpania enim Iulii Cæſaris tempore ſic debebat depingi.

Deſcriptio Hiſpaniæ. Quid Peninſula ſit?

Hiſpania Straboni corio bubulo humi protenſo comparatur. Appellatur Peninſula, quia mari undiq; cingitur, niſi qua parte Pyrenai montis objectu à Galliis diſpeſcitur. Dividitur in tres Provincias; Beticam, Luſitaniam, & Tarraconenſem. Vide Ioannem Vaſæum *in Chronic. Hiſp. cap* 8. in quo has etiam tres Provincias accuratè depingit.

Hiſpania ſub Conſtantino.

Mutantur tempora, & cum illis etiam Regnorum facies; & ideò Conſtantini Pii ævo Hiſpania ſic debebat deſcribi.

Templum Veneris.

Hiſpania ab ortu Pyrenæos montes habet, qui ideò hoc nomen ſortiti, quod pyrarum inſtar attollantur. Incipiunt montes iſti à templo, ſeu promontorio Veneris propè Illiberos (hodie locum Colibre *appellant.) & in Britannicum Oceanum procurrunt. Aliàs pelago cingitur: hinc Atlantico, inde Mediterraneo. Et in quinque Provincias: Tarraconenſem, Carthaginenſem, Beticam, Luſitaniā, & Galleciam dividitur.* &c. Vide Gerundenſem Epiſcopum *Paral. libr. 1.*

Hiſpania à Mauris ſubjugatur.

Patuit Agarenis Hiſpania, & omnia antiqua Politica deformata eſt. Multis Regulis ſuffuit, qui excuſſo jugo rebellarunt. Chriſtiani difficillimis expeditionibus totam deniq; recuperarunt. In quot fuerit Coronas à Mahometanis interciſa, ex titulis, quibus etiamnum utuntur Catholici Reges, colligitur: inde lineas ſequentes ſobducamus.

Qualiter dividatur poſt Mauros?

Eſt Regio tam dives Hiſpania, ut dividi in plurima Regna potuerit, quorum ſinguli Principes in aciem ducerent numeroſum

extr-

exercitam, & anguſtas expeditione adornaret. Præcipuè decem numerantur: videlicet, *Caſtellanum, Legionenſe, Aragonicum, Navarreum, Corduvenſe, Valentinum, Beticum, Granatenſe, Algarbicum & Luſitanicum*. Vide Marinæum Siculum. Damianum à Goes,& alios.

SECTIO XV.

An Definitio Eſſentialis debeat per omnia quinque genera Cauſarum concinnari?

Novus Ariſtoteles libri nomen.

ASſerit P. Tortus, Benedictinus, S. Th. Profeſſor, qui Philoſophiam edidit,quam *Ariſtotelem novum* inſcripſit, quòd aliam eum jubeat inire viam, & docere opiniones ignotas utriq; Peripatui. Hic Eruditiſſimus Author omnes Definitiones quæ vulgò circumferuntur, eſſe imperfectas aſſeverat,quòd in eis non omnes Definiti cauſæ exponantur. Vt ergo hæc ſententia penitiùs intelligatur, aliquid de numero Cauſarum præmittamus.

Quæ ſint cauſæ, & quæ?

CAVSA { *Interna* { *Materia. Forma.* } *Externa* { *Efficiens. Exemplaris. Finalis.* } }

Cauſa Materialis.

Materia eſt res quædam ſubſtantialis corporea, omnibus ſubſtantiis corporeis communis, quam faciliùs intelligam, quàm opportunè definiam.

Formalis.

Forma eſt altera ſubſtantiæ completæ pars,quæ Materiam actuat,perficit, & informat; & totum ſubſtantiale in ſpecie determinata conſtituit, & ab aliis ſpeciebus diſtinguit.

Efficiens.

Cauſa efficiens, eſt quæ dat primam exiſtentiam rei: nam, ſi Materia exiſtit exiſtentia Formæ, quod Thomiſtæ aſſeverant, qui lignum convertit in ignem,non producit materiam ignis, ſed igneam tantummodò formam.

Exemplaris.

Exemplar eſt Prototypus, cujus inſtar efficitur res. Et hic prototypus, ſive ſit res exiſtens extra Agentem, ſive ſit idea, quam in mente ſua format Agens,ſemper eſt extrinſeca effectui.

Finalis.

Finis eſt id, propter quod aliquid fit: & eſt duplex, Operis, & Operantis. Ad finem Operis ipſa res ordinatur, at Operantis finem Agens ſibi præſcribit. Quod manifeſtè percipitur in Medicina: quando enim ægrum inviſit Medicus, & illi pharmacum tale præſcribit, duos intendit fines,videlicet recurare infirmum,& honorarium lucrari: ad primum ex ſe ordinatur pharmacum,non ad ſecundum: & ſecundum eſſe operantis finem conſtat; nam

N. B. De Cauſis in Phyſica Ariſtoteles, ſed nos hæc paucula debuimus præmittere, nam aliàs à logico non intelligeremur.

poſſet,ſi vellet, idem Medicus idem pharmacum gratis, aut ob alium finem præſcribere.

Hanc de Cauſis notitiam præmittere neceſſarium fuit,nam ſine illa Tortus non poſſet intelligi,& ipſa non traditur in Logica, ſed in Phyſica, & debuerunt neceſſariò Lectores,ejus notitia præveniri. Modò, ut rem illuſtremus, aliquam Definitionem proponamus.

Hominis definitio.

Quid eſt Homo? *Homo eſt ſubſtantia completa, conſtans corpore & anima rationali, à Deo ad imaginem & ſimilitudinem ſuam producta,& ad gloriam æternam ordinata.* Et non multum hinc abludit Hominis definitio *Tract.de communi eſſentia Patris, & Filii, & Spiritusſancti* tradita ab Athanaſio dicente, *Homo eſt animal,intellectu præditum, & quod ſentit Divinam mentem: vitæ æternæ capax: & hujus frolicatione mortale. Compoſitus eſt,& non ſimplex; neque ex ſimilaribus partibus, ſed ex incorporali mente,& corpore concupiſcibili, ſeu animali.* Conſidera ergo primò priorem illam definitionem, & omnia quinque genera cauſarum invenies. Nam in ipſa illa verba, *conſtans corpore*, exhibent Cauſam Materialem; illa, *conſtans anima rationali*,Formalem: Has in homine partes. *Matth.* 10. 28. & 1. ad *Theſſal.* 5. 25. Sacra Pagina exprimit. Verba illa, *à Deo producta*, quæ *Geneſ.* 1. correſpondent, concernunt Efficientem: & illa, *ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, quæ ſunt ex *Geneſ.* 1. 27. & 5. 1. & 9. 6. deſumpta, Exemplarem: & denique illa, *ad gloriam æternam ordinatu*,Finalem, *Pſalm.* 8.6. *Matth.*6.26.& 12.12. *Hebr.*1.7. Conſidera ſecundò poſteriorem definitionem.

S. Athanaſius quid homo ſit, per omnes cauſas internas & externas definit.

Exponitur prima definitio.

Exponitur ſecunda.

Nam illa verba, *Compoſitus eſt*, &c.Cauſas Materialem, & Formalem concernunt. *Compoſitus* paſſivè dicitur, quia habuit cauſam, quæ eum activè componeret. Illis verbis, *ſentit Divinam Mentem* Similitudo, quæ eſt inter Deum & hominem, exprimitur; & illis, *vitæ æternæ capax*, Finis, ob quem conditus ſit homo, proponitur.

An nomen Homo omnia quinque genera cauſarum exprimat?

Et videntur omnes hæ quinque cauſæ in ipſomet nomine expreſſæ. *Homo* enim, aſſerente Varrone, ab humo dicitur. Ergo non habet, unde ſuperbiat homo, cui, ut humilis ſit, ſufficit audire ſuum nomen. Illud inculcant Sacræ Literæ: lego enim Geneſ.2. *Formavit Deus hominem de limo terræ*; & Iob. 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me & plaſmaverunt me.*&c. *Memento* (in Hiphil, *Faciat me meminiſſe*) *quod ſicut lutum feceris me,& in pulverem reduces me* & Iſaiæ 4. *Væ, qui contradicit factori ſuo. Numquid dicit lutum figulo ſuo. Quid facis? &, Opus tuum abſque manibus eſt.*

De Hominis corpore.

Conſonat Lingua Hebræa, in qua *Homo* dicitur אדם, *Adam*, & *Terra*, אדמה, *Adama*; quoniam de terra ſumptus eſt. Et quidem, *quòd è terra ſit formatus homo, Homerus id quoque ex veteri & Divina cognovit hiſtoria*, inquit Iuſtinus Martyr *in cohortatione ad Græcos*.

De Hominis anima.

Nomenclatorem conſideraſſe Hominis formam, quando nomen impoſuit, Ioſephus Langius, & alii aſſerunt: nam ὁμόνοια eſt *concordia*, & *conſenſus*, & ὁμονέω *concordo*, & *conſentio*; cum enim Homo inter omnes animantes maximè ſociabilis ſit, à conſortio & concordia fuiſſe nomen ſortitum opinantur. Amare autem conſortium, ſocietatem inire, in vitam civilem conſentire, non ad corpus ſpectat, ſed ad animam. Audi *lib. Interrogationum fuſiùs diſputatarum, Interrog.3.* Baſilium. *Quis neſcit hominem eſſe animal mite, natura congregabile, non autem ſolivagum, atque ferum? Siquidem naturæ noſtræ nihil eſt tam peculiare, quàm mutua inter nos communicatio, mutuaque aliis aliorum opera indigentia, & in eos, qui ejuſdem nobiſcum ſunt generis.* Et prius *in Pſalm.* 14. dixerat. *Homo animal politicum eſt & ſociabile.* Et Nazianzenus *Orat.*40. ex hominis nomine, ut animæ rationalis dilucidet prærogativas, argumentum deducit. *Hominem, inquit, Græci φῶς, id eſt, lumen vocant, propter rationis nobis inſita vim, & facultatem.*

Homo animal ſociabile.

Cur à Græcis vocetur φῶς.

Nomen ab Effectrice cauſa derivari oſtenſurus Ambroſii verba *ex tom.4.in Pſal.* 119.*liter.*10.*verſ.*1.præmitto. *Cælum una Dei manus ſolidavit, & utraque Dei manus hominem figuravit. Cælū quidē ad ſimilitudinem, homo ad ſimilitudinem; Angeli ad miniſterium, homo ad imaginem.* Et Ovidius *Transformationum primo.*

De Cauſa efficiente.

Homo eſt à Deo factus.

Sanctius hic animal, mentiſq; capacius alta
Deerat adhuc; & quod dominari in cætera poſſet.
Natus homo eſt, ſive hunc Divino ſemine fecit
Ille opifex rerum, Mundi melioris origo.

Et quidem הזמה, *Homo*. Hebraicè eſt *reſonans*, quia debet ſemper Conditorem laudare. *Artifex* dicitur ארמן, *homon*, & homo eſt artefactum, cujus Deus eſt Artifex.

Hominem eſſe Dei Imaginem jam ſcimus. Geneſ. 1. 27. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* & Gen.9. *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*; & Sapient. 2. *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem: & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Invidiâ autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Vnde factus eſt homo exterminabilis; & in ipſo ſimilitudo Dei non fuit deleta per peccatum, ſed vitiata: imago autem fuit omninò deleta; ſed magno Dei beneficio reſtituenda per Chriſtum. Apoſtolus 3. Corinth. 15. *Primus homo* (Adâmus) *de terra terrenus: ſecundus homo* (Chriſtus) *Dominus de Cælo Cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Igitur ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* Et ut hæc verba intelligas, adnotato in Homine ſimilitudinem Dei & Imaginem Dei non coincidere: illa enim ad naturam, hæc ad Gratiam ſpectat, quæ eſt forma Fidei, Spei, & aliarum Virtutum. Nam, ut ſcitè S. Auguſtinus *libr. de quant. Animæ* nos docet, Anima facta eſt ſimilis Deo, *quia immortalem, & indiſſolubilem fecit eam Deus. Imago ergo ad formam* (gratiam) *pertinet, ſimilitudo ad naturam.*

De Cauſa exemplari.

Homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei.

An hæc imago deleri poſſit?

Cauſam etiam finalem in hominis nomine Viri ingenioſi repererunt. Illum ἄνθρωπον, Plato *in Cratylo*, dici voluit, ut ſiiu, ὁ ἀναθρῶν ὄπωπας, contemplans ea, quæ videt, & quidem attentè. Etymologiſta hominem ſic appellari putat παρὰ τὸ ἄνω ἀθρεῖς. à ſurſum adſpiciendo. Vnde *in Metam.* 1. Ovidius.

De Cauſa finali.

Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terras,
Os homini ſublime dedit, cælumq; tueri.
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Cur ſit homo creatus?

Conſonat S. Gregorius *libr.*8.*Moral.* dicens, *Homo ad contemplandum creatorem ſuum conditus eſt.*

Reſolutio.

Nihilominùs, quidquid dialecticetur Tottus, dicendum eſt, Cauſas extrinſecas in eſſentialem Definitionem quando res abſolutæ illuſtrantur, non ingredi, nec explicare eſſentiam rei Definitionem, quandiu per illas importunè vagatur. Virginis per ſolennia vota Deo cōſecratæ oppreſſio, ſeu à Principe, ſeu ab homuncione fiat, ſtuprum ſacrilegum eſt: nec mutabit eſſentiam propter effectricis Cauſæ diverſitatem. Si arborem ſol, fulmen, aut homo incendat, ardebit, & ardendo convertetur in ignem: nec ideò hîc ignis mutabit naturam & ſpeciem, quòd vel ab homine ideâ præventus, aut à Sole aut nube, quæ nullam habent ideā, nec Cauſam Exemplarem, quam ſequantur, producitur. Finalis cauſa inter extrinſecas accidentalior eſt; &, ſi figuram Δ (triangulum) vel, ut ſolvam aliquam

An Cauſæ externæ ad rerum eſſentias pertineant?

De Efficiente.

De Exemplari.

De Finali.

quæ-

quæſtionem Geometricam, vel ut quartam Alphabeti literam exprimam, vel ut arcanum Trinitatis myſterium dilucidem, &c. pinxero; ſemper erit trium linearum figura; & mutatis cauſis finalibus nunquam mutabitur intrinſecè, nec habebit plures aut pauciores lineas, aut angulos.

De Materiali & Formali.

Præterea veniendo ad Cauſas intrinſecas (Materiam, & Formam) cùm multa, & nimis multa ſint, quæ illas non habeãt, & tamen definiri poſſint; [ut ſunt Entia omnia ſimplicia, etiam materialia, ſi corpus aliquod ſimplex admittitur: ut ſunt Anima rationalis, Angelus, &c. Relationes, Qualitates, Actiones, Motus, &c.] dicendum omninò eſt, Definitionem Eſſentialẽ universìm sũptã nõ poſtulare, ut per Materiam & Formam concinnetur; ſed eſſe contentam, ſi per Genus & Differentiam conficiatur.

An ſemper ad definitionem pertineant?

De rebus Moralibus & Practicis.

CÆterùm, quia in rebus Practicis, & præcipuè Moralibus, plerumque eſſentias Relationes conſtituunt: ideo in eiſdem externæ interdum circumſtantiæ dant, & mutant ſpeciem. Et, ut doctrinam hanc, quæ certiſſima eſt, profundè calleas, has paucas Concluſiones addo.

An circumſtantiæ externæ addant novam ſpeciem?

PRIMA. *Circumſtantiæ extrinſecæ in Moralibus, ſæpe mutant eſſentiam rei.* Eſt Theologorum omnium, qui poſtquam examinarunt, quid ſit actus humanus, qui fuit elicitus, ſunt ſoliciti de circumſtantiis: unde prodiit illud Monoſtichum,

Quæ, & quot ſint illæ?

Quid? quis? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando? quibus nonnulli circumſtantiis etiam alias adnumerant; nam Antonius Coronius *in Summa Diana. verb. Circumſtantia. num.* 1. ut addat circumſtantiam *quoties*, verſum corrigit, & ſic ſcribit:

Quis? quid? ubi? per quæ? quoties? cur? quomodo? quando? quas circumſtantias poſteà ſecuriſſimè, & doctiſſimè exponit.

De Cauſa efficiente.

SECVNDA. *Cauſa Efficiens non rarò dat in Moralibus actioni ſpeciem.* Hinc viri docti multas Concluſiones deduxerunt, quæ rametſi negatur ab aliis, debebunt à noſtro Lectore cognoſci.

De Circumſtantia Sacerdotii.

Sacerdotem, qui aliquem hominem occidit, aut vulnerat, debere in confeſſione ſe eſſe Sacerdotem exponere, docet Nugnus *in addit. ad 3. part. tom.* 2. *quæſt* 9. *art.* 2. *dub.* 3 *concl.* 3. etſi contrarium doceat Diana *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 8.

Sponſalium.

Sponſos de futuro, ſi condormiant, debere ſe eſſe ſponſos exponere, aſſerit Homo bonus *part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 36. *quæſt.* 140. contra Diana *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 5. & *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 67. *§. in reſolut.* 5.

Virginitatis.

Mares, cùm virginitatem admittunt, tenentur hanc circumſtantiam explicare, in ſententia Nugni *in Additionib. ad* 3. *part. tom.* 2. *quæſt.* 9. *art.* 2. *dub.* 3. *concluſ.* 5. contra Suarium *in* 3. *part. diſp.* 22. *ſect.* 5. *in circumſt. Quid.* Dianam *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 10. & alios.

An illam exponere teneantur mares?

An ſaltem fœminæ?

Ad id explicandum ſaltem teneri fœminas, docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 6. cui tamen contradicit Vaſquez *Opuſc. de reſtit. cap.* 3. *§.* 1. *dub.* 1. *num.* 6. & *in* 2. *part. diſp.* 112. *cap.* 1. *num.* 1. Fagundez *part.* 2. *libr.* 4. *cap.* 3. *num.* 27. & Diana *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 13. & 37. & *part.* 2. *tract.* 17. *reſol.* 12. & *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 67. *§. in reſol.* 37.

De circumſtantia frigiditatis.

Frigidus, vel Eunuchus, ſi cognoſcat fœminam, debet confiteri circumſtantiam impotentiæ, quæ facit eſſe copulam contra naturam. Ita Henriquez *libr.* 5. *cap.* 6. *num.* 3. *gloſſ. lit.* M. Sed de hoc dubitat Fillincius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 23. & cum eo Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 139.

Fidelitatis.

Qui furatur rem, quam cuſtodire tenetur, debet circumſtantiam infidelitatis explicare, aſſerente Molina *in C. de Can.* &c. Negat tamen Henriquez *lib.* 2. *cap.* 6. *nu.* 3. *in gloſ. liter.* O. & Diana *p.* 1. *tr.* 7. *reſol.* 36. Stando autem opinioni Molinę dicendum eſt Epiſcopum, Prælatum, Principem, qui fœmina (ſæculari, aut religioſa) ſuæ cuſtodiæ, aut directioni concredita, abuteretur, peccato ſpeciem infidelitatis addere; illamque in confeſſione explicare debere.

De cælibe, conjugato, & Religioſo.

Hæc, & ſimilia inter Doctores diſputantur, & pro utraq; parte ſunt argumenta, quæ ratione & authoritate fulciuntur: addamus aliquid certum, quod à nemine negari poſſit. Agentis in materia laſciva circumſtantia novam addit ſpeciem, ſi votum (ſolenne ſit, aut ſimplex) aut matrimonium intercedat: quoniam cognoſcendo meretricem ſimplicem fornicationem committit cælebs, adulterium conjux, & religioſus ſacrilegium.

De Cauſa Exemplari.

An leges ſint imagines, ad quas debemus noſtras operationes conformare?

TERTIA. *Leges ſunt actuum humanorum Cauſa exemplaris, & illos omninò ſpecificant.* Patet: quia mutatis legibus, etiam actuum moralitates alterantur. Eadem enim actio (puta, adſcendere murum, ferre talia arma, &c.) quamdiu ſtet lex inhibens, erit mala: ſublata autem lege erit indifferens. Imaginis profectò rationem repetit in lege antiqua Apoſtolus, qui *ad Hebræos* 10. ſic ſcribit. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum per ſingulos annos in eiſdem ipſis hoſtiis quas offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere.* Et Moyſes *Exod.* 13. dixerat. *Et erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monumentum ante*

ocu-

oculos tuos. &c. Et David *in pſalm.* 118. clariſſimè. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Iuravi, & ſtatui, cuſtodire judicia* (præcepta) *Iuſtitiæ tuæ*.

Quid peccatum ſit?

Sicut prototypus in picturis eſt lex, quã obſervare debet manus & penicillus; ſic in Moralibus lex eſt bonorum actuum prototypus, cui homo debet ſimiles actus ſuos (internos, & externos) reddere. Et hanc ob rem peccatum dicitur *ἀνομία*, & eſt factum, dictum, aut concupitum contra legem æternam (ſeu Divinam) ut ex Sancto Auguſtino tradit D. Thomas 1. 2. *qu.* 71. *art.* 6. & *qu.* 76. *art.* 1.

De Cauſa Finali.

QVARTA. *Cauſa etiam Finalis interdum dat ſpeciem humanis actibus*. Eſt univerſis nota: unde abiit in proverbium.

An, & quando in confeſſione finis ſit explicandus?

Quidquid agant homines, Intentio judicat omnes. Ita alterat peccata Finis, ut Zumel. *in 3. part. quæſt.* 71. *art.* 2. aſſerat, eum, qui commiſit peccatum ob finem aliquem indifferentem, non ſatisfacere in confeſſione, ſi peccatum exponat, ſed debere etiam circumſtantiam finis explicare. Ei contradicit Vaſquez *in* 2. *part. diſp.* 93. *cap.* 3. cui adhæret Diana 1. *part. tract.* 7. *reſol.* 23. §. *Nota ſecundò*. & *reſol.* 62. Vnde, qui omitteret ſacrum, ut ſtuderet opinione Zumelis deberet in Sacramentali Confeſſione dicere, *Omiſi ſacrum propter ſtudium*. Satisfaceret autem in Vaſquezii opinione dicendo *Omiſi ſacrum*. Interim, in omnium opinione finis, ſi ſit leviter malus, poterit; &, ſi ſit graviter malus, debebit in Sacramentali confeſſione explicari.

Definitio Sacramenti ut ſit.

Hinc eſt Authores, aut omnes, aut pleraſque cauſas externas in rerum Moralium definitionibus admiſiſſe; nam Sacramentum univerſim ſumptum, *eſt res ſenſibus ſubjecta, quæ ex Dei conſtitutione ſanctitatis & juſtitiæ cùm ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet*. ut in Pii V. *catechiſmo* habetur, & traditur à Bellarmino *de Sacram. libr.* 1. *cap.* 11. Becano *de Sacr. cap.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 6. Reginaldo *libr.* 26. *num.* 1. & aliis. In qua definitione verba illa, *res ſenſibus ſubjecta*, notant Materiam remotam, proximam, & formam (rem & verba:) illa autem, *ex Dei conſtitutione*, Cauſam Effectricem indigitant: illud verò *ſignificandæ* Exemplarem concernunt: & tandem illud *efficiendæ* Finalem: nam Novæ Legis Sacramenta, & à Chriſto Domino ſunt inſtituta, & à Fideli recipiuntur, ut conferant gratiam. Huc reſpiciebam heri in lectione Theologica, cùm hanc definitionem, præcedentis loco, tanquam clariorem poſui. *Sacramentum ut ſic, eſt*

An per omnes cauſas fuerit confirmata?

Cur Sacramenta fuerint inſtituta?

cerèmonia quædam ſacra, in re & verbis conſiſtens, à Domino noſtro Ieſu-Chriſto inſtituta, ut ſignificet & conferat gratiam. Hæc de ſingulis Novæ Legis Sacramentis verificatur, & per omnes quinque cauſas decurrit: & dicendo *conferens* ſe ſubtrahit à vexata & vexante Quæſtione, quæ inquirit, *An Sacramenta gratiam producant realiter, aut moraliter?*

An phyſicè conferant gratiã?

NOTA.

De vocibus Definitio, & Deſcriptio.

MOnendus eſt hîc opportunè Lector Definitiones integrales, quæ per membra decurrunt, vulgò *Deſcriptiones* vocari: at ſunt eſſentiales, & ex ipſis monemur pati omnia nomina in ſignificatione parallaxes, nam ſicut *Definitionis* nomine Accidentariam aliquando intelligimus; ſic etiam *Deſcriptionis* nomine aliquando eſſentialem.

SECTIO XVI.

De Rei Definitione Accidentali.

Quid ipſa ſit? Qualia eſſe debeant accidentia per quæ fiãt Deſcriptiones?

ACcidentalis Definitio, quæ propriè nominatur *Deſcriptio*, explicat rem per proprietates aut per unã, quæ ſit characterica: aut per accidentia communia, quæ tametſi ſeorſim conveniant aliis, ſimul in aliis non exiſtant: prioris generis eſt hæc Definitio, *Homo eſt animal riſibile*: quia Riſibilitas eſt hominis in quarto modo proprietas, & per illam ſatis ab aliis animalibus diſtinguitur & ſeparatur. Poſterioris generis eſt hæc, *Terra eſt elementum frigidum & ſiccum*. Nam tametſi alterutra qualitas cõmunis ſit; nam competit Aquæ frigiditas, & Igni ſiccitas; hæ duæ ſimul ſoli Terræ conveniunt.

Quid ſit Hierarchia?

Huc pertinet Hierarchiæ Definitio, quã tradit S. Dionyſius Areopagita *de cæleſt. Hierar. c.* 4. dicens, Ἐστι μὲν Ἱεραρχία κατ' ἐμὲ τάξις ἱερὰ ἐπιστήμη καὶ ἐνέργεια. *Eſt Hierarchia, meo quidem judicio, Ordo ſacer, Scientia, & Actio*. Ordo in aliis rebus reperitur; imò etiam Ordo ſacer; nam inter Fidem, Spem, & Charitatem, nec non inter Confeſſionem & Abſolutionem datur ordo, & debet Sacer dici. Scientia etiam latiſſimè patet, nam in Schola multæ traduntur Scientiæ. Et tandem Actio per multa prædicamenta excurrit: at verò iſta tria ſimul ita Hierarchiæ propria ſunt, ut alii convenire non poſſint. Hugo rem expoſiturus, actionem ſine ordine eſſe præſumptionem, & ordinem ſine actione eſſe negligentiam, & ſine ſcientia actionem eſſe reprehenſibilem, ordinemque inutilem eſſe pronunciat. Ex hac ego aliam clario-

Ordo eſt prædicatũ commune.

Etiam Scientia

Etiam Actio.

Iſta tria Ordo Sacer, Scientia, & Actio, ſunt prædicatũ quod convenit ſoli Hierarchiæ.

rio-

riorem formo, & ſic inquam; *Hierarchia eſt quidam ſacer Ordo perſonarum in ſcientia & actione conſiſtens*. Eſt enim Hierarchia, ut ipſum nomen præ ſe fert, Ordo ſacer perſonarum ad gloriam Dei inſtitutus, & illæ perſonæ indigent ſcientia, ut Deo ſervire ſciant; actione ut faciant. Vide D. Thomam, qui *in 2. ſent. diſtinct. 9. a. 1.* hanc Dionyſii definitionem examinat, & eſſe convenientem oſtendit. [De hoc S. Dionyſii teſtimonio diſputavi in Grammatica Morali *art. 1.*]

An Deſcriptio rigoroſas leges habeat?

Deſcriptiones non ſemper ſunt clariores Definito, aut Deſcripto: immò interdum ſunt obſcuriſſimæ, nam per accidentia minùs nota procurrunt; & vocantur *Ænigmata*: quæ, ſi benè formentur, ſuas gratias habent.

An facili negotio efformentur?

Omni & ſoli deſcripto debet convenire Deſcriptio; & in hoc multæ exorbitant: nam generi interdum aptatur, quæ deberet ſpeciei, & ideò non convenit omni deſcripto: vel interdum poſt magnum laborem talia accidentia communia agglomeramus, ut aggregatum ipſum maneat etiam commune, & aliis à deſcripto conveniat.

An copiam verborum admittat?

In Deſcriptione non eſt cur verba ſuperflua incriminetis; nam luxuriat oratio, & à verborum copia laudem ſpectat. Vnde poſſemus dicere, ad Rhetores potiùs, quã ad Logicos Deſcriptiones ſpectare. Strictiores leges Definitio eſſentialis obſervat, ut Sectione ſequenti explicabimus.

SECTIO XVII.

De Definitione Singularium.

An poſſibilis ſit?

COmmunis Sententia aſſerit ſingularia definiri non poſſe: & tamen nulla eſt ratio, cur univerſalia poſſint, & tamen ſingularia non poſſint.

Cæſar unde dicatur?

Primò enim, ſi de nominis definitione diſſeramus, Propriorum nominum exponitur frequenter Etymon, nam *Cæſar* vel à cædendo dicitur, quod à ventre matris ſit inciſus, vel à Cæſarie, qua fuit natus, vel à cæſa (elephante) quem occidit.

Vnde Auguſtus?

Auguſtus ab augendo habuit nomen. &c.

Definitio per ſpeciem & hæcceitatem.

Secundò, ſicut Species per genus, & differentiam definitur, ſic ſingulare per ſpeciem & taleitatem poteſt. Sed dices. Poſſent ſingularia definiri, ſi hæcceitates eſſent notæ: ſed, qui ſcimus an ſint? ignoramus, quid ſint? Sed ſi hoc ſufficeret, ut diceremus ſingularia definiri non poſſe, vix paucas ſpecies definiremus, nam earum etiam quiditates neſcimus:

Differentia ultima ſunt ignota.

dicimus enim *Equum eſſe animal hinnibile*; &, ſi nomen hinnibile vocem, quam ille edit, ſignificat, non explicamus eſſentiam: ſi differentiam illam, quæ animal contrahit, & equum conſtituit hoc nomine intelligimus formalitatem, quam quid ſit ignoramus.

Habent ſuas proprietates ſingularia. Homo Deus.

Tertiò, poſſunt deſcribi ſingularia: nam nonnulla habent aliquam proprietatem characteriſticam, quæ non reperitur in aliis: ut *Chriſtus eſt homo Deus*, nam in ſolo Chriſto Domino humanitas, & Divinitas uniuntur hypoſtaticè,

Deipara.

ut etiam S. *Maria eſt Deipara*; nam inter omnes mulieres, ſola illa eſt Dei Mater; ut etiam *S. Maria eſt mulier ſine originario peccato concepta*: nam, & ipſa ſola hanc eminentem prærogativam habuit.

Primus Rex. Primus Imperator. Carthaginis Everſor. Iuris communis author.

Sic ſimiliter in Hiſtoria Romana, *Primus Rex* eſt Romulus: *Primus Imperator*, Iulius Cæſar: *Carthaginis everſor*, Scipio: *Qui in morte, nec amicum, nec inimicum habuit*, Nero: *Iuris communis Author*, Iuſtinianus &c. Si tamen ſingulare, quod definiendum venit, characteriſticam aliquam proprietatem non habeat, debemus ad communia accidentia recurrere,

Quid ſingulare ſit?

nam ut Porphyrius, *in Iſagog. cap. 3.* dixit. *Singulare eſt, cujus accidentium collectio non reperitur in alio*. Accidentia ſingulis hominibus communia ſunt.

Cognomen, Sydus, Tempus, Complexio, Sanguis,
Patria cum Sociis, Forma, Figura, Locus.

Accidentium communium ſolet non eſſe communis aggregatio.

Vide noſtram Logicam vocalem *nu.* 440. ſingula ex his communia ſunt, ſed poſſunt ita duo, aut plura cooptari, ut non reperiantur in alio. Sic dicendo *Virginem Matrem*, intelligimus S. Mariam,

Virgo mater.

quia, tametſi multæ in Mundo Virgines ſint, & multę Matres, in ipſa ſola Virginitas componitur cum Maternitate. Sic etiam cum *Prophetæ-Regis* nomen audimus, ſcimus Davidem,

Propheta Rex.

& non alium citari: quia tametſi multi Reges, & multi etiam Prophetæ fuerint, ſolus David fuit & Propheta & Rex.

SECTIO XVIII.

Definitionum Leges.

Primo.

QVatuor ſunt. PRIMA ut conveniat omni definito: ſi enim aliquid ſit, de quo definitum prædicetur,

An homo ſit animal ratiocinans?

de quo tamen non prædicetur definitio, hæc erit illegitima & mala. Et hinc condemnari hæc Definitio debet, *Homo eſt animal ratiocinans*; tametſi omnes ratiocinari poſſint, multi ſunt, qui non ratiocinantur actu.

Secunda.

SECVNDA, ut conveniat ſoli definito; ſi enim de aliquo illa prædicetur, de quo definitum non poſſit prædicari.

Digitized by Google

ri, erit ſimiliter damnanda. Et hinc dicimus non benè hominem definiri à dicentibus *Homo eſt vivens ſenſibile*, nam vivunt, ſentiuntque, æquè ac Homines, Bruta. COROLLARIUM. Suboritur ex dictis Converſionis proprietas, definitio enim, & definitum convertuntur: nam, ſi *Homo eſt animal rationale*, Omnis homo erit animal rationale, & omne animal rationale erit homo. Hæ duæ leges ſunt indiſpenſabiles, nec in aliquo particulari exemplo poſſunt fallere. TERTIA, ut nullum verbum ſuperfluum habeat. Sed non eſt omninò ſuperfluum, quod ad majorem claritatem adjicitur. Et propter hanc legem incriminamur pleraſque omnes, etſi communes, Artium Definitiones, quales ſunt, *Grammatica eſt ars bene loquendi*, *Arithmetica eſt Ars benè numerandi*, *Geometria eſt Ars bene metiendi*, *Logica eſt ars bene diſcurrendi*, &c. nam in omnibus illud adverbium *bene* ſupervacaneum eſt, nam in *Artis* nomine clauditur: non enim dantur Artes ad operandum male, unde hanc Artis definitionem, ut memini, olim puer à meis Magiſtris didici, *Ars eſt, quæ operandi præſcribit infallibiles & certas regulas; & procedendi deſignat, errorem non patientes vias*. QUARTA, ut clarior definito ſit, nam obſcurum per obſcurius non poterit dilucidari. At hæc Lex claudicat aliquando; quia interdum, ſi quæ ſunt notæ, dum definire volumus obnubilamus, prudentiùs illas indefinitas relinquemus, nam in obſcuram interdum tempeſtatem incidimus, dum meridiano Soli addere claritatem conamur. Vide Theologiam noſtram Fundam. à *num*. 859.

An homo ſit vivens ſenſibile?

An Definitio cum Definito convertatur?

Tertia.

An, & cur Artium communes Definitiones non ſint bonæ?

Quid Ars ſit?

Quarta.

An aliquando obſcurior ſit ſuo Definito Definitio?

SECTIO XIX.

De Definitionibus & Deſcriptionibus, quæ in Iure Cæſareo leguntur.

IVriſtas, ut reos convictos & confeſſos interdum condemnãt Theologi; quod malè ſubjecta definiant; quod Definitionum loco Deſcriptiones obtrudant; quod in illarum concinnatione rhetoricentur, cum dialecticari deberent: unde provenit omnes illas Definitiones, quæ in Iure extant, in Logicæ leges peccare.

An Definitiones factæ à Iuriſtis ſint bonæ?

Et quidem Morales Theologos feliciores Deſcriptiones, quàm Definitiones contexere, indubitatum eſt. Occurrit una, quæ Regem uberrima eloquentia depingit, quam præmittere volui, qui enim qualis ſit Princeps neſciat, non poterit exactè intelligere Decreta, quæ ab illo promanant. Audi Senecam *Tragædia* 2. dicentem.

An ſit facilius Deſcriptiones, quàm Definitiones conformare?

Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyria color,
Non frontis nota Regia,
Non auro nitida trabes;
Rex eſt, qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis favor
Vulgi præcipitis movet.
Quem non lancea militi;
Non ſtrictus domuit Chalybs
Qui tuto poſitus loco,
Infra ſe videt omnia,
Occurritq; ſuo libens
Fato, nec queritur mori,
Reges conveniat licet.
Rex eſt qui metuit nihil.
Hoc regnum ſibi quiſque dat.
Non capit regnum duos.
Habere regnum caſus eſt, virtus dare.

Qualis eſſe debeat Princeps?

Debet eſſe ſuarum paſſionum dominus.

Debet eſſe virtute eminêtior.

Et nihil omninò timere.

Omnia comprehendit breviter hęc Deſcriptio, quæ magnis libris explicari vix poſſent. Hæc omnia ita Regi conveniunt, ut poſſint Cæſari, aut cuicumque Principi ſupremo adaptari. Sed quia Seneca eloquentia copioſa diffunditur, & Dialectica conciſam brevitatem affectat, de Definitionibus, quas Legiſtæ paucis verbis concipiunt diſſeramus.

An præſtet definitiones eſſe breves?

Sanè illos agi reos, quotidiè legimus, & audimus; nam Theologi, ubi Moralia tractant plerumque à Iuriſtis (& Canoniſtis etiam) traditas Definitiones corrigunt.

Eſſe convictos videretur conſtare, nam cum per genus & Differentiam Definitio conformari deberet, quæ in Iure exhibitant, & frequenter per effectus, & connotata producuntur.

An per genus & differentiâ conformentur?

Confeſſos eſſe clamitant; nam Vlpiani ſunt verba *Omnis Definitio in Iure periculoſa eſt*; quæ Iuſtinianus juſſit, ut haberent vim legis, unde non ſolum fatetur ille, ſed jubet priùs omni Definitioni eſſe periculoſæ. Si dicas Vlpianum ibi *Definitionis* nomine intelligere *Regulam*, dices quidem verum at non adquieſcent illi, nam producent multos Iuriſperitos, qui Vlpianum agere de oratione naturam rei explicante ſupponunt. Sed eſto non ſit confeſſus Vlpianus Definitiones, hoc eſt, Orationes explicantes naturam rei in Iure periculoſas eſſe, & hoc fatentur plurimi, & hoc ſufficit, ne Iuriſtæ negativi condemnari dicantur. Sanè Antonius Merendæ ingenio polluit, diligentia non caruit, doctiſſimos libros ſcripſit, & hanc Iuriſtarum cauſam ita eſſe deſperatam exiſtimat, ut ſatiùs judicet Accuſatori cedere, quàm replicare. Ipſe igitur *lib*. 23. *controverſ. Iuris cap*. 47. Sic inquit [Vtile erit Iuris ſtudio-

Quid ſit definitio apud Vlpianum?

Merenda confeſſio.

ſis

ſis intelligere Iuris noſtri Conditores in definiendo ſequutos potiùs fuiſſe morem Oratorum, quàm Dialecticorum regulas; cum per hoc liberentur ab anxiis illis diſputationibus, in quibus Dialecticorum Cenſuræ Iuris noſtri Definitiones ſubjiciuntur. Qua in re acutos Iuriſconſultos admonitos velim, ne ſibi nimium placeant, dum per abſtruſas interpretationes ſub Definitione ea comprehendunt, quæ ſub ipſa contineri jubet ratio definiendi à Dialecticis propoſita: nam vitium magnũ eſt definitionis, ſi abſtruſos verborum ſignificatus contineat, cum proprium ipſius munus ſit, ejus, quod definitur, eſſentiam clarè exponere.]

Ejuſdem ad Iuriſperitos Monitum.

Verùm enim verò qui ſic in Iuriſtas occlamant, videntur eſſe ſimiles Phariſæis, qui in aliorum oculis, notabant paleas, cũ ipſi haberent trabes in ſuis: qui aliis imponebant onera importabilia, cum illa ipſi ne digito tangerent. Sanè injuſtè condemnant Iuriſtas Dialectici, quod in Definitionibus concinnandis Logicæ regulas non obſervarint, cùm nullus Dialecticus ſit, nullus Philoſophus, nullus Theologus, qui vel unam Definitionem fecerit, qualem Logicæ leges præſcribunt.

In ſunt Dialectica Definitiones?

Nimius fortè videbor: at obtinebo ſaltem, ne illi in Iuriſtas ſint nimii, ubi enim viderint ſe leges violare, quas præſcribunt alios, qui eaſdem negligunt, incuſare non pergent. Patere igitur (Amice Lector) ut in Philoſophos, & Dialecticos lineas ſubſequentes ſcribam, non quidem ut æmulationem, & invidiam intendam, ſed ut conciliem: ubi enim viderint ſe graviùs, quàm Iuriſtas peccare, benigniores, & clementiores erunt, & facili negotio culpas alienas condonabunt & diſſimulabunt. Amo brevitatem & claritatem, ergo Apolyſim, quam pro Iuriſtis contra Dialecticos formo, more Dialectico ad ſyllogiſticam formam elimabo. Sic inquam.

Quales ſunt quæ Philoſophis factæ?

Definitio eſt oratio explicans naturam (eſſentiam) rei. Eſt Definitionis Definitio, quæ admittitur ab Vniverſis.

An ſoli Angeli poſſint perfectas definitiones facere?

At rerum naturas & eſſentias intuentur Angeli, ignorant homines: nos enim ſola rerum accidentia & effectus percipimus, & per illa probabiles diſcurſus formantes tanquam per cancellos naturas & eſſentias rimamur.

Ergo *Angelorum eſt facere Logicas Definitiones: & homines eo non debemus conari*. Patet, quia ad impoſſibile conatus quilibet imprudens eſt. Ergo muneri ſuo ſatisfecerunt homines, ſi per characteriſticas circumſtantias (proprietates) & effectus, rerum eſſentias & naturas deſcribant.

In præſenti igitur controverſia Dialectici multis peccant nominibus. (1) nam, ſi putant ſe capaces, ut Definitiones concinnent, ſe non eſſe homines, ſed Angelos judicant, & à Iuriſtis rideri poſſunt, impugnari non debent. (2) cum definiendi leges pronunciant, impoſſibiles ferunt, & tyrannidem in Scholam exercent. (3) cum Iuriſtarum Deſcriptiones accuſant, incriminantur iſtos, quod fuerint homines, ſcripſerint ut homines. &c. Maximum crimen! Et quidem majus eſſet, ſi Iuriſtæ velint ſe æquare Angelis. (4) Sed & ipſi æquè graviter peccant, quàm cæteri: nam Definitiones, quas tradunt, periculoſæ ſunt, & ſolent frequenter everti.

Dialecticorum lapſus.

Logicæ Definitionis leges ſunt. I. Vt ſit ſuo Definito clarior. II. Vt conſtet genere & differentia. III. Vt cum Definito convertatur. IV. Vt in illa nulla vox deficiat, aut ſuperfluat. Ita Logici ſtatuunt.

Definitionum leges.

Et interrogo, An quatuor iſtæ formalitates ſint de Definitionis eſſentia? an illi accidant? Si ſecundum dicatur, fruſtra enumerantur à Logicis: nam accidentia, quæ poſſunt adeſſe & abeſſe ſubjecto, ſunt innumerabilia, nec contineri poſſunt numero determinato. Si dicatur primum, mala eſt tradita à Logicis Definitionis definitio: nam in Definiti eſſentia illæ quatuor formalitates includuntur, quæ tamen in definitione illa *Oratio explicans naturam rei*, non explicantur. Ergo omnes illas quatuor formalitates debet exprimere Definitionis definitio, aut aliàs eſſentiam definiti non exponit. Ergo Logici deberent dicere, *Definitio eſt, oratio clarior ſuo definito conſtans genere & differentia, cum definito convertibilis, in qua nulla vox deficiat, aut ſuperfluat*. &c. Etſi ſic placeat Definitionem definire, dicent Iuriſtæ ſe melius ſcire definire, quàm Logici.

An ſit bona Definitionis Definitio data à Logicis?

Sed ubertioris doctrinæ gratia ſingulas formalitates, quæ eſſentiales judicantur à Logicis conſideremus.

Erat prima *Clarioritas*. An-ne omnis definitio ſuo eſt definito clarior? Attende. Homo eſt animal rationale. Petrus eſt homo Petreitate contractus. Equus eſt animal hinnibile. Sic loquuntur Logici: & ſic loqui univerſis præcipiunt. Dic ergo Stabulario. *Accipe quatuor animalia hinnibilia, & ducas ad Animal rationale Petreitate contractum*. Et quid famulus dicet? An te intelliget? minimè. Si autem eidem dixeris, *Accipe quatuor equos, & ducas ad Petrum*, te ſtatim ille intelliget. Non ergo univerſaliter loquendo, & ſine multis limitationibus Definito eſſe clariorem definitionem, verum eſt.

An omnis ſit clarior definitio?

Placet hic Iuſti Lipſii impatientia, (dabo ſenſum, non verba, nam librum ad manum non habeo) legebat, in Cardinale Bembo hæc verba, *Ad Cæſarem miſerunt Norvegii quatuor Aquilas ſequioris ordinis aliis avibus capiendis natas*; & exclamavit illicò, Dicas, *Falſones & intelligemus te*. Vnde, eum quidam ſcriberet, (poſſem nominare perſonam: ſed conceptus nominis expreſſione non indiget) *Ad ſpicas ſecandas idoneis erãt inſtrumẽti culteris ruſtici*, repoſuit Lector, *Si intelligi vis, dicas Falces*. His idæis inſtructus erat olim Galenus, qui *libr. 4. de differentiis pulſuum*. ait, [nullum eſſe definitionum uſum, ſi etiam antequam exhibeantur, res ipſæ nobis ad liquidum notæ & exploratæ ſint: ut propterea quamlibet rem definire velle ſubtilius, Sophiſtarum proprium ſit.] Quod teſtimonium Duarenus *in init. tit. ff. de vulg. & pupil. ſubſt.* Cujacius *in rubr. tit. ff. de Iure fiſci in fin.* & ex ipſis Merenda *libr. 23. controverſ. cap. 47. num. 1.* adducunt. Sæpe enim contigit, ut dum res claras dilucidare & explicare volumus, eaſdem obnubilemus.

Exclamatio in Bembum.

Galeni Reſolutio.

Erat ſecunda, generis & differentiæ compoſitio. Sed adſint Philoſophi, & dent nobis ejuſmodi Definitiones. Circumferuntur hæ omnium ore *Homo eſt animal rationale, Equus eſt animal hinnibile, Canis eſt animal latrabile.* &c. An-ne conſtant genere & differentia? An-ne eſſentiales differentiæ, quæ Animal dividunt, ſunt Rationalitas, Hinnibilitas, & Latrabilitas? Quid importet Rationalitas fortè illi ſciunt: at quid Hinnibilitas, & Latrabilitas importent, neſciunt. Saltem ego non ſcio, & ab illis non doceor. Taliter aut taliter vocem edere ab organo gutturis pendet, & eſt merum Animalis vociferantis accidens. Et genus per accidentia non dividitur. At dicunt ſe per vocem *Hinnibilitas* (attende quæſo) non intelligere hinniendi potentiam, ſed ignotam illam formalitatem, quæ addita generi (Animali) ſpeciem (Equum) conſtituit. Hoc non ſciunt omnes: Sed eſto. Ergo per vocem, cujus ſignificatio ignoratur, Equus definitur. Ergo vox nota *Animal* & ignota *Hinnibile* explicant eſſentiam & naturam vocis *Equus* notiſſimæ. Ergo graviſſimè allucinantur Philoſophi, cùm Animalium ſingulorum tradunt definitiones. An ſaltem feliciter definiunt Hominem? non video. *Homo eſt*, inquiunt, *animal rationale*. Iubent Animali, ut ſit genus; & Rationali, ut differentia. At Patres veteres dixerunt *Hominem eſſe animal rationale mortale.* [A quibus nõ multum differre videntur Philoſophi, ad quorum mentem homo eſt, *ſubſtantia vivens, ſentiens, animata, rationalis, corporea, mortalis, capax riſus & artium* teſte Taboetio *in Topico millitia forenſ. & leg. diſcip.* & Calino *in Lexico.*] Putantes differentiam latiùs patere quàm ſpeciem, & debere duas poni, ut alteram altera contraherent, & limitarent. Dicebant enim, per rationalitatem Hominem differre à brutis, convenire cum Angelis, & per mortalitatem convenire cum brutis, ab Angelis autem differre. Multa poſſem teſtimonia producere, ſed feſtino: ne autem omnia dicar omittere, unum aut alterum proponam, quæ ſufficiant intento demonſtrando. Ad illa Chriſti verba, *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Marc. 16. inquit S. Gregorius *homil. 29. in Evangel.* [Omnis creaturæ nomine ſignatur Homo, omnis enim creaturæ aliquid habet Homo. Habet namque commune *eſſe* cum lapidibus, *vivere* cum arboribus, *ſentire* cum animalibus; *intelligere* cum Angelis. &c.] Vnde Pererius *tom. 1. in Geneſ. lib. 1. cap. 2. num. 168.* [Quæcumque à Deo facta ſunt, inveniuntur in homine dupliciter, vel ſecundum eſſe reale, prout in uno homine omnes gradus aliarum rerum continentur; habet enim homo *eſſe* commune cum inanimis, *vitam* cum ſtirpibus, *ſenſum motum*que cum animantibus, *mentem* atque *intelligentiam* cum Angelis: vel ſecundum eſſe intelligibile; eſt enim Anima rationalis, ut Ariſtoteles tradit *libr. 3. de Anim.* quodammodo omnia, habet enim in ſe imagines & ſimilitudines rerum omnium, quas intelligit, & intelligens fit quodammodo ſimilis rebus intellectis.] Divus etiam Gregorius *homil. 10.* interrogantibus, Cur ad Paſtores Angelus, ad Magos ſtella miſſa fuerit? reſponderat. [Quia videlicet Iudæis, tanquam ratione utentibus Rationale animal, id eſt, Angelus prædicare debuit. Gentiles verò quia uti ratione neſciebant, ad cognoſcendum Dominum, non per vocem ſed per ſigna perducuntur.] Ergo ſi Angelus eſt Animal rationale opinione Gregorii, hæc propoſitio, *Homo eſt animal rationale*, non eſt definitiva, ſed ad primum Prædicabile pertinens: nam ejuſdem ſententia, *Animal rationale* non eſt conceptus ſpecificus, Hominis eſſentiam & naturam exponens: ſed conceptus genericus Homini & Angelo communis, cujus ſunt differentiæ *Mortalitas* & *Immortalitas*, quarum prima conſtituat Hominem, ſecunda Angelum. Si dicas aliter Homines, & aliter Angelos intelligere: aſſentiar ultrò, nam dicere, non eſt demonſtrare. Si addas durationem in creaturis eſſe

Species Animalium peſſimè definiuntur à Logicis.

An Homo benè definiatur?

An Homo conveniat cum Angelo?

An omnium Creaturarum perfectiones reperiantur in Homine?

An & cur Anima eſſe dicatur omnia?

An Angelus ſit animal rationale?

An, & cujus ſententia, Animal rationale non ſit Hominis definitio?

An mortalis & Immortalitas ſint differentia?

An Homo Angelus gradu intelligendi conveniant?

eſſe accidens,adeòq; Mortalitatem & Immortalitatem, non eſſe differentias quidditativas; aſſentiat etiam. Sed quid habebis? An ne Animal per Rationale & Irrationale dividetur: & Homo erit Animal rationale? Abundas in tuo ſenſu, vel morbo tuo indulges, ut utar phraſi Senecæ: nam aliæ differentiæ ſuccurrunt. Audi Fabrum *in Iuriſprudent. tit. 2. princ. 4. pag. 37.* dicentem [Hominibus ita inſita eſt (Religio) à natura ipſa, ut non dubitaverit affirmare Lactantius, quem etiamnum per multi ſequuntur, hominem à brutis animantibus, non tam ratione & ratiocinatione, quàm religione differre.] Ergo teſte Lactantio, non jam homo *Animal rationale*, ſed *Animal religioſum* definitur.

An Homo à brutis per religionem differat?

Sed & communem Hominis definitionem Iuniores Scriptores rejiciunt: nam P. Valerianus Magnus Capucinus non patitur Homines & Bruta genere convenire immediato; & aliter ſubſtantiæ coordinat Prædicamentum. Subſtantia, inquit, vivens, vel eſt totaliter ſpiritualis, ut Angeli; vel totaliter Materialis, ut Plantæ & Bruta, aut partìm Spiritualis & partìm Materialis, ut Homines. Ergo, ſi hæc doctrina ſtet, *Animal rationale* non eſt Hominis definitio, ſed debebimus dicere Hominem, *Subſtantiam viventem partìm ſpiritualem & partìm materialem eſſe*;

An Homo & bruta in genere immediatè conveniant?

Et quidem hæc P. Valeriani Hypotheſis adhuc ſtat: nondum enim Peripatetici demonſtrarunt cōtrarium. Sed neutra doctrina (Ariſtotelis, aut Valeriani) eſt vera: nam prima Entis diviſio eſt ſyſtematica: & in Syſtemate Materiali non reperitur rationale: & in Spirituali non reperitur Animal: unde Homo eſt nova quædam creatura, nec ad prædicamentum Subſtantiæ purè Materialis, nec ad prædicamentum ſubſtantiæ purè Spiritualis pertinens, ſed ex Corpore & Anima ad diverſa Syſtemata ſpectantibus cōcinnata: quam ob rem per genus & differentiam definiri non poterit. (Vt hanc doctrinam capias, adnotato Syſtema eſſe aggregatum omnium prædicamentorum ſub uno Ente congenere. Vnde Syſtema materiale eſt aggregatum decem prædicamentorum materialium ſub uno Ente materiali: & Syſtema ſpirituale eſt aggregatum decem prædicamentorum ſpiritualium ſub uno Ente ſpirituali &c.]

Rejicitur utraque opinio.

Diviſio Syſtematica.

Quid ſit Syſtema?

Sed neque feliciores erunt Definitiones, quibus Logici utuntur. Conſideremus aliquas. *Vniverſale eſt unum in multis.* Sic ipſi volunt: adduntq; Vniverſalia eſſe quinq; Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens: & tamen reperiuntur genera in unica ſpecie, & ſpecies in unico individuo: nam Geometræ ex.gr. Triangulum in Rectum & obliquū, ut in duo genera dividunt; quorum hoc ſubdividitur in Obtuſum & Acutum: illud verò plures ſpecies non habet. Et Theologi, qui Angelico Doctori ſubſcribunt, docent Angelos omnes differre ſpecie, nec poſſibiles eſſe duos, qui numero puro diſtinguantur. Species vel Prædicabilis, vel ſubjicibilis eſt. Et, ſi definire illas velis, dices, *Species ſubjicibilis eſt ſpecies ſubjicibilis*: & *Species prædicabilis eſt Species prædicabilis*. Sunt identicæ propoſitiones, nec tamen aliter formari poterunt. Stat igitur eſſe verba, quæ de Logica Definitione dicuntur: non enim facili negotio, dabitur Logica Definitio, quæ genere & differentia componatur.

De Vniverſali & Prædicabili.

An detur Genus in unica Specie & Species in unico individuo.

De Triangulis.

De Angelis.

Venio ad compoſita, quæ partibus ad diverſa Prædicamenta pertinentibus conſtant. Quomodo definientur? Non ſanè Logicè, nam genus & differentiam loquendo rigorosè non habent. Quid eſt Circulus aureus? Circulus poteſt eſſe aureus, argenteus, ligneus, &c. & Aurum poteſt eſſe circulare, quadratum, triangulare, &c. Quid eſt cumulus lapidum? Cumulus poteſt eſſe lapidum, pomorum, pyrorum, &c. & lapides eſſe poterunt cumulati, & non cumulati. Quid eſt domus? habet materiam & figuram: illa alia & alia eſſe poteſt: etiam hæc alia & alia ab uſu denominatio ſumitur, & uſus eſt rebus accidentalis, & varius; nam, quæ his hodie uſibus deſtinatur, cras poterit aliis adjudicari.

An poſſint definiri compoſita?

Circulus aureus.

Cumulus Lapidum.

Domus.

Pleraq; Entia Moralia ſunt compoſita ad placitum; habent partes, quarum ſingulæ aliter & aliter contrahi poſſunt: at omnes ſimul illud conſtituunt, quod debet à Iuriſperito explicari. Si interroges, quid Matrimonium ſit? Reſpondebo hodie inter Chriſtianos, qui Tridentinam Synodum acceptarunt, multas realitates in Matrimonio eſſentialiter reperiri, quas qui non omnes exprimat, eſſentiam Matrimonii non explicet. (1) requiritur, ut ſint mas & fœmina: (2) ut abſint impedimenta dirimentia: (3) ut Parrochus & teſtes adſint: (4) ut fiat contractus per verba aut ſigna de præſenti: (5) ut ſit Sacramentum: (6) ut humanitùs reſcindi non poſſit. Hæ ſex res, ut minimùm, ſunt in Matrimonio eſſentiales: (1) nam inter duos mares, aut duas fœminas, aut inter marem & plures fœminas, aut inter fœminam & plures mares iniri Matrimonium non poteſt: (2) nam quando ſunt impedimenta dirimentia, eſt illud nullum: (3) nam Parrochi, & teſtium abſentia etiam eſt impedimentum dirimens:

Quid matrimonium ſit?

Quænam requirantur ut validè ſiat?

An ſemper ſit Sacramentum?

(4) nam per verba aut ſigna de præterito aut futuro non initur: (5) nam poſſe hodie inter Chriſtianos fieri Matrimonium quod non ſit Sacramentum, negant viri doctiſſimi: (6) nam conjunctio ad tempus non eſt matrimonialis. Singulæ ex his rebus latiùs, quàm Matrimonium patent, (1) nam mas & fœmina alios contractus poſſunt facere, puta venditionis, locationis, mutui. &c. (2) nam pleraq; impedimenta alia dirimunt, nam in filii cauſis v. gr. pater eſſe judex non poteſt: (3) Parrochus alia plurima præſtat: & qui teſtes ſunt Matrimonii, poſſunt etiam admitti in aliis cauſis: (4) nam multi alii contractus per verba aut ſigna de præſenti formantur: (5) nam Sacramēti ratio etiam in aliis rebus invenitur, ut in Baptiſmo, Confirmatione. &c. (6) nam etiam multi alii contractus ſunt irrevocabiles.

An ſit poſſibilis Logica matrimonii Definitio?

His igitur conſideratis, Logici doctiſſimi & ſeveriſſimi comitia generalia celebrent, & communi conſilio Matrimonium per genus & differentiam definiant; ita, ut totam Definiti naturam & eſſentiam exponant. Sed non faciant, quia impoſſibile eſt, ut illud ſic definire queant, & nolu impoſſibilia poſtulare. Ergò, ut minimùm, jubere poteto, ne incriminentur Iuriſtas, quod ſuas Definitiones per genus & differentiam non conforment, quādo per genus & differentiam nequeunt conformari.

Multa ſunt aſſertiones veræ, quæ non traduntur tanquam definitiones.

Hinc aliquas definitiones à Iuriſtis traditas illuſtraturus, monere candidos Lectores volo, verbum *Eſt* non ſemper definitionem importare, nec ſemper Authores, cùm illud ponunt, velle definire ſubjectum: ſed tantùm aliquod ſubjecti prædicatum exponere: nam Propheta Rex, quando dixit in Pſalm. 42. *Deus eſt fortitudo mea*, non habuit animum definiendi Deum, ſed explicandi attributum, unde Hominum heroicæ virtutes naſcuntur. Ergo hoc radio adjutus, videbis ſæpè incuſari Iuriſtas, quod malas tradiderint definitiones, cùm tamen illi non tradant ſubjecti definitionem, ſed illius aliquam, aut aliquas diſcurſui neceſſarias perfectiones exponant. Id dilucido exemplo. Negas ſentire homines: & ego contra ſic. *Homo eſt vivens ſenſibile. Ergo ſentit.* Recognoſce antecedens. Anne definivi Hominem? minimè. Senſibilitatem adſumpſi, Rationalitatem tacui; quia illa, & non hac egebam, ut Homines ſentire probarem. Ergo ſimiliter Iuriſperiti, ſæpè adſumunt prædicata, quibus indigent: & non debent tunc dici tradere Definitiones. Hac doctrina præmiſſa Definitiones aliquas recognoſcamus.

Definitio Iuſtitiæ.

Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas tribuens unicuique quod ſuum eſt. Eſt Definitio, quam Vlpiano debemus.

Ad mentemne, an ad voluntatem pertinent?

Poſſent Adverſarii incriminari vocem illam *voluntas*, aſſerendo Iuſtitiam ſpectare ad judicium, & rationis dictamen, & non ad voluntatem pertinere. Vt illa ad voluntatem ſpectet, eſſe habitum, & habitus realiter ab Animæ potentiis diſtingui.

An habitus diſtinguantur ab anima.

At jam eſt illis ſatisfactum ſuperiùs: diximus enim naturales habitus non diſtingui à potentiis, ſed eſſe eaſdem potentias ad diverſos terminos ſeu connotata comparatas: & addidimus Iuſtitiam eſſe quamdā prudentiam, adeoque formaliter dicere voluntatem, non quidem cœcam, ſed ab intellectu illuminatam; nam, ſi eſſet cœca, non ſciret tribuere unicuique quod ſuum eſt. Has difficultates, quæ graves videri poſſint Antonius Merenda *tom. 4. controverſ. libr. 23. cap. 47. pag 506. §. in eadem.* diſſimulat, & tamen verbum *perpetua* impingit, & ait. *Hoc autem oratoriè* (non ergo Logicè) *dictum eſt, prudenter, ut Iuriſprudentiæ dignitatem augeret,* & putat Vlpianum reſpexiſſe Ciceronem, qui in M. Antonium declamans, ſuam erga Rempublicam voluntatem fuiſſe conſtantem, & perpetuam aſſeruit.

De voce perpetua.

Ergo Merendæ argumentum, ad hæc poterit verba reduci. Illa eſt mala definitio, in qua aliquid ſuperfluum ponitur. Sed in hac Iuſtitiæ definitione, quam Vlpianus reddidit, aliquid eſt ſuperfluum; nempè vox illa *perpetua*: nam perpetuitas clauditur in conſtantia. Ergo hęc ab Vlpiano tradita definitio eſt mala.

An bona definitio vocem ſuperfluam toleret?

Quomodo conſtantia à perpetuitate diſtinguatur?

Reſpondeo primò, conſtantiam à perpetuo diſtingui, nam cum mortales ſimus, non poſſumus agere vitam perpetuam, at poſſumus agere vitam conſtantem. Vt ſint conſtantes reſolutiones tuæ, non eſt neceſſarium, ut tecum ſint natæ, ſed ut ſemel habitæ non mutentur: at perpetuitas poſtulat, ut ſemper fuerint. Reſpondeo ſecundò, perpetuitatem eſſe conceptum ſecundarium conſtantiæ, ſed clariorem, & explicatiorem eſſe Iuſtitiæ definitionem illa voce retenta & ſolere Logicos addere interdum voculam, ut aliam minùs claram dilucident; & tunc illam, quæ additur, à nemine cenſeri ſuperfluam. Vt hoc demonſtrem ponam ob oculos communiſſimas, & receptiſſimas aliquas definitiones.

Communes aliquot definitiones.

Orthographia eſt ars benè ſcribendi, & legendi.

Grammatica eſt ars benè loquendi.

Metrica eſt ars metra benè condendi.

Rhythmica eſt ars rhythmos bene formandi.

Arithmetica eſt ars bene numerandi. &c.

No-

Ars ad benè operandum ordinatur.

Noto contra has omnes definitiones, illud verbum *benè* bis poni, nam includitur in Arte; non enim datur Ars malè operandi, & iterum ponitur expreſsè. Ergo deleri deberet, ſi rigori ſtaretur. Interim multi illud addunt, ut clarius conceptum exponant. Gerardus Joannes Voſſius *lib. 1. de Gramm. cap. 2. in init.* expreſsè, *Itaque* (Grammatica) *rectè definitur Ars purè loquendi*. Vt eloquentiùs loqueretur, ſcripſit *purè* prò *benè*. Ioannes Franciſcus de Ieſu *in Theatro Latinitatis lib. 1. cap. 1.* hanc exhibet definitionem, *La Grãmatica Latina è un' Arte di parlar bene, e ſcrivere correttamente in Lingua Latina*. Sed cur loquutioni ſcriptionem adjunxit?

Grammatica, quæ?

Vt reſpondeam, adnotari deſidero, Orthographiam (quam Veteres vocabant Grammaticam, quòd de Grammatibus ſeu literis ageret) olim dictam ab aliis *Artem bene ſcribendi*, ab aliis *Artem bene legendi*. Interim, licet ſcribere nullus ſciat, quin poſſit legere, aut contrà, nihilominus apud Diodorum Siculum libr. 12. in antiquis Charondæ legibus dicitur, *Scientia ſcribendi & legendi*. Vnde Ariſtoteles *lib. 6 Topic. text. 6.* (Præterea, ſi cum de multis dicatur res definita, non tamen aptetur omnibus: veluti, ſi quis definiat Grammaticam (Orthographiam) *Scientiam ſcribendi res prolatas*, nam deeſt, *& legendi*. Neque enim magis, qui ſcribendi, quàm qui legendi ſcientiam eſſe tradidit, eam definivit. Quare neuter definivit, ſed qui utraque hæc dixit.) Ergo, ſiquidem *ſcire ſcribere* includit ſcire legere, & tamen Ariſtoteles præcipit utrumque in definitione poni; ſenſit non eſſe vitium, ubi de claritate agitur, unum aut alterum verbum inſereri majoris claritatis gratia. Præterea ſi aliud ſit ſcire ſcribere, & aliud legere, male Orthographia à Charonda & Ariſtotele definitur; cum, quia non eſt ſcientia, ſed ars (nam characteres æternam veritatem non habent) tum, quia genus (ſcientia, vel Ars) per duas diverſas differentias (ſcribere & legere) contrahitur.

Sententia Ariſtotelis.

An mala definitio ſit, in qua unum aut alterum additur verbum majoris claritatis gratia?

Iuriſprudentiæ definitio.

Cognito ſemel, quid Iuſtitia ſit, ſcire poterimus, quid ſit Iuriſprudentia? Anne hæc definitio eſt bona: *Iuriſprudentia eſt ars æqui & boni*; quæ traditur *l. 1. de juſt. & jur.* Si conſideretur finis Iuriſprudentiæ, hanc definitionem bonam eſſe ait Merenda, & probat ex Ariſtotele *libr. 5. Ethic. cap. 10.* additq; non eſſe bonam, quia non explicat media, quibus omnia ad æquum & bonum redigit. At videtur hæc definitio bona: quoniam Ars æqui & boni, eſt Ars cognoſcendi æquum & bonum. Quam etiam illi addiſcunt, qui non gubernant; quibus poſteà regimini admotis incumbit curare ut æquum & bonum obſervetur. Voces *æquum & bonum* videntur coincidere, & circum majoris claritatis gratia multiplicari.

An æquum & bonum ſit idem?

An injuſtitiæ cognitio ad Iuriſprudentiam ſpectet?

Non differt ab hac definitione illa, quã Vlpianus *in l. juſtitia 10. de juſt. & jur.* proponit: inquit enim *Iuriſprudẽtia eſt divinarum atque humanarum rerum* (legum) *notitia: juſti & injuſti ſcientia*. Si enim ars æqui, eſt ars juſti: ergo eſt juſti & injuſti ſcientia: æquè enim ad Iuriſprudentiam pertinet injuſtitiæ notitia, quàm ad Grammaticam barbariſmi & ſolœciſmi cognitio, & ad Logicam fallaciarum perceptio. Ecce objectum Iuriſprudentiæ exponitur: & media, quæ Merenda in altera definitione deſiderabat, Vlpianus proponit in iſta. Nam ſi interroges, quomodo juſtum ab injuſto, æquum ab iniquo diſtingues? reſpondebimus, id à divinarum & humanarum legum cognitione pendere: id enim æquum & juſtum eſt, quod legibus conſonum: id autem iniquum & injuſtum, quod diſſonum. Ergo hæc Vlpiani definitio æquipollebit huic. *Iuriſprudentia eſt, quæ ex divinarum & humanarum rerum* (legum) *notitia infert juſti & injuſti ſcientiam*. Et hæc eſt bona definitio, nam Iuriſprudentia eſt ſcientia practica, & habet modum procedendi eſſentialem; & ipſa, non ſolùm finem, ſed modum etiam, quo ad illum pervenitur, exponit.

Quomodo juſtũ & injuſtum dignoſcantur?

Reſolutio.

Cur plura? Sufficiant hæc, quæ diximus, ut aſſeramus (1) definitiones ex genere, & differentias difficillimas eſſe: (2) raò aut nunquam à Logicis aut Philoſophis bene formari: (3) non eſſe crimen in definitione verbum interſerere, ſi claritatem addat: (4) non eſſe incuſandos Iuriſtas, ſi circumloquantur aliquando, ſi res aliter definiri non poſſit.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

De Diviſione. *Quid ſit? An & quomodò à Definitione diſtinguatur? Quot illi ſint Species? Et qualem uſum apud Iuriſperitos habeat?*

An Diviſio à Definitione diſtinguatur?

Videretur à Definitione non diſtingui, quã quid eſt aliud definire, quàm Totum in partes Logicas (genus & differentiam) Phyſicas (materiam, & formam) Hypophyſicas (ſubſiſtentiam & naturam) Integrales (ſeu quantitativas) dividere?

Totum eſt duplex: Actuale & Poteſtativum.

Pro intelligentia adnotato Totum, vel eſſe Actuale, vel Poteſtativum. Actuale eſt, quod habet partes actuales (Logicas, Phyſicas, Hypophyſicas, Integrantes, &c.) Poteſtativum verò, quod habet partes poteſtativas: hoc eſt, quod eſt ratio communior, & univerſalior, quæ in minùs communes, & minùs univerſales poteſt dividi.

Diviſio per actuales partes.

Totum actuale in partes actuales dividitur & ſubdividitur. Sic poterimus dicere, *Angelici Doctoris Summam dividi immediatè in tres Partes, earumque ſecundam, quia magna eſt, in alias duas ſubdividi, quæ* Prima ſecundæ, *&* Secunda ſecundæ *vocantur. Et tandem Partes in Quaſtiones, & has in Articulos diſpeſci.* Hunc diſcurrendi modum nonnulli Authores in Iure Civili obſervarunt. Audi Alexandrum Scot, qui in Compilatione Iuris Civilis, quam Vocabulario Iuris utriuſque addidit, *pag.* 617. ſic inquit.

Diviſio Iuris Civilis in immediatas & mediatas partes.

[Videndum eſſet, quæ ſit Cauſa formalis librorum Iuris Civilis *&c.* Ex parte Tractatus eſt diviſio Operis in Libros, Librorum in Titulos, Titulorum in Leges, Legum in Paragraphos, Paragraphorum in Verſic. Opus enim Conſtitutionum Imperialium, de quibus ſupra dictum eſt, in XII. libr. geſtum eſt, & concluſum, ut dicit text. *in leg. 2. verſ. omnia C. de veteri Iure enucleando.* Horum XII. librorum, novem ſunt inſerti in volumine Codicis, quẽ habemus: tres verò reliqui ſunt inſerti in libro qui appellatur Volumen: Conſtat autem totum Ius conſtitutionum & deciſionum imperialium eſſe diſtinctum in dictos duodecim libros, in rubricas cccl viii. leges quatuor millia quingentas ſexaginta duas. Codex verò quem habemus, habet rubricas cccxxxi. leges verò tria millia, & ſexcentas octo. Illi verò tres libri Codicis, de quibus in volumine, habent cccxii. rubricas, leges verò nongentas liv. ff. vetus habet rubricas clii. leges verò duo millia nongentas xxviii. Infortiatum habet rubr. ci. leges verò duo millia ducentas triginta quatuor. Digeſtum habet rubr. clxxii. leges verò duo millia nongentas octnginta tres. Summa rubr. ff. ccccxxxiv. leges ff. octomillia centum triginta quinque; rubr. Inſt. xcix. non computato proemio rub. auth xcix. rubr. feud, lxxxvi. §. c. feudorum, quæ habentur cxxxii. Summa legum ff. octo millia centum quinquagintaquinque, legum verò cxxii. librorum quatuor millia quingentas ſexaginta duas. Summa omnium legum Digeſti, Codicis, & Voluminis, ponendo quemlibet titulum Inſtitutionum & Authent. pro una lege, 12,927. Et iſtud eſt mare, per quod navigas.]

Leges Codicis, & Rubr. ff. vet. rub. Infor. rubr & ll. ff. novi. rubr. & ll. Inſt. Auth. feud

Nominum explicatio.

Sed cur ratio communior & univerſalior vocatur *Totum*? cur *Diviſum*? cur dicitur dividi, cùm per minùs communes, & minùs univerſales diſtribuitur?

Quomodo ſit univerſale in Schola expreſſiva?

Nomenclatores fuerũt Aothores Scholæ Expreſſivæ, quam Ochamus, & Nominales ad magnam gloriam evexerunt. Sumunt ſimul omnia totius Mundi individua; & quia omnia ſunt, concipiunt omnia ſimul confusè; & ſolum *eſſe* exprimunt & gradum univerſaliſſimum conſtituunt, quod vocant *Ens*. Ecce Ens pro materiali dicit res omnes confusè ſumptas, & pro formali expreſſionem eſſendi univerſis communem. Pergunt ulteriùs, & quia res non uno modo omnes ſunt, (aliæ enim ſunt, & aliæ inſunt) hanc omnium rerum collectionem dividunt in duas claſſes: & in alteram collocant entitates, quæ ſunt, & in alteram entitates, quæ inſunt. Illas Subſtantias, iſtas verò nominant Accidentia. Dicit autem nomen *Subſtantia* pro materiali omnes ſubſtãtias confusè ſumptas, & pro formali expreſſionem eſſendi univerſis communem. Et ſimiliter nomen *Accidens* pro materiali omnia accidentia

Quid materialiter & quid formaliter dicat Ens?

Entis diviſio.

Quid dicat Subſtantia?

Quid Accidẽs

con-

confuſè ſumpta, & pro formali ineſſendi expreſſionem univerſis communem. Poſteà ſubſtantias in tales, ac tales ſubſtantias, & Accidentia in talia & talia accidentia dividit,& ſubdividit. Stando huic opinioni optimè intelligitur, quomodò ratio communior ſit totum,& ratio minùs communis ſit hujus totius pars, & quomodò conceptus magis communis in minùs communes dividatur.

An Diviſio Diſtributio nominari deberet.

In opinione altera, quæ communiorem rationem re, aut ratione à ſuis differentiis præſcindit, quam Nominales *Diviſionem* appellant, deberemus *Diſtributionem* appellare. Sed quia Dialectico periode eſt alteri, aut alteri adhærere ſententiæ, nos hunc ſecundum ſciendi Modum, vel *Diviſionem*, vel *Diſtributionem* nominabimus.

SECTIO I.

De Diviſione Logica. Quid & quotuplex ſit?

Quid ſit Diviſio?

EST igitur Diviſio Logica, *Termini ſuperioris & univerſalioris in inferiores & particulariores diſtributio*, ut cùm Animal per differentias Rationale & Irrationale, in Hominem & Brutum dividitur: aut cum Ariſtoteles *lib. 1. Rhetor. cap. 10.* ait, *Legum alia propria eſt, alia communis. Propriam dicimus, cùm Cives ſcripta utuntur; communem verò, quæ nonnulla, etiamſi ſcripta non ſint, quoad omnes tamen valere videntur.*

Varia Diviſionis genera enumerantur.

Sanè Diviſio aut eſt *Naturæ, ſecundum ſe in ſingularem & univerſalem*: ut cum Ariſtoteles ſubſtantiam Primam & Secundam diviſit; aut, *Generis in Species*, ut vivens vel eſt Senſibile, vel Inſenſibile; aut *Speciei in Individua*, ut Equus vel eſt Bucephalus, vel Concitatus, vel &c. aut *Subjecti in Accidentia*, ut Canis alius albus, alius niger, &c. aut *Accidentis in Subjecta*, ut Album, vel eſt Lac, vel eſt Nix, vel &c. aut *Accidentis in Accidentia*, ut cum dicimus, Luminoſa vel Mobilia, vel Immobilia ſunt. Exemplis opportunis omnes dilucidemus.

DIVISIO Generis in Species.

Si rigoroſè velimus agere, paucas Diviſiones Generis in Species exhibebimus. Primò Virtus Theologica in Fidē, Spem, & Charitatem, ut Genus in Species dividitur: nam in ſingulis ratio ſuperior Theologicæ Virtutis invenitur, & per intrinſecas, & veras taleitates, ſeu formales differentias contrahitur.

Etiam eſt Generis in Species Diviſio, qua Virtus in Fortitudinem, Iuſtitiam, Liberalitatem, & alias diſtribuitur; habet enim ſimiliter differentias formales Moralis Virtus, quibus contrahitur & ad Species inferioris reducitur.

DIVISIO Speciei in Individua.

Vt Species in Individua diſtribuitur quicumque conceptus univerſalis, qui in ea realiter exiſtentes immediatè dividitur: ut Homo, qui concipitur, in Petrum, Paulum, & Franciſcum, qui exiſtunt. Servitus ut ſic mente concepta, in ſervitutem hanc, & illam. Emptio ut ſic in Emptionem hanc & illam. Furtum ut ſic in Furtum hoc & illud. &c.

An dentur Diviſiones compoſitæ?

Quæris, qualis Diviſio ſit, qua Furtū in furtū hujus bovis, & furtū illius equi dividitur? Videretur eſſe Speciei in Individua: nā furta equi & bovis diſtīguūtur numero. Videretur eſſe ſubjecti in Accidētia, nā Furto accidit verſari circa bovem, vel equum. Reſpondeo eſſe compoſitam, & ſimilem illi, qua Homo in Petrum doctum, & Ioannem divitem divideretur.

Leg. 3. D. de ſtatu homin. Diviſio ſubjecti in Accidentia.

Subjecti in Accidentia eſt diviſio, qua Cajus homines in liberos & ſervos diviſit. *libr. 1. Inſtitut.* ait *Summa itaque diviſio de Iure Perſonarum hæc eſt, quod omnes homines, aut liberi ſunt, aut ſervi.* Et hic duæ breviter quæſtiones moveri poſſunt. Prima, An hæc ſit ſubjecti in accidentia diviſio? & ſecunda, An ſit adæquata? Ad primam aſſertivè reſpondeo: quoniam libertas & ſervitus ſunt accidentia Hominis, quæ adſunt, abſunt: poteſt enim, & ſolet, donari libertate, qui eſt ſervus: & qui liber, ſervitutem incurrere.

An Diviſio hominum in ſervos & liberos ſit adæquata?

Ad ſecundam dico, huic diviſioni tertium membrum (nimirum libertinos) debere addi aliquorum ſententia, nam Vlpianus *leg. manumiſſ. in fin. D. de Iuſtit. & Iur.* & cum eo Iuſtinianus §. 1. *de libert.* hominem in liberum, ſervum, & libertinum dividunt. At ego à Cajo ſto: & libertinos liberos eſſe pronuncio; & libertinos dici, quod ſervi fuerint, & à ſervitute liberati. Nam quando rem per ſua accidentia dividimus, non præterita conſideramus ſed præſentia. Ioannes Coraſius *ad leg. 3. de ſtatu hom. n. 3* Caji diviſionem eſſe bonam pronunciat, & Vlpianum, non ad rem, quod deberet, ſed ad nomina in ſua diviſione reſpicere: nam præter nomina *Servus & liber*, etiam nomen *Libertinus*, cum de hominum ſtatu diſputamus, occurrit, unde ait; (qua in re (diviſione) non tam ad ſtatum & conditionem perſonarum, quàm ad ipſius hominis nomen ſpectarunt, ut & illa verba, *& cum uno communi nomine*, commonſtrāt. Quod enim ad perſonarum jus & ſtatum attinet, verè dixit Cajus noſter, omnes homines vel liberos, vel ſervos eſſe: nàm *liberorum* nomine libertini habentur. *leg. & ſervorum. hoc tit.* hoc eſt, qui ex juſta ſervi-

d. leg. manumiſſiones. §. 1.

Qui ſint liberi?

Digitized by Google

vitute manumiſſi ſunt *leg. libertini. hoc tit.* quamvis ingenui dici nequeant *leg. de ingenuis dict. leg. manumiſſiones.*] Caji diviſio eſt ſimilis huic, *Homines vel ſunt vivi, vel Mortui*; inter quæ extrema, quia contradictionem involvunt, medium non datur. Quid ſi aliquis *Reſuſcitatos* adderet, imitaretur Vlpianum, & tamen fruſtra tertium membrum adjungeret, nam excitati à mortuis vivi ſunt. Sic igitur Hominum ſtatus deberet Diviſione illuſtrari.

An præter vivos mortuoſque debeant recenſeri homines à mortuis reſuſcitati?

Homo { *Liber* { *Ingenuus* / *Liberatus* { *Libertus* / *Libertinus* } } / *Servus* }

Primò enim Homo in Liberum & Servum dividitur: quod habemus ex Cajo. Liber ſubdividitur in Ingenuum & Liberatum. Ingenuus dicitur, qui ex libera matre natus eſt, *leg. & ſervorum.* 5. §. 2. D. *de ſtatu homin.* Liberatus, qui non fuit liber natus, ſed factus: qui manumiſſione libertatem indeptus. Qui tamen, ſi adhuc Patronum habeat, Libertus dicitur; ſi verò non habeat Libertinus. *leg. ult.* D. *ſi liber ingen. eſſe dico*. Vide Laurentium Vallam *libr. 4. eleg. cap.* 1. & Ioannem Cotaſium ad *leg. 4. D. de Iuſt. & Iur. nu.* 16.

Liber. Ingenuus. Liberatus. Libertus. Libertinus.

Et has omnes Diviſiones Logicis oculis conſiderādo eſſe omnes ſubjecti in Accidentia pronuncio; nam ſicut homini accidit eſſe libero vel ſervo: ſic libero accidit eſſe ingenuo, vel liberato. &c.

Leg. 1. D. de ſtatu hominū.

DIVISIO Accidentis in ſubjecta.

Per Subjecta diſtribuitur Accidens: quod & præſtitit Paulus *Inſtitutionum libro primo*, dicens, *Omne Ius, quo utimur, vel ad Perſonas pertinet, vel ad Res, vel ad Actiones*. Profectò perſonis, rebus, & actionibus accidit Iuſtinianæis legibus gubernari, multis enim annis illis caruit Imperiū: & multæ etiamnum regiones florentiſſimæ eas non obſervant. Ergo accidens (Ius) per diverſa ſubjecta (perſonas, res, & actiones) diſtribuit Paulus.

An ſit Generis in ſpecies Adoptionis in Adoptionem & Adrogationem diviſio?

Etiam illa eſt Accidentis in Subjecta Diviſio, quam *lib. 2. Regul.* tradidit Modeſtinus dicens. *Adoptionis nomen eſt quidem generale, in duas autem ſpecies dividitur: quarum altera Adoptio ſimiliter dicitur; altera Adrogatio. Adoptantur Filii familiarum; adrogantur, qui ſui Iuris ſunt.* Dices hanc non eſſe Diviſionem Accidentis in Subjecta, PRIMÒ, quoniam non dividitur res, ſed nomen tantùm, ut conſtat ex illis verbis *Adoptionis nomen eſt quidem generale*. Cum autem illud, quod eſt generale, debeat per particularia diſtribui, ſiquidem nomen generale eſt, nomen ſolùm dividitur & diſtribuitur. SECVNDÒ, quia, ſi non nomen, ſed res dicatur dividi, erit hæc Generis in Species diviſio: quod ſtatuit Modeſtinus, cum dixit, *in duas autem ſpecies dividitur*. TERTIÒ, quoniam in nulla Diviſione converti poteſt cum aliquo membro dividente diviſum, hic autem id quod dividitur eſt Adoptio, & alterum membrū eſt ſimiliter Adoptio, alterum Adrogatio.

In Æquivocis nomen tantum dividitur.

Reſpondeo AD PRIMVM in æquivocis, quia ſolùm nomen commune eſt, illud ſolum dividi: at verò in univocis, quia & nomen & res communia ſunt, utrumque dividi: unde hac in Diviſione ajo, & nomē *Adoptio*, & rē ipſam nomine ſignificatā, dividi. AD SECVNDVM nego eſſe hanc Diviſionē Generis in Species. Ad probationem dico nomen *Species* aliter à Iuriſperitis, & aliter à Logicis accipi; & Modeſtinum dialecto Iuridica loquutum eſſe. *Species* enim in Iure ſignificat partem actualem materiæ, quæ dividitur; nam *in leg. qu. de verb. ſignif.* dicitur ager fundi eſſe ſpecies & tamen ager non eſt Logica ſpecies fundi, ſed pars Phyſica. Eodem ſenſu vocem accepit Vlpianus *leg. 1. de agnoſc. libr.* ubi Senatus-conſulti Plautiani duas eſſe ſpecies dicit, cum partes deberet dicere, teſte Apollo, Spiegelio, & aliis. Ergo Modeſtinus, cum dixit, *Adoptionem in duas ſpecies dividi*, Iuridico Lexico fuit uſus, & tantùm voluit dicere in duas illam partes, vel membra dividi; quales autem illæ eſſent, Logicis diſcutiendum reliquit. AD TERTIVM nego alterum membrum dividens converti cum diviſo; nec hoc nominum carentia arguit, nam vox *Adoptio* in diviſo ſumitur laxè, & in membro dividente ſtrictè: ſicut etiam apud Hiſpanos *Animal* ſumitur laxè, & ſignificat *Animal*, & ſumitur ſtrictè, & ſignificat *Bruto*; nec hinc inferri liceat apud Hiſpanos Animal cum Bruto converti. Stat ergo hanc Diviſionem, *Adoptio, vel eorum eſt, qui ſunt filii familias, vel eorum qui ſunt ſui juris*, eſſe ſimilem huic, *Albedo nivis, vel lactis eſt*, adeoque eſſe Accidentis in diverſa ſubjecta. Si dicas albedinem lactis ab albedine nivis non differre, & tamen Adoptionem filiiſfamilias ab Adoptione illius, qui eſt ſui juris differre. Reſpondebo totam hanc differentiam eſſe materialem, & ſe ex parte ſubjectorum tenere.

In Univocis & nomen & res ſignificata per membra dividentia diſtribuitur.

Nomen Species apud Iuriſtas interdum ſignificat partem.

An Diviſum cum mēbro dividente convertatur.

Animal pro genere & pro ſpecie ſumitur.

Tota Adoptionis & Adrogationis differentia eſt materialis.

DIVISIO Accidentis in accidentia.

Tandem Accidens unum per alia accidentia dividitur, ut cum dicimus *Album, vel calidum, vel frigidum eſt*.

Qualia ſint D. Bernardi ſcripta?

Si quæras aliquod pulchrum hujus Diviſionis exemplum, recurram ad D. Bernardum, in quo omnia vivida, omnia pulchra, omnia elegantia: & quod priùs debuiſſem dicere, omnia ſunt ſancta. Sum-

mam

Digitized by Google

Scientia eſt accidens.

mam ex illo verba, quæ te inſtituant in Logica, & in Charitate confirment. Porrò ſcientia humani intellectus eſt accidens, aliorum accidentium capax, & Melleus Doctor *ſerm. 36. in Cantic.* varios fines, quos ſibi literarum Studioſi præfigunt, conſiderans, Scientiarum Candidatos in quinque claſſes diſtribuit, inquitq; I. *Sunt, qui ſcire volunt eo tantùm fine, ut ſciant, & turpis curioſitas eſt*. II. *Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, v. gr. pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæſtus eſt*. III. *Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt*. IV. *Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ardentiùs ædificent, & Charitas eſt*. V. *Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ædificentur, & prudentia eſt*. De illis, quos tertio loco reprehendit Bernardus, agebat Iſidorus *lib. 3. de ſumm. bono*, cum dixit. *Plerique accepta ſcientia literarum, non ad Dei gloriam, ſed ad ſuam laudem utuntur; dum de ipſa extolluntur: & ibi peccant, ubi peccata emendare debuerunt*.

Studiorum Diviſio.

Gloria eorumdē vana.

An poſſit homo ſine fine operari?

Recognoſcamus breviter has ipſas Studioſorum claſſes; &, ut ex Diviſione percipiamus fructum, ſubjungamus Scholia. *Prima* ſuadet, ſubſtantiam intellectualem poſſe opinione Bernardi ſine fine operari: velle, quia vult: quod mihi videtur certū, tametſi à plurimis negari ſciam. Negant hanc doctrinam, quam Bernardus ſupponit, multi Veteres, & in ſpecie, agendo de Scientiis, Lactantius *Divin. Inſtit. lib. 3.* dicens. *Quis enim ſcire contentus eſt, non expetens aliquem fructum ſcientiæ*. *In ſecunda* eos collocat, qui ad divitias, & honores adſpirant: qui ſi hanc mundanam ſibi gloriam, ut ultimum finem præſcribant, exorbitant, & ideò à Bernardo carpuntur: divitias enim per licita media congerere, & ſe dignum reddere, ut ad ſummas poſſit dignitates provehi, & id ipſis Deo, & patriæ ſervire, non incriminatur à Bernardo. Idem dicito de illis, qui *in tertia* claſſe recenſentur. Velle enim habere applauſum, & inde alios contemnere, vel vilipendere, improbum eſt. Cæterùm, ſi ſtudeat diligenter Auſonius: & non tantùm velit ſcire, ſed ſciri, ut ad ſe ignorantes recurrant, quos conſilio poſſit, & authoritate juvare, eſt pium ſtudium, & poteſt à quocumque laudari. Hæc dixero, ne fortè occaſione verborum, quæ ex Bernardo adduxi, audeat aliquis Studentiū fines rigidiùs condemnare, quàm debeat. Nam divitias, dignitates, & applauſum appetere, ſi nihil addatur, non eſt malum: immò etiam erit bonum, ſi ad gloriam Dei ordinetur. Ut enim malū ſit, debet intervenire deordinatio, vel in fine ulteriori, vel in mediis. In fine, ſi divitias quis appetat, ut luxurioſè vivat: dignitates, ut inferiores opprimat; applauſum, ut vanè-glorietur. In mediis, ſi quis ponat illicita, ut vel opes adquirat, vel ad dignitates adſcendat, vel applauſum obtineat.

An quærere divitias, dignitates, & honores ſit malum?

Quando horum uſum ſit bonū?

Et redeundo ad Accidentis in accidentia diviſionem, Lectorem moneo, debere hic circumſpectè oculos aperire: nam multæ viderentur Accidentis in Accidentia Diviſiones, quæ aliò pertinent, quod exemplis aliquibus manifeſtè monſtrabo.

An accidentia ſint genera, & in ſuas ſpecies poſſint dividi?

Qualis eſt hæc Diviſio *Color, aut albedo, aut nigredo, aut &c. eſt?* videretur eſſe Accidentis in Accidentia: nam Color eſt accidens, & albedo, nigredo &c. ſimiliter ſunt accidentia. At eſt Generis in Species, nam Color in ſuas veras Species diſtribuitur.

An unum Accidens ſit aliorum ſubjectū?

Sed qualis erit hæc; *Calor vel eſt intenſus, vel remiſſus?* Videretur ſimiliter Accidentis in Accidentia, nam calor eſt accidens; & intenſio & remiſſio ſunt Qualitatum accidentia. At eſt Subjecti in Accidentia: nam Calor eſt ſubjectum, cui intenſio & remiſſio conveniunt.

Quot modis poſſit fieri Adoptio?

Et tandem, qualis erit illa Adoptionis Diviſio, quam *libr. 1. Inſtit.* Cajus tradidit, cujus verba ſubſcribo. *Generalis Adoptio*, ait, *duobus modis fit, aut Principis authoritate, aut Magiſtratus imperio*. Non ſunt hæ, duæ Adoptionis ſpecies, ſed una, & eadem, nam tantùm præſtat, quæ altero modo fit, quantum illa, quæ altero. Fieri autem hoc vel illo modo ſunt Adoptionis accidentia; nam cauſæ extrinſecæ non ingrediuntur rerum à ſe productarum eſſentias; nam Adamus, qui à Deo creatus eſt, non differt ſpecie à Franciſco, qui via fuit ordinaria productus: & calores à Sole & ab igne producti in communi ſententia tantùm differunt accidentaliter. Adoptio igitur eſt accidens hominis; illam autem, aut per Principem, aut per Magiſtratum fieri, ſunt Adoptionis accidentia. Eſt ergo iſta Diviſio Subjecti in Accidentia.

An calor productus à Sole à producto ab igne diſtinguatur?

In quo conſiſtat Diviſio accidētis in accidentia.

His præmiſſis facile erit cognoſcere, quid Diviſio Accidentis in Accidentia requirat. Non ſufficit, ut diviſum ſit accidens & membra dividentia ſint accidentia nam, ut vidimus, accidens poteſt eſſe genus, & in ſpecies dividi: poteſt eſſe ſubjectum, unde ſicut hæc Diviſio *Calor, vel eſt intenſus, vel remiſſus*, eſt Subjecti in Accidentia: ſic hæc *Intenſio vel ineſt calori, vel frigori*, eſt Accidentis in Subjecta. Ergo, ut ſit Diviſio Accidentis in Subjecta, requiritur, ut inter diviſum & membra dividentia ſit realis diſtinctio, & ut diviſum non ſit eorum ſubjectum, nec illa ſint ſubjecta diviſi.

Et tandem Analogum dividitur in

oculos tuot. &c. Et David *in pſalm.* 118. clariſſimè. *Lucerna pedibus meis verbum tuum,& lumen ſemitis meis. Iuravi,& ſtatui, cuſtodire judicia* (præcepta) *Iuſtitiæ tuæ*.

Quid peccatum ſit?

Sicut prototypus in picturis eſt lex, quã obſervare debet manus & penicillus; ſic in Moralibus lex eſt bonorum actuum prototypus, cui homo debet ſimiles actus ſuos (internos, & externos) reddere. Et hanc ob rem peccatum dicitur ἀνομία, & eſt factum, dictum, aut concupitum contra legem æternam (ſeu Divinam) ut ex Sancto Auguſtino tradit D. Thomas 1. 2. *qu.* 71.*art.*6.& *qu.*76.*art.*1.

De Cauſa Finali.

QVARTA. *Cauſa etiam Finalis interdum dat ſpeciem humanis actibus*. Eſt univerſis nota: unde abiit in proverbium.

An, & quando in confeſſione finis ſit explicandus?

Quidquid agant homines, Intentio judicat omnes. Ita alterat peccata Finis, ut Zumel. *in 3.part.quæſt.* 71. *art.* 2. aſſerat, eum, qui commiſit peccatum ob finem aliquem indifferentem, non ſatisfacere in confeſſione, ſi peccatum exponat, ſed debere etiam circumſtantiam finis explicare. Ei contradicit Vaſquez *in* 3. *part. diſp.*93.*cap.*3. cui adhæret Diana 1. *part. tract.*7.*reſol.*23.§. *Nota ſecundò*. & *reſol.* 62. Vnde, qui omitteret ſacrum, ut ſtuderet opinione Zumelis deberet in Sacramentali Confeſſione dicere, *Omiſi ſacrum propter ſtudium*. Satisfaceret autem in Vaſquezii opinione dicendo *Omiſi ſacrum*. Interim, in omnium opinione finis, ſi ſit leviter malus, poterit; &, ſi ſit graviter malus, debebit in Sacramentali confeſſione explicari.

Definitio Sacramenti ut ſit.

An per omnes cauſas fuerit conformata?

Hinc eſt Authores, aut omnes, aut pleraſque cauſas externas in rerum Moralium definitionibus admiſiſſe; nam Sacramentum univerſim ſumptum, *eſt res ſenſibus ſubjecta, quæ ex Dei conſtitutione ſanctitatis & juſtitiæ cùm ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet*. ut in Pii V. *catechiſmo* habetur, & traditur à Bellarmino *de Sacram.libr.*1.*cap.*11. Becano *de Sacr.cap.* 1. *quæſt.*2.*num.*6. Reginaldo *libr.*26. *num.* 1. & aliis. In qua definitione verba illa, *res ſenſibus ſubjecta*, notant Materiam remotam, proximam, & formam (rem & verba:) illa autem, *ex Dei conſtitutione*, Cauſam Effectricem indigitant: illud verò *ſignificandæ* Exemplarem concernunt: & tandem illud *efficiendæ* Finalem: nam Novæ Legis Sacramenta, & à Chriſto Domino ſunt inſtituta, & à Fideli recipiuntur, ut conferant gratiam. Huc reſpiciebam heri in lectione Theologica, cùm hanc definitionem, præcedentis loco, tanquam clariorem poſui. *Sacramentum ut ſic, eſt ceremonia quædam ſacra, in re & verbis conſiſtens, à Domino noſtro Ieſu-Chriſto inſtituta, ut ſignificet & conferat gratiam*. Hæc de ſingulis Novæ Legis Sacramentis verificatur, & per omnes quinque cauſas decurrit: & dicendo *conferens* ſe ſubtrahit à vexata & vexante Quæſtione, quæ inquirit, *An Sacramenta gratiam producant realiter, aut moraliter?*

An phyſicè conferant gratiã?

NOTA.

De vocibus Definitio, & Deſcriptio.

Monendus eſt hîc opportunè Lector Definitiones integrales, quæ per membra decurrunt, vulgò *Deſcriptiones* vocari: at ſunt eſſentiales, & ex ipſis monemur pati omnia nomina in ſignificatione parallaxes, nam ſicut *Definitionis* nomine Accidentariam aliquando intelligimus; ſic etiam *Deſcriptionis* nomine aliquando eſſentialem.

SECTIO XVI.

De Rei Definitione Accidentali.

Quid ipſa ſit? Qualia eſſe debeant accidentia per quæ ſiūt Deſcriptiones?

Accidentalis Definitio, quæ propriè nominatur *Deſcriptio*, explicat rem per proprietates aut per unã, quæ ſit characterica: aut per accidentia communia, quæ tametſi ſeorſim conveniant aliis, ſimul in aliis non exiſtant; prioris generis eſt hæc Definitio, *Homo eſt animal riſibile*: quia Riſibilitas eſt hominis in quarto modo proprietas, & per illam ſatis ab aliis animalibus diſtinguitur & ſeparatur. Poſterioris generis eſt hæc, *Terra eſt elementum frigidum & ſiccum*. Nam tametſi alterutra qualitas cõmunis ſit; nam competit Aquæ frigiditas, & Igni ſiccitas; hæ duæ ſimul ſoli Terræ conveniunt.

Quid ſit Hierarchia?

Ordo eſt prædicatũ commune.

Etiam Scientia.

Etiam Actio.

Iſta tria Ordo Sacer, Scientia, & Actio, ſunt prædicatũ quod convenit ſoli Hierarchiæ.

Huc pertinet Hierarchiæ Definitio, quã tradit S. Dionyſius Areopagita *de cæleſt. Hierar.c.*4. dicens, Ἐςι μὲν Ἱεραρχία κατ' ἐμὲ τάξις ἱερὰ ἐπιςήμη καὶ ἐνέργεια. *Eſt Hierarchia, meo quidem judicio, Ordo ſacer, Scientia, & Actio*. Ordo in aliis rebus reperitur; imò etiam Ordo ſacer; nam inter Fidem, Spem, & Charitatem, nec non inter Confeſſionem & Abſolutionem datur ordo, & debet Sacer dici. Scientia etiam latiſſimè patet, nam in Schola multæ traduntur Scientiæ. Et tandem Actio per multa prædicamenta excurrit: at verò iſta tria ſimul ita Hierarchiæ propria ſunt, ut alii convenire non poſſint. Hugo rem expoſiturus, actionem ſine ordine eſſe præſumptionem, & ordinem ſine actione eſſe negligentiam, & ſine ſcientia actionem eſſe reprehenſibilem, ordinemque inutilem eſſe pronunciat. Ex hac ego aliam clario-

rio-

Digitized by Google

riorem formo, & ſic inquam, *Hierarchia eſt quidam ſacer Ordo perſonarum in ſcientia & actione conſiſtens*. Eſt enim Hierarchia, ut ipſum nomen præ ſe fert, Ordo ſacer perſonarum ad gloriam Dei inſtitutus, & illæ perſonæ indigent ſcientia, ut Deo ſervire ſciant; actione ut faciant. Vide D. Thomam, qui *in 2. ſent. diſtinct. 9. art. 1.* hanc Dionyſii definitionem examinat, & eſſe convenientem oſtendit. [De hoc S. Dionyſii teſtimonio diſputavi in Grammatica Morali *art. 1.*]

An Deſcriptio rigoroſas leges habeat?

Deſcriptiones non ſemper ſunt clariores Definito, aut Deſcripto: immò interdum ſunt obſcuriſſimæ, nam per accidentia minùs nota procurrunt; & vocantur *Ænigmata*; quæ, ſi benè formentur, ſuas gratias habent.

An ſuaili negatio affirmatur?

Omni & ſoli deſcripto debet convenire Deſcriptio; & in hoc multæ exorbitant: nam generi interdum aptatur, quæ deberet ſpeciei, & ideò non convenit omni deſcripto: vel interdum poſt magnum laborem talia accidentia communia agglomeramus, ut aggregatum ipſum maneat etiam commune, & aliis à deſcripto conveniat.

An copiam verborum admittat?

In Deſcriptione non eſt cur verba ſuperflua incrimineris; nam luxuriat oratio, & à verborum copia laudem ſpectat. Vnde poſſemus dicere, ad Rhetores potiùs, quã ad Logicos Deſcriptiones ſpectare. Strictiores leges Definitio eſſentialis obſervat, ut Sectione ſequenti explicabimus.

SECTIO XVII.

De Definitione Singularium.

An poſſibilis ſit?

COmmunis Sententia aſſerit ſingularia definiri non poſſe: & tamen nulla eſt ratio, cur univerſalia poſſint, & tamen ſingularia non poſſint.

Cæſar unde dicatur?

Primò enim, ſi de nominis definitione differamus, Propriorum nominum exponitur frequenter Etymon, nam *Cæſar* vel à cædendo dicitur, quod à ventre matris ſit inciſus, vel à Cæſarie, qua fuit natus, vel à cæſa (elephante) quem occidit. *Auguſtus* ab augendo habuit nomen. &c.

Vnde Auguſtus?

Definitio per ſpeciem & hæcceitatem.

Secundò, ſicut Species per genus, & differentiam definitur, ſic ſingulare per ſpeciem & hæcceitatem poteſt. Sed dices. Poſſent ſingularia definiri, ſi hæcceitates eſſent notæ: ſed, qui ſcimus an ſint? ignoramus, quid ſint? Sed ſi hoc ſufficeret, ut diceremus ſingularia definiri non poſſe, vix paucas ſpecies definiremus, nam earum etiam quiditates neſcimus: dicimus enim *Equum eſſe animal hinnibile*; &, ſi nomen hinnibile vocem, quam ille edit, ſignificat, non explicamus eſſentiam: ſi differentiam illam, quæ animal contrahit, & equum conſtituit hoc nomine intelligimus formalitatem, quam quid ſit ignoramus.

Differentiæ ultimæ ſunt ignotæ.

Habent ſuas proprietates ſingularia. Homo Deus.

Tertiò, poſſunt deſcribi ſingularia: nam nonnulla habent aliquam proprietatem charactericam, quæ non repetitur in aliis: ut *Chriſtus eſt homo Deus*, nam in ſolo Chriſto Domino humanitas, & Divinitas uniuntur hypoſtaticè, ut etiam *S. Maria eſt Deipara*; nam inter omnes mulieres, ſola illa eſt Dei Mater; ut etiam *S. Maria eſt mulier ſine originario peccato concepta*: nam, & ipſa ſola hanc eminentem prærogativam habuit. Sic ſimiliter in Hiſtoria Romana, *Primus Rex* eſt Romulus: *Primus Imperator*, Iulius Cæſar; *Carthaginis everſor*, Scipio: *Qui in mortis, nec amicum, nec inimicum habuit*, Nero: *Iuris communis Author*, Iuſtinianus &c. Si tamen ſingulare, quod definiendum venit, charactericam aliquam proprietatem non habeat, debemus ad communia accidentia recurrere, nam ut Porphyrius, *in Iſagog. cap. 3.* dixit. *Singulare eſt, cujus accidentium collectio non reperitur in alio*. Accidentia ſingulis hominibus communia ſunt.

Deipara.

Primus Rex. Primus Imperator. Carthaginis Everſor. Iuris communis author.

Quid ſingulare ſit?

Cognomen, Sydus, Tempus, Complexio, Sanguis,
Patria cum Sociis, Forma, Figura, Locus.

Accidentium communium ſolet non eſſe communis aggregatio.

Vide noſtram Logicam vocalem *nu.* 440. ſingula ex his communia ſunt, ſed poſſunt ita duo, aut plura cooptari, ut non repetiantur in alio. Sic dicendo *Virginem Matrem*, intelligimus S. Mariam, quia tametſi multæ in Mundo Virgines ſint, & multæ Matres, in ipſa ſola Virginitas componitur cum Maternitate. Sic etiam cum *Prophetæ-Regis* nomen audimus, ſcimus Davidem, & non alium citari: quia tametſi multi Reges, & multi etiam Prophetæ fuerint, ſolus David fuit & Propheta & Rex.

Virgo mater.

Propheta Rex.

SECTIO XVIII.

Definitionum Leges.

Primo.

QVatuor ſunt. PRIMA ut conveniat omni definito: ſi enim aliquid ſit, de quo definitum prædicetur, de quo tamen non prædicetur definitio, hæc erit illegitima & mala. Et hinc condemnari hæc Definitio debet, *Homo eſt animal ratiocinans*; tametſi omnes ratiocinari poſſint, multi ſunt, qui non ratiocinantur actu. SECVNDA, ut conveniat ſoli definito; ſi enim de aliquo illa prædicetur, de quo definitum non poſſit prædica-

An homo ſit animal ratiocinans?

Secunda.

ri, erit ſimiliter damnanda. Et hinc dicimus non benè hominem definiri à dicentibus *Homo eſt vivens ſenſibile*, nam vivunt, ſentiuntque, æquè ac Homines, Bruta. COROLLARIUM. Suboritur ex dictis Converſionis proprietas, definitio enim, & definitum convertuntur: nam, ſi *Homo eſt animal rationale*, Omnis homo erit animal rationale, & omne animal rationale erit homo. Hæ duæ leges ſunt indiſpenſabiles, nec in aliquo particulari exemplo poſſunt fallere. TERTIA, ut nullum verbum ſuperfluum habeat. Sed non eſt omninò ſuperfluum, quod ad majorem claritatem adjicitur. Et propter hanc legem incriminamur pleraſque omnes, etſi communes, Artium Definitiones, quales ſunt, *Grammatica eſt ars bene loquendi, Arithmetica eſt Ars benè numerandi, Geometria eſt Ars bene metiendi, Logica eſt ars bene diſcurrendi*, &c. nam in omnibus illud adverbium *bene* ſupervacaneum eſt, nam in *Artis* nomine clauditur: non enim dantur Artes ad operandum male, unde hanc Artis definitionem, ut memini, olim puer à meis Magiſtris didici, *Ars eſt, quæ operandi præſcribit infallibiles & certas regulas; & procedendi deſignat, errorem non patientes vias*. QUARTA, ut clarior definito ſit, nam obſcurum per obſcurius non poterit dilucidari. At hæc Lex claudicat aliquando; quia interdum, ſi quæ ſunt notæ, dum definire volumus obnubilamus, prudentiùs illas indefinitas relinquemus, nam in obſcuram interdum tempeſtatem incidimus, dum meridiano Soli addere claritatem conamur. Vide Theologiam noſtram Fundam. à *num*. 859.

An homo ſit vivens ſenſibile?

An Definitio cum Definito convertatur?

Tertia.

An, & cur Artium communes Definitiones non ſint bonæ?

Quid Ars ſit?

Quarta.

An aliquando obſcurior ſit ſuo Definito Definitio?

SECTIO XIX.

De Definitionibus & Deſcriptionibus, quæ in Iure Cæſareo leguntur.

IVriſtas, ut reos convictos & confeſſos interdum condemnāt Theologi; quod malè ſubjecta definiant; quod Definitionum loco Deſcriptiones obtrudant; quod in illarum concinnatione rhetoricentur, cum dialecticari deberent: unde provenit omnes illas Definitiones, quæ in Iure extant, in Logicæ leges peccare.

An Definitiones factæ à Iuriſtis ſint bonæ?

Et quidem Moralea Theologus feliciores Deſcriptiones, quàm Definitiones contexere, indubitatum eſt. Occurrit una, quæ Regem uberrima eloquentia depingit, quam præmittere volui, qui enim qualis ſit Princeps neſciat, non poterit exactè intelligere Decreta, quæ ab illo promanant. Audi Senecam *Tragœdia* 2. dicentem.

An ſit facilius Deſcriptiones, quàm Definitiones conformare?

Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota Regia,
Non auro nitidæ trabes:
Rex eſt, qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis favor
Vulgi præcipitis movet.
Quem non lancea militis;
Non ſtrictos domuit Chalybs
Qui tuto poſitus loco,
Infra ſe videt omnia,
Occurritq; ſuo libens
Fato, nec queritur mori,
Reges conveniat licet.
Rex eſt qui metuit nihil.
Hoc regnum ſibi quiſque dat.
Non capit regnum duos.
Habere regnum caſus eſt, virtus dare.

Qualis eſſe debeat Princeps?

Debet eſſe ſuarum paſſionum dominus.

Debet eſſe virtute omnibus ſuperior.

Et nihil omninò timere.

Omnia comprehendit breviter hęc Deſcriptio, quæ magnis libris explicari vix poſſunt. Hæc omnia ita Regi conveniunt, ut poſſint Cæſari, aut cuicumque Principi ſupremo adaptari. Sed quia Seneca eloquentia copioſa diffunditur, & Dialectica conciſam brevitatem affectat, de Definitionibus, quas Legiſtæ paucis verbis concipiunt differamus.

An præſtet definitiones eſſe breves?

Sanè illos agi reos, quotidiè legimus, & audimus: nam Theologi, ubi Moralia tractant plerumque à Iuriſtis (& Canoniſtis etiam) traditas Definitiones corrigunt.

Eſſe convictos videretur conſtare, nam cum per genus & Differentiam Definitio conformari deberet, quæ in Iure exorbitant, & frequenter per effectus, & connotata producuntur.

An per genus & differentiā conformentur?

Confeſſos eſſe clamitant; nam Vlpiani ſunt verba *Omnis Definitio in Iure periculoſa eſt*; quæ Iuſtinianus juſſit, ut haberent vim legis, unde non ſolum fatetur ille, ſed jubet priùs omni Definitioni eſſe periculoſæ. Si dicas Vlpianum ibi *Definitionis* nomine intelligere *Regulam*, dices quidem verum at non adquieſcent illi, nam producent multos Iuriſperitos, qui Vlpianum agere de oratione naturam rei explicante ſupponunt. Sed eſto non ſit confeſſus Vlpianus Definitiones, hoc eſt, Orationes explicantes naturam rei in Iure periculoſas eſſe, & hoc fatentur plurimi, & hoc ſufficit, ne Iuriſtæ negativi condemnari dicantur. Sanè Antonius Merendæ ingenio polluit, diligentia non caruit, doctiſſimos libros ſcripſit, & hanc Iuriſtarum cauſam ita eſſe deſperatam exiſtimat, ut ſatiùs judicet Accuſatori cedere, quàm replicare. Ipſe igitur *lib. 23. controverſ. Iuris cap.* 47. Sic inquit [Vtile erit Iuris ſtudio-

Quid ſit definitio apud Vlpianum?

Merenda confeſſio.

ſis

ſis intelligere Iuris noſtri Conditores in definiendo ſequutos potiùs fuiſſe morem Oratorum, quàm Dialecticorum regulas; cum per hoc liberentur ab anxiis illis diſputationibus, in quibus Dialecticorum Cenſuræ Iuris noſtri Definitiones ſubjiciuntur. Qua in re acutos Iuriſconſultos adinonitos velim, ne ſibi nimium placeant, dum per abſtruſas interpretationes ſub Definitione ea comprehendunt, quæ ſub ipſa contineri jubet ratio definiendi à Dialecticis propoſita: nam vitium magnũ eſt definitionis, ſi abſtruſos verborum ſignificatus contineat, cum proprium ipſius munus ſit, ejus, quod definitur, eſſentiam clarè exponere.]

Ejuſdem ad Iuriſperitos Monitum.

Verùm enim verò, qui ſic in Iuriſtas occlamant, videntur eſſe ſimiles Phariſæis, qui in aliorum oculis, notabant paleas, cũ ipſi haberent trabes in ſuis: qui aliis imponebant onera importabilia, cum illa ipſi ne digito tangerent. Sanè injuſtè condemnant Iuriſtas Dialectici, quod in Definitionibus concinnandis Logicæ regulas non obſervarint, cùm nullus Dialecticus ſit, nullus Philoſophus, nullus Theologus, qui vel unam Definitionem fecerit, qualem Logicæ leges præſcribunt.

In ſunt Dialecticæ Definitiones?

Nimius fortè videbor: at obtinebo ſaltem, ne illi in Iuriſtas ſint nimii, ubi enim viderint ſe leges violare, quas præſcribunt alios, qui eaſdem negligunt, incuſare non pergent. Patere igitur (Amice Lector) ut in Philoſophos, & Dialecticos lineas ſubſequentes ſcribam, non quidem ut æmulationem, & invidiam intendam, ſed ut conciliem: ubi enim viderint ſe graviùs, quàm Iuriſtas peccare, benigniores, & clementiores erunt, & facili negotio culpas alienas condonabunt & diſſimulabunt. Amo brevitatem & claritatem, ergo Apolyſim, quam pro Iuriſtis contra Dialecticos formo, more Dialectico ad ſyllogiſticam formam elimabo. Sic inquam.

Quales ſint quæ à Philoſophis factæ?

Definitio eſt oratio explicans naturam (eſſentiam) rei. Eſt Definitionis Definitio, quæ admittitur ab Vniverſis.

At rerum naturas & eſſentias intuentur Angeli, ignorant homines: nos enim ſola rerum accidentia & effectus percipimus, & per illa probabiles diſcurſus formantes tanquam per cancellos naturas & eſſentias rimamur.

An ſoli Angeli poſſint perfectas definitiones facere?

Ergo *Angelorum eſt facere Logicas Definitiones: & homines eo non debemus conari.* Patet, quia ad impoſſibile conatus quilibet imprudens eſt. Ergo muneri ſuo ſatis fecerunt homines, ſi per characteriſticas circumſtantias (proprietates) & effectus, rerum eſſentias & naturas deſcribant.

Logica Moralis lib.II.

In præſenti igitur controverſia Dialectici multis peccant nominibus. (1) nam, ſi putant ſe capaces, ut Definitiones concinnent, ſe non eſſe homines, ſed Angelos judicant, & à Iuriſtis rideri poſſunt, impugnari non debent. (2) cum definiendi leges pronunciant, impoſſibiles ferunt, & tyrannidem in Scholam exercent. (3) cum Iuriſtarum Deſcriptiones accuſant, incriminantur iſtos, quod fuerint homines, ſcripſerint ut homines. &c. Maximum crimen! Et quidem majus eſſet, ſi Iuriſtæ velint ſe æquare Angelis. (4) Sed & ipſi æquè graviter peccant, quàm cæteri: nam Definitiones, quas tradunt, periculoſæ ſunt, & ſolent frequenter everti.

Dialecticorum lapſus.

Logicæ Definitionis leges ſunt. I. Vt ſit ſuo Definito clarior. II. Vt conſtet genere & differentia. III. Vt cum Definito convertatur. IV. Vt in illa nulla vox deficiat, aut ſuperfluat. Ita Logici ſtatuunt.

Definitionum leges.

Et interrogo, An quatuor iſtæ formalitates ſint de Definitionis eſſentia? an illi accidant? Si ſecundum dicatur, fruſtra enumerantur à Logicis: nam accidentia, quæ poſſunt adeſſe & abeſſe ſubjecto, ſunt innumerabilia, nec contineri poſſunt numero determinato. Si dicatur primum, mala eſt tradita à Logicis Definitionis definitio: nam in Definiti eſſentia illæ quatuor formalitates includuntur, quæ tamen in definitione illa *Oratio explicans naturam rei*, non explicantur. Ergo omnes illas quatuor formalitates debet exprimere Definitionis definitio, aut aliàs eſſentiam definiti non exponit. Ergo Logici deberent dicere, *Definitio eſt, oratio clarior ſuo definito conſtans genere & differentia, cum definito convertibilis, in qua nulla vox deficiat, aut ſuperfluat.* &c. Etſi ſic placeat Definitionem definire, dicent Iuriſtæ ſe melius ſcire definire, quàm Logici.

An ſit bona Definitionis Definitio data à Logicis?

Sed uberioris doctrinæ gratia ſingulas formalitates, quæ eſſentiales judicantur à Logicis conſideremus.

Erat prima *Clarioritas*. An-ne omnis definitio ſuo eſt definito clarior? Attende. Homo eſt animal rationale. Petrus eſt homo Petreitate contractus. Equus eſt animal hinnibile. Sic loquuntur Logici: & ſic loqui univerſis præcipiunt. Dic ergo Stabulario. *Accipe quatuor animalia hinnibilia, & ducas ad Animal rationale Petreitate contractum*. Et quid famulus dicet? An te intelliget? minimè. Si autem eidem dixeris, *Accipe quatuor equos, & ducas ad Petrum*, te ſtatim ille intelliget. Non ergo univerſaliter loquendo, & ſine multis limitationibus Definito eſſe clariorem definitionem, verum eſt.

An omnis ſit clarior definito?

Exclamatio in Bembum.

Placet hic Iuſti Lipſii impatientia, (dabo ſenſum, non verba, nam librum ad manum non habeo) legebat, in Cardinale Bembo hæc verba, *Ad Cæſarem miſerunt Norvegii quatuor Aquilas ſequioris ordinis aliis quibus capiendis natas*; & exclamavit illicò, Dicas, *Falcones & intelligemus te.* Vnde, cum quidam ſcriberet, (poſſem nominare perſonam: ſed conceptus nominis expreſſione non indiget) *Ad ſpicas ſecandas idoneis erãt inſtructi culteris ruſtici; repoſuit* Lector, *Si intelligi vis, dicas Falces*, His idæis inſtructus erat olim Galenus, qui

Galeni Reſolutio.

libr. 4. de differentiis pulſuum. ait, (nullum eſſe definitionum uſum, ſi etiam antequam exhibeantur, res ipſæ nobis ad liquidum notæ & exploratæ ſint: ut propterea quamlibet rem definire velle ſubtiliùs, Sophiſtarum proprium ſit.) Quod teſtimonium Duarenus *in init. tit. ff. de vulg. & pupil. ſubſt.* Cujacius *in rubr. tit. ff. de Iure fiſci in fin.* & ex ipſis Merenda *libr. 23. controverſ. cap. 47. num.* 1. adducunt. Sæpe enim contigit, ut dum res claras dilucidare & explicare volumus, eaſdem obnubilemus.

Species, Animalium peſſimè definiuntur, à Logicis.

Erat ſecunda, generis & differentiæ compoſitio. Sed adſint Philoſophi, & dent nobis ejuſmodi Definitiones. Circumferuntur hæ omnium ore *Homo eſt animal rationale, Equus eſt animal hinnibile, Canis eſt animal latrabile.* &c. An-ne conſtant genere & differentia? An-ne eſſentiales differentiæ, quæ Animal dividunt, ſunt Rationalitas, Hinnibilitas, & Latrabilitas? Quid importet Rationalitas fortè illi ſciunt: at quid Hinnibilitas, & Latrabilitas importent, neſciunt. Saltem ego non ſcio, & ab illis non doceor. Taliter aut taliter vocem edere ab organo gutturis pendet, & eſt merum Animalis vociferantis accidens. Et genus per accidentia non dividitur. At dicunt ſe per vocem *Hinnibilitas* (attende quæſo) non intelligere hinniendi potentiam, ſed ignotam illam formalitatem, quæ addita generi (Animali) ſpeciem (Equum) conſtituit. Hoc non ſciunt omnes: Sed eſto. Ergo per vocem, cujus ſignificatio ignoratur, Equus definitur. Ergo vox nota *Animal* & ignota *Hinnibile* explicant eſſentiam & naturam vocis *Equus* notiſſimæ. Ergo graviſſimè allucinantur Philoſophi, cùm Animalium ſingulorum tradunt definitiones. An ſaltem feliciter definiunt Hominem? non video. *Homo eſt*

An Homo benè definiatur?

inquiunt, *animal rationale*. Iubent Animali, ut ſit genus: & Rationali, ut differentia. At Patres veteres dixerunt *Hominem eſſe animal rationale mortale.* (A quibus nõ multum differre videntur Philoſophi, ad quorum mentem homo eſt, *ſubſtantia vivens, ſentiens, animata, rationalis, corporea, mortalis, capax riſus & artium* teſte Taboetio *in Topico militiæ forenſ. & leg. diſcip.* & Calino *in Lexico.*) Putantes differentiam latiùs patere quàm ſpeciem, & debere duas poni, ut alteram altera contraherent, & limitarent. Dicebant enim,

An Homo conveniat cum Angelo?

per rationalitatem Hominem differre à brutis, convenire cum Angelis, & per mortalitatem convenire cum brutis, ab Angelis autem differre. Multa poſſem teſtimonia producere, ſed feſtino: ne autem omnia dicar omittere, unum aut alterum proponam, quæ ſufficiant intento demonſtrando. Ad illa Chriſti verba, *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. 16. inquit S. Gregorius *homil. 29. in Evangel.* (Omnis creaturæ nomine ſignatur Homo, omnis enim creaturæ aliquid habet Homo. Habet namque commune

An omnium Creaturarum perfectiones reperiantur in Homine?

eſſe cum lapidibus, *vivere* cum arboribus, *ſentire* cum animalibus; *intelligere* cum Angelis. &c.) Vnde Pererius *tom. 1. in Geneſ. lib. 1. cap. 2. num.* 168. (Quæcumque à Deo facta ſunt, inveniuntur in homine dupliciter, vel ſecundum eſſe reale, prout in uno homine omnes gradus aliarum rerum continentur; habet enim homo *eſſe* commune cum inanimis, *vitam* cum ſtirpibus, *ſenſum motum* que cum animantibus, *mentem* atque *intelligentiam* cum Angelis: vel ſecundum eſſe intelligibile;

An & cur Anima eſſe dicatur omnia?

eſt enim Anima rationalis, ut Ariſtoteles tradit *libr. 3. de Anim.* quodammodo omnia, habet enim in ſe imagines & ſimilitudines rerum omnium, quas intelligit, & intelligens fit quodammodo ſimilis rebus intellectis.) Divus etiam Gregorius *homil.* 10. interrogantibus, Cur ad Paſtores Angelus, ad Magos ſtella miſſa fuerit? reſponderat. (Quia videlicet Iudæis, tanquam ratione utentibus Rationale animal, id eſt, Angelus prædicare debuit. Gentiles verò quia uti ratione neſciebant, ad cognoſcendum Dominum, non per vocem ſed per ſigna perducuntur.) Ergo ſi

An Angelus ſit animal rationale?

An, & cujus ſententia, Animal rationale, non ſit Hominis definitio?

Angelus eſt Animal rationale opinione Gregorii, hæc propoſitio, *Homo eſt animal rationale*, non eſt definitiva, ſed ad primum Prædicabile pertinens: nam ejuſdem ſententia, *Animal rationale* non eſt conceptus ſpecificus, Hominis eſſentiam & naturam exponens: ſed conceptus genericus Homini & Angelo communis, cujus

An mortalitas & Immortalitas ſint differentiæ?

ſunt differentiæ *Mortalitas* & *Immortalitas*, quarum prima conſtituat Hominem, ſecunda Angelum. Si dicas aliter Homines, & aliter Angelos intelligere: aſſentiar ultrò, nam dicere, non eſt demonſtrare. Si addas durationem in creaturis

An Homo & Angelus in gradu intelligendi conveniant?

eſſe

eſſe accidens, adeòq; Mortalitatem & Immortalitatem, non eſſe differentias quidditativas; aſſentiar etiam. Sed quid habebis? An ne Animal per Rationale & Irrationale dividetur: & Homo erit Animal rationale? Abundas in tuo ſenſu, vel morbo tuo indulges, ut utar phraſi Senecæ: nam aliæ differentiæ ſuccurrunt. Audi Fabrum *in Iuriſprudent. tit. 2. princ. 4. pag. 37.* dicentem [Hominibus ita inſita eſt (Religio) à natura ipſa, ut non dubitaverit affirmare Lactantius, quem etiamnum per multi ſequuntur, hominem à brutis animantibus, non tam ratione & ratiocinatione, quàm religione differre.] Ergo teſte Lactantio, non jam homo *Animal rationale*, ſed *Animal religioſum* definitur.

An Homo à brutis per religionem differat?

Sed & communem Hominis definitionem Iuniores Scriptores rejiciunt: nam P. Valerianus Magnus Capucinus non patitur Homines & Bruta genere convenire immediato; & aliter ſubſtantiæ coordinat Prædicamentum. Subſtantia, inquit, vivens, vel eſt totaliter ſpiritualis, ut Angeli; vel totaliter Materialis, ut Plantæ & Bruta, aut partìm Spiritualis & partìm Materialis, ut Homines. Ergo, ſi hæc doctrina ſtet, *Animal rationale* non eſt Hominis definitio, ſed debebimus dicere Hominem, *Subſtantiam viventem partìm ſpiritualem & partìm materialem eſſe*;

An Homo & bruta in genere immediatè conveniant?

Et quidem hæc P. Valeriani Hypotheſis adhuc ſtat: nondum enim Peripatetici demonſtrarunt cõtrarium. Sed neutra doctrina (Ariſtotelis, aut Valeriani) eſt vera: nam prima Entis diviſio eſt ſyſtematica: & in Syſtemate Materiali non reperitur rationale: & in Spirituali non reperitur Animal: unde Homo eſt nova quædam creatura, nec ad prædicamentum Subſtantiæ purè Materialis, nec ad prædicamentum ſubſtantiæ purè Spiritualis pertinens, ſed ex Corpore & Anima ad diverſa Syſtemata ſpectantibus cõcinnata: quam ob rem per genus & differentiam definiri non poterit.

Rejicitur utraque opinio.

Diviſio Syſtematica.

[Vt hanc doctrinam capias, adnotato Syſtema eſſe aggregatum omnium prædicamentorum ſub uno Ente congenere. Vnde Syſtema materiale eſt aggregatum decem prædicamentorum materialium ſub uno Ente materiali: & Syſtema ſpirituale eſt aggregatum decem prædicamentorum ſpiritualium ſub uno Ente ſpirituali &c.]

Quid ſit Syſtema?

Sed neque feliciores erunt Definitiones, quibus Logici utuntur. Conſideremus aliquas. *Vniverſale eſt unum in multis*. Sic ipſi volunt: adduntq; Vniverſalia eſſe quinq; Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens: & tamen reperiuntur genera in unica ſpecie, & ſpecies in unico individuo: nam Geometræ ex. gr. Triangulum in Rectum & obliquũ, ut in duo genera dividunt; quorum hoc ſubdividitur in Obtuſum & Acutum: illud verò plures ſpecies non habet. Et Theologi, qui Angelico Doctori ſubſcribunt, docent Angelos omnes differre ſpecie, nec poſſibiles eſſe duos, qui numero puro diſtinguantur.

De Vniverſali & Prædicabili.

An detur Genus in unica Specie & Species in unico individuo.

De Triangulis.

De Angelis.

Species vel Prædicabilis, vel ſubjicibilis eſt. Et, ſi definire illas velis, dices, *Species ſubjicibilis eſt ſpecies ſubjicibilis: & Species prædicabilis eſt Species prædicabilis*. Sunt identicæ propoſitiones, nec tamen aliter formari poterunt. Stat igitur eſſe verba, quæ de Logica Definitione dicuntur: non enim facili negotio, dabitur Logica Definitio, quæ genere & differentia componatur.

Venio ad compoſita, quæ partibus ad diverſa Prædicamenta pertinentibus conſtant. Quomodo definientur? Non ſanè Logicè, nam genus & differentiam loquendo rigoroſè non habent.

An poſſint definiri compoſita?

Quid eſt Circulus aureus? Circulus poteſt eſſe aureus, argenteus, ligneus, &c. & Aurum poteſt eſſe circulare, quadratum, triangulare, &c.

Circulus aureus.

Quid eſt cumulus lapidum? Cumulus poteſt eſſe lapidum, pomorum, pyrorum, &c. & lapides eſſe poterunt cumulati, & non cumulati.

Cumulus Lapidum.

Quid eſt domus? habet materiam & figuram: illa alia & alia eſſe poteſt: etiam hæc alia & alia ab uſu denominatio ſumitur, & uſus eſt rebus accidentalis, & varius; nam, quæ his hodie uſibus deſtinatur, cras poterit aliis adjudicari.

Domus.

Pleraq; Entia Moralia ſunt compoſita ad placitum; habent partes, quarum ſingulæ aliter & aliter contrahi poſſunt: at omnes ſimul illud conſtituunt, quod debet à Iuriſperito explicari. Si interroges, quid Matrimonium ſit? Reſpondebo hodie inter Chriſtianos, qui Tridentinam Synodum acceptarunt, multas realitates in Matrimonio eſſentialiter reperiri, quas qui non omnes exprimat, eſſentiam Matrimonii non explicet.

Quid matrimonium ſit?

(1) requiritur, ut ſint mas & fœmina: (2) ut abſint impedimenta dirimentia: (3) ut Parrochus & teſtes adſint: (4) ut fiat contractus per verba aut ſigna de præſenti: (5) ut ſit Sacramentum: (6) ut humanitùs reſcindi non poſſit. Hæ ſex res, ut minimùm, ſunt in Matrimonio eſſentiales: (1) nam inter duos mares, aut duas fœminas, aut inter marem & plures fœminas, aut inter fœminam & plures mares iniri Matrimonium non poteſt: (2) nam quando ſunt impedimenta dirimentia, eſt illud nullum: (3) nam Parrochi, & teſtium abſentia etiam eſt impedimentum dirimens:

Quænam requirantur ut validè ſiat?

An ſemper ſit Sacramentum?

(4) nam per verba aut ſigna de præterito aut futuro non initur: (5) nam poſſe hodie inter Chriſtianos fieri Matrimonium quod non ſit Sacramentum, negant viri doctiſſimi: (6) nam conjunctio ad tempus non eſt matrimonialis. Singulæ ex his rebus latiùs, quàm Matrimonium patent, (1) nam mas & fœmina alios contractus poſſunt facere, puta venditionis, locationis, mutui. &c. (2) nam pleraq; impedimenta alia dirimunt, nam in filii cauſis v. gr. pater eſſe judex non poteſt: (3) Parrochus alia plurima præſtat: & qui teſtes ſunt Matrimonii, poſſunt etiam admitti in aliis cauſis: (4) nam multi alii contractus per verba aut ſigna de præſenti formantur: (5) nam Sacramẽti ratio etiam in aliis rebus invenitur, ut in Baptiſmo, Confirmatione. &c. (6) nam etiam multi alii contractus ſunt irrevocabiles.

An ſit poſſibilis Logica matrimonii Definitio?

His igitur conſideratis, Logici doctiſſimi & ſeveriſſimi comitia generalia celebrent, & communi conſilio Matrimonium per genus & differentiam definiant; ita, ut totam Definiti naturam & eſſentiam exponant. Sed non faciant, quia impoſſibile eſt, ut illud ſic definire queant, & nolo impoſſibilia poſtulare. Ergò, ut minimùm, jubere potero, ne incriminentur Iuriſtas, quod ſuas Definitiones per genus & differentiam non conforment, quãdo per genus & differentiam nequeunt conformari.

Multa ſunt aſſertiones veræ, quæ non traduntur tanquam definitiones.

HInc aliquas definitiones à Iuriſtis traditas illuſtraturus, monere candidos Lectores volo, verbum *Eſt* non ſemper definitionem importare, nec ſemper Authores, cùm illud ponunt, velle definire ſubjectum: ſed tantùm aliquod ſubjecti prædicatum exponere: nam Propheta Rex, quando dixit in Pſalm. 42. *Deus eſt fortitudo mea*, non habuit animum definiendi Deum, ſed explicandi attributum, unde Hominum heroicæ virtutes naſcuntur. Ergo hoc radio adjutus, videbis ſæpè incuſari Iuriſtas, quod malas tradiderint definitiones, cùm tamen illi non tradant ſubjecti definitionem, ſed illius aliquam, aut aliquas diſcurſui neceſſarias perfectiones exponant. Id diluꝺcido exemplo. Negas ſentire homines: & ego contra ſic. *Homo eſt vivens ſenſibile. Ergo ſentit.* Recognoſce antecedens. Anne definivi Hominem? minimè. Senſibilitatem adſumpſi, Rationalitatem tacui; quia illa, & non hac egebam, ut Homines ſentire probarem. Ergo ſimiliter Iuriſperiti, ſæpè adſumunt prædicata, quibus indigent: & non debent tunc dici tradere Definitiones. Hac doctrina præmiſſa Definitiones aliquas recognoſcamus.

Definitio Iuſtitiæ.

Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas tribuens unicuique quod ſuum eſt. Eſt Definitio, quam Vlpiano debemus.

Ad mentem, an ad voluntatem pertineat?

Poſſent Adverſarii incriminari vocem illam *voluntas*, aſſerendo Iuſtitiam ſpectare ad judicium, & rationis dictamen, & non ad voluntatem pertinere. Vt illa ad voluntatem ſpectet, eſſe habitum, & habitus realiter ab Animæ potentiis diſtingui.

An habitus diſtinguantur ab anima.

At jam eſt illis ſatisfactum ſuperiùs; diximus enim naturales habitus non diſtingui à potentiis, ſed eſſe eaſdem potentias ad diverſos terminos ſeu connotata comparatas: & addidimus Iuſtitiam eſſe quamdã prudentiam, adeoque formaliter dicere voluntatem, non quidem cœcam, ſed ab intellectu illuminatam; nam, ſi eſſet cœca, non ſciret tribuere unicuique quod ſuum eſt. Has difficultates, quæ graves videri poſſint Antonius Merenda *tom. 4 controverſ. libr. a 3. cap. 47. pag 506. §. in eadem.* diſſimulat, & tamen verbum *perpetua* impingit, & ait. *Hoc autem oratoriè* (non ergo Logicè) *dictum eſt, prudenter, ut Iuriſprudentiæ dignitatem augeret*, & putat Vlpianum reſpexiſſe Ciceronem, qui in M. Antonium declamans, ſuam erga Rempublicam voluntatem fuiſſe conſtantem, & perpetuam aſſeruit.

De voce perpetua.

An bona definitio vocem ſuperfluam toleret?

Ergo Merendæ argumentum, ad hæc poterit verba reduci. Illa eſt mala definitio, in qua aliquid ſuperfluum ponitur. Sed in hac Iuſtitiæ definitione, quam Vlpianus tradidit, aliquid eſt ſuperfluum; nempè vox illa *perpetua*: nam perpetuitas clauditur in conſtantia. Ergo hęc ab Vlpiano tradita definitio eſt mala.

Quomodo conſtantia à perpetuitate diſtinguatur?

Reſpondeo primò, conſtantiam à perpetuo diſtingui, nam cum mortales ſimus, non poſſumus agere vitam perpetuam, at poſſumus agere vitam conſtantem. Vt ſint conſtantes reſolutiones tuæ, non eſt neceſſarium, ut tecum ſint natæ, ſed ut ſemel habitæ non mutentur: at perpetuitas poſtulat, ut ſemper fuerint. Reſpondeo ſecundò, perpetuitatem eſſe conceptum ſecundarium conſtantiæ, ſed clariorem, & explicatiorem eſſe Iuſtitiæ definitionem illa voce retenta & ſolere Logicos addere interdum voculam, ut aliam minùs claram dilucident; & tunc illam, quæ additur, à nemine cenſeri ſuperfluam. Vt hoc demonſtrem ponam ob oculos communiſſimas, & receptiſſimas aliquas definitiones.

Communes aliquot definitiones.

Orthographia eſt ars bene ſcribendi, & legendi.

Grammatica eſt ars benè loquendi.

Metrica eſt ars metra benè condendi.

Rhythmica eſt ars rhythmos bene formandi.

Arithmetica eſt ars bene numerandi. &c.

No-

Ars ad benè operandum ordinatur.

Noto contra has omnes definitiones, illud Verbum *bene* bis poni, nam includitur in Arte; non enim datur Ars malè operandi, & iterum ponitur expreſsè. Ergo deleri deberet, ſi rigori ſtaretur. Interim multi illud addunt, ut clarius conceptum exponant. Gerardus Joannes Voſſius *lib. 1. de Gramm. cap. 2. in init.* expreſsè, *Itaque* (Grammatica) *rectè definitur Ars purè loquendi*. Ut eloquentiùs loqueretur, ſcripſit *purè* pro *benè*. Ioannes Franciſcus de Ieſu *in Theatro Latinitatis lib. 1. cap. 1.* hanc exhibet definitionem, *La Grãmatica Latina è un' Arte di' parlar bene, e ſcrivere correttamente in Lingua Latina*. Sed cur loquutioni ſcriptionem adjunxit?

Grammatica, quæ?

Ut reſpondeam, adnotari deſidero, Orthographiam (quam Veteres vocabant Grammaticam, quòd de Grammatibus ſeu literis ageret) olim dictam ab aliis *Artem bene ſcribendi*, ab aliis *Artem bene legendi*. Interim, licet ſcribere nullus ſciat, quin poſſit legere, aut contrà, nihilominus apud Diodorum Siculum libr. 12. in antiquis Charondæ legibus dicitur, *Scientia ſcribendi & legendi*. Unde Ariſtoteles *lib. 6 Topic. text. 6.*

Sententia Ariſtotelis.

Præterea, ſi eum de multis dicatur res definita, non tamen aptetur omnibus: veluti, ſi quis definiat Grammaticam (Orthographiam) *Scientiam ſcribendi res prolatas*, nam deeſt, *& legendi*. Neque enim magis, qui ſcribendi, quàm qui legendi ſcientiam eſſe tradidit, eam definivit. Quare neuter definivit, ſed qui utraque hæc dixit. Ergo, ſiquidem *ſcire ſcribere* includit ſcire legere, & tamen Ariſtoteles præcipit utrumque in definitione poni; ſenſit non eſſe vitium, ubi de claritate agitur, unum aut alterum verbum interſeri majoris claritatis gratia. Præterea ſi aliud ſit ſcire ſcribere, & aliud legere, male Orthographia à Charonda & Ariſtotele definitur; cum, quia non eſt ſcientia, ſed ars (nam characteres æternam veritatem non habent) tum, quia genus (Scientia, vel Ars) per duas diverſas differentias (ſcribere & legere) contrahitur.

An mala definitio ſit, in qua unum aut alterum additur verbum majoris claritatis gratia?

Iuriſprudentiæ definitio.

Cognito ſemel, quid Iuſtitia ſit, ſcire poterimus, quid ſit Iuriſprudentia? Anne hæc definitio eſt bona: *Iuriſprudentia eſt ars æqui & boni*; quæ traditur *l. 1. de juſt. & jur.* Si conſideretur finis Iuriſprudentiæ, hanc definitionem bonam eſſe ait Merenda, & probat ex Ariſtotele *libr. 5. Ethic. cap. 10.* additq; non eſſe bonam, quia non explicat media, quibus omnia ad æquum & bonum redigit. At videtur hæc definitio bona: quoniam Ars æqui & boni, eſt Ars cognoſcendi æquum & bonum. Quam etiam illi addiſcunt, qui non gubernant; quibus poſteà regimini admotis incumbit curare ut æquum & bonum obſervetur. Voces *æquum & bonum* videntur coincidere, & tantum majoris claritatis gratia multiplicari.

An æquum & bonum ſit idem?

An injuſtitiæ cognitio ad Iuriſprudentiam ſpectet?

Non differt ab hac definitione illa, quã Ulpianus *in l. juſtitia 10. de juſt. & jur.* proponit: inquit enim *Iuriſprudẽtia eſt divinarum atque humanarum rerum* (legum) *notitia: juſti & injuſti ſcientia*. Si enim ars æqui, eſt ars juſti: ergo eſt juſti & injuſti ſcientia: æquè enim ad Iuriſprudentiam pertinet injuſtitiæ notitia, quàm ad Grammaticam barbariſmi & ſolœciſmi cognitio, & ad Logicam fallaciarum perceptio. Ecce objectum Iuriſprudentiæ exponitur: & media, quæ Merenda in altera definitione deſiderabat, Ulpianus proponit in iſta. Nam ſi interroges, quomodo juſtum ab injuſto, æquum ab iniquo diſtingues? reſpondebimus, id à divinarum & humanarum legum cognitione pendere: id enim æquum & juſtum eſt, quod legibus conſonum: id autem iniquum & injuſtum, quod diſſonum. Ergo hæc Ulpiani definitio æquipollebit huic. *Iuriſprudentia eſt, quæ ex divinarum & humanarum rerum* (legum) *notitia infert juſti & injuſti ſcientiam*. Et hæc eſt bona definitio, nam Iuriſprudentia eſt ſcientia practica, & habet modum procedendi eſſentialem; & ipſa, non ſolùm finem, ſed modum etiam, quo ad illum pervenitur, exponit.

Quomodo juſtũ & injuſtum dignoſcantur?

Reſolutio.

Cur plura? Sufficiant hæc, quæ diximus, ut aſſeramus (1) definitiones ex genere, & differentiis difficillimas eſſe: (2) ideò aut nunquam à Logicis aut Philoſophis bene formari: (3) non eſſe crimen in definitione verbum interſerere, ſi claritatem addat: (4) non eſſe incuſandos Iuriſtas, ſi circumloquantur aliquando, ſi res aliter definiri non poſſit.

ARTICVLVS II.

De Diviſione. *Quid ſit? An & quomodò à Definitione diſtinguatur? Quot illi ſint Species? Et qualem uſum apud Iuriſperitos habeat?*

An Diviſio à Definitione diſtinguatur?

VIderetur à Definitione non diſtingui, nā quid eſt aliud definire, quàm Totum in partes Logicas (genus & differentiam) Phyſicas (materiam, & formam) Hypophyſicas (ſubſiſtentiam & naturam) Integrales (ſeu quantitativas) dividere?

Totum eſt duplex: Actuale & Poteſtativum.

Pro intelligentia adnotato Totum, vel eſſe Actuale, vel Poteſtativum. Actuale eſt, quod habet partes actuales (Logicas, Phyſicas, Hypophyſicas, Integrantes, &c.) Poteſtativum verò, quod habet partes poteſtativas: hoc eſt, quod eſt ratio communior, & univerſalior, quæ in minùs communes, & minùs univerſales poteſt dividi.

Diviſio per actuales partes.

Totum actuale in partes actuales dividitur & ſubdividitur. Sic poterimus dicere, *Angelici Doctoris Summam dividi immediatè in tres Partes, earumque ſecundam, quia magna eſt, in alias duas ſubdividi, quæ* Prima ſecundæ, *&* Secunda ſecundæ *vocantur. Et tandem Partes in Quæſtiones, & has in Articulos diſpeſci.* Hunc diſcurrendi modum nonnulli Authores in Iure Civili obſervarūt. Audi Alexandrum Scot, qui in Compilatione Iuris Civilis, quam Vocabulario Iuris utriuſque addidit, *pag.* 617. ſic inquit.

Diviſio Iuris Civilis in immediatas & mediatas partes.

[Videndum eſſet, quæ ſit Cauſa formalis librorum Iuris Civilis *&c.* Ex parte Tractatus eſt diviſio Operis in Libros, Librorum in Titulos, Titulorum in Leges, Legum in Paragraphos, Paragraphorum in Verſic. Opus enim Conſtitutionum Imperialium, de quibus ſupra dictum eſt, in XII. libr. geſtum eſt, & concluſum, ut dicit text. *in leg. 2. verſ. omnia C. de veteri Iure enucleando.* Horum XII. librorum, novem ſunt inſerti in volumine Codicis, quē habemus: tres verò reliqui ſunt inſerti in libro qui appellatur Volumen: Conſtat autem totum Ius conſtitutionum & deciſionum imperialium eſſe diſtinctum in dictos duodecim libros, in rubricas ccclviii. leges quatuor millia quingentas ſexaginta duas. Codex verò quem habemus, habet rubricas cccxxxi. leges verò tria millia, & ſexcentas octo. Illi verò tres libri Codicis, de quibus in volumine, habent cccxii. rubricas, leges verò nongentas liv. ff. vetus habet rubricas clii. leges verò duo millia nongentas xxviii. Infortiatum habet rubr. ci. leges verò duo millia ducentas triginta quatuor. Digeſtum habet rubr. clxxii. leges verò duo millia nongentas octoginta tres. Summa rubr. ff. ccccxxxiv. leges ff. octomillia centum triginta quinque; rubr. Inſt. xcix. non computato proœmio rub. auth xcix. rubr. feud. lxxxvi. §. c. feudorum, quæ habentur cxxxii. Summa legum ff. octo millia centum quinquagintaquinque, legum verò cxxii. librorum quatuor millia quingentas ſexaginta duas. Summa omnium legum Digeſti, Codicis, & Voluminis, ponendo quemlibet titulum Inſtitutionum & Authent. pro una lege, 12,927. Et iſtud eſt mare, per quod navigas.]

Leges Codicis, & Rubr. ff. vet. rub. Infor. rubr. & ll. ff. novi. rubr. & ll. Inſt. Auth. feud

Nominum explicatio.

Sed cur ratio communior & univerſalior vocatur *Totum*? cur *Diviſum*? cur dicitur dividi, cùm per minùs communes, & minùs univerſales diſtribuitur?

Quomodo ſit univerſale in Schola expreſſiva?

Nomenclatores fuerūt Authores Scholæ Expreſſivæ, quam Ochamus, & Nominales ad magnam gloriam evexerunt. Sumunt ſimul omnia totius Mundi individua; & quia omnia ſunt, concipiunt omnia ſimul confuſè; & ſolum *eſſe* exprimunt & gradum univerſaliſſimum conſtituunt, quod vocant *Ens*. Ecce Ens pro materiali dicit res omnes confuſè ſumptas, & pro formali expreſſionem eſſendi univerſis communem. Pergunt ulteriùs, & quia res non uno modo omnes ſunt, (aliæ enim ſunt, & aliæ inſunt) hanc omnium rerum collectionem dividunt in duas claſſes: & in alteram collocant entitates, quæ ſunt, & in alteram entitates, quæ inſunt. Illas Subſtantias, iſtas verò nominant Accidentia. Dicit autem nomen *Subſtantia* pro materiali omnes ſubſtātias confuſè ſumptas, & pro formali expreſſionem eſſendi univerſis communem. Et ſimiliter nomen *Accidens* pro materiali omnia accidentia

Quid materialiter & quid formaliter dicat Ens?

Entis diviſio.

Quid dicat Subſtantia?

Quid Accidēs

con-

confuſè ſumpta, & pro formali ineſſendi expreſſionem univerſis communem. Poſteà ſubſtantias in tales, ac tales ſubſtantias, & Accidentia in talia & talia accidentia dividit,& ſubdividit. Stando huic opinioni optimè intelligitur, quomodò ratio communior ſit totum,& ratio minùs communis ſit hujus totius pars, & quomodò conceptus magis communis in minùs communes dividatur.

An Diviſio Diſtributio nominari deberet. In opinione altera, quæ communiorem rationem re, aut ratione à ſuis differentiis præſcindit, quam Nominales *Diviſionem* appellant, debemus *Diſtributionem* appellare. Sed quia Dialectico perinde eſt alteri, aut alteri adhærere ſententiæ, nos hunc ſecundum ſciendi Modum, vel *Diviſionem*, vel *Diſtributionem* nominabimus.

SECTIO I.

De Diviſione Logica. Quid & quotuplex ſit?

Quid ſit Diviſio? EST igitur Diviſio Logica, *Termini ſuperioris & univerſalioris in inferiores & particulariores diſtributio*, ut cùm Animal per differentias Rationale & Irrationale, in Hominem & Brutum dividitur: aut cum Ariſtoteles *lib. 1. Rhetor. cap. 10.* ait, *Legum alia propria eſt, alia communis. Propriam dicimus, tùm Cives ſcripta utuntur; communem verò, qua nonnulla, etiamſi ſcripta non ſint, quod omnes tamen valere videntur.*

Varia Diviſionū genera enumerantur. Sanè Diviſio aut eſt *Naturæ, ſecundum ſe in ſingularem & univerſalem*: ut cum Ariſtoteles ſubſtantiam Primam & Secundam diviſit: aut, *Generis in Species*, ut vivens vel eſt Senſibile, vel Inſenſibile; aut *Speciei in Individua*, ut Equus vel eſt Bucephalus, vel Concitatus, vel &c. aut *Subjecti in Accidentia*, ut Canis alius albus, alius niger, &c. aut *Accidentis in Subjecta*, ut Album, vel eſt Lac, vel eſt Nix, vel &c. aut *Accidentis in Accidentia*, ut cum dicimus, Luminoſa vel Mobilia, vel Immobilia ſunt. Exemplis opportunis omnes dilucidemus.

DIVISIO Generis in Species. Si rigoroſè velimus agere, paucas Diviſiones Generis in Species exhibebimus. Primò Virtus Theologica in Fidē, Spem, & Charitatem, ut Genus in Species dividitur: nam in ſingulis ratio ſuperior Theologicæ Virtutis invenitur, & per intrinſecas, & veras taleitates, ſeu formales differentias contrahitur.

Etiam eſt Generis in Species Diviſio, qua Virtus in Fortitudinem, Iuſtitiam, Liberalitatem, & alias diſtribuitur; habet enim ſimiliter differentias formales Moralis Virtus, quibus contrahitur & ad Species inferioris reducitur.

Vt Species in Individua diſtribuitur quicumque conceptus univerſalis, qui in res realiter exiſtentes immediatè dividitur: ut Homo, qui concipitur, in Petrum, Paulum, & Franciſcum, qui exiſtunt. Servitus ut ſic mente concepta, in ſervitutem hanc, & illam. Emptio ut ſic in Emptionem hanc & illam. Furtum ut ſic in Furtum hoc & illud. &c. *DIVISIO Speciei in Individua.*

Quæris, qualis Diviſio ſit, qua Furtū in furtū hujus bovis, & furtū illius equi dividitur? Videretur eſſe Speciei in Individua: nā furta equi & bovis diſtiguūtur numero. Videretur eſſe ſubjecti in Accidētia, nā Furto accidit verſari circa bovem, vel equum. Reſpondeo eſſe compoſitam, & ſimilem illi, qua Homo in Petrum doctum, & Ioannem divitem divideretur. *An dentur Diviſiones compoſitæ?*

Subjecti in Accidentia eſt diviſio, qua Cajus homines in liberos & ſervos diviſit. *lib. 1. Inſtit.* ait *Summa itaque diviſio de Iure Perſonarum hæc eſt, quod omnes homines, aut liberi ſunt, aut ſervi*. Et hic duæ breviter quæſtiones moveri poſſunt. Prima, An hæc ſit ſubjecti in accidentia diviſio? & ſecunda, An ſit adæquata? Ad primam affirmativè reſpondeo; quoniam libertas & ſervitus ſunt accidentia Hominis, quæ adſunt, abſunt: poteſt enim, & ſolet, donari libertate, qui eſt ſervus; & qui liber, ſervitutem incurrere. Ad ſecundam dico, huic diviſioni tertium membrum (nimirum libertinos) debere addi aliquorum ſententia, nam Vlpianus *leg. manumiſſ. in fin. D. de Iuſtit. & Iur.* & cum eo Iuſtinianus *§. 1. de libert.* hominem in liberum, ſervum, & libertinum dividunt. At ego à Cajo ſto: & libertinos liberos eſſe pronuncio; & libertinos dici, quod ſervi fuerint, & à ſervitute liberati. Nam quando rem per ſua accidentia dividimus, non præterita conſideramus ſed præſentia. Ioannes Coraſius *ad leg. 3. de ſtatu hom. n. 3* Caji diviſionem eſſe bonam pronunciat, & Vlpianum, non ad rem, quod deberet, ſed ad nomina in ſua diviſione reſpicere: nam præter nomina *Servus & liber*, etiam nomen *Libertinus*, cum de hominum ſtatu diſputamus, occurrit, unde ait; (qua in re (diviſione) non tam ad ſtatum & conditionem perſonarum, quàm ad ipſius hominis nomen ſpectarunt, ut & illa verba, *& cum uno communi nomine*, commonſtrāt. Quod enim ad perſonarum jus & ſtatum attinet, verè dixit Cajus noſter, omnes homines vel liberos, vel ſervos eſſe: nàm *liberorum* nomine libertini habentur. *leg. & ſervorum. hoc tit.* hoc eſt, qui ex juſta ſervi-

Leg. 3. D. de ſtatu homin. Diviſio ſubjecti in Accidentia.

An Diviſio hominum in ſervos & liberos ſit adæquata?

d. leg. manumiſſiones. §. 1.

Qui ſint liberti?

vitute manumiſſi ſunt *leg. libertini. hoc tit.* quamvis ingenui dici nequeant *leg. de ingenuis dict. leg. manumiſſiones.*] Caji diviſio eſt ſimilis huic, *Homines vel ſunt vivi, vel Mortui*; inter quæ extrema, quia contradictionem involvunt, medium non datur, Quid ſi aliquis *Reſuſcitatos* adderet, imitaretur Vlpianum, & tamen fruſtra tertium membrum adjungeret, nam excitati à mortuis vivi ſunt. Sic igitur Hominum ſtatus deberet Diviſione illuſtrari,

An præter vivos mortuoſque debeant recenſeri homines à mortuis reſuſcitati?

Homo { *Liber* { *Ingenuus* / *Liberatus* { *Libertus* / *Libertinus* } } / *Servus* }

Liber. Ingenuus.

Primò enim Homo in Liberum & Servum dividitur: quod habemus ex Cajo. Liber ſubdividitur in Ingenuum & Liberatum. Ingenuus dicitur, qui ex libera matre natus eſt, *leg. & ſervorum.* 5. §. 2. D. *de ſtatu homin.* Liberatus, qui non fuit liber natus, ſed factus: qui manumiſſione libertatem indeptus. Qui tamen, ſi adhuc Patronum habeat, Libertus dicitur; ſi verò non habeat Libertinus. *leg. ult.* D. *ſi liber ingen. eſſe dicatur.* Vide Laurentium Vallam *libr. 4. eleg. cap.* 1. & Ioannem Coraſium ad *leg.* 4. D. *de Iuſt. & Iur. nu.* 16.

Liberatus. Libertus. Libertinus.

Et has omnes Diviſiones Logicis oculis conſiderãdo eſſe omnes ſubjecti in Accidentia pronuncio; nam ſicut homini accidit eſſe libero vel ſervo: ſic libero accidit eſſe ingenuo, vel liberato. &c.

Leg. 1. D. de ſtatu hominũ.

DIVISIO Accidentis in ſubjecta.

Per Subjecta diſtribuitur Accidens: quod & præſtitit Paulus *Inſtitutionum libro primo*, dicens, *Omne Ius, quo utimur, vel ad Perſonas pertinet, vel ad Res, vel ad Actiones.* Profectò perſonis, rebus, & actionibus accidit Iuſtinianæis legibus gubernari, multis enim annis illis caruit Imperiũ: & multæ etiamnum regiones florentiſſimæ eas non obſervant. Ergo accidens (Ius) per diverſa ſubjecta (perſonas, res, & actiones) diſtribuit Paulus.

An ſit Generis in ſpecies Adoptionis in Adoptionem & Adrogationem diviſio?

Etiam illa eſt Accidentis in Subjecta Diviſio, quam *lib. 2. Regul.* tradidit Modeſtinus dicens. *Adoptionis nomen eſt quidem generale, in duas autem ſpecies dividitur, quarum altera Adoptio ſimiliter dicitur; altera Adrogatio. Adoptantur Filii familiarum; adrogantur, qui ſui Iuris ſunt.* Dices hanc non eſſe Diviſionem Accidentis in Subjecta, Primò, quoniam non dividitur res, ſed nomen tantùm, ut conſtat ex illis verbis *Adoptionis nomen eſt quidem generale.* Cum autem illud, quod eſt generale, debeat per particularia diſtribui, ſiquidem nomen generale eſt, nomen ſolùm dividitur & diſtribuitur. Secundò, quia, ſi non nomen, ſed res dicatur dividi, erit hæc Generis in Species diviſio: quod ſtatuit Modeſtinus, cum dixit, *in duas autem ſpecies dividitur.* Tertiò, quoniam in nulla Diviſione converti poteſt cum aliquo membro dividente diviſum, hic autem id quod dividitur eſt Adoptio, & alterum membrũ eſt ſimiliter Adoptio, alterum Adrogatio. *Reſpondeo* Ad Primum in æquivocis, quia ſolùm nomen commune eſt, illud ſolum dividi: at verò in univocis, quia & nomen & res communia ſunt, utrumque dividi: unde hac in Diviſione ajo, & nomẽ *Adoptio*, & rẽ ipſam nomine ſignificatã, dividi. Ad Secundum nego eſse hanc Diviſionẽ Generis in Species. Ad probationem dico nomen *Species* aliter à Iuriſperitis, & aliter à Logicis accipi; & Modeſtinum dialecto Iuridica loquutum eſse. *Species* enim in Iure ſignificat partem actualem materiæ, quæ dividitur; nam *in leg. qu. de verb. ſignif.* dicitur ager fundi eſse ſpecies & tamen ager non eſt Logica ſpecies fundi, ſed pars Phyſica. Eodem ſenſu vocem accepit Vlpianus *leg. 1. de agnoſc. libr.* ubi Senatus-conſulti Plautiani duas eſse ſpecies dicit, cum partes deberet dicere, teſte Apollo, Spiegelio, & aliis. Ergo Modeſtinus, cum dixit, *Adoptionem in duas ſpecies dividi*, Iuridico Lexico fuit uſus, & tantùm voluit dicere in duas illam partes, vel membra dividi; quales autem illæ eſſent, Logicis diſcutiendum reliquit. Ad Tertium nego alterum membrum dividens converti cum diviſo; nec hoc nominum carentia arguit, nam vox *Adoptio* in diviſo ſumitur laxè, & in membro dividente ſtrictè: ſicut etiam apud Hiſpanos *Animal* ſumitur laxè, & ſignificat *Animal*, & ſumitur ſtrictè, & ſignificat *Bruto*; nec hinc inferri liceat apud Hiſpanos Animal cum Bruto converti. Stat ergo hanc Diviſionem, *Adoptio, vel eorum eſt, qui ſunt filii familias, vel eorum qui ſunt ſui juris*, eſse ſimilem huic, *Albedo nivis, vel lactis eſt*, adeoque eſſe Accidentis in diverſa ſubjecta. Si dicas albedinem lactis ab albedine nivis non differre, & tamen Adoptionem filiifamilias ab Adoptione illius, qui eſt ſui juris differre. Reſpondebo totam hanc differentiam eſſe materialem, & ſe ex parte ſubjectorum tenere.

In Æquivocis nomen tantum dividitur.

In Univocis & nomen & res ſignificata per membra dividentia diſtribuitur.

Nomen Species apud Iuriſtas interdum ſignificat partem.

An Diviſum cum mẽbro dividente convertatur.

Animal pro genere & pro ſpecie ſumitur.

Tota Adoptionis & Adrogationis differentia eſt materialis.

DIVISIO Accidentis in accidentia.

Tandem Accidens unum per alia accidentia dividitur, ut cum dicimus *Album, vel calidum, vel frigidum eſt.*

Qualia ſint D. Bernardi ſcripta?

Si quæras aliquod pulchrum hujus Diviſionis exemplum, recurram ad D. Bernardum, in quo omnia vivida, omnia pulchra, omnia elegantia: & quod priùs debuiſſem dicere, omnia ſunt ſancta. Summam

Scientia eſt accidens.

mam ex illo verba, quæ te inſtituant in Logica, & in Charitate confirment. Porrò ſcientia humani intellectus eſt accidens, aliorum accidentium capax, & Melleus Doctor *ſerm. 36. in Cantic.* varios fines, quos ſibi literatum Studioſi præfigunt, conſiderans, Scientiarum Candidatos in quinque claſſes diſtribuit, inquitq; I. *Sunt, qui ſcire volunt eo tantùm fine, ut ſciant, & turpis curioſitas eſt.* II. *Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, v. gr. pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæſtus eſt.* III. *Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt.* IV. *Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ardentiùs ædificent, & Charitas eſt.* V. *Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ædificentur, & prudentia eſt.* De illis, quos tertio loco reprehendit Bernardus, agebat Iſidorus *lib. 3. de ſumm. bono*, cum dixit. *Plerique accepta ſcientia literarum, non ad Dei gloriam, ſed ad ſuam laudem utuntur; dum de ipſa extolluntur: & ibi peccant, ubi peccata emendare debuerunt.*

Studioſorum Diviſio.

Gloria eorumdē vana.

An poſſit homo ſine fine operari?

Recognoſcamus breviter has ipſas Studioſorum claſſes; &, ut ex Diviſione percipiamus fructum, ſubjungamus Scholia. *Prima* ſuadet, ſubſtantiam intellectualem poſſe opinione Bernardi ſine fine operari: velle, quia vult: quod mihi videtur certũ, tametſi à plurimis negari ſciam. Negant hanc doctrinam, quam Bernardus ſupponit, multi Veteres, & in ſpecie, agendo de Scientiis, Lactantius *Divin. Inſtit. lib. 3.* dicens. *Quis enim ſcire contentus eſt, non expetens aliquem fructum ſcientiæ.* *In ſecunda* eos collocat, qui ad divitias, & honores adſpirant: qui ſi hanc mundanam ſibi gloriam, ut ultimum finem præſcribant, exorbitant, & ideò à Bernardo carpuntur: divitias enim per licita media congerere, & ſe dignum reddere, ut ad ſummas poſſit dignitates provehi, & id ipſis Deo, & patriæ ſervire, non incriminatur à Bernardo. Idem diciro de illis, qui *in tertia* claſſe recenſentur. Velle enim habere applauſum, & inde alios contemnere, vel vilipendere, improbum eſt. Cæterùm, ſi ſtudeat diligenter Auſonius: & non tantùm velit ſcire, ſed ſciri, ut ad ſe ignorantes recurrant, quos conſilio poſſit, & authoritate juvare, eſt pium ſtudium, & poteſt à quocumque laudari. Hæc dixero, ne fortè occaſione verborum, quæ ex Bernardo adduxi, audeat aliquis Studentiũ fines rigidiùs condemnare, quàm debeat. Nam divitias, dignitates, & applauſum appetere, ſi nihil addatur, non eſt malum: immò etiam erit bonum, ſi ad gloriam Dei ordinetur. Vt enim malũ ſit, debet intervenire deordinatio, vel in fine ulteriori, vel in mediis. In fine, ſi divitias quis appatat, ut luxurioſè vivat: dignitates, ut inferiores opprimat; applauſum, ut vanè-glorietur. In mediis, ſi quis ponat illicita, ut vel opes adquirat, vel ad dignitates adſcendat, vel applauſum obtineat.

An quærere divitias, dignitates, & honores ſit malum?

Quando hoc ipſum ſit bonũ?

Et redeundo ad Accidentis in accidentia diviſionem, Lectorem moneo, debere hic circumſpectè oculos aperire: nam multæ viderentur Accidentis in Accidentia Diviſiones, quæ aliò pertinent, quod exemplis aliquibus manifeſtè monſtrabo.

An accidentia ſint genera, & in ſuas ſpecies poſſint dividi?

Qualis eſt hæc Diviſio *Color, aut albedo, aut nigredo, aut &c. eſt?* videretur eſſe Accidentis in Accidentia: nam Color eſt accidens, & albedo, nigredo &c. ſimiliter ſunt accidentia. At eſt Generis in Species, nam Color in ſuas veras Species diſtribuitur.

An unum Accidens ſit aliarum ſubjectũ?

Sed qualis erit hæc, *Calor vel eſt intenſus, vel remiſſus?* Videretur ſimiliter Accidentis in Accidentia, nam calor eſt accidens; & intenſio & remiſſio ſunt Qualitatum accidentia. At eſt Subjecti in Accidentia: nam Calor eſt ſubjectum, cui intenſio & remiſſio conveniunt.

Quot modis poſſit fieri Adoptio?

Et tandem, qualis erit illa Adoptionis Diviſio, quam *libr. 1. Inſtit.* Cajus tradidit, cujus verba ſubſcribo. *Generalis Adoptio*, ait, *duobus modis fit, aut Principis authoritate, aut Magiſtratus imperio.* Non ſunt hæ, duæ Adoptionis ſpecies, ſed una, & eadem, nam tantùm præſtat, quæ altero modo fit, quantum illa, quæ altero. Fieri autem hoc vel illo modo ſunt Adoptionis accidentia: nam cauſæ extrinſecæ non ingrediuntur rerum à ſe productarum eſſentias; nam Adamus, qui à Deo creatus eſt, non differt ſpecie à Franciſco, qui via fuit ordinaria productus: & calores à Sole & ab igne producti in communi ſententia tantùm differunt accidentaliter. Adoptio igitur eſt accidens hominis; illam autem, aut per Principem, aut per Magiſtratum fieri, ſunt Adoptionis accidentia. Eſt ergo iſta Diviſio Subjecti in Accidentia.

An calor productus à Sole à producto ab igne diſtinguatur?

In quo conſiſtat Diviſio accidentis in accidentia.

His præmiſſis facile erit cognoſcere, quid Diviſio Accidentis in Accidentia requirat. Non ſufficit, ut diviſum ſit accidens & membra dividentia ſint accidentia nam, ut vidimus, accidens poteſt eſſe genus, & in ſpecies dividi: poteſt eſſe ſubjectum, unde ſicut hæc Diviſio *Calor, vel eſt intenſus, vel remiſſus*, eſt Subjecti in Accidentia: ſic hæc *Intenſio vel ineſt calori, vel frigori*, eſt Accidentis in Subjecta. Ergo, ut ſit Diviſio Accidentis in Subjecta, requiritur, ut inter diviſum & membra dividentia ſit realis diſtinctio, & ut diviſum non ſit eorum ſubjectum, nec illa ſint ſubjecta diviſi.

Et tandem Analogum dividitur in Ana-

Diviſio Analoga in Analogata.

Analogata: quando in membris dividentibus obſervatur proportio. Sic Ius Divinum, quod eſt ratio abſtractiſſima, eſt analogum, & in Ius Naturale & Ius Gentium dividitur: & hæc duo membra inter ſe conveniunt analogicè, quia quod Homini Reali Ius Naturale præcipit, id Ius Gentium proportionato modo Homini Virtuali (Morali, ſeu Myſtico) indicit.

SECTIO II.

Diviſionis Leges proponuntur, & dilucidantur.

Proponuntur.

PAucæ ſunt, & breviter poſſunt exponi. *Prima*. Debet Diviſum latiùs patere, quàm ſingula membra dividentia. *Secunda*. Non debet latiùs, aut minùs patere, quã omnia membra dividentia ſimul. *Tertia*. Debet ſaltem in concreto de ſingulis prædicari. *Quarta*. Vnum membrum in altero includi non poteſt.

De Diviſione animalis.

Pono exemplum. Animal in Hominem & Brutum dividitur. Latiùs patet, quàm Homo; latiùs, quàm Brutum: non autem latiùs patet, quàm Homines, & Bruta ſimul; quoniam præter Homines & Bruta nullum eſt Animal: non enim aſſentimur veteribus dicentibus Angelos eſſe Animalia: & de ſingulis membris dividentibus prædicatur, nam Homo eſt Animal, & Brutum eſt Animal; & neutrum in altero clauditur. Sic ſimiliter Iuſtitia ut ſic, latiùs patet, quàm Commutativa; latiùs, quàm Diſtributiva: non autem latiùs, quã ipſæ ſimul: quoniam præter has nulla eſt Iuſtitia, ſed & de ſingulis prædicatur, nam Commutativa, eſt Iuſtitia; Diſtributiva, eſt Iuſtitia; & altera in altera non clauditur. Sed de hac Diviſione uberiùs *ſect.* 5.

De Diviſione Iuſtitiæ.

SECTIO III.

De Diviſionibus, quæ in Iure inveniuntur.

Diviſio Generis in Species, eſt difficilis.

QVàm eſt difficilis Definitio eſſentialis, eſt etiam eſſentialis Diviſio, ubi enim non cognoſcis Genus, & differentias, ſicut nec definire Species, ſic nec Genus dividere poteris. Ergò vocentur ad Dialecticæ tribunalia Iuriſperiti, quod in Diviſione conceptuum ad effectus, aut externa connotata confugiant, quando eſſentiales differentiæ humanitùs cognoſci non poſſunt. Eſt injuſta vocatio, nec poterunt altiore voce obloqui Logici, niſi priùs ipſi à ſeipſis traditas Diviſionis regulas in notionibus Logicis ſine macula exerceant. Dico igitur

Diviſio Generis per contradictorias differentias.

Primò, *Diviſio Generis in Species, ſemper difficilis, & interdum impoſſibilis eſt*; nam vel fit per contradictorias, vel per poſitivas Differentias. Primum maxima patitur inconvenientia, nam, ſi Petrus Animal in Rationale & Irrationale dividi, ut Genus in ſpecies contendat, & aſſerat inter Rationale & Irrationale non inveniri medium, adeòque eſſe hanc diviſionem adæquatam: Ioannes ſimiliter Animal in Rugibile & Irrugibile dividet, & ſe Genus in Species diviſiſſe teſtabitur, & quia inter Rugibile, & Irrugibile nullum eſt medium, ſe Animal adæquatè diviſiſſe gloriabitur. Sed & Franciſcus Animal in Latrabile, & Illatrabile dividet; Antonius aliter, & confundent doctrinam veriùs, quàm dilucidabunt, aut expedient. Si per differentias poſitivas fiat diviſio, bona non erit: (1) quia poſſibiles omninò neſcimus, & ipſæ etiã Species ſuas conſtituant, & Genus dividunt. (2) quia omnes exiſtentes non cognoſcimus, & hanc ob rem aliquas tantùm male notas ponemus, non autem univerſas recẽſere poterimus. Ceſſet ergo vel hinc illa invidioſa quærimonia, quod Iuriſtæ in notionum Politicarum diviſione à vero Genere ad veras ſpecies non deſcendant: quia quando id præſtiterint Logici, illos Iuriſtæ imitabuntur.

Per Differentias poſitivas.

An juſtè accuſentur Iuriſtæ.

Hominis per ſtatus Diviſio.

Hinc excuſari poteſt, & debet Iuſtinianus, qui in Inſtitutionum principio de perſonarum jure diſſerens, ait, *Summa itaque diviſio de jure perſonarum hæc eſt, quod omnes homines aut liberi ſunt aut ſervi*. In diviſione Homo eſt Diviſum & membra dividentia ponuntur duo, cùm plura poſſent. Primo enim Libertini ſunt, qui eſſe ſervi deſierunt. *l. manumiſſiones* D. *de juſt. & jure*. Secundo Statuliberi, qui ſtatutam & deſtinatam ad tempus vel conditionem, habent libertatem. Si quis enim ob cauſam legitimam ad annum dimitteretur, nec poſſet dici ſervus, nec liber. Sed neque ille, cujus libertas à nondum nota conditione penderet; à valore interceptionis puta, ſi captus ſit Nerius, & ipſe probare contendat, ſuates amicos eſſe, nam in ſervitutem redigi non poſſunt amici. Ergo quandiu controvertitur lis, nec eſt ſervus nec liber. Tertiò, Adſcriptitii, qui ita cenſibus & glebis adſcripti & adſignati ſunt, ut ab eis recedere non poſſint *l. colonos* C. *de agricol. & cenſit. lib.* 11. Et quidem hi liberi vocari non poſſunt, nam recedere ab agris non poſſunt: ſed neque ſervi ſunt, quia poſſunt promoveri ad Ordines ſine voluntate Domini. *Authent. de Sanctiſſimis Epiſ.* §.

Servi, & liberi.

Libertini.

Statuliberi.

Adſcriptitii.

Ad-

Adſcriptitios coll. an 9. & poſſunt fieri Religioſi. *l. Iubemus. 37. §. 1. de Epiſc. & Cleric.*

An diviſio à Iuſtiniano tradita bona ſit?

Ergo unum è duobus neceſſariò eſt dicendum, aut Iuſtinianum ita hanc diviſionem tradidiſſe, ut non omnes hominum ſtatus recenſeret, ſed præcipuos; quia, ſi omnes enumerare voluiſſet, dixiſſet, *Homines, aut ſunt Liberi, aut Servi, aut Libertini, aut Statuliberi, aut Adſcriptitii*, aut ſaltem libertinos libetis, Adſcriptitios Servis, Statuliberos utriſq; accenſere deberet. Ergo quidquid dicatur omnes hominum ſtatus Iuſtinianus non poſuit, ſed præcipuos tantummodò: quorum erat magis neceſſaria cognitio.

An ſpecies in individua dividatur?

Secundò, *Diviſio Speciei in individua impoſſibilis eſt*. Et demonſtratur clarè: nam bona Diviſio poſtulat, ut omnia membra dividentia ponantur: &, quia Individua ſunt ſyncategorematicè infinita, ut omnia exprimantur, impoſſibile eſt. Ceſſet igitur iterum incriminatio, ſi fortè Iuriſtæ in hoc Diviſionis genere diminutè procedant.

De Diviſione characterica.

Tertiò, *Præter Diviſiones, quas Dialectici tradunt, & nos cum ipſis dilucidavimus debet adhuc addi, Characterica, Peripatui, & Scriptoribus pleriſque ignota.* Sed cur? *Quia ſicut datur Definitio Characterica, quæ per accidentia fit, quorum ſingula ſunt quidem communia, at omnium collectio eſt ſubjecto, non communis, ſed propria: Sic ſimiliter Diviſio Characterica, quæ per accidentium collectiones Speciebus ſingulis proprias procedit, & ſcientiis addiſcendis ſufficiens.*

Homo animal rationale mortale.

Homo opinione veterum erat *Animal rationale mortale*: dicebant Rationalitatem etiam convenire Angelis, Mortalitatem brutis: unde neutra ſoli & omni homini ubique & ſemper competebat: at iſtæ duæ formalitates ſimul erant homini propriæ, ita ut nulli competerent. Sic etiam Elementa definierunt: nam ignis verbi gratia eſt *corpus calidum & ſiccum*. Calor eſt accidens commune, nam etiam ineſt Aeri: Siccitas eſt ſimiliter accidens commune, ineſt enim & Terræ: at aggregatum ex Siccitate & Calore, ſolum reperitur in igne. Quam ob rem Elementum ſic dividitur.

An genus per duplicem differentiam contrahatur?

Elementorum conſtitutio & diviſio.

Elementum vel eſt	*Calid. & ſicc.*	Ignis.
	calid. & hum.	Aer.
	frigid. & hum.	Aqua.
	frigid. & ſicc.	Terra.

Et hæ ſunt Definitiones & Diviſiones Charactericæ, quibus in Phyſicis ſæpè & ferè ſemper in Moralibus utimur. His ergo poſitis Diviſiones nonnullas à Iuriſtis traditas conſideremus.

Iuris Diviſio.

PRima & celeberrima Iuris diviſio, eſt in Naturale, Gentium & Civile. Naturale eſt lex Divina circa actus hominum ſingulorum. Ius Gentium eſt lex Divina circa actus Communitatum. Ius Civile eſt lex lata à Principe circa actus ſingulorum & Communitatum. Homo duplex: Realis & Myſticus. Homo realis eſt Petrus, Ioannes, Franciſcus, &c. myſticus eſt Hiſpania, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia. &c. Decalogus prout realem hominem concernit, vocatur *Ius Naturale*: prout regna, populos, communitates, nominatur *Ius Gentium*. Id alibi luculenter oſtendi. Ius Civile eſt lex lata à Principe, & concernit homines & communitates eidem Principi ſubditas. Nunc membra ſingula conſideremus.

Homo duplex.

Quid ſit Ius naturale?

Ius Naturale eſt lex lata à Deo circa homines particulares. Eſſe latam legem à Deo eſt circumſtantia communis Iuri Gentium etiam conveniens: imò etiam Iuri Civili, ideò enim Principes leges condere poſſunt, quia quarto Decalogi præcepto Superioribus obedire jubemur. Concernere ſingulos, eſt etiam circumſtantia communis; nam etiam jura Civilia (Cæſarea, Regia, &c.) in ſingulos juriſdictionem exercent. At hæ duæ circumſtantiæ ſimul charactericæ ſunt, & ſoli & omni Iuri Naturali conveniunt.

Cur Princeps leges condat?

Cur homo homini obediat?

Ius Gentium eſt lex lata à Deo circa Communitates. Eſſe legem latam à Deo eſt circumſtantia communis, ut diximus. Concernere Communitates eſt etiam circumſtantia communis, nam etiam Ius Civile agit de Communitatum poteſtate. Cæterùm hæ duæ circumſtantiæ ſimul ſumptæ ſoli Gentium Iuri conveniunt, illudque à Naturali & Civili diſtinguunt.

Quid ſit Ius Civile?

Tandem Ius Civile eſt lex lata à Deo & Principe: ab illo in genere, & ab iſto in ſpecie: niſi enim Deus ut obediremus Superioribus præcipiſſet, nemo illis obedire deberet. Legis Divinæ circumſtātia eſt communis Iuri Naturali & Iuri Gentium. Humana diſpoſitio præſcindendo à Decalogo non dicit rationem legis, ſed humani conſilii, cujus generis multa in Platone, Ariſtotele & aliis Philoſophis antiquis leguntur. Vtraque tamen conſtituit ſimul Ius Civile, illudq; à Naturali & Gentium Iure neceſſario diſcernit.

Quomodo à Naturali & Gentium diſtinguatur?

Ecce in diviſione Iuris diviſum per duplicem differentiam, quarum quælibet ſeorſim ſumpta eſt communis, at utraque ſimul ſumpta non eſt communis, dividitur: quod eſt à Viris doctis altè conſiderandum.

De Iure publico, & privato.

CIrcumfertur alia Iuris diviſio, quæ etiam venit examinanda. Ius, inquiunt Scriptores, vel Publicum, vel Privatũ eſt. De hac diviſione agit Antonius Faber in Papinianææ Iuriſprudentiæ Sciẽtia *titul. 1. princ. 5. pag. 28.*

Quomodo diſtinguantur?

Sane rem claram obnubilant Interpretes digreſſionibus longis: nam denominatio, vel ab objecto ſumitur, vel à cauſa efficiente. Si primum, Ius publicum vocari debet, quod Communitatem; privatum, quod ſingulos privatim concernit. *l. 1. §. Huius ſtudii. D. hoc tit.* ubi & redditur ratio, *ſunt enim quædam publicè utilia, quædam privatìm*. Si dicatur ſecundum, ad Ius publicum pertinent leges, & ad privatum conventiones, & contractus privati. Faber *loc. cit. pag. 29.* [Et commune, & publicum & perpetuum Ius illud dicitur, ad differentiam ejus Iuris quod ex privatorum conventionibus nonniſi privatìm adquiritur, & in id uſque tempus, quo conventio effectum ſortita ſit, aut ſortiri poſſe deſierit. Qua ratione idem noſter Papinianus eleganter ſuo more ſcripſit *in l. ult. D. de ſuis & legit.* privatorum conventiones legum authoritate (nomine) non cenſeri.]

An illa Papinianus confundat?

Interim idem Papinianus, quem Faber laudat, interdum hæc Iura immiſcet, objecti denominationes cum cauſæ denominationibus cœco modo confundens. Audi ipſum Fabrũ, qui *loc. cit.* ſic inquit. [Quidquid hominibus utile eſt, id vel publicè vel privatim utile eſſe neceſſe eſt: neque tertium quidquam medium & ſeparatum fingi poteſt. Conſequens igitur eſt, ſummam totius Iuris diviſionem illam eſſe, ut Ius aliud ſit publicum, aliud privatum. Subjicit Vlpianus publicum Ius in Sacris Sacerdotiis & magiſtratibus conſiſtere: privatum verò tripartitum eſſe: collectum videlicet ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus. Quod ſi ita eſt, ergo triplex illud Ius de quo poſteà diſſerit, Naturale, Gentium, & Civile, privatum dicendum eſt, non publicum. Et ſanè ita eſt, &c.]

An Ius naturæ, gentium, & civile privata ſint?

Dii publici & privati.

Sacrorum nomine illa intelligit, quæ ad cultum Dei ſpectant: quæ poſſunt publicè & privatim inſtitui, publicè & privatim exerceri. Omitto privatos aliquarum familiarum Deos, quam tametſi Ethnici publicos à Republica admiſſos, & privatos privatæ familiæ devotione adoratos, ut Alburnum domus Emiliæ Numen habuerint, nos Chriſtiani Deum unum colimus: & ſtultam illam Deorum pluralitatem, & ex illa abortam Deorum publicorum, & privatorum differentiam repugnate Naturæ evidenter cognoſcimus.

Alburnus quorum fuerit Deus?

De publico & privato Dei cultu.

Hic Deus communis & publicus, adoratur privatìm & publicè, cultu, vel privato, vel publico; adoratur quidem publicè in templis à populo, privatim à ſingulis in domibus particularibus: & cultus illi exhibitus erit publicus, ſi ab Eccleſia inſtitutus; privatus, ſi à devotione & pietate privata. Officium Divinum, Roſarium, Litaniæ &c. ſunt Orationes publicæ à Sede Apoſtolica admiſſæ: at verò preces, quæ paſſim à viris eruditis ſcribuntur, & ſummo fructu leguntur, ſunt privatæ.

De Miſſa ſolenni & privata.

Sacerdotium eſt dignitas publica à Chriſto Domino inſtituta: interim miſſæ, quæ à Presbyteris dicuntur, non omnes vocantur ſolennes, nam Martinus Lutherus contra Miſſas privatas ſcripſit, & hæreſeos damnatur: Miſſæ enim privatæ ſunt Deo gratiſſimæ, & à ſolennibus differunt apparatu.

An Sacerdotes abſolvant publicè?

Sacerdotes, ſi approbati ſint, ſecretò & privatim à peccatis abſolvant: ſed authoritate publica, quæ à Chriſti inſtitutione, & ab Epiſcopi approbatione emanat. Anne eſse publica poterit peccatorum confeſſio? Tridentinum *Seſs. 14. cap. 5.* [Quoad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit; non eſt tamen hoc Divino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præſertim, ſecreta publica eſsent confeſſione aperienda.] Solebant olim fieri publicæ & ſolennes abſolutiones, quæ tametſi antiquatæ in aliis Ordinibus ſint; apud PP. Mercenarios piè etiamnum ad Dei majorem gloriam conſervantur.

Peccatorum Confeſſio eſt ſecreta.

An poſſit eſſe publica?

Abſolutiones publicæ.

Munia publica.

Magiſtratuum inſtitutio, renovatio, poteſtas, & hinc ortæ leges, & præcepta ſunt publica.

Objectum Iuris Naturalis eſt privatum.

Ius Naturale reſpicit objectum privatum, nam ſingulis hominibus imponitur, & obligaret, etſi nullæ eſsent Reſpublicæ vel Communitates.

Iuris Gentium eſt publicum.

Ius Gentium habet objectum publicũ, & quæ Naturale ſingulis hominibus, ea ipſum præcipit ſingulis Communitatibus.

Iuris etiam Civilis.

Ius Civile, ſi inſtitutionem conſideres, ſemper eſt publicum: ſi objectum, quid dicam? Habet leges de Communitatibus, habet de perſonis privatis, Ergo-ne dicemus eſse partim publicum, & partim privatum? Poſsemus id profectò dicere; ſed re altiùs conſiderata jubebimus, ut oculos vertas ad terminos *qui*, *cui*, & *ad quid*.

In illo conſiderari debet, quis cui, & ad quid.

quid. Terminus *qui*, Inſtitutorem Iuris Civilis proferet, qui ſemper eſt perſona publica. Terminus *cui*, exhibebit hominem, cui lex imponitur, qui aut realis, aut myſticus eſt; ſi realis, perſona privata: ſi myſticus, erit Civitas, Reſpublica, &c. & tunc erit publica perſona moralis. Terminus *ad quem* ponet ob oculos finem Iuris Civilis, qui eſt bonum publicum: unde ſi quæ in illo leges privatam Principis utilitatem concernant, aut acceptioni perſonarum viam aperiant, aut bono publico officiant, jam judicatæ ſunt.

De legum civilium fine.

Conſideraverat Papiniani verba Antonius Faber, & dixit. *Si ita eſt, ergo triplex illud jus, de quo poſtea differit; Naturale, Gentium, & Civile privatum dicendum eſt, non publicum*. Conſideravi & Ego, & ajo, hanc juris diviſionem, videlicet in Privatum & Publicum, prout à Papiniano traditam, non eſſe doctrinalem. multa enim interdum ad ornatum dicuntur, in quibus doctrina non debet fundari. Addo conſequentiam à Fabio illatam malam & falſam eſſe, & debere juxta terminos *quis, cui, ad quem* (quod huc uſque præſtitimùs) dilucidari. Cæterùm, ſi Iura, Naturale, Gentium, & Civile, privata ſint, omnia jura privata ſunt; omnia enim, quæ ab Authoribus ediſſeruntur, reducuntur ad ipſa. Interim ſiquidem tot eſt æquivocationibus obnoxia, hæc Iuris in Publicũ & Privatum diviſio: aut illam per illos terminos, *qui, cui, ad quem*, dilucida, ut omnis tollatur confuſio, vel alias ab eadẽ poteris abſtinere, ad nullius enim Quæſtionis deciſionem eſt utilis aut neceſſaria.

An... tota Iura ſint privata?

An bene dialecticetur Faber?

An hæc diviſio utilis ſit?

SECTIO IV.

De rei in Vniverſalem & Particularem Diviſione.

SVbſtantiam phyſicè completam Ariſtoteles in primam & ſecundam diviſit: ita ut Subſtantia Prima ſit eadem ac ſingularis, & Secunda eadem ac Vniverſalis & ſpecifica: unde Petrus dicitur *Prima ſubſtantia*, Homo *Secunda*. Ratio nominum eſt, quia Abſtractio eſt poſterior: priùs enim eſt rem eſſe ſingularem; quàm intellectus præſcindat: quoniam Ego conſiderans Petrum & Paulum, & animadvertens eſſe ſimiles diſſimileſque, formalitatem, in qua conveniunt, abſtraho; & ab illis, per quas diſtinguuntur, præſcindo. Meritò igitur ab Ariſtotele res ſingularis & nondum abſtracta *Prima* dicitur, & univerſalis, quæ eſt à ſingularitate præciſa, nominatur *Secunda*.

Subſtantia in Primam & Secundam Diviſio.

An ſingulare ſit prius quàm Vniverſale?

Et hic obiter nota nonnulla, quorum proderit conſideratio. *Nota*, inquam, *primò*, Vniverſale Platonicum non eſſe ad mentem Ariſtotelis: quia illo admiſſo Species erit Subſtantia prima, & Individuum ſecunda: nam realiter loquendo homo Ferdinando eſſet prior. *Nota ſecundò*, nec univerſale Scoticum eſſe ad mentem Ariſtotelis: nam ex natura rei, ante mentis operationem individuis eſt prius Vniverſale. *Nota tertiò* ex his nominibus *Subſtantia prima*, & *Subſtantia ſecunda* evidenter colligi, Ariſtotelem nullam univerſalitatem, nullam diſtinctionem inter genus, differentiam &c. ante mentis operationem admiſiſſe; nam aliàs Homo eſſet prima, & Ferdinandus eſſet ſecunda ſubſtantia. *Nota quartò* Viros etiam doctos conſiderationis defectu in ipſo Peripatu loqui interdum Platonicè; dicunt enim communiora & univerſalia eſſe priora, cùm tamen, ſi individuum ſubſtantia prima ſit, & ſpecies ſecunda, genus deberet eſſe tertia; nam ſicut Academici ab Ente ad Ferdinandum per gradus ſucceſſivè deſcendunt; ſic contra Peripatetici à Ferdinando ad Ens per gradus ſucceſſivè conſcendunt. Quod impræſentiarùm Lectorem admonuiſſe ſufficiat. Ad lineam redeo.

De mente Ariſtotelis.

An præciſiones, & Vniverſalitatẽ ante mentis operationem admittat?

De modo loquendi in diverſis ſcholis.

Porro Diviſio, qua ſubſtantia in ſingularem & Vniverſalem diſpeſcitur, eſt ſummè doctrinalis: quoniam ſervit tradendis & addiſcendis Diſciplinis, & ideò illa frequenter utitur Ioannes Alſtedius in ſua Encyclopædia, & alii multi: quoniam docturus Grammaticam, priùs tradere debet Grammaticam Vniverſalem ab omni taleitate & ſingularitate præciſam, & poſteà utiliùs talem (puta Hebræã, Græcam, Latinam, &c.) tradet: multum enim juvat illa præſcire, & præcognoſcere, in quibus idiomata univerſa conveniunt. Sic ſimiliter docturus Phyſicam, priùs tradere debet Phyſicam Generalem & univerſalem ab omni taleitate & ſingularitate præciſam, & poſteà utiliùs talem (puta Elementarem, Cœleſtem, Vegetabilem, Animalem, Humanam, &c.) tradet. Hanc ob rem Ariſtoteles *Ethic.* 5. Iuſtitiam in Vniverſalem & Particularem deduxit, ita ut hic aut ille actus in individuo ſit talis Iuſtitia, conceptus autem præciſus & abſtractus ab omni Iuſtitia ſingulari ſit Vniverſalis Iuſtitia.

An hæc Diviſio doctrinalis, & neceſſaria ſit?

Diviſio Grammatica.

Diviſio Phyſica.

Diviſio Iuſtitia.

Hanc Iuſtitiæ Diviſionem non intellexit Ioannes Cotaſius in ipſo ſuorum operum limine; nam *in Proœm. ad titul.* 1. *de Iuſt. & Iur. num.* 3. ſic inquit, [Porrò Iuſtitiam in Vniverſalem & Particularem Veteres ſapienter deduxerunt. Ariſt. 5. *Ethic.*

Opinatio Cotaſii.

Vni-

Digitized by Google

Cur Ariſtides Iuſtus nuncupatur.

Vniverſalis, ut iidem illi definierunt, eſt obedientia omnibus legibus debita, quæ ideò cunctas virtutes complectitur, quinimmò huic cæteras omnes ancillari dixit Philoſophus, *Ariſt. 2. Polit.* conſentitque noſter Iuſtinianus §. 1. *ut om. obe. judi. provin. call. 5.* Sic Ariſtides Lyſimachi filius cognomen *Iuſti* meruit, quod omnium honeſtarum actionum ſtudioſus paruiſſet ſemper legibus & obtemperaſſet. *Plutarch. in Ariſtide.*] Sic ille & fallitur omninò Vir doctus, non enim Subſtantia Vniverſalis eſt univerſarum ſubſtantiarum collectio, nec Grammatica Vniverſalis complectitur omnium linguarum particularium ſingulares notitias: Ergo Iuſtitia Vniverſalis non eſt omnium juſtarum actionum aggregatum, ſed conceptus quidam Iuſtitiæ à taleitatibus univerſis abſtractus, cujus cognitione præmiſſa juxta Doctrinæ ordinem facilliùs & ſecuriùs ad minùs univerſalia deſcendimus.

SECTIO V.

Iuſtitiæ Diviſio tradita, & explicata.

VT profundius doctrinam præcedentem intelligas, hanc addamus Sectionem, in quâ de Iuſtitiæ Diviſione, quæ vulgò traditur, diſſeramus.

Quid & quotuplex Iuſtitia ſit?

Iuſtitia *eſt conſtans & perpetua voluntas dandi unicuique, quod ſuum eſt.* Ab aliquibus in Commutativam, & Diſtributivam dividitur. Aliqui addunt Vindicativam, & à Diſtributivâ diſtinguunt, jubentes ut hæc præmia & honores, illa pœnas, & ſupplicia concernant. Conſervativam addunt alii, & ideò Iuſtitiam, ut ſic dividunt in quatuor ſpeciales Iuſtitias.

Conſervativa.

Conſervativa omnes & ſingulos tutatur, & in ſuis poſſeſſionibus & juribus manutenet, nec permittit, ut privata violentia exuantur, aut impediantur.

Commutativa.

Commutativa in commertiis, & contractibus conſiſtit proſpicitque, ut unuſquiſque adquirat, quod ſibi vi pacti debetur. Et ideò dicitur Commutativa, nam in illa res pro re commutatur; quæ ratio etiam in ipſa donatione habet locum, quia vel donatio eſt remuneratoria, vel onus aliquid præſtandi importat; vel ſaltem naturalem quamdam Gratitudinis obligationem inducit, quæ aliquorum ſententia judicatur tàm gravis, ut nolint dona, & munera admittere. Semper igitur ad aliquid Donatarius tenetur: ergo etiam in ipſamet Donatione aliqualis commutatio invenitur.

An & cur in Donatione reperiatur?

Diſtributiva.

Diſtributiva ſita eſt in Dignitatum collatione: hæc enim melioribus, & qui plura in Republica præſtiterunt, magis debentur.

Vindicativa.

Vindicativa ſuppliciis ſceleratos coercet: nam eos, qui ſcelus commiſerunt, punit; & eos puniendo, cæteros, ne talia audeant committere, imperio terret.

Quid ſit iuriſprudentia?

Has quatuor Iuſtitiæ Species Celſus, & ex eo Vlpianus *lib. 7. Inſtitut.* & ex utroq; Iuſtinianus *Tit. 1. Pandect. leg. Iuri operam* s. admittit, & illuſtrat his verbis. *Vt eleganter Celſus definit, Ius Ars, boni & æqui.* Sanè *boni*, quia proſpicit, ut nulli malum accidat, aut injuria inferatur, ſed quæ ſua ſunt quietè & pacificè unuſquiſque conſervet: & *æqui* etiam, quia providet, ut unuſquiſque quæ ſibi debentur, adquirat: unde pergit Vlpianus *Iuſtitiam colimus* Sed unde hoc ſciam? *Namque boni & æqui notitiam profitemur.* Profectò *boni* notitiam profitentur Iudices, cum quemcumque in ſuo Iure conſervant: ſed *æqui* quare? Reſpondet ille, *Æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes* (dantes videlicet quæ ſingulis ex contractu debẽtur. Ecce Iuſtitiam Commutativam) *licitum ab illicito diſcernentes: bonos non ſolum metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoq; exhortatione* (afficere) *cupientes*. Et ecce Iuſtitiam Diſtributivam & Vindicativam; ſine quibus vivere non poteſt Reſpublica; nam ut ex Horatio ad Quinct. lib. 1. Epiſt. vulgò canitur.

Quo ſcire modo poterimus. An Iuriſperiti colant & obſervent Iuſtitiam.

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

An hæc quatuor Iuſtitiæ membra reducantur ad duo?

Sed quæris, qualis ſit hæc Iuſtitiæ, ut ſic in Iuſtitias ſpeciales (Conſervativã, Commutativam, Diſtributivam, & Vindicativã) diviſio? An-ne generis in ſpecies? an verò ſubjecti in Accidentia? Reſpondeo primò quatuor hæc membra poſſe, & debere ad duo reduci: nam Conſervativa, & Cõmutativa inter ſe; nec non Diſtributiva, & Vindicativa Iuſtitiæ inter ſe materialiter differunt, ut ratio evincit & Viri eruditi teſtantur. Audi Leſſium *de Iuſt. & Iur. libr. 2. cap. 1. dub. 4.* qui interrogat. Vtrum Iuſtitia rectè dividatur in Commutativam & Diſtributivam? & ex D. Thoma *quæſt. 6. art. 1.* reſpondet. [Rectè ita dividi. Probatur ex Ariſtotele 5. *Ethic. cap. 2.* ubi duas ponit Iuſtitiæ partes, quarum altera dirigimur in diſtributionibus, altera in Commutationibus. Eadem eſt ſententia communis Theologorũ & Philoſophorũ]. Reſpondeo ſecundò hanc Iuſtitiæ in Commutativam & Diſtributivam, eſſe Analogi conceptus in ſua analogata diviſionem; & efficaciter perſuadeo: nam in his membris dividentibus non invenitur unitas, ſed proportio; nõ enim ut in Hominem, Leonem, Elephantẽ, Animal, ſed ut in Pulſum, & Medicinam

An hæc Diviſio ſit Analogi in Analogata?

ſa-

ſanitas, ſic Iuſtitia in Commutativam, & Diſtributivam diſpeſcitur: nam Iuſtitia dicit proportionem, & ſicut Realia omnia in numero, pondere, & mēſura creata ſunt, & modò conſervantur, ſic etiam Moralia, & Politica in numero pondere & menſura gubernantur: at hæc ipſa proportio, quæ in Iuſtitiæ conceptu communi invenitur, non eſt eadē in membris contractis, quod Univocatio requireret, ſed in Iuſtitia Commutativa eſt Arithmetica, & in Diſtributiva Geometrica. Porrò ſi agamus de Dignitatum præmiorum, & ſuppliciorum diſtributione, omnes eadem olnâ metiri, & viros probos cum improbis, doctos cum imperitis, nobiles cum vilibus confundere, ſumma injuſtitia eſt: debent adſumi ut gubernent, ut doceant, ut expendant homines capaces: nec enim dives, ſi imprudens ſit, gubernare poteſt: nec nobilis, ſi indoctus ſit, in Gymnaſio docere, aut in Tribunali jus dicere; nec doctus prudenſq; ſi ſit pauper, anticipare nūmos, quibus hodie indiget Patria, & poſt annum v.g. refundet. Si autem de cōmutatione diſſeramus, æqualitas Arithmetica ſervanda eſt, tanti enim fieri in foro debet pecunia Senatoris, quā Fabri; & æquè cogi debet, ut creditoribus ſatisfaciat Patritius, quo advena, eodem Conſul, quo Sartor. Et tandem, ſi de conſervatione diſputemus, non magis nobilis, quàm ignobilis, magnus quàm parvus in ſuarum rerum poſſeſſione manuteneri debet. Hinc patet Cyrum Iuſtitiam Commutativam (Conſervativam) cum Diſtributiva confundiſſe. Nam cum duo pueri, grandior parva tunica, minor magna uteretur: ille hunc magna exuit dando videlicet minori, quæ illi aptior, & convenientior videretur. Minor qui exutus per vim fuerat, Cyri tunc etiam pueri imploravit judicium, qui pro ſpoliatore pronunciavit, rem juſtiſſimam feciſſe judicans, togam enim ineptam abſtulit, & aptam dedit. At Cyri Magiſter, ut rem didicit, Cyrum plagis excepit, nam ſi veſtes ille diſtribueret, poſſet, deberetque tunicas illis, quibus parebantur, commenſurare; at cum Lex jubeat, ut quæ ſua ſunt unuſquiſque retineat, non licuit habenti minorem tunicam, & majori indigenti, illum qui majorem habebat, & minore indigebat, ſpoliare. *Xenophon in Cyropædia.*

Ratio analoga.

Diſtributiva in Geometrica proportione conſiſtit.

Commutativa in Arithmetica.

Cyri error.

ARTICVLVS III.

De Argumentatione, ſeu Diſcurſu. *De primis Principiis. De Inductione. An illa Inductione adquirantur? De Congruentia, Enthymemate, & Polylemmate. De Syllogiſmo Formali, Figurali, Vniverſali, Indefinito, Expoſitorio, Probabili, Demonſtrativo, Soritico, Obliquo, Idemtico. De monſtro Dialectico, & Elencho. De exorbitante Conſequentiâ.* &c.

In Realem & Moralem dividitur Argumentatio.

VLtimus ſciendi Modus eſt argumētatio & in hoc ipſa Articulo realiter, & moraliter ediſſeretur. Sumitur formaliter & objectivè: formaliter idem eſt, ac Dialectica, quæ ſic poterit definire, *Argumētatio Activa (ſit vel Docens, vel Vtens) eſt Ars dans Regulas, quibus bene obſervatis, legitimè & ſine erroris ſuſpicione unum ex alio deducetur.* Cæterùm Argumentatio Objectiva, quæ eſt quodam Artefactū Dialecticum, à Complutenſibus *in Inſtitut. Logic. libr. 1. cap. 4.* ſic definitur. *Argumentatio eſt Oratio explicans illationem unius ab alio.* At quia illa, non illationem explicat, ſed facit, illam tu ſic defini. *Argumentatio eſt*, dic, *Oratio inferens unum ex alio.* Id, quod infertur, vocatur *Conſequens*; ratio inferendi *Conſequentia*: id, unde fit illatio ſi ſit unica propoſitio, dicitur *Antecedens*; ſi plures, nominantur *Præmiſſa*; ex quibus, ſi duæ ſint, prior appellatur *Major*, poſterior *Minor*.

Et in Formalē & Objectivam utraque ſubdividitur.

Vtraque definitur.

Conſequens.

Conſequentia. Antecedens. Præmiſſa. Major, Minor.

Argumentationum differentiæ, quæ hodie in Schola obtinent, ſunt Adſcenſus, Deſcenſus, Polylemma, & Syllogiſmos; & hujus præcipuæ differentiæ ſunt, Formalis, Figuralis, Iuridicus, Expoſitorius, Incompletus, Abundans, de quibus ſumma brevitate diſputabimus.

Argumentationis ſpecies.

Scire autem oportet, ab Argumento Argumentationem differre: nam Argumentum eſt, quo cauſa probatur; Argumen-

Argumenti & Argumentationis differentia.

mentatio autem eſt eloquutio ipſa, quæ verbis Argumentum exponit. Authores Fortunatus, Spiegelius, & alii.

Argumentum eſt evidens aut probabile.

Argumentum eſt duplex: Evidens, & Probabile: illud nullam erroris formidinem relinquit: hoc cum formidine aſſenſum intellectus extorquet.

Evidens vocatur liquidum, certum, apertiſſimum.

De Evidenti & Certo agebat M. Fabius *lib.5.cap.*10.dicens. *Cum ſit Argumentum ratio probationem præſtans, qua colligitur aliud per aliud: & quæ, quod eſt dubium, per id quod dubium non eſt, confirmat.* Quo ſenſu accipitur à Paulo *leg. qui filium.* 74. *in fin.* D. *ad S. C. Trebel. leg. fin.* D. *de Public.* Argumenta *liquida* ea, quæ *certiſſima* vocantur *leg.* 2. C. *de in lit. jurand.* quæ etiam dicuntur *apertiſſima.* cum alibi, tum *leg.*3.§.4.D.*de ſuſpect.* Et hæc ſunt, quibus homo convincitur, *leg.*2. C.*quorum appell. non recip.*

Argumentum Topicum.

De Topico, & Dialectico Cicero *in Partit.Orat.*dicens, *Argumentum eſt probabile inventum ad faciendam fidem.* Quam definitionem Iſidorus *libr. Etymol. in cap. forus. de verb. ſignif.* admittit Baldus *in leg conventicula.*C.*de Epiſc.& Cleric.* Vide Gloſſas *in leg.de tutela.* C.*de in integr. reſtit.in leg. deſiderium* C. *de depoſit. in leg.ſi voluntate.*C.*de reſc.vend.* Vnde argumentum pro indicio uſurpavit Vlpianus *leg.* 1. *§.iidem Cornelio.* D.*de quæſt.pro præſumptione.* Africanus *in leg. non omnes.§. à barbaris de re milit.*Quo in loco, Oldendorpio & Spiegelio teſtibus, pulchrum exemplũ eſt, comparandæ præteritæ vitæ ad præſentem, & contra.

An differat ab indicio?

An à præterito ad futurum ſecurum argumentum ducatur?

Hoc ſenſu dicitur quia argumenta proferre, *leg.*74.§.*ult.*D.*ad S.C. Trebel.* Argumenta præſtare. *leg.* 11.§.*mulier.*D. *ad leg.Iul. de adult,* Argumenta dicere, *leg.*3.D. *ad exhibend.* Aut uno verbo arguere. *leg.licet.§.poſſumus.*D. *naut.caup. ſtab.*Vide Alciatum *in leg. qui accuſare.* C. *de edend.*

Evidentiæ & probabilitatis differentia.

Si velis benè aſſequi Demonſtrativi, & Topici Syllogiſmi diſcrimen, adnotato, duas eſſe apud Hiſpanos phraſes, quæ poſſunt ad hoc argumentum conducere: altera eſt, *Andar por las ramas*, altera, *Saber una coſa de raiz*. Videntur enim agitare ramos, qui probabili ratione ducuntur: rem autem radicitùs ſcire, qui evidenti ſunt ratiocinio prævent; ſcire enim dicimur, *cùm rerum cauſas & prima principia penetramus*. Hinc intelligere poterimus Avicennæ de Galeno cenſuram.

Ariſtoteles. *Libr. 1. Phyſic. cap 1.*

Galenus qualis opinione Avicennæ.

Audi Ægidium Columnam, qui *diſt.3. part.2. qu.2, art.2.*ſic inquit. [Avicenna *in dicto lib.9.de Animalib.*admiratus de Galeno, quod auſus fuit contradicere Philoſopho, ſic reſpondet, Quod Galenus loquitur ut Medicus, qui multa ſcivit in ramis, & pauca in radice ſcientiæ &c.] nam magno foliorum apparatu multa probabiliter tradidit, quæ paucis potuiſſet ediſſerere paginis, ſi rem ſcientificè & radicitùs intellexiſſet.

SECTIO I.

De ipſomet Intellectu, ſeu Primorum Principiorum Habitu.

Quid ſit Prima Philoſophia?

Ψυχική, quæ ſit?

SI *Prima Philoſophia* nomine, Suprema intelligenda ſit, erit nomen æquivocum, & à variis Authoribus impoſitum diverſis Facultatibus. Multi enim Ψυχικὴν, hoc eſt, *Animaſticam* ſcientiam; *Metaphyſicam* alii, & alii *Syſtematicam* appellant *Primam Philoſophiam*. Quod ſi *prima* non ab objecti nobilitate, ſed à certitudine dicenda ſit, Habitus primorum Principiorum prima eſt Philoſophia vocandus; nempe ille, qui vulgò vocatur *Intellectus*, ut doceamur habitus, & ſcientias ab intellectu non diſtingui, ſed eſſe unum & eumdem intellectum ad diverſa objecta comparatum. Solet etiam vocari *Habitus Principiorum*, quia verſatur circa prima Scientiarum ſingularum principia, quæ judicantur per ſe nota.

Intellectus, Habitus Principiorum.

An habitus & ſcientia ab intellectu diſtinguantur?

Quid ſit primum principium? An probari poſſit?

II. Prima Principia non benè definiuntur eſſe illa, quæ probari non poſſunt; aliàs enim hæc Poſitio, *Rex Sinarum tripudiat*, deberet vocari per ſe notum Principium, non enim probari ipſa poterit. Sanè aliud eſt, *Aſſertum per ſe notum*, & aliud omninò diverſum *Aſſertum improbabile*: Hoc eſt, quod probari non poteſt: illud quod probari non debet; aut quia ſupponitur, aut quia ex terminorum connexione innoteſcit.

An probari debeat?

Duplex principium.

III. Ad duas Claſſes Principia omnia reduco; alia enim abſolutè & ſimpliciter Principia ſunt, & alia ſolùm relativè. Huic ultimo generi adſcribuntur Principia omnia ſubalternarum Facultatum, quæ nihil aliud ſunt, quàm ſubalternantium Concluſiones, adeoque dicuntur Principia reſpectivè, nimirùm reſpectu ſcientiæ ſubalternatæ: Talia ſunt in Theologia & Medicina omnia Aſſerta in Philoſophia naturali probata; talia ſunt in Aſtronomia omnia illa, quæ à Geometria, aut etiam Arithmetica fuſiùs ſunt demonſtrata.

Principium relativè.

Principium abſolutè.

At Principia abſolutè vocantur; quæ per ſe nota, per ſe probata. Tale eſt, *Duo contradictoria non ſunt ſimul vera*, & fortè præter hoc nullum aliud; omnia enim, quæ circumferuntur, hoc primo Principio fundantur.

Pa-

Digitized by Google

Parallelon Morale:

Habitus Principiorum Moralium.

I. SIcut in ſcientiis naturalibus datur Habitus primorum Principiorum naturalium, ſic etiam in Facultatibus moralibus concedendus eſt habitus primorũ Principiorum moralium; qui non eſt aliquid reale ab ipſomet intellectu diſtinctũ, ſed eſt ipſemet Interllectus prout reſpicit prima Principia, & ſpeciali à nobis vocabulo poſſet *Moralis Intellectus* vocari, ſed quia vulgo Græca vocabula addidere videntur, commune retineamus vocabulum, & hunc habitum *Synteresim* cum multis nominemus.

An ab intellectu diſtinguatur?

Quid ſit Synteresis?

II. Prima Principia moralia non benè definiuntur, quæ probari non poſſunt, ſed quæ non debent, aut quia ſupponuntur, aut quia ex terminorum connexione innoteſcunt: aliàs enim vocaremus per ſe nota principia omnes propoſitiones dubias, quas mores reducturi probare & ſuadere non poſſumus.

Quid Moralia Principia ſint?

Eorum diviſio.

III. Ad duas Claſſes reduco Moralia Principia; alia enim ſimpliciter & abſolutè principia ſunt, & alia nonniſi relativè. Hujus ultimi generis ſunt Principia Iuris Canonici, Civilis, Regularis; etiam Principia omnia Politica, & alia ſubalternarum Facultatum Moralium, quæ tametſi ſubalternatis ſcientiis ſupponantur, & habeantur loco Principiorum, probantur nihilominùs à ſubalternantibus, à quibus non habentur ut Principia, ſed ut Principiorum Concluſiones. Talia ſunt hæc Aſſerta, *Obediendum eſt Summo Pontifici*; *Obtemperandum Regibus*; *Obſervanda ſunt vota ſolennia*; *Præponendum eſt bonum publicum bono privato*: quorum primum eſt fundamentale Iuris Pontificii Principium; ſecundum eſt primum Principium Iuris civilis; tertium eſt primum Principium Iuris Regularis; quartum eſt primũ Principium Politicum; at in ſuprema Philoſophia Morali nullum ex his quatuor principium eſt; omnia enim probantur, & legitimè à primis Principiis inferūtur. Porrò Principia Moralia ſimpliciter & abſolutè prima vocantur illa, quibus alia priora non ſunt; Tale eſt, *Obediendum eſt Deo*, & fortè præter hoc, nullum aliud; omnia enim alia, quæ circumferuntur, aut reduci ad hoc poſſunt, aut ex iſto probari.

Principia Moralia relativa.

Principia abſoluta.

Obſervandum eſt tamen hoc ipſiſſimum primum Principium, quod poteſt & ſolet dici per ſe notum moraliter, eſſe primum abſolutè moraliter, hoc eſt, intra moralitatum limites, debet enim probari phyſicè; quia cum Moralis Philoſophia ſubalternetur naturali, claudicaret omninò niſi prima Moralis Philoſophiæ Principia eſſent Concluſiones demonſtratæ à Philoſophia naturali. Demonſtrationem ipſam, & modum quo procedit Synterrſis datur inferiùs cum agitur de Diſcurſu morali.

Ethica Phyſicæ ſubalternatur.

N O T A.

SI nullum Principium datur, quod extra dubium ſit, nulla etiam ſcientia datur; & quia certum eſt aliquas ſcientias dari, dari aliqua Principia certum eſt. Unicum punctum fixum extra tellurem petebat Archimedes, ut terram univerſam erigeret; ergo unicum aſſertum fixum & certum extra diſputationis aleam, ut veritatem univerſam erigam & producam. Scio fuiſſe aliquos, qui libros integros Axiomatum, & Principiorum nundinarentur: ſcio alios fuiſſe, qui omnia incerta & ambigua drlirarent, illos de prodigalitate, hos de avaritia incuſo: & medium tenens, ne avarus, aut prodigus videar, parcus ero. Admittam aliqua Principia, pauca tamen, & talia, quæ in dubium revocari non poſſint.

An dentur Principia per ſe nota?

Punctum Archimedæum.

Principia ſunt perpauca.

PRINCIPIUM I.

NON *dantur duæ contradictoriæ, quæ ſint ſimul veræ, aut ſimul falſæ.* Hanc Poſitionem eſſe per ſe notam, & per ſe ipſam probari, alibi à nobis clariſſimè monſtratum eſt. Contradictoriæ propoſitiones illæ ſolummodò dicendæ, *quæ ſunt affirmatio & negatio ejuſdem formalitatis de eadem formalitate, ſecundum idem.* Unde ſi ſit aliqua terminorum, aut connotatorum varietas, non ſunt contradictoriæ.

De contradictoriarum coexiſtentia.

Quæ ſint contradictoria?

Nota id bene.

Corollarium I. *Poteſt mutari realis denominatio, & Propoſitio tranſire de contradictoria ad contradictoriam ſine interna mutatione ſubjecti.* Patet; quia, ſi modò eſt vera hæc Propoſitio, *Ego ſum à dextris Pauli*, poterit cras eſſe vera hæc, *Ego non ſum à dextris Pauli*, & hoc ſine aliqua mutatione mei; puta ſi mutaretur aliò Paulus.

De mutatione extrinſeca.

Corollarium II. *Eadem res poteſt & ſolet habere varia nomina & denominationes etiam contradictorias, quas lucretur, aut perdat, comparata ad extrinſecos terminos, ſine aliqua mutatione intrinſeca.* Et oſtenditur; quoniam eadem numero comeſtio, quæ *Ientaculum* eſt, eſſet *Prandium*, *Merenda*, *Cœna*, *Comeſſatio*, ſi mutaretur merum tempus. Eadem Aula, quæ *Muſeum* eſt, eſſet *Schola*, *Gymnaſium*, *Refectorium*, *Cœnaculum*, *Dormitorium*, *Locutorium*; aut etiam *Penuarium*, *Granarium*, &c. vel tandem

De Connotatis.

Eadem res à diverſis connotationibus & uſibus diverſimodè denominatur.

dem *Oratorium*, *Sacellum*, *Eccleſia*, *Synagoga*, *Meſquita*, &c. & hoc ſine intrinſeca mutatione aliqua, ſi aliis uſibus deſtinaretur.

Theologica.

An Divina ſubſint legi contradictoriæ?

PETIS PRIMÒ. An contradictoriarum lex etiam habeat locum in divinis? Et videretur, quod non. Quoniam hæ duæ Propoſitiones, *Divinitas eſt Filius*, *Paternitas non eſt Filius*, ſunt contradictoriæ, ſunt enim ejuſdem de eodem; & tamen ſimul veræ.

An, & quomodo relationes à Divinitate diſtinguantur?

Reſpondeo in divinis non poſſe duas verificari contradictorias, & objectas propoſitiones eſſe diſparatas; quoniam juxta Angelici Doctoris, Scoti, & aliorum ſententiam, tametſi habeant idem prædicatum, non ſunt de eodem ſubjecto; Divinitas enim & Paternitas non ſunt una formalitas, ſed ſunt duæ formalitates præciſivè aut ex naturâ rei diſtinctæ & infinitè idemtificatæ inter ſe.

An contradictoria legi ſubſint Divinæ?

PETIS SECVNDÒ. An-ne Deus poſſit facere ut in creatis duæ contradictoriæ ſint veræ? Et has propono, *Petrus eſt vivus*, *Petrus non eſt vivus*. An-ne poterit Deus facere eſſe utramq; veram? aut quod æquè repugnat, eſſe utramque falſam?

De potentia infinita.

De corpore in duobus locis replicato.

Reſpondeo primò: has duas Propoſitiones, niſi de eodem loco & tempore ſint, non eſſe contradictorias. Porrò, ſi mutetur tempus, tollitur contradictio; non enim opponuntur hæ, *Petrus in inſtanti A. vivit*. *Petrus in inſtanti B. non vivit*. Quid, ſi mutetur ſolus locus? corpus, quod replicaret Deus in duobus locis, poſſet in uno deambulare, in alio ſedere; in uno loqui, in alio tacere; in uno eſſe vivum, in alio mortuum. &c. Ergo oportet agere de vera contradictione, quæ ſit affirmatio & negatio ejuſdem prædicari de eodem ſubjecto ſecundum eamdem temporis & loci circumſtantiam. &c.

Quid ſit contradictio?

Reſpondeo ſecundò, non defuiſſe qui haberent aſſetentem ſententiam, illamque ad Dei infinitam omnipotentiam reducerent. At dicimus oculum infinitè perfectum non eſſe viſurum inviſibilia, nec aurem infinitè perfectam inaudibilia; adeòque nec potentiam infinitè perfectam impoſſibilia. Hinc patet PP. Ieſuitas malè; ut futurorum contingentium, tam abſolutorum, quàm conditionatorum notitiam Deo tribuant, ad Omniſcientiam & infinitam Dei cognitionem recurrere; quoniã ſi ante decretum illa non habent determinatam veritatem aut falſitatem, ab infinitâ mente cognoſcentur, ut ſunt in ſe; hoc eſt, non cognoſcentur eſſe vera, nec cognoſcentur eſſe falſa; ſed cognoſcentur veritatis & falſitatis eſſe expertia. Quam obrem, ſi nihil homo poteſt facere niſi prædeterminetur à Deo, ſuâ ſcientia media tametſi infinita nunquam cognoſcet Deus, quid Petrus faceret, ſi haberet in talibus circumſtantiis tale congruum auxilium, quod non eſſet phyſica prædeterminatio; ſed cognoſcet Petrum eſſe non operaturum omninò, & ſub omnibus illis circumſtantiis adhuc prædeterminatione indigere.

De ſcientia media, & conditionatorum futurorum notitia.

De phyſica prædeterminatione.

Quàm neceſſaria ſit?

Dubium incidens.

PETIS TERTIÒ, ut Corollarium I, theologicè intelligas, An-non ſint iſtæ contradictoriæ, *Deus odio habuit Petrum*, *Deus non habuit odio Petrum?* & ſi ſint, An-non ſint ſimul veræ? Ipſe enim Deus ipſum Petrum odio habuit peccantem, & odio non habuit pœnitentem.

Reſolutio.

Reſpondeo eſſe ſimul veras, non tamẽ contradictorias, quia non ſunt ſecundum idem; mutatur enim Petri tempus, ſtatuſque; nam in prima ponitur Petrus & peccatum, in ſecunda Petrus & pœnitentia: & Petrus infectus peccato odio habetur, & dealbatus lachrymis contritionis amatur.

Dubium alterum.

Dei nomina non ſunt ſynonyma.

PETIS QVARTÒ, Vtrùm in Deo dentur etiam varia nomina, & extrinſecæ denominationes? Et reſpondeo aſſertivè. Quoniam ipſe Dei Intellectus, prout cognoſcit poſſibilia, dicitur *Simplex Intelligentia*, prout præſentia *Viſio*; prout futura conditionata libera, *Scientia media*. Et ipſa Dei voluntas prout creat, vocatur *Omnipotentia*; prout omnia gubernat, *Providentia*; prout Sanctos cœlo præparat, *Prædeſtinatio*; prout peccatores punit *Iuſtitia*; prout reis concedit veniam, *Miſericordia*; prout ſublevat miſerias hominum, *Clementia*.

PRINCIPIVM II.

De aſſenſu & diſſenſu: An poſſint eſſe ſimul?

QVamdiù certò rem eſſe veram ſcio, non poſſum putare eſſe falſam. Si hoc Principium tollitur, tolluntur & Mendacia & Perjuria; qui enim mente eidem Poſitioni ſimul aſſenſum & diſſenſum præberet, poſſet Poſitionem, cui aſſentitur, ſine mendacii macula negare, & negationem firmare juramento ſine perjurii ſuſpicione; quoniam ſecundum mentem loqueretur. Nec poſſet dici eſſe ſimul mendax & verax, verba enim vera ſunt, quæ alicui mentis judicio conſonant, falſa quæ nulli. Quod ſi ejuſmodi Hominem ſimul fore veracem & mendacem contendas, perſuadebis negari debere Principium, è quo tale abſurdum infertur.

Hinc

Digitized by Google

An ſint Entia rationis? Quid ſi darentur, eſſent?

Hinc ſequitur primò, *Non dari entia rationis*; & oſtenditur; Quoniam Ens rationis, ſi daretur, deberet eſſe *id, quod exiſtit obiectivè in intellectu, & non poteſt eſſe à parte rei*; quæ enim de facto exiſtunt, aut exiſtere poſſunt, *Entia rationis* non vocantur. Nec patiemur, ut recurras ad voces, quoniam Nos Entia linguæ ab Entibus rationis diſtinguimus, & aſſerimus Hominem ea, quæ certò ſcit eſſe vera, non poſſe mente negare, ſed poſſe lingua: poſſunt enim iſta *Albus carens albedine. Albus eſt carens albedine, Eſt albus, ergo caret albedine*, labio dici, non mente: quoniam, ſi ego Album albedine carentem, apprehenderem, poſſem ſimul hæc duo judicia mentali aſſenſu exprimere; videlicet, *Albus carens albedine eſt albus, Albus carens albedine eſt carens albedine*, vel aliis verbis, *non eſt albus*. Quod clariùs in Iudicio & Diſcurſu demonſtratur.

An entia linguæ dentur?

An objectum Logicæ ſit Ens rationis?

Sequitur ſecundò, *Objectum Logicæ non eſſe Ens rationis*; quoniam, ſi Ens rationis ne quidem objectivè eſt, nullius objectum ſcientiæ eſt. Et hinc iterum ſequitur ſecundas intentiones Logicas (nimirùm, denominationes Nominis, Verbi, Vniverſalis, Generis, Speciei, Individui, Subjecti & Prædicati; Majoris, Minoris, Concluſionis, &c.) non eſſe relationes rationis, ſed denominationes extrinſecas veras & reales.

An relationes Logicæ ſint Entia rationis?

An tempora, & ſpacia imaginaria ſint entia rationis?

Sequitur tertiò, *Tempus poſſibile & ſpacia imaginaria* (etiam, ſi dicantur fingi, & non dari) *non eſſe entia rationis*; *ſed entia verè poſſibilia*. Et ratio eſt; quia potuit Deus alia realia tempora facere, ut imaginaria ponuntur; & poteſt realia ſpacia ſupra cœlos condere, ubi nos illa imaginamur.

Theologica.

Duæ conſequentiæ notabiles.

TEneo hanc eſſe bonam conſequentiam, *Non dantur Entia rationis, Ergo datur Deus*; item hanc: *Ego cogito Deū, Ergo non ſolùm objectivè, ſed & realiter datur Deus*. Et oſtenditur. Quia, ſi Deus cogitatur à me, Ens habens omnem perfectionem cogitatur, id enim unicum intelligo nomine Dei: Atqui hoc objectum non eſt Ens rationis; quia Entia rationis non dantur. Ergo erit Ens exiſtens aut ſaltem poſſibile. At non eſt poſſibile; ergo exiſtens. Probatur minor; Quia Ens poſſibile caret aliqua perfectione, nimirùm exiſtentia; Ergo repugnat Ens aliquando poſſibile omnem habere perfectionem.

Quid ſit Deus?

Repugnat, ut res infinitè perfecta ſit purè poſſibilis.

Affirmo conſequenter. *Inter formalitates, quæ identificantur in Deo, non dari diſtinctionem, quæ ſit Ens rationis*. Aſſero, *Actum liberum Dei nec inferre nec involvere Ens rationis*. Et univerſaliter concludo, *Omnes moralitates eſſe denominationes reales, & non Entia rationis*. Et ratio generalis hæc eſt, Quia, ſi Entia rationis non dantur, nihil in mundo erit, quod Ente rationis conſtituatur aut afficiatur.

An diſtinctio aliqua ſit Ens rationis?

An actus Dei liber: aut aliqua relatio, aut moralitas illud involvat?

PRINCIPIVM III.

De hoc Principio multa alii: multa etiam Ego proprio loco.

HOc Axioma (*Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*) *in omni ſenſu doctrinali eſt falſum*. Et oſtenditur, quoniam eſt falſum in Divinis, in Humanis, ſi tertium ſit univerſale, ſi ſit ſingulare; nam Paternitas & Filiatio ſunt idem huic ſingulariſſimæ Divinitati, nec tamen aut Filiatio Paternitas, aut Paternitas Filiatio eſt. Et Petrus Pauluſque ſunt idem Homini, nec tamen Paulus eſt Petrus, aut Petrus Paulus.

Vide noſtram Metalogicam Libr. 1. per totum.

Scimus verba ſolere limitari, & juvari, ne abſolutè negentur. Sed cur tempus impendas, cùm ſit negare faciliùs & inutilis hæc meditatio? Imò non inutilis modò, ſed & inſufficiens & exorbitans.

An illud potiùs debeat diſtingui, quam negari?

Si dicas, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe in illo tertio*, intelligam, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem uni tertio*; aut fortè, *Quæ ſunt inter ſe eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe uni tertio*. Sed quo fructu?

Luſus verborū.

Si dicas. *Quæ ſunt eadem uni tertio re & ratione ſunt eadem inter ſe*, ludes verbis, non tamen mente uteris, in hoc enim diſcurſu, *Marcus eſt Cicero, Tullius eſt Cicero; ergo Marcus eſt Tullius; ergo Tullius eſt Marcus*; lingua obluditur, & intellectus hæret.

Syllogiſmus identicus.

Circumloquiū inutile.

Si dicas, *Quæ ſunt eadem uni tertio duobus realiter diſtinctis incommunicabile, ſunt eadem inter ſe*, facilius diceres, *Quæ ſunt eadem, ſunt eadem*. Et non ſecus, qui diceret, *Homines qui reſpiciunt murum, qui non reſpicitur ab inimicis, ſunt amici*, impingeret in tertium Principium, nam faciliùs, breviùs & clariùs diceret, *Qui ſunt amici, ſunt amici*.

Si tandem dicas, *Illorum, quæ ſunt eadem uni tertio, alterum eſt aliquid quod eſt alterum*, reſpondebo hoc ſenſu fruſtrà recurri ad identificationem cum tertio; non enim dabuntur duo entia, quorum alterū non ſit aliquid, quod ſit alterum: quoniam Petrus eſt aliquid, quod eſt Paulus; eſt aliquid quod eſt Leo; eſt aliquid quod eſt Angelus, & eſt aliquid quod eſt Deus. Addam eodem jure debere dici, *Illorum, quæ ſunt eadem uni tertio alterum eſt aliquid quod non eſt alterum*; nam Petrus eſt

Omnes res conveniunt in aliquo;

& differunt in aliquo.

aliquid quod non eſt Paulus; eſt aliquid quod non eſt Leo; eſt aliquid quod nō eſt Angelus; eſt aliquid quod non eſt Deus.

Theologica.

An illud Axioma ſuſtineri debeat, aut poſſit?

HOc Axioma ab Scholis expungimus, & ſic faciliorem reddimus Trinitatem.

Solent aliqui tametſi hanc Poſitionem, *Pater eſt Filius*, negent, admittere has, *Pater eſt eadem res ac Filius*; *Pater eſt unum cum Filio*; *Pater eſt idem cum Filio*; (ſumpſi illud *idem* ſubſtantivè) *Pater & Filius ſunt idem inter ſe in Divinitate*; *Pater eſt aliquid quod eſt Filius*; & ſic putant manuteneri poſſe axioma. At ego nihil doctrinale hîc percipio; & tametſi idem poſſit dici de Petro & Paulo, adhuc Axioma rejiciendum exiſtimo. Veræ enim ſunt hæ Poſitiones, *Petrus ſpecificè eſt eadem res ac Paulus*; *Petrus eſt ſpecie unum cum Paulo*; *Petrus eſt ſpecie idem cum Paulo*; *Petrus & Paulus ſunt idem inter ſe in ratione hominis*; *Petrus eſt aliquid quod eſt Paulus*: & nihilominus, ſicut Pater non eſt Filius, ſic nec Petrus eſt Paulus.

Quo ſenſu Pater & Filius in Divinis, nec non Petrus & Paulus in humanis ſint idem.

Hinc patet toto cælo oberraſſe Authores illos, qui Humanam Divinamque Dialecticam hoc Axiomate fundant: non enim ſufficit, ut vidimus, utramque extremitatem eſſe idem Medio, ad hoc ut de ſe prædicentur.

Non innititur Dialectica huic Axiomati.

Hinc patet aliud Axioma iſti ſimile; videlicet, *Quæ ſunt eadem inter ſe, æquè diſtant à quoque tertio*, eſſe etiam falſum: Paternitas enim & Divinitas ſunt eadem res, & tamen diverſimodè à Filiatione diſtinguuntur; nam à Filiatione realiter diſtinguitur Paternitas, non tamen realiter Divinitas. Idem dicam de Petro, & Homine, qui identificantur, & nihilominùs inæqualiter diſtant à Paulo.

Axioma alterum examinatur.

Sed objicis. Huculque Logica his duobus Principiis, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, & *Quæ ſunt eadem inter ſe, æquè diſtant à quovis tertio*, ſuccollabatur: priori enim ſyllogiſmi, qui poſitivè concludunt: & poſteriori, qui concludunt negativè, inſiſtebant: Hæc ipſa Principia rejiciuntur: eſſe falſa dicuntur: ergo aut tollitur Logica, aut ab aere dependere jubetur.

An Logica fundamenta deſtituatur?

Nego hanc conſequentiam; nam aliis Principiis Dialecticæ efficacia fundatur: nimirùm; *Dici de omni*, & *Dici de nullo*, quæ ad longum proponuntur his verbis. *Quod dicitur de omni, dicitur de ſingulis*; *Quod negatur de omni negatur de ſingulis*. Hæc ſunt Principia, quibus omnis nititur ſyllogiſmus; ſine quibus non ſubſiſtet Dialectica; quoniam hic ſyllogiſmus,

Fundamenta Dialectica.

Da- *Omnis homo eſt animal.*
ti- *Petrus eſt homo.*
i. *Ergo Petrus eſt animal.*

Principium Dici de omni expenditur.

ediſſeritur ſic. [Quod dicitur de omni homine, de ſingulis hominibus dicitur. At de omni homine dicitur *animal*. Ergo de ſingulis hominibus etiam dicitur *Animal*. At Petrus eſt homo. Ergo de Petro dicitur *Animal*, Ergo Petrus eſt animal.] Hic autem ſyllogiſmus,

Fe- *Nullus equus eſt lapis*,
ri- *Bucephalus eſt equus*,
o. *Ergo Bucephalus non eſt lapis.*

Alexādri Magni Equ⁹ vocabatur Bucephalus.

dilucidatur ſic. [Quod negatur de omni equo, negatur de ſingulis equis. At de omni equo negatur *lapis*. Ergo de ſingulis etiam equis negatur *lapis*. At Bucephalus eſt equus. Ergo de Bucephalo negatur lapis. Ergo Bucephalus non eſt lapis.] Et eodem poſſemus modo in quibuſcumque aliis ſyllogiſmis procedere.

Principium Dici de nullo illuſtratur.

SECTIO II.

De Univerſali & Particulari.

AB affirmatione termini communioris ad minùs communem, non valet conſequentia: valet contrà. Tenet autem à negatione communioris. Vaconius *libr. 2. declar. 1. num. 6.* [Quemadmodum enim valet, *Non eſt animal*, *Ergo non eſt homo*, quia ſublato genere tolluntur omnes ſpecies: genus enim non habet ſuum eſſe niſi in ſpeciebus ſuis. *l. ſi quid earum. §. Inter emptā ff. de lege. 3.* ita valet, *Ex meo non fit tuum. Ergo non eſt mutuum.* Et quemadmodum non valet, *Eſt ibi animal*, *Ergo eſt homo*, poteſt enim eſſe equus; ita non valet, *Ex meo fit tuum*, *Ergo eſt mutuum*, quia poteſt eſſe donatio. Et ſicut valet, *Eſt homo*, *Ergo eſt animal*, ita ſequitur, *Eſt mutuum, Ergo ex meo fit tuum.*] Conſonat ſibi vir eruditus *lib. 3. declarat. 1. num. 4.* aſſerit Creditorem eſſe genus, & ad ſpecies, quæ ſub illo concipiuntur, deſcendens, ſic inquit [Unaquæque ſpecies propriè eſt *Creditor*, nam genus propriè ineſt cuilibet Speciei. *l. ſi quid earum. §. inter emptum ff. de leg. 3.* Animal enim, uti genus ineſt propriè, & Elephanti, & homini, & muſcæ, nam poſita Specie, ponitur, & genus *d. §. Inter emptum*, quemadmodum enim licet ita argumentari, *Eſt Elephas*, *ergo & Animal*, & *Eſt homo*, *ergo eſt Animal*. Et quemadmodum, & Elephas, eſt propriè Animal, cum ſit

Quomodo à communiori ad minus commune vel contra affirmando aut negando liceat argumentari?

De mutuo.

Creditor & Debitor ſunt genera, quæ habent multas ſpecies, & de ſingulis propriè & quidditativè prædicantur.

Spe-

Digitized by Google

Species Animalis, ſicut Elephas & homo. Cum igitur, *Creditor* ex contractu, vel quaſi, & *Creditor* ex maleficio, vel quaſi; ſint ſpecies *Creditoris*, uti in genere ſumpti, ſequitur, ut *Creditor*, uti genus, inſit cuilibet ſpeciei. *d. §. inter emptum.* Si ineſt, prout ineſt jure, licet ita argumentari: *Eſt Creditor ex contractu, & ſit in Specie, ergo eſt propriè Creditor:* quemadmodum, *Eſt homo in Specie, ergo eſt propriè Animal*, item *Eſt Creditor ex maleficio, vel quaſi, uti in Specie, ergo eſt propriè Creditor:* quemadmodum valet, *Eſt muſca in Specie, ergo eſt propriè animal*; & ſi in hoc mihi non aſſentiris, conſule Dialecticos. Et ex ſupradictis patet, eum, cui ex delicto, quid debetur, eſſe Creditorem in ſpecie, & eſſe propriè Creditorem, nam Creditor eſt, cui ex aliquâ cauſa debetur, *d. l. Creditorem.* Et quemadmodum negari non poteſt, eum qui ex delicto debet, propriè eſſe debitorem, cui ſit obligatus. *Inſtit. de obligat. quæ ex delict. naſ.* ita, & negari non poteſt, eum cui ex delicto debetur eſſe propriè Creditorem: cùm ſint correlativa, & ſpecies ſit creditor.]

De Creditore.

An omnis, cui aliquid debetur, ſit creditor?

Et hic obiter nota, linguam Latinam in multis rebus vocum laborare penuriâ, & præcipuè in hoc caſu. *Debitor* eſt nomen generaliſſimæ ſignificationis, non enim exprimit originem debiti, ſed ſolum debitum. Eſt ergo Debitor is, qui debet. Sed quomodò vocabitur ille, cui debetur? &, quia *Debitor* relativum eſt nomen, quodnam erit illi correlativum? Vaconius ait eſſe *Creditor*; dicerem ego, quod tale nomen non habet lingua Latina; poſſum enim eſſe, cui debeas, etſi tibi nihil crediderim. Eſſet ergo facilius & ſecurius novum nomen invenire, quàm veterum nominum receptas, & derivatione probatas, ſignificationes mutare.

Nomen Debitor eſt generaliſſimum: correlativum ſub eadem generalitate Lingua Latina non habet.

DE Regularum Vniverſalitate & Particularitate jam ſuperiùs tractavimus: pauca hic ſubjungo. Illos ſtatuo ſæpè decipi, *Doctores Regulæ*, qui Iuris notitia tinguntur fidentes Regulis, & illas Principia eſſe putantes: quia reſpondendũ de Iure eſt, per ſpeciales deciſiones, non per Regulas Generales, ut ait Gratian. *qu. forenſ. c. 335. num. 20.* poſt Selm. *in c. 1. columu. 6 §. & iſta nota. num. 6.* & Franc. *deciſ. 266. nu. 3.* Theoricæ enim generales non illuminant intellectum practicum, qui debet eſſe de rebus ſingularibus. Gratian. *l. c. nu. 22.* poſt Baldum *in c. cum acceſſiſſent. §. modò proſequor. num. 21. de conteſtationib.* Mantica *de tacitis. lib. 4. tit. 1. nu. 1.* & Regulæ ſemper fallunt, ubi æquitas ſuadere videntur, teſte Abbate *in cap. intelleximus. num. 5. de Iudic.* unde oportet exceptiones cognoſcere, ut Regula in contrarium firmetur. Gratian *c. 202. nu. 9.* Quam ob rem Aretinus *conſ. 106. col. 4. §. venio ad tertiũ. nu. 6.* Lectores ſuos admonet, dicens. *Regulæ generales ſpectant ad pauperes Doctorellos, nec per eas eſt reſpondendum de Iure, ſed per ſpeciales deciſiones.*

Regulæ generales non ſunt Principia, nec univerſaliter verificantur.

Doctores Regulæ, qui?

Doctorelli qui ſint?

SECTIO II.

Quomodo Vniverſales Propoſitiones adquirantur? nimirùm, *De Inductione, aut Adſcenſu*, ac propterea etiam *De Deſcenſu.*

OBſervarunt Philoſophi ſe ſine Vniverſalibus propoſitionibus, nec poſſe diſcurrere, nec diſputare; & ideò cogitarunt methodum, quæ Vniverſales adquireret: quam *Inductionem* Rhetores, & Logici *Adſcenſum* vocarunt. Eſt autem Inductio argumentatio, in qua à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad Vniverſalem Propoſitionis quantitatem aſcenditur: ut cùm dicimus.

An ſine propoſitionibus univerſalibus poſſit dialecticari?

Quid ſit Inductio?

Petrus eſt animal, Ioannes etiam, Ferdinandus ſimiliter. &c. nec eſt aſſignabilis, vel unicus homo, qui non ſit animal.

Ergo omnis homo eſt animal.

Sed aliquando Ethici bene concludunt, & tamen Inductionis rigorem non obſervant. Virgilius Eclog. II.

O formoſe puer, nimium ne crede colori.
Alba liguſtra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

Adſcenſus quo Virgilius eſt uſus.

Quæ verba ſunt ſimilia ſequentibus.

Cadunt fructus albi,
Cadunt & nigri.
Ne ergo puer colori confide.
Sive enim candidus, ſive niger
Sis, occides, hoc eſt *morieris.*

Non concludit evidenter: cùm, quia à duobus ad Vniverſalem adſcendit; tum, quia præter albos nigroſque etiam fructus aliorum colorum leguntur. Accedit, ab arborum fructibus ad homines argumentum, non per identitatem, ſed per ſimilitudinem procedere. Interim ad perſuadendum, aut monendum Morali efficacia non caret.

An ſit efficax?

Huic Inductioni eſt alia ſimilis, quæ legitur apud Capitolinum: ſic enim ait. [*Maximus, cùm nimium fideret corporis viribus quidam in theatro ipſo præſente Græcos verſus recitavit, quorum hæc eſt* ſententia.

Alius Adſcenſus ſimilis.

Elephas grandis eſt, & occiditur:
Leo fortis eſt, & occiditur:

Ti-

Oportet ut multos timeant, quē multi timent.

Tigris fortis eſt,& occiditur:
Cave multos,ſi ſingulos non times.

Qui ab uno non poteſt occidi,à multis occiditur.]Adſcendit à tribus Particularibus ad Vniverſalem, & inde deſcendit ad ſingularem; vult enim intermedias conſequentias ſubintelligi;tota enim Inductio debere poni ſic.

Elephas eſt grandis, fortiſq;& tamen poteſt occidi:
Leo eſt grandis, fortiſq; & tamen poteſt occidi:
Tigris eſt grandis, fortiſq; & tamen poteſt occidi:
Ergo omnes animantes, etſi magna & fortes, nihilominùs poterunt occidi.
Ergo & quicumque homines, etſi magni & fortes, etiam poterunt occidi.
Ergo & tu, Maxime, tametſi magnus & fortis ſis,poteris occidi.
Ergo cave multos, ſi ſingulos non times;
Quia, quæ ſinguli ſeorſim non poſſunt, multi,ſi conſpirent, & rem ſimul præſtare velint, poſſunt..

Majori gratia quidam Poeta junior, ut Saracenarum Iuvenum impuritatem incriminaretur, imitatus Gongoram cecinit.

Additur novus conceptus ſi illud ſin ſello *euphonia gratia dicatur pro* ſin ſerlo.

Dos claſſes hay de doncellas
En aqueſte noble reyno:
Que las unas ſon ſelladas,
Y las otras ſon ſin ſello.

Qui conceptus poteſt ad hæc verba reduci,

Quales Saracenæ ſint Virgines?

Inter habere ſigillum, & carere ſigillo *non datur medium. At puellæ Conſtantinopolitanæ ad duas claſſes ſpectant: quæ in altera, ſunt ſigillatæ; quæ in altera, carent ſigillo.*

Ergo omnes ſunt Virgines ſecundum dici.

Æquivocationes explicantur.

Concludit ingenioſè, & ſatyricè; non tamen univerſaliter, & evidenter, quia aliud eſt eſſe ſigillatam, & aliud habere (retinere) puritatis ſigillum. Accedit & alia æquivocatio: nam *ſin ſello*, dicitur. interdum pro *ſin ſerlo*, hoc eſt, *quin ſint*; unde ultimus verſus reddit hunc ſenſum, *& alia ſunt Virgines, quin ſint.*

Papiniani inductio.

Simili argumentabatur modo Papinianus *libr.4.Sylvar.ad Marcellum*, dum nobilitatem in paternam, & maternam dividens,ait.

Stemmate materno felix, virtute paternâ.

Quid ſit nobilitas?

Vt illum perfectè nobilem eſſe concludat: eſſe enim nobilem, eſt habuiſſe progenitores virtute eximios. Et hic puto poſſe Doctorum conciliari ſententia; nam tametſi contra Pogium & Platinam, Iacobus Burrius & Baldus *in l.nobiliores.C. de commerc.& merc.* Bartolus & Ioannes Plat. *in l.1.C.de digni* & iterum Bartolus *in l.1. in fin.de cond. in publ.hor. lib.10.* & Ioann. Ray.*tract.de nobilit.qu.1.ſub init.in opin.2.* & iterum *in expoſitione definitionis*; rurſuſque *in qu 4.ſub init.*& Panormitanus *ca.1. ſub princ. de purg. canon.* Nobilitatem à virtute diſtinguant; utrumque poteſt plauſibiliter dici: nam tibi eſt nobilitas avorum virtus: & tua virtus poſteros tuos nobiles reddet. Videtur Virtutem à Nobilitate diſtinxiſſe Claudianus *in Panegyrico IV. Conſulatus Honorii*; introducit enim Theodoſium Honorio dicentem.

An à Virtute diſtinguatur?

Si tibi Parthorum Soliam Natura dediſſet,
Chare puer terriſque procul venerandus Eois
Barbarus Arſacio conſurgeret orbe Thyaras
Sufficeret ſublime genus luxuque fluentem
Deſide nobilitas poſſet te ſola tueri.
Altera Romanæ longè Rectoribus Aulæ
Conditio virtute decet, non ſanguine niti.

An Virtus ſit melior?

Si quæras, utrum anteferenda ſit Nobilitas? Reſpondet apud Auſonium Solon.

Pulchrius multò parari, quàm creari nobilem.

Modò uſum Inductionis videamus. Sic diſcurro.

Vſus Inductionis in Iure.

Petrus eſt clarus virtute paterna & materna,& cenſetur nobilis.

Ioannes eſt clarus virtute paterna, & materna,& ſimiliter cenſetur nobilis.

Franciſcus, Antonius,&c.eodem modo:nec ſcimus aliquem,qui virtute paterna,& materna clareat,non eſſe nobilem.

Ergo omnis homo,qui virtute paterna, & materna clarus eſt,erit nobilis.

De materia neceſſaria, & repugnante.

Petis, An in materia neceſsaria,aut repugnante Inductione indigeamus, ut propoſitiones univerſales indipiſcamur?

Quid ſit materia neceſſaria? quid repugnāt?

Reſpondeo primò in materiâ neceſſariâ affirmativam; & in materiâ repugnante negativam omnem propoſitionem eſſe veram, ut *Omnis homo eſt vivens, Nullus homo eſt lapis.* At dum hæc dico, circulum manifeſtè committo. Nam materia neceſſaria dicitur,quando toti ſpeciei(omnibus contentis ſub ſpecie) prædicatum eſſentialiter competit: & materia repugnans, quando illud toti ſpeciei (omnibus contentis ſub ſpecie) eſſentialiter debet non convenire. Quam ob rem in utraque hac materia aſcendimus ab uno ad omnes dicendo.

Hic homo eſt animal.

Ergo

Digitized by Google

An. & quando ab uno ad omnes liceat argumentari?

Ergo omnis homo eſt animal.
Hic homo non eſt lapis,
Ergo nullus homo eſt lapis,
quoniam, quæ ſunt uni individuo eſſentialia, omnibus ſunt eſſentialia; nam individua ſicut non differunt ſpecie, ſic nec eſſentia diſtinguuntur.

Quàm ſit difficile materias neceſſariam & contingentem diſcernere?

Reſpondeo ſecundò eſſe ſummè difficile materiam neceſſariam & repugnantem à contingente diſcernere, dicimus enim has aſſertiones,
Petrus eſt ſenſibilis,
Petrus eſt vegetabilis. &c.
eſſe neceſſarias: has verò repugnantes,
Petrus eſt lapis,
Petrus eſt argentum. &c.

An homo lapideus, argenteus, &c. ſit poſſibilis?

quia nullum hominem vidimus, qui non ſentiret, qui non vegetaretur, &c. nullum, qui eſſet lapideus, aut argenteus: ſi ſuponitem, per impoſſibile, rationalem arboribus animam Deus infunderet; ſi lapidibus, metallis-ve ſenſibilem, aut vegetabilem, Mundus eſſet alius, & aliter philoſopharemur. Ergo non omnes propoſitiones, quæ hodie dicuntur impoſſibiles & repugnantes, tàm neceſſariò falſæ ſunt, ut per miraculum eſſe veræ non poſſint.

Multa ſunt impoſſibilia naturaliter, quæ ſunt poſſibilia divinitùs.

De terminis evidenter connexis, aut oppoſitis.

Reſpondeo tertiò in propoſitionibus, in quibus ſubjecti, & prædicati evidenter percipitur identitas, aut oppoſitio, non requiri multorum individuorum cognitionem, ut ad Vniverſalem propoſitionem adſcendamus: nam quando video Triangulum ABC tribus lineis conſtitui; percipio iam eſſe neceſſarias tres lineas, ut repugnet, aut pluribus, aut paucioribus claudi; & ideò ſtatim infero.



Ergo omnis Triãgulus tribus lineis componitur.

Ergo nullus Triangulus pluribus, aut paucioribus componitur.

nam aliter res ſe habere non poteſt.

SECTIO IV.

De Conſequentiis, à congruentiâ deductis.

Aſtrologia judiciaria.

CVM de congruo diſſeritur omnes Scientiæ ſunt Iudicisriæ Aſtrologiæ ſimillimæ, & tamen illam eſſe vanam, quidquid Scioli garriant, univerſi, qui altiùs ſapiunt, ſupponunt.

Ejus prædictiones fundamentum non habent.

Naſcitur Infans: conſuluntur Aſtrologi, & inter ſe diſſentient, & quæ magna præceptorum obſervantiâ & religione dicunt, audientes & legentes in admirationem perducent, ſed tamen carebunt effectu. Et ne remotiora recenſeam, quæ heri amici ridebamus, narrabo. Natus fuerat Domino N. amico meo, viro ſtrenuo, & in militiâ claro filius. Oracula poſtulat parens, & vult futura fata, quæ manent infantem, addiſcere. Muneribus Aſtrologos prævenit, ut genethliacum erigant Thema, ſyderum conſiderent diſpoſitiones, & de futuro infantis ſtatu præjudicent. Ad Artis regulas tripudiarunt quinque eruditi calami: & ut legi, hoc Aſtrologo ſic prædicente, infans futurus erat Religioſus, & in Ordine ad ſupremas dignitates venturus. Maluit alius eumdem accenſere militiæ, vexillumque tali anno, tali cohortem, & tali legionem polliceri. Alii vagientem ad Academiam perpulerunt, laureâ honorarunt, cathedris præfecerunt. Omnes parentem ſuo diſſenſu turbarunt: nullus rem tetigit: nam infans ſeptimo vixit menſe, clauſitq; aditum, ne Aſtrologi obludere pergerent. At illi non fuerunt retuſi, quoniam vix ſepelitur, quando Mars & Saturnus homicidii accuſantur, & oſtenduntur Artis Canones & Authores, qui tali menſe mortẽ nato prædicant.

Aſtrologi inter ſe non conſentiunt.

Duplex quæſtio Aſtrologica: altera à priori, altera à poſteriori.

Ergo in Aſtrologia duplex Quæſtio poteſt in examen venire. Vel enim ponitur Stellarum ſitus, & effectus prædicitur: Vel effectus ſupponitur, & aſſignatur cauſa, (conſtellatio) ex quâ ille profluxerit. Si prima Quæſtio in examen vocetur, citò erroris convincuntur Aſtrologi, nam prædictiones effectu frequentiſſimè carent: & ſi quando non carent, non Ars (quæ nulla) ſcopum tetigit, ſed fortuna. Si ſecunda, multa pulchra dicuntur, quæ faciliùs decredas, quã impugnes.

Theologi diſcurrunt doctiſſimè à poſteriori.

Sic Theologi, cùm agunt de decretis liberis Providentiæ Divinæ. Pone Adamum revelationem non habuiſſe, illumque omnium Scientiarum notitiis eruditis exorna. An-ne Verbum Æternum Carnem adſumpturum, & Mundum homo factum redempturum ſciviſſet? Minimè, minimè. Sed tamen ſemel poſitâ Incarnationis veritate, quærunt Theologi; Cur hominem, quem alio modo poterat à peccato Deus liberare, per Incarnationem voluerit? Cur Verbum Divinum Carnem ſumpſerit? cur non Pater, aut Spirituſſanctus? Cur non in ipſo Mundi initio? cur non in fine? Cur Sacramenta inſtituerit? cur & tot, & non plura? cur ſub talibus materiis, & formis? &c. & proferũt cõgruentias doctiſſimas & ingenioſiſſimas, inter quas merentur applauſum & laudem, quæ apud Angelicum Doctorem leguntur.

Qui aliunde veritatẽ ſciũt, congruentias facili negotio, reperiunt.

Hinc patet congruentias non ſufficere, ut perſuadeamus Iudici, ut hanc, vel illam ſententiam pronunciet: non ut præſciamus, quid Princeps liber ſit facturus: benè tamen, ut in materiâ puræ gratiæ, re ſemel facta, motiva, & fines ingeonioſè rimemur. Pro-

Digitized by Google

Cur gradus conſanguinitatis quatuor ſint?

Profectò, hæc conſequentia *Elementa ſunt quatuor; Ergo & gradus conſanguinitatis & affinitatis, qui Matrimonium impediunt*, non eſt bona, nec urget ex natura rei. Nemo prudens dicet, Pontifices huc reſpicient, & ſic decernent: nam & huc, & aliò poſſunt reſpicere, & olim reſpexiſſe videntur. At, quia jam quatuor gradus determinati ſunt, poſſumus ex effectu hâc etiam congruentiam rimari, & dicere, ſicut quatuor Elementa in Phyſicis non copulantur; nam vel contraria, vel diſparata ſunt; ſic etiam ſtatuuntur in genealogiis humanis quatuor gradus, in quibus homines non copulentur.

SECTIO V.

De Polylemmate.

Dilemma. Trilemma.

EST Argumentatio cornuta, in quâ ex negatione unius membri ad alterius affirmationem devenitur. Si ſit bicornis, nominatur *Dilemma*; ſi tricornis *Trilemma*. &c. Poſſet vocari *Argumentatio disjunctiva*, quia in poſitione disjunctivâ fundatur: &, ſi ad normam ſyllogiſticam reducatur, *Syllogiſmus disjunctivus* poterit nominari. Pono exemplum. *Petrus eſt animal. Ergo vel Rationale, vel Irrationale. At non irrationale. Eſt igitur Rationale animal.*

Addo aliud exemplum ex Thoma de Argentinâ *in 2. ſentent. diſt. 26 & 27. qu. 1.* ſtatuit enim Gratiam, quæ nos Deo gratos facit, eſſe aliquid reale creatum in Animâ, & probat, dicens. *Omnis Animæ noſtra perfectio habitualis, vel eſt ex noſtrâ operatione, vel ex Dei creatione. Sed Gratia gratum faciens eſt quadam perfectio Animæ.* [Ergo vel eſt ex noſtrâ operatione, vel ex Dei creatione.] *At non eſt producta ex noſtris operationibus. Ergo oportet quod ſit aliquid creatum in animâ.*

An gratia creetur?

Occurrit pulchrum Dilemma apud Plutarchum *in Lacon.* quod ego hîc deſcribo. *Dercylladas miſſus Orator ad Pirrhum, qui jam exercitum induxerat in terram Spartanorum, ut cognoſceret, quid ſibi vellet, cum Pyrrhus praſcriberet, ut Regem ſuum Cleonymum reciperent; alioquin futurum, ut intelligerent, ſe nihilo cæteris eſſe fortiores, hunc in modum reſpondit.* [Si Deus eſt Cleonymus, non metuimus eũ, quippe qui nihil ſceleris commiſimus. Sin homo eſt, nihilo eſt nobis præſtantior.] *Hoc Dilemmate perſtrinxit ſuperbas Regũ minas. Dii, qui quos velint, poſſunt lædere, nec à quodam lædi viciſſim, non nocent, niſi improbis: homines hominibus ex æquo metuendi ſunt.* Per ſuum ergo Oratorem ſic argumentabantur Spartani. [Aut Cleonymus eſt Deus, aut non eſt Deus. Alterutrum dicatur, non metuimus eum. Ergo non habemus, unde metuere aut terreri poſsîmus. Si Deus ſit, erit juſtus, & nihil in innoxios cogitabit: nullum ſcelus commiſimus: ergo nihil contra nos poterit cogitare. Si non ſit Deus, erit homo nobis ſimillimus: &, ſi eſſe injuſtus velit, & innocentes invadere; nos, qui etiam homines ſumus, & animis, & armis non caremus, ſciemus ejus impotentiam retundere, & innocentiam noſtram contra omnem iniquitatem propugnare.]

Contra Deiparæ conceptionem non benè veteres argumentabantur.

In Disjunctivâ debent omnia membra poſſibilia enumerari. Et hujus legis defectu hæc argumentatio nihil valet. *Deipara recepit gratiam. Ergo vel ante Conceptionem, vel poſt. At non recepit illam ante* (quo enim modo gratiam ipſa phyſicè inhærentem recipire poterat antequam eſſet) *Ergo recepit illam poſt. Fuit igitur in originali concepta.* Hæc inquam Argumentatio nihil valet; nam in Disjunctiva non numerantur omnes caſus poſſibiles, quoniam præter *Ante & Poſt*, datur *In*; & non debuit Dilemma, ſed Trilemma proponi; ut ſi dixero. *Recepit ſanctificantem gratiam. Ergo vel ante Conceptionem, vel in illâ, vel poſt. Sed non ante, Non poſt. Ergo in ipſo Conceptionis inſtanti. Fuit ergo originaria labis neſcia.*

Hollandi non potuerunt contra Regem præſcribere.

Trilemmata, aut etiam Tetralemmata in Theolog. Fundam. *num.* 208. 412. 444. 706. invenies. Et præteteà *num.* 897. Dilemma efficaciſſimum contra Hollandorũ præſcriptionem, vi cujus à Regis Catholici obedientia ſe volebant eximere.

SECTIO VI.

De Syllogiſmo formali, prout Ethicæ ſervire poteſt.

Columnæ Herculis.

Decipiuntur Peripatetici, qui exiſtimant Ariſtotelem cognoviſſe, & tradidiſſe omnes ſyllogiſmorum formas.

Novi Syllogiſmorum modi in noſtra Scholaſtica Logica exhibentur.

SE ad Herculis Logici columnas, quibus inſcriptum NON PLVS VLTRA pervenisſe credunt Peripatetici: at tam multas novas regiones, & olim ignota maria in Orbe Dialectico reperimus, ut ſubmittere debuerit criſtas ſuas elatio, & fateri ignoras eas regiones, quas invenimus, mundo veteri majores & nobiliores esſe. Putaret aliquis jam omnia dicta: &, quia ſemper occurrunt in Dialectica novæ formæ, aliqua hic de Syllogiſmo dicam, in quibus tantiſper à me ipſo recedam, ut videat Lector meus, ſemper in Dialectico Oceano inveniri PLVS VLTRA. Syllogiſmum igitur dilucidaturus ab ipſa definitione exordium ſumo.

Illum dico esſe *argumentationem*, *in*

qua

Quid ſit Syllogiſmus?

qua è duabus Propoſitionibus ritè formatis tertia neceſſariò concluditur.

Pono exemplum.

Petrus eſt homo;
Omnis homo eſt animal,
Ergo Petrus eſt animal.

Major. Minor. Concluſio. Præmiſſa. Antecedens. Conſequens.

Prima vocatur *Major*, ſecunda *Minor*, tertia *Concluſio*, Prima & ſecunda ſimul *Præmiſſa*. Solet altera præmiſsa ſubticeri, & altera tunc dicitur *Antecedens*; & quæ infertur *Conſequens*. In præmiſſis debent eſse tres termini: ille qui ponitur bis (videlicet in noſtro exemplo *Homo*) vocatur *Medium*: alii duo *Extremitates*; nimirùm *Major extremitas*, terminus, qui ponitur cum medio in majori,& qui ponitur cum medio in minori, *Minor extremitas*.

Medium. Major extremitas. Minor extremitas.

An dentur mentalia Enthymemata?

Adnotamus nihilominùs hæc omnia habere locum in Syllogiſmo vocali & ſcripto: non verò in mentali: quoniam mentaliter nec dantur Enthymemata, nec ulla præmiſsa ſubticetur, ut bene notavit Arriaga *in Summul.diſp.3.ſect.4. num.* 20. nec datur Major nec Minor Præmiſsa;nec Major nec Minor Extremitas; quoniam neutra præmiſsa eſt prior, neutra eſt poſterior; ſed coexiſtunt & concurrunt ſimul; ut idem *num.*24. obſervavit: nec datur Subjectum nec Prædicatum,quia quādo mens concipit Paternitatem & Aſeitatem identificatas, judicat Paternitatem eſſe Aſeitatem, & Aſeitatem eſſe Paternitatem.

An major, & minor?

An ſubjectum & prædicatum?

Diximus debere Propoſitiones in Syllogiſmo ritè formari, & modum ritè illas formandi, ſumma brevitate proponimus.

Syllogiſmorum leges.

Dicimus primò dari terminos univerſales,& terminos particulares;univerſales eſſe,*Omnis homo,Omnis non lapis*, particulares, *Aliquis homo,Aliquis non lapis*. Secundò hinc oriri quatuor propoſitionum formulas.

De ſubjecti & prædicati quātitate.

I. *Omnis homo eſt omne rationale.*
II. *Omnis homo eſt aliquod rationale.*
III. *Aliquod animal eſt omnis homo.*
IV. *Aliquod animal eſt aliquis homo.*

Primam & tertiam rejicimus, plerumque enim ſunt falſæ: quia, ſi eſſent veræ, per Deſcenſum inferremus *Petrum eſſe omnem rationalem, Ioannem eſſe omnem rationalem*, &c. His poſitis pauciſſimis Regulis totam artem Syllogiſticam tradimus. Sit

Prima lex.

Prima. *Medium vel eſt purum vel impurum; ſi impurum debet eſſe in utraque præmiſſa particulare: ſi purum in utraque aut ſaltem in altera univerſale.* Purum dicitur quando in utraque aut neutra; impurum,quando in altera tantum infinitatur. Hinc *Syllogiſmus purus*, cujus Medium eſt purum; *Impurus*, cujus eſt Impurum.

Quid ſit medium purum, impurumque?

Secunda lex.

Secunda. *Syllogiſmi puri extremitates poſſunt eſſe ſimul particulares, aut altera univerſalis & altera particularis; & una prædicatur de altera. At in Impuro utraque aut ſaltem una extremitas ſit univerſalis,& hæc prædicabitur de altera, ſive univerſali,ſive particulari. At in concluſione tranſibit in particularem infinitatam.* [Nota obiter ſyncategoremata univerſalia, quando afficiunt prædicatum excidere, & potiùs debere ſubticeri quàm exprimi: ubi enim dicturus eras, *Aliquod vivens eſt omne animal*, ſatiùs & clariùs dices, *Aliquod vivens eſt animal*. Cæterùm rigor Logicæ poſtulat, ut illa ponantur expreſsè: & jubet quod propoſitio in qua prædicatum ſit *omne*, ſit particularis, & indirecta; & ubi ſubjectum ſit *omne*, ſic univerſalis directa.] Regulas exemplis illuſtro, & quia propoſitiones directæ & indirectæ extra Subſtantiæ prædicamentum vix dantur, omnia Ego ex hoc prædicamento deduco:

An ſignum univerſale poſſit prædicatum afficere?

Modi puri.

Singuli termini bis ponuntur: & quilibet illorum ſi utrobique eſſet infinitus, ſyllogiſmi eodem modo concluderent.

I. *Omnis homo eſt aliquod animal:*
Omne animal eſt aliquod vivens:
Ergo omnis homo eſt aliquod vivens:
Ergo aliquod vivens eſt omnis homo. ℞.
Ergo aliquod vivens eſt homo. ℞.

II. Aliquod animal eſt omnis homo:
Omnis homo eſt aliquod vivens:
Ergo aliquod animal eſt aliquod vivens.
Ergo aliquod vivens eſt aliquod animal.℞.

III. *Aliquod animal eſt omnis homo:*
Aliquis homo eſt aliquod vivens:
Ergo aliquod animal eſt aliquod vivens.
Ergo aliquod vivens eſt aliquod animal. ℞.

Modi impuri.

IV. Omnis homo eſt aliquis non-lapis:
Aliquis lapis eſt omnis Iaſpis:
Ergo omnis homo eſt aliquis non Iaſpis.
Ergo aliquis non homo eſt omnis Iaſpis.
Ergo aliquis non Iaſpis eſt omnis homo. ℞
Ergo omnis Iaſpis eſt aliquis non homo. ℞.

Omnis homo eſt aliquis non lapis, *eſt idem ac* Omnis homo eſt aliquid quod non eſt lapis.

Harum conſequentiarum converſio, ignota Peripateticis, pendet à Regulis particularibus, quæ ſuo loco traduntur.

V. *Omnis homo eſt aliquod animal:*
Aliquod non animal eſt omnis lapis:
Ergo omnis homo eſt aliquis non lapis.
Ergo aliquis non homo eſt omnis lapis.
Ergo aliquis non lapis eſt omnis homo. ℞.
Ergo omnis lapis eſt aliquis non homo. ℞.

VI. Aliquis homo eſt aliquis non-lapis:
Aliquis lapis eſt omnis Iaſpis:
Ergo aliquis homo eſt aliquis non Iaſpis.
Ergo aliquis non homo eſt omnis Iaſpis.
Ergo aliquis non Iaſpis eſt aliquis homo. ℞.
Ergo omnis Iaſpis eſt aliquis non homo. ℞.

VII. *Aliquis homo eſt aliquod animal:*
Aliquod non animal eſt omnis lapis:
Ergo aliquis homo eſt aliquis non lapis.
Ergo aliquis non homo eſt omnis lapis.
Ergo aliquis non lapis eſt aliquis homo. ℞.
Ergo omnis lapis eſt aliquis non homo. ℞.

An poſſit ex his nova formari Logica?

Siſte Mens. Hære calame. Quò me tãdem impellis? Novos hic oceanos detexi. An illos etiam penetrabo & ſuperabo? Novum librum Logicæ deberem ſcribere, ut omnia dilucidarem, quæ ſuccurrunt. Hanc provinciam, cùm Scholaſticam Logicam recudam, expediam, modò hoc ipſum inſinuaſſe ſufficiat: communes ſyllogiſmorum formas & figuras tradamus.

Syllogiſmi Formalis & Figuralis diſtinctio.

Syllogiſmus eſt duplex, Formalis, Figuraliſque. *Formalis* dicitur, qui connaturali norma fluit: ille videlicet, in quo medium locum occupat Medium, & Extremitates extremos. *Figuralis* verò, in quo partium ordo quodammodo deformatur. Et Figuræ ſunt tres, quæ inter ſe, & à Forma juxta variam Medii collocationem diſtinguuntur; quoniam

Figurarum differentia.

In Forma Medium prædicatur in Majori, & in Minori ſubjicitur.

In prima Figura obſervatur oppoſitum: nam Medium ſubjicitur in Majori, & in Minori prædicatur.

In ſecunda Figura Medium in utraque præmiſſa (Majori & Minori) prædicatur.

In tertia Figura Medium utrobique (videlicet, tam in Majori, quàm in Minori) ſubjicitur.

Directa & indirecta concluſionis differentia.

Concluſio Directa, ſic ex præmiſſis eſt ducenda. Forma poſtulat, ut in Concluſione minor extremitas de majori dicatur: Figuræ oppoſitum; ut major de minori in Concluſione prædicetur. Syllogiſmus, in quo Concluſio leges has non obſervat, dicitur indirectè concludere. Sic loquuntur communiter: at meliùs loquerentur, qui in Figuris commutarent vocabula & Indirectos dicerēt ſyllogiſmos, quos vulgus Directos appellat: & è contrà.

Figuræ etiam vocantur Formæ: vel quòd Formæ ſecundariæ ipſæ ſint, vel quòd ad Formam facili negotio reducantur.

De Syllogiſmo Indefinito.

HOc illi nomen convenit, qui ex Poſitionibus componitur indefinitis, & quia in Terminorum diſpoſitione eſt varietas, in Formas & Figuras dividitur.

Vt videas, quale ſit, qui in Platonica Forma conſtruitur, hoc exemplum propono. [Termini ſunt *Homo*, *Animal*, *Vivens.*]

Major Extremitas. *Medium Syllogiſmi.* *Minor Extremitas.*

Homo eſt Animal. Animal eſt Vivens.
Ergo Homo eſt Vivens.

Hæc eſt connaturalis Terminorum diſpoſitio: nam, ut vides, Medium (*Animal*) manet in medio: & Extremitates (*Homo*, & *Vivens*) in extremis Prima extremitas vocatur *Major*; ſecunda *Minor*: &, ſi rationem petas, reſpondebo, nullam deſignari poſſe præter Dialecticorum voluntatem. Si dicas, ideò Majorem & Minorem extremitatem vocari, quia cum Medio in Majori & Minori Præmiſsâ ponantur: non diſſolves Quæſtionem, nam exponi debebit, Cur illæ ipſæ Præmiſsæ nomen fuerint Majoris & Minoris ſortitæ.

Ex inverſione Formæ Platonicæ reſultant Ariſtotelicæ Figuræ: nam Prima poſtulat, ut Medium ſubjiciatur in Majori, & prædicetur in Minori: Secunda, ut prædicetur in utraque: Tertia, ut ſubjiciatur in utraque. Quam ob rem in Prima Figura Ariſtotelica ſyllogiſmi formabuntur hoc modo.

Me-

Medium. *Extr. major.* *Extr. minor.* *Medium.*

Animal eſt Vivens. Homo eſt Animal.

Ergo Homo eſt Vivens.

Et quis non videat, in hac Prima Peripateticorum Figura ordinem Præmiſſarum inverti, & Majorem in Minorem mutari? Extremitates cadunt in medium: Medium in extremis repetitur, & ſinguli Termini translocantur.

Si altera Præmiſſa ſit negativa, & in utraque Medium prædicetur, ſecunda Ariſtotelea Figura reſultabit, qualem in exemplo ſequente ſubjicis.

Extr. major. *Medium.* *Extr. minor.* *Medium.*

Homo eſt Animal. Lapis non eſt Animal.

Ergo. Lapis non eſt Homo.

Eſt hujus Figuræ proprium, quod ex puris affirmativis nihil in illa ſequi poſſit: male enim argumentaretur, qui diceret.

Homo eſt animal.
Equus eſt animal.
Ergo equus eſt homo.
Ergo homo eſt equus.
Prodigalitas eſt vitium.
Avaritia eſt vitium.
Ergo Avaritia eſt Prodigalitas.
Ergo Prodigalitas eſt avaritia.
Albedo eſt color.
Nigredo eſt color.
Ergo nigredo eſt albedo.
Ergo albedo eſt nigredo.

Cæterùm, ſi altera Præmiſſa ſit in materia convertibili, hæc ſecunda Figura purè affirmantes tolerabit: nam hic ſyllogiſmus bene concludet.

Animal eſt ſenſibile.
Homo eſt ſenſibilis.
Ergo homo eſt animal.

Nam æquivalet huic.

Senſibile eſt animal.
Homo eſt ſenſibilis.
Ergo homo eſt animal.

qui eſt in Prima Figura.

Tertia poſtulat, ut Medium in utraque Præmiſſa ſubjiciatur; ut, cùm dicimus.

Medium. *Extr. major.* *Medium.* *Extr. min.*

Homo eſt Vivens. Homo eſt Animal.

Ergo Animal eſt Vivens.

In hac Figura aliquando, ſed rariùs negativè concluditur.

Sanè Indefinitæ Poſitiones, ſi aſſerentes ſint, à materiæ varietate diverſas affectiones ſuſcipient: quoniam in materia Neceſſaria erunt eſſentialiter veræ, ut *Homo eſt animal.* in Repugnante erunt eſſentialiter falſæ, ut *Homo eſt lapis.*

Indefinita, ſi in materia Neceſſaria ſit, æquivalet Vniverſali, & concludit efficaciſſimè, ſi autem ſit in materia Contingente, æquipollebit Particulari; unde erunt æquipollentes.

Homo eſt animal.
Omnis homo eſt animal.
Homo non eſt lapis.
Nullus homo eſt lapis.
Animal eſt ſenſibile.
Omne animal eſt ſenſibile.
Homo eſt albus.
Aliquis homo eſt albus.
Animal eſt rationale.
Aliquod animal eſt rationale.
Corpus non eſt calidum.
Aliquod corpus non eſt calidum.
Corpus non eſt animatum.
Aliquod corpus non eſt animatum.

SECTIO VII.

De Syllogiſmo Vniverſali, Particulari, & Mixto.

Sicut ex Indefinitis, ſic ex Vniverſalibus ſyllogiſmus Vniverſalis conformatur. Eſt autem Vniverſalis ſyllogiſmus, cujus omnes Propoſitiones ſunt Vniverſales: Particularis, cujus omnes ſunt Particulares; & Mixtus, cujus nec omnes propoſitiones ſunt Vniverſales, nec omnes ſunt particulares. Axiomata ſequentia conſidera. *Nominum Explicatio.*

Primum. *Concluſio ſequitur debiliorem partem.* Vnde, ſi aliqua præmiſſa ſit *Axiomata.*

Particularis, Concluſio erit Particularis: & ſi aliqua præmiſſa ſit negativa, etiam erit Concluſio negativa.

Secundum. *Ex puris negativis nihil infertur.* Ergo in omni ſyllogiſmo altera, aut utraque præmiſſa eſſe debet affirmativa.

Tertium. *Ex præmiſſis affirmativis nunquam negans conſequentia deducitur.* Et ratio eſt; quia negatio opponitur affirmationi: & oppoſita ſe potiùs excludunt, quàm inferunt.

Quartum. *Ex præmiſſis Vniverſalibus aliquando non poteſt inferri Vniverſalis.* Patet, quoniam aliqui tertiæ Figuræ Modi, tametſi duas Vniverſales præmittant, non poſſunt concludere univerſaliter: tales ſunt *Darapti, Felapton, Fapelmor*, &c.

An & quando ex puris particularibus bona conſequentia inferatur?

Quintum. *Ex puris Particularibus in materia contingente nihil infertur.* Conſultò hoc Axioma ad materiam contingentem reduxi: quoniam in neceſſaria & repugnante Particulares habent virtutem Vniverſalium: ut patet in hoc ſyllogiſmo.

Aliquis homo eſt animal.
Aliquod animal eſt vivens.
Ergo aliquis homo eſt vivens.

Quem eſſe bonum evidenter perſuadeo, quia in materia neceſſaria dari alius ipſi ſimilis nequit, in quo ſint præmiſſæ veræ, & conſequens falſum.

Iuſtinianus.

Hoc quintum Axioma Iuſtinianus *lib. 1. Inſtit. cap. 2.* reſpexiſſe videtur: inquit enim, *Planè ex his quædam ſunt perſonales, quæ nec ad exemplum trahuntur, quoniam non hoc Princeps vult. Nam, quod alicui ob meritum indulſit; vel ſicuti pœnam irrogavit, vel ſi cui ſine exemplo ſubvenit, perſonam non tranſgreditur. Alia autem, cùm generales* (univerſales) *ſint, omnes procul dubio tenent.*

Quænam debeant, & quæ non debeant in exemplum trahi.

Omiſſis igitur ſyllogiſmis Particularibus, quorum efficacia, ſiquam habent, à materia dependet, de Vniverſalibus & Mixtis differamus.

IN Forma & ſingulis Figuris ſunt Modi, qui quantitate & qualitate Propoſitionum (univerſalitate & particularitate, affirmatione & negatione) diſtinguuntur; & clauduntur his verſibus.

Dialectica ſyllogiſmorum nomina.

FORMA. *Bámmada, Camene, Dimágni, Figmeno,* nec non
Pone indirectos *Feſápor*, atque *Feſíſor*.
Figur. *I.* *Bárbara, Celárent, Dárii, Fério*: hiſque reflexos
Addere debebis *Fapéſmor*, atque *Fiſéſmor*.
Figur. *II.* *Ceſare, Feſtino, Dácoro*, aut *Barócco, Cameſtres*,
Atque indirecti *Friméſor* atque *Domácor*.
Figur. *III.* Tertio ſubſequitur *Dátiſi*, cui junge *Darapti*.
Feláptom, Diſamis, Dócamo, aut *Boccárdo, Feriſon*.
Fapelmor refluit, *Fiſméror*, atque *Dacoccor*.

Valor literarum A. E. I. O. eſt idem, quē ſuperiùs expoſuimus, & totus Peripatus obſervat.

N O T A.

De quarta figura.

HAS tres Figuras omnes Scholaſtici admittunt. Formam aliqui eſſe inutilem, & à Logicâ proſcribendam acclamant: illam aliqui omittunt: alii eam aſſerunt eſſe quartam Figuram, & appellant *Galenicam*: quæ omnia ſine ullo fundamento dicuntur: quoniam veram & primariam ſyllogiſmos concinnandi normam Forma exhibet, quam alterant, & invertunt Figuræ. Intellectus humanus ſibi derelictus, naturali impetu ductus, ſyllogiſmos in Formâ componit: ut enim illos in aliqua Figura coordinet, debet in ſe reducis & ad leges, quibus uti voluit, reflectere. In Forma, ut dixi, naturæ ductu ingenia feliciſſima dialecticantur. Portò dum hæc ſcriberem, habebam ob oculos Ægidium Columnam *diſt. 1 part. 1. quæſt. 1. art. 2.* qui hoc Hugonis argumentum proponit.

Quinam ſyllogiſmi connaturaliter formentur?

Omnis homo eſt animal.
Omne animal eſt corpus.
Ergo omnis homo eſt corpus.

Hugo Platonica forma utitur, ut ſingularem opinionem ſtatuat.

Eſt ſyllogiſmus in Forma, & ad *Bammada* pertinet.

Hic modus Hugonis ſententiâ eſt legitimus; illo enim utitur in materia, in qua erat ſingularis, & ſe habituros, qui contradicerent, evidenter præviderat: debebat igitur bona uti Logica, ne ab adverſariis rideretur.

An homo ſit corpus? an ſit anima?

Eſt etiam legitimus opinione Columnæ; nam tametſi contradicat Hugoni, & illum Corpus genericum, quod eſt ſubſtantia completa, cum corpore hominis, quod eſt incompleta, confudiſſe meritò

affit-

affirmet, ſyllogiſmum hunc formaliter malum eſſe, non dicit.

Addam alia exempla: & ut hujus Operis ſint conformiora argumento, materiam ex Iure Civili ſumamus.

leg. de jure. §. 1. D. de his, qui ſui.

In ſervos dominorum authoritas limitatur.

Gajus *libr. 1. Inſtit. §. Sed hoc.* qualis ſuo ævo fuerit dominorũ in ſervos authoritas diſertiſſimè ſcribit. *Nullis hominib², ait, qui ſub imperio Romano ſunt, licet ſupra modum, & ſine cauſa legibus cognita in ſervos ſævire. Nam ex Conſtitutione Divi Antonini, qui ſine cauſa ſervum ſuum occiderit, non minùs puniri jubetur, quàm qui alienum ſervum occiderit.* Hinc iſte ſyllogiſmus deducitur.

Omnis, qui recreationis gratia loris excipit ſervos, in illos ſævit.

Sed Omnis, qui in illos ſævit, debet puniri.

Ergo omnis, qui recreationis gratia loris excipit ſervos, debet puniri.

Antonii in ſuos ſervos crudelitas.

Eſt in *Bimmada*; &, ſi præmiſſæ commutentur (major in minorem) in *Barbara.* Si major, & concluſio ſint particulares, aut ſingulares: puta ſi in illis loco *Omnis* ponatur *Antonius*, ſyllogiſmi in *Dimagni* & *Darii* reſultabunt. Poriò de crudelitate Antonii in ſervos *Philipp.* 13. agit Cicero. Si unam præmiſſam eſſe negativam jubeamus, dicere poterimus.

Omnes Siculi ſub Imperio Romano ſunt.

Sed nulli qui ſub Imperio Romano ſunt, poſſunt ſævire in ſervos.

Ergo nulli Siculi poſſunt ſævire in ſervos.

Eſt in *Camene*, et ſi præmiſſæ tranſmutentur, in *Celaren.* Si major ſit ſingularis, aut particularis hoc modo.

Rex Lybiæ Imperio Romano ſubjicitur.

Sed nullus, qui Imperio Romano ſubjicitur, poteſt ſervum ſine cauſa interficere.

Ergo Rex Lybiæ non poteſt ſervum ſine cauſa interficere.

Eſt in *Figmeno*, & variato loco præmiſſarum in *Ferio.*

SECTIO VII.

De Syllogiſmorum Reductione, quæ Oſtenſiva vocatur.

Quomodo fiat?

VT Figuram ſecundam, & tertiam, & indirectos Primæ ad Modos perfectos, (videlicet, *Barbara*, *Celoren*, *Darii*, *Ferio*) reducamus, conſiderare oportet eſſe tres literas (nempè S. P. M.) quæ verſionem gubernant. S. inſinuat propoſitionem quam afficit, converti debere ſimpliciter. P. converti debere per accidens: & M. loco eſſe variandas præmiſſas. Syllogiſmus qui reducitur, & ille ad quẽ reducitur, ſemper incipiũt ab eâdem literâ. Pono exemplum.

Syllogiſmus in modo Cameſtres.

Omnis, qui Republicæ cauſa abeſt, gaudet privilegio reſtitutionis. leg. 1. D. ex quibus cauſis, & ſeqq.

Sed nullus miles, qui domi ſuæ manet, gaudet privilegio reſtitutionis. leg. 35. §. 10. D. ex quib. cauſ.

Ergo nullus miles, qui domi ſuæ manet, cauſa Republicæ abeſt.

Eſt in *Cameſtres.* Et, ſi reducatur tranſibit in *Celaren*: hoc enim præſefert prima litera C. Iubet S. ut minor, & concluſio convertantur ſimpliciter; & ex litera M. conſtat, præmiſſas commutari debere. Facta igitur operatione ſequens ſyllogiſmus reſultat.

Ad Celaren reducitur.

Nemo, qui gaudet reſtitutionis privilegio, eſt miles domi ſuæ remanens.

Omnis, qui Republicæ cauſa abeſt, gaudet reſtitutionis privilegio.

Ergo nullus, qui Republicæ cauſa abeſt, eſt miles domi ſuæ remanens.

Et ſic poterunt cæteri ad quatuor priores, quos vocant perfectos, reduci. Sed & hi etiam quatuor mutato præmiſſarum ordine ad Platonicam Formam pertranſibunt.

SECTIO VIII.

De Reductione, quâ propellimur ad Impoſſibile.

An ſit difficilis?

QVI in aliquo ex Modis præcedentibus, conceſſa utraque præmiſſa, negare concluſionem audeat, cogetur admittere duas contrarias, aut cõtradictorias ſimul veras, quod eſt impoſſibile. Eſt nimis ſubtilis, & moleſta hæc Reductio, & ideò calamo potiùs exercetur, quàm labio.

An inutilis?

Vt inutilem condemnat Arriaga, præjudicio notabili, nulla enim in totâ Encyclopediâ Veritas, quæ inutilis ſit: omnis enim cognoſci poteſt, & hoc ſufficit, ut utilis eſſe dicatur.

Non eſt cur rem ſubtilem, eſſe obſcurã & difficilem ſuſpicentur Lectores: nam ego illam paucis verbis expedio. Sic inquam. (Erat in arena hic Syllogiſmus.

Quomodo fiat hæc Reductio?

A. *Omnis Iuris Doctor eſt nobilis.*

B. *Sed aliquis vir doctus non eſt nobilis.*

C. *Ergo aliquis vir doctus non eſt Iuris Doctor.*

Concedis præmiſſas A.B. & negas conſequentiam C. Ergo illæ veræ ſunt, & hæc falſa. Ergo hujus contradictoria (nempè

D. Om-

D. *Omnis vir doctus eſt Iuris Doctor.* Eſt vera.

Habeo igitur tres propoſitiones veras; videlicet A.B.D. Ergo adſumam A & D. vel D.& A.& conſequentiam inferam, quę deſtruat B. Vel adſumam B.& D. vel D.& B.& conſequentiam inferam, quæ deſtruat A.] Quid facilius & clarius?

SECTIO IX.

De Syllogiſmorum efficaciâ.

QVæritur, *An in his Syllogiſmorum modis ſit neceſſaria Concluſio? An, ſi Præmiſſæ ſint veræ poſſit Concluſio eſſe non vera? An, ſi concedantur Præmiſſæ, poſſit Conſequentia negari?*

An neceſſariò concludant?

Reſpondeo primò Ariſtotelem caruiſſe Infallibilitatis notitia, & ut ſuperiùs docuimus, Infallibilitatem cum neceſſitate confudiſſe, quod etiamnum Lutherani, & Calviniſtæ faciunt. Vnde hos Modos neceſſariò concludere, præjudicio huic inſiſtens pronuncisvit.

An infallibiliter?

Reſpondeo ſecundò, hos ipſos modos eſſe infallibiles non neceſſarios. Et oſtenditur Poſitis Præmiſſis ſemper ponetur Conſequens; hoc ergo pertinet ad Modorum eſſentiam. At poſitis de facto Præmiſſis non ſemper erit neceſſarium Conſequens: ergo poni neceſſariò Conſequens non pertinet ad Modi eſſentiam. Ergo aliundè accidit, & venit hæc neceſſitas, quàm à Logica. Doctrinam hanc dilucido & firmo proponendo hunc diſcurſum.

Demonſtratur hoc ultimum.

Omnis prædeſtinatus ſalvabitur.
Antonius eſt prædeſtinatus. Pone eſſe veram.
Ergo Antonius ſalvabitur.

Major eſt infallibilis, non neceſſaria: liberum enim eſt prædeſtinato peccare, & non peccare: adeoque liberum eſt eidem ſalvari, & non ſalvari. Minor, ſi ſupponamus eſſe veram, eſt infallibilis, & non neceſſaria: nam Prædeſtinatio eſt actus liber Dei, qui hoc *nunc* æternitatis (in Deo enim non ſunt tempora præterita, & futura) poſſet non eſſe. Conſequens eſt infallibile, non neceſſarium, nam Antonius, etiam ex hypotheſi, quod prædeſtinatus ſit, poteſt non ſalvari, at infallibiliter ſalvabitur: quia prædeſtinatio nullam neceſſitatem includit, & qui Prædeſtinationem reduplicat, infallibilitatem, & non neceſſitatem reduplicat. Nam ſicut album ex ſuppoſitione quod ſit, erit album, non autem nigrum, ſic etiam infallibile, ex ſuppoſitione, quod ſit, erit infallibile, non neceſſarium.* Hinc patet in hoc ſyllogiſmo,

Æternitas eſt unicum nunc.

An prædeſtinatio in prædeſtinato aliquam neceſſitatem imponat?

Poteſt una & eadem concluſio eſſe infallibilis & neceſſaria.

Omnis homo eſt animal rationale.
Petrus eſt homo,
Ergo Petrus eſt animal rationale.

in quo Conſequens infallibile, & neceſſarium eſt, habere infallibilitatem à forma, & neceſſitatem à materia: eſt enim neceſſarium Conſequens, non quia infertur à Præmiſſis in *Darii* (quoniam hinc infallibile eſt) ſed quia illæ ſunt in materia neceſſaria. Si enim illæ præmiſſæ eſſent in materia contingenti aut libera, Conſeqnẽs non eſſet neceſſarium, ſed infallibile.

De conſequentia neceſſitate.

Cognoverunt errorẽ Peripatûs Theologi; & ut corrigerent neceſſitatem Conſequentis à neceſſitate Conſequentiæ diſtinxerunt: & nomine *neceſſitatis conſequentis* intellexerunt neceſſitatem materiæ: nomine autem *neceſſitatis Conſequentia* neceſſitatem formæ; quam ipſe diſtinctionem, vel ex parte (quoad alterum ſaltem membrum) approbavi: videlicet, quando illam propoſitionem, *Ergo Petrus eſt animal rationale*, eſſe dixi neceſſariam neceſſitate materiæ, non verò neceſſitate formæ. At ipſi hac diſtinctione abutuntur, nam illam alterius ſyllogiſmi propoſitionem, *Ergo Antonius ſalvabitur*, docent non eſſe neceſſariã neceſſitate conſequentis, nam eſt in materia libera; ſed eſſe neceſſariam neceſſitate conſequentiæ, nam eſt in legitimo modo; cum tamen deberent aſſerere, non eſſe neceſſariam neceſſitate conſequentis, quia eſt in materia libera; & non eſſe neceſſariam neceſſitate Conſequentiæ, quia nulla eſt Conſequentia neceſſaria in Dialectica: & deberent addere eſſe infallibilem infallibilitate conſequentis, quia omnia futura ſunt Deo præſentia; & eſſe infallibilem infallibilitate conſequentiæ, quia omnes modi legitimi infallibiles inferunt Conſequentias.

Melius dicerent concluſionẽ eſſe neceſſariam in ſenſu compoſito, repugnat enim ut quando præmiſſæ ſunt veræ, conſeqnẽtia ſit falſa.* Sed dices. Illa Conſequentia, *Ergo Antonius ſalvabitur*, poteſt eſſe falſa. Ergo ſupponamus, quod ſit falſa: quia ex poſſibili poſito in actu nihil ſequitur impoſſibile. Si autem ſit falſa, hujus Conſequentis falſitas cum Præmiſſarum veritate componetur. Ergo non eſt neceſſaria veritas Concluſionis, ne quidem in ſenſu compoſito.* Reſpondeo concedendo primum Antecedens; videlicet, *Illa conſequentia.* &c. Admitto Conſequentiam illatam; nimirùm, *Ergo ſupponamus* &c. Nego autem minorem ſubſumptam; nempè, *Si autem ſit.* &c. quoniam, ſi Antonius non ſalvabitur, Antonius non eſt prædeſtinatus, quam ob rem, qui eſſe falſam illam Conſequentiam, *Ergo Antonius ſalvabitur*, ſupponet concomitanter

Neceſſitas in ſenſu compoſito, & in ſenſu diviſo.

eſſe

eſſe falſam illam minorem, *Antonius eſt prædeſtinatus*, nam in ſenſu compoſito ſunt ipſæ neceſſariò connexæ.

SECTIO X.

De Enthymemate.

Quid illud ſit?

SOlet aliqua ex his tribus Propoſitionibus ſubtrieeri, & tunc eſt ſyllogiſmus incompletus, qui à Græcis *Enthymema* vocatur. Rem paucis verbis expedio.

Tres modi conformandi Enthymemata.

Syllogiſmus integer eſt. *Iuſtitia eſt virtus, Virtus eſt diligenda. Ergo Iuſtitia eſt diligenda.*

Si dicas. *Virtus eſt diligenda, Ergo & Iuſtitia*; vis, ut illa Major, *Iuſtitia eſt virtus*, ſubintelligatur.

Si addas, *Iuſtitia eſt virtus, Ergo Iuſtitia eſt diligenda*: Minorem ſubintelligi vis; videlicet, *Virtus eſt diligenda*.

Si proponas has lineas. *Iuſtitia eſt virtus, & virtus eſt diligenda*; aliorum prudentiæ relinques, ut inferant, *Ergo Iuſtitia eſt diligenda*.

Multa Enthymemata reperiuntur in Iure; unum exempli gratiâ ediſſero. Inſtitutionum ſuarum *lib.2.cap.9.* Iuſtinianus exponit per quas perſonas adquirere dominium poſſimus. Et poſtquam docuit in aliis ſervis nos plenum dominium, in aliis directum tantummodò, in aliis verò uſumfructum habere; agens de domino uſufructuario, ſic inquit. *Fructuarius verò uſucapere* (ſervum) *non poteſt: primùm, quia non poſſidet, ſed habet jus utendi fruendi; deinde quia ſcit ſervum alienum eſſe*; quibus verbis duo Enthymemata & ſolidam doctrinam reperio. Primum ad hanc formam reducitur.

Quis ſervum uſucapere poſſit, quis non poſſit?

Fructuarius dominus ſervum non poſſidet.

Illum igitur uſucapere non poteſt.

Secundum verò ad hanc.

Fructuarius ſcit ſervum eſſe alienum:

Illum igitur uſucapere non poteſt.

Quomodo Enthymema ad Syllogiſmum reducatur?

In utroque ſubintelligitur Univerſalis, quæ ſi in primo loco ponatur, Syllogiſmi formabuntur in *Ferio*, ſi interſeratur, erunt ipſi in *Figmeno*.* Sanè ut Vſucapio legitima ſit, requiruntur poſſeſſio, & bona fides. Quam ob rem ſi forma *Figmeno* nobis arrideat, Syllogiſmus complēdus erit, & interjicienda Vniverſalis, ut conſpicis.

FIG | *Fructuarius dominus ſervum non poſſidet.*
ME | Sed nullus, qui ſervum non poſſidet, illum poteſt uſucapere.
NO | *Ergo Fructuarius non poteſt ſervum uſucapere.*

Alterum Enthymema compleatur in eadem forma, Vniverſalem videlicet interſerendo.

FIG | *Fructuarius ſcit ſervum eſſe alienum.*
ME | Sed nullus, qui ſervum eſſe alienum ſcit, illum uſucapere poteſt.
NO | *Ergo Fructuarius ſervum uſucapere non poteſt.*

An Enthymemata ſint in mente?

Si præmiſſæ commutentur (major in minorem, & contrà) Syllogiſmi tranſibunt in *Ferio*.

An ſint ſyllogiſmi virtualiter?

Hinc patent duo: *alterum*, in Intellectu non eſſe Enthymemata: ſed ſyllogiſmos integros, & perfectos: nam vel ſyllogiſmus eſt ſimplex qualitas, & ſic non poteſt dividi: vel eſt qualitas compoſita, & tunc omnes propoſitiones ſunt ſimul: nam ſi adſit concluſio, adſunt etiam præmiſſæ, nam una eam inferre non poteſt: & ſi adſunt præmiſſæ, adeſt concluſio, non enim illæ ſtando communi ſententiæ concluſionem poterunt non inferre. *Alterum* Enthymema eſſe integrum ſyllogiſmum virtualiter, nam tametſi careat aliqua propoſitione, ita ſe habet, ac ſi illa nullo modo careret.

SECTIO XI.

Enthymema à Florentino poſitum examinatur.

An homicidiũ peccatum ſit?

FLorentini illa verba, *Cùm inter nos cognationem quamdam Natura conſtituit, conſequens eſt hominem homini inſidiari nefas eſſe*; quæ Iuſtinianus fecit ſua, *& in leg ut vim. D.de Iuſt.& Iur.* leguntur, Enthymema conſtituunt, quod juvat nunc dilucidare. Florentini verba ad hanc formam reduco.

Enthymema eſt ſyllogiſmus incompletus.

Omnes homines inter ſe ſunt cognati.

Ergo nullus homo ab homine occidi poteſt.

Et ut ſyllogiſmus compleatur, deficit hæc Major: videlicet.

Quomodo compleri debet?

Nullus cognatus ab homine occidi poteſt. eritq; ſyllogiſmus in *Celarent*, modo notiſſimo Figuræ primæ.

Diſtinguo conſequens à conſequentia: nam id, quod infertur, eſt verum: ſed ratio inferendi nil valet, quoniam vacillat Minor.

An omnes homines civiliter cognati ſint?

Primò enim, ſi agatur de cognatione civili, falſa eſt; nam hæc ultra quatuor

ho-

hodiè gradus, & olim ultra ſeptem non extendebatur: non ergo omnes debent *cognati* dici.

An ſaltem naturaliter?

Secundò, ſi agatur de cognatione naturali, cum Natura nullos poſuerit in cognatione terminos, & omnes homines ab Adamo, ut ab uno ſtipite & patre communi proveniant, omnes erunt, aut proximè, aut remotè cognati. Sed hæc veritas occ Gentiles, nec alios multos infideles concernit: quoniam Ethnici, qui cum Peripatu Mundum fuiſſe ab æterno opinabantur, non poterant dicere, omnes homines cognatos eſſe: quoniam genealogia eſt plurium perſonarum ab uno ſtipite per ramos ſeu lineas deductio. Si autem Mundus fuiſſet ab æterno, nullus fuiſſet primus homo à quo cæteri deducerentur.

An mund' fuerit ab æterno?

An poſſint occidi propinqui?

Tertiò, ſi ratio Florentini ſtat, ignotum per æquè ignotum, aut ignotius probatur: qui enim diceret poſſe licitè occidi homines, etiam diceret poſſe licitè occidi cognatos; & deberet Majorem Florentinus probare.

Homo non poteſt ... cognatum occidere.

Quartò oſtenditur, Florentinum non dediſſe rationem, ob quam homicidium ſit malum. Nam, ſi Deus modò crearet hominem A. ipſe non eſſet Florentini cognatus. An eum poſſet Florentinus occidere? minimè. Ergo cognatio non eſt formalis ratio, ob quam homicidium eſt malum & peccatum.

Ratio Florentini non urget.

Stat igitur Concluſionem, aliàs certam & indubitatam à Florentino non probari. Supereſt ergo, ut nos illam probemus. Sic diſcurro.

Vera & formalis ratio, ob quã homicidium eſt peccatum.

Quidquid contra Dei præceptum perpetratur, malum eſt, & peccatum: quia omnis inobedientia, quæ mandatis Divinis fit, peccaminoſa & mala eſt.

Sed homicidia contra Dei præceptum perpetrantur: quia illa interdixit Deus.

Ergo homicidia mala ſunt & peccata: nempè, quoties directè & ſecundum intentionem eveniunt. Illa enim quæ privatim fiunt ob defenſionem propriæ vitæ, divitiarum, &c. ſicut etiam illa, quæ authoritate publica admittuntur, ut ſuo loco demonſtro, præter intentionem eveniunt.

An homo ſe poſſit defendere?

SECTIO XII.

De Syllogiſmo Expoſitorio.

Qualis ille ſit? Cur Expoſitorius dicatur?

CVM Medium eſt ſingulare, Expoſitorius dicitur Syllogiſmus. Rationem nominis non urgeo: ideò enim nomina dicuntur ad placitum ſignificare, ut ſciamus ſupremam in iis rationem eſſe Nomenclatoris voluntatem. Rem exemplo dilucido.

Habet Medium ſingulare.

Diogenes fuit pauper.
Diogenes fuit Philoſophus.
Ergo aliquis Philoſophus fuit pauper.
Ergo aliquis pauper fuit Philoſophus.

Quid, ſi habeat Extremitates ſingulares?

Non eſt Expoſitorius, in quo aliqua, aut utraq; Extremitas eſt ſingularis, ſi ſit Medium commune; hic enim,

Petrus eſt homo,
Omnis homo eſt animal,
Ergo Petrus eſt animal.

huc non pertinet. Hunc

Marcus eſt Tullius,
Tullius eſt Cicero,
Ergo Marcus eſt Cicero.

putant aliqui Expoſitorium eſſe: at eſt Idemticus, ut ſtatim videbimus.

Idemticus non debet cum Expoſitorio confundi.

Vt & Iuriſtis proſim, & hanc Sectionem exemplo aliquo opportuno dilucidē, ex Antonio Fabro *leg.* 2. §. 7. 36. D. *de orig. jur.* hanc periodum ſcribam [*Appius Claudius.* Hic eſt, qui quamvis cœcus, publicis tamen conſiliis intereſſet, & in Senatu ſeveriſſimam dixit ſententiam de Pyrrhi captivis *leg.* 1. §. 5. *verſ. nunquid. infr. de poſtul.* Nec enim potuit eſſe alius ille primuſque Appius Claudius unus ex Decémviris, cujus fuit maximum conſilium in XII. Tabulis ſcribendis, quæ jam ante centum annos fuerant conſcriptæ. Idque ita eſſe conſtat *ex* §. *fuit autem.* 36. *infra.*] Ex quibus verbis hunc Syllogiſmum in Platonica Forma concinno.

Pomponius libr. ſing. Enchirid.

Quis & qualis fuerit Appius Claudius?

Qui, etſi cæcus, Conſiliis ſupremis intererat, fuit Appius Claudius.
Sed hic ipſe Appius Claudius de Pyrrho in urbem non recipiendo ſententiam tulit.
Ergo ille cæcus, qui Conſiliis ſupremis intererat, de Pyrrho in urbem non recipiendo ſententiam tulit.

Interim Appius Claudius, & Appius cæcus ex diverſis circumſtantiis videntur & tempore & perſona differre.

An ſyllogiſmi, qui habent extremitates ſingulares, poſſint ad Expoſitorios reduci?

Si ad Expoſitorios ſyllogiſmos reducas etiam illos, in quibus ſunt Extremitates ſingulares, ex eiſdem Fabri verbis hoc exemplum in ſecunda Figura propono.

Appius Claudius qui dum XII. Tabulæ ſcriberentur, erat Decemvir non fuit cæcus.
Appius Claudius, qui contra Pyrrhum judicavit, fuit cæcus.
Ergo Appius Claudius, qui contra Pyrrhum judicavit, non fuit ille Appius Claudius, qui dum XII. Tabulæ ſcriberentur erat Decemvir.

Hæc diſcurrendi norma eſt apta, ut inter duos cognomines demonſtretur diſtinctio; illa, ut coincidentia & idemtificatio.

Theo-

Theologica.

An habent locum in divinis?

IN Divinis expoſitorius hic modus argumentandi deficit, nec enim eſt bona argumentatio. *Hæc natura divina eſt Pater, Hæc natura divina eſt Filius; Ergo Pater eſt Filius. Ergo Filius eſt Pater.* Nec juvat dicere, Medium debere in concreto eſſe, quoniam hæc etiam argumentatio eſt mala, *Hic Deus eſt Pater, Hic Deus eſt Spiritusſanctus: Ergo Spiritusſanctus eſt Pater. Ergo Pater eſt Spiritusſanctus.* An-ne Syllogiſmos expoſitorios rejiciemus? Et, ſi non; admittemus-ne in humanis quos ſimus negaturi in Divinis? Minimè: Divinæ enim humanis notitiis fundantur. Dicemus igitur medium expoſitorii ſyllogiſmi debere ſumi in altera propoſitione, aut in utraq; univerſaliter, ut patet in exemplis ſequentibus.

Rerum divinarum notitia notitia rerum humanarum fundatur.

Unde expoſitorii ſyllogiſmo efficatia naſcatur?

Primus Syllogiſmus.

I. *Hæc natura Divina eſt Pater:*
Hæc natura Divina eſt Filius:
Ergo Filius eſt Pater.
Ergo Pater eſt Filius.

Primi ſyllogiſmi reductio.

Quidquid eſt natura divina eſt Pater.
Quidquid eſt natura Divina eſt Filius.
Ergo Filius eſt Pater.
Ergo Pater eſt Filius.

Secundus Syllogiſmus.

II. *Diogenes fuit pauper,*
Diogenes fuit doctus.
Ergo aliquis doctus fuit pauper.
Ergo aliquis pauper fuit doctus.

Secundi Syllogiſmi reductio.

Quicumq; fuit Diogenes, fuit pauper:
Quicumq; fuit Diogenes fuit doctus:
Ergo aliquis doctus fuit pauper.
Ergo aliquis pauper fuit doctus.

Tertius Syllogiſmus.

III. *Homo eſt Petrus.*
Homo eſt Paulus.
Ergo Paulus eſt Petrus.
Ergo Petrus eſt Paulus.

Tertii Syllogiſmi reductio.

Quilibet homo eſt Petrus:
Quilibet homo eſt Paulus:
Ergo Paulus eſt Petrus.
Ergo Petrus eſt Paulus.

Quartus Syllogiſmus.

IV. *Divinitas eſt Iuſtitia:*
Divinitas eſt Miſericordia:
Ergo Miſericordia in Deo eſt Iuſtitia.
Ergo Iuſtitia in Deo eſt Miſericordia.

Quarti Syllogiſmi reductio.

Quidquid eſt Divinitas in Deo, eſt Iuſtitia.
Quidquid eſt Divinitas in Deo eſt Miſericordia.
Ergo Miſericordia in Deo eſt Iuſtitia.
Ergo Iuſtitia in Deo eſt Miſericordia.

Indicium de præmiſſarum veritate.

Hæc ſufficiant, ut meus Lector intelligat, unde vires recipiant Syllogiſmi, quos Expoſitorios nominamus. Hæc ſciat illos ad communes, à quibus virtutem recipiunt, reducere. In primi enim, & tertii reductione utraq; præmiſſa falſa eſt: in ſecundi utraq; eſt vera: in quarti, utraque eſt vera realiter, & falſa formaliter.

Moralia.

An Morales Virtutes à voluntate diſtinguantur?

SI dicamus omnes Virtutes Morales identificari voluntati; hancque, prout reos punit appellari *Iuſtitiam*; prout miſeris favet *Miſericordiam*; &c. quod probabiliſſimum, aut etiam certiſſimum eſt, ſecuriſſimè de virtutibus in concreto, aut etiam in abſtracto dialecticabimur: eruntq; boni ſyllogiſmi ſequentes.

Magna eſt Peripateticorum prodigalitas in habitibus & ſpeciebus aſſerendis & multiplicandis, parcens ipſi natura genius placuit, & ſobria eſſe debet Philoſophia, ne ſine cauſa multiplicet entitates.

I. *Voluntas eſt Miſericordia:*
Voluntas eſt Pietas:
Ergo Pietas eſt Miſericordia.
Ergo Miſericordia eſt Pietas.
Aut etiam: Pietas eſt miſericors,
Et Miſericordia pia.

II. Voluntas eſt Amor Dei:
Voluntas eſt Odium peccati:
Odium ergo peccati eſt Amor Dei,
Et Amor Dei eſt Odium peccati.
Aut etiam: Odium peccati unit nos Deo,
Et Amor Dei liberat nos à peccato.

III. *Iuſtitia eſt Voluntas:*
Iuſtitia eſt Æquitas:
Ergo Æquitas eſt Voluntas;
Ergo Voluntas eſt Æquitas.
Aut etiam: Æquitas eſt voluntaria,
Et Voluntas eſt æqua.

Virtutes diſtinguuntur realiter extrinſecè inter ſe.

Hæc omnia verificantur, ſi agamus de prædicatis intrinſecis, certum eſt enim eadem diſtingui extrinſecè penes diverſa connotata; ergo identificantur realiter, & diſtinguuntur formaliter.

SECTIO XIII.

De Syllogiſmo Probabili.

De forma concludendi probabili.

SI daretur forma concludendi probabilis, ſyllogiſmus in tali forma factus, tametſi haberet præmiſſas evidentes & per ſe notas, eſſet merè probabilis. In forma evidenter legitima ex præmiſſis probabilibus poteſt concluſio evidenter falſa deduci. Exemplum ponimus. *Quando unum concipitur ſine alio, diſtinguitur realiter ab illo; At Natura divina concipitur ſine Paternitate, Ergo diſtinguitur realiter ab illa.* Nemo dubitabit de forma. Major eſt probabilis; defenditur enim à

Ex probabilibus falſa inferuntur.

Nominalibus, & ab omnibus qui præciſiones objectivas rejiciunt. Minor eſt probabilis; defenditur enim ab Thomiſtis & Scotiſtis. Et tamen conſequentia evidenter eſt falſa. Ergo dicendum eſt Syllogiſmum probabilem illum eſſe, *cujus forma eſt legitima, atque præmiſſæ comprobabiles*. Nam ſi ipſæ ſint tales, ut qui concedat unam, debeat alteram negare neceſſariò, tametſi ſeorſim ſint probabiles, non erunt comprobabiles (hoc eſt, quæ ſimul admitti probabiliter queant) nec probabilem conſequentiam educent.

Quid ſit Syllogiſmus probabilis?

Theologica.

An probabilitas habeat locum in Deo?

QVæri poteſt, An-ne Deus ſit capax cognitionis probabilis? & reſpondemus, aliud eſſe cognoſcere probabilia, & aliud cognoſcere probabiliter. Si probabilitas incertitudoque eſſet abſoluta quædam aliquarum Poſitionum proprietas, illas Deus ut ſunt in ſe cognoſceret, adeòque ut incerta & ambigua; quam ob rem ſi futura contingentia natura ſua eſſent incerta, erraret Deus, ſi ea eſſe certa judicaret. At quia ſecundum ſe poſitiones veræ aut falſæ ſunt, non dubiæ, non probabiles, non evidentes (hæ enim denominationes ſunt reſpectivæ) Deus certiſſimè cognoſcit hanc poſitionem, *Anima eſt immortalis* ſecundum ſe eſſe veram; & eadem certitudine cognoſcit eamdem propoſitionem fuiſſe falſam opinione Ariſtotelis; probabilem multorum Romanorum judicio; diſtinguendam ſententia Peregrini Theologi apud Plutarchum de facie Lunæ, aſſerentis ita ſe habere Mentem ad Animam, ut hæc ad Corpus; adeòque Mentem eſſe Animæ Animam, & Animam eſſe Mentis Corpus.

Probabilitas eſt aliquid reſpectivũ, & creatum intellectũ concernens.

Anima Animæ.

De Angelis; An habeant opiniones probabiles?

An-ne Angeli habent opiniones probabiles? Cur non? nam futura (ut alia omittamus) ſæpe ignorant; ſæpe per probabiles conjecturas præſagiunt; intuenteſque cauſas liberas & contingentes, indifferentiam ad *eſſe* & *non eſſe* intuentur; & determinationem præſentiunt merè probabiliter.

Moralia.

De conſequentiis probabilibus.

IN Logicâ Scholaſticâ non dantur Modi, qui formæ vi inferant conſequentias probabiles; in Logica Morali multi dantur, ex quibus præcipuos colligo & diſputatione XXII. dilucido. Et quia multos omiſi (quis enim omnes poſset uno libro complecti) hunc, quem alibi expendo propono.

Deipara ſine culpa concepta.

Scotus, oculos ad Mariam & Chriſtum ſubrigens, Chriſti puritatem admiratur, & infert, dedecere Deum è Matre maculatâ naſci; & Dei potentiam admiratur, & infert, potuiſse ſuam Matrem ab omni culpâ præſervaſse, & grandi ore hũc ſyllogiſmum format, ut immaculatam fuiſſe Virginis Matris conceptionem oſtendat, ſic ait.

Scoti ratio.

Et decet:
Et non repugnat:
Fuit ergo ab omni peccato præſervata.

An ſit probabilis?

Forma eſt arguendi probabilis, quam alibi ex profeſso dilucido; quamque ad alias materias transfero, ut vires formæ luculentiùs experiar.

Alius modus argumentandi probabiliter.

Formant etiam Moralis Theologiæ Profeſsores alios ſyllogiſmos in formis & figuris Scholaſticis (Platonicis & Ariſtotelicis) utentes videlicet, præmiſſis merè probabilibus. Et ut exemplum, quo dirigaris, habeas, exſeribã unã pulchrã periodum ex Auſonio Noctinot *in ſumma Dianæ. verb. Irregularitas. num.* 5. ubi ſic ait [Poſita probabili ſententia, quod irregularitas proveniens ex delicto, & quæ eſt puta pœna peccati veniat nomine cenſuræ: Et poſita etiam probabili ſententia (ego dixiſſem *comprobabili*) Trullench. *expl. Bullæ lib.* 1. *§.* 7 *cap.* 2 *dub.* 18. *num.* 12. quod cenſuræ abſolvi poſſunt extra Sacramentum Confeſſionis, prædicta irregularitas abſolvi poteſt extra Confeſſionem, & ſic à Confeſſario abſente, habẽte ſcilicet facultatem ex Bullâ privilegio, &c. Ita Diana *p.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 103.] Ex quibus verbis iſtum ſyllogiſmum conficio.

Quid ſignificet nomen Cenſuræ?

An cenſuræ extra Sacramentum pœnitentiæ abſolvantur?

A Cenſuris abſolvi pœnitentes poſſunt extra Confeſſionem:
Irregularitas eſt cenſura.
Pœnitentes igitur ab illa poſſunt extra Confeſſionem abſolvi.

An irregularitas poſſit extra confeſſionem abſolvi?

Major & minor comprobabiles ſunt, non enim elidunt ſe mutuò, ſed potiùs poſſunt ſimul à quocumque defendi: conſequentia eſt legitima & in forma neceſſaria ad Dialecticam Obliquam pertinente: ergo conſequens eſt probabile.

Conſequens & conſequentia diſtinguuntur.

SECTIO XIV.

De Syllogiſmo Demonſtrativo.

Quid ille ſit? & quotuplex?

HIC verboſitatem Logicorum non moror. Verbo omnia. Syllogiſmus legitimus cujus præmiſſæ negari nequeunt, demonſtrativus eſt. Et eſt multiplex; Abſolutus, Reſpectivus, Vniverſalis, Singularis, Particularis; A priori &

à poſteriori. Demonſtratio abſoluta illa eſt, cujus præmiſſæ abſoluiè & ſimpliciter ſunt certæ, nec ab aliquo negari poſſunt. Reſpectiva quæ habet præmiſſas falſas aut incertas; ſed quas negaturus non ſit ille quîcum diſſerimus: Et hæc argumentatio aliàs nominatur *Ad hominem*. Vniverſalis, Singularis aut Particularis dicitur; quod concludat univerſaliter, ſingulariter, aut particulariter. A priori procedit, ſi à cauſa ad effectum; à poſteriori, ſi ab effectu ad cauſam.

Demonſtratio ad hominem.

Theologica.

An dentur demonſtrationes in Theologia?

SAnctus Dionyſius argumenta à Fide deducta, *Demonſtrationes* vocitat: ergo ſtando tanti Viri Lexico, non claritas ſed certitudo ad Scientiam Demonſtrationemque requiritur & ideò Scientia ſeu ſumma certitudo dividi poterit in obſcuram & à revelatione dependentem, & in claram, quæ ſubdividetur in Moralem, Phyſicam, & Metaphyſicam: certa ſunt metaphyſicè, quæ nec miraculosè poſſunt ſe habere aliter: Certa ſunt Phyſicè, quæ falſa eſſe poſſunt, at eſſe vera omni experimento probantur: Sint denique certa moraliter, quæ erunt vera, tametſi non repugnet eis falſitas. Si exempla poſtules: dicemus eſſe metaphyſicè certum non poſſe totum eſſe minus ſua parte, eſſe certum phyſicè te habere præ oculis has theſes, poſſet enim Deus facere, ut illas non haberes, & tamen te habere putares, at hujus miraculi nullum indicium eſt. Eſt certum moraliter dari Conſtantinopolin, nam omnes dicunt illam eſse, & tametſi non repugnet metaphyſicè aut phyſicè omnes ſimul mentiri, id repugnat moraliter.

Certitudo Metaphyſica.

Phyſica.

Moralis.

SECTIO XV.

De Sorite.

Quid ſit?

ESt multorum Syllogiſmorum coacervatio, aut ſyllogiſmus multis præmiſſis præditus. Circa ipſum nomen duo ſunt notanda. (1) illud eſſe generis maſculini: & declinari, ut *Planetes*, *Cometes*, *Pandectes*, pro quibus etiam dicimus *Planeta*, *Cometa*, *Pandecta*, quæ etiam ſunt maſculina. (2) hoc ipſum nomen interdum ſumi in malam partem, & cum elencho, ſeu cavillatione confundi. Conſtat ex Iuliano *leg. ea eſt. 65. D. de regul. Iuris*. Scias tamen Iulianum non velle condemnare ſoritem, cujus forma, ſi leges exactè obſerventur eſt bona. Sed vult monere Philomuſos, illum frequenter contra leges formari, adeoque ante examen ſemper eſſe ſuſpectum. Nam cùm ſophiſtæ difficulter poſſint in ſyllogiſmorum modis ab Ariſtotele & Peripatu demonſtratis oludere, libenter ad ſoritas confugiunt: qui, cum longiores ſint, & minus noti, facilius fallacias admittunt.

Nomina, Planeta, Pandecta, Sorita, ſunt maſculina.

Sorita *aliquando ſumitur in malam partem: & cur?*

Iuliani mens.

Poſſunt ſoritæ in omni Forma, & Figura diſponi: ſed Platonica videtur aptior & opportunior: dicimus enim.

Sorites in Forma Platonica.

5. *Omnis homo eſt animal.*
4. *Omne animal eſt ſenſitivum.*
3. *Omne ſenſitivum eſt vegetativum.*
2. *Omne vegetativum eſt corpus.*
1. *Omne corpus eſt ſubſtantia.*
6. *Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.*

Si invertas ordinem, & ſequaris numeros, quos præmiſſis adfixi, habebis ſoritem Ariſtotelicum juxta primam Figuram: ut, ſi dixeris.

Sorites in prima Figura Ariſtotelis.

Hæc eſt Forma inverſa.

1. *Omne corpus eſt ſubſtantia.*
2. *Omne vegetativum eſt corpus.*
3. *Omne ſenſitivum eſt vegetativum.*
4. *Omne animal eſt ſenſitivum.*
5. *Omnis homo eſt animal.*
6. *Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.*

In ſecunda Figura majori arte ſoritæ conformantur: nam in omnibus præmiſſis unum & idem prædicatum eſſe debet, & poſteà majores extremitates de minoribus prædicari, ut conſpicis.

Sorites in ſecunda Figura.

CEeeSAaaRE

Nullus lapis eſt ſenſibilis.
Nullum metallum eſt ſenſibile.
Nulla arbos eſt ſenſibilis.
Omne animal eſt ſenſibile.
Omnis homo eſt ſenſibilis.
Omnis leo eſt ſenſibilis.
Ergo nullus leo, nullus homo, nullum animal eſt aut arbos, aut metallum, aut lapis.

Concluſio hæc bene conſideretur.

Hinc ſciemus ſoritas in tertia Figura conformare. Sit loco Regularum hoc exemplum.

Sorites in tertia Figura.

FEeeLAaaPTON. DAaRAPTI.

Nullus homo eſt lapis.
Nullus homo eſt leo.
Nullus homo eſt arbos.
Omnis homo eſt ſenſibilis.
Omnis homo eſt rationalis.
Omnis homo eſt riſibilis.
Ergo aliquid eſt quod ſimul ſit riſibile, rationale & ſenſibile, quod tamen nec ſit arbos, nec leo, nec lapis.

N. B. Omnes Soritæ Ariſtotelici diverſum modum inferendi Concluſionem obſervant.

Amant claritatem & facilitatem Dialectici, & hanc ob rem rarò utuntur ſoritis, malunt enim dividere, & paulatim procedere ex uno Sorita multos Syllogiſmos formando.

Cur Scholaſtici vix utantur Soritis?

Theologica.

Sorites Divi Pauli.

HOc modo argumentatur D. Paulus, videtur enim præmittere, *Quos præcognovit, hos prædeſtinavit: Quos prædeſtinavit, hos vocavit: Quos vocavit, hos juſtificavit: Quos juſtificavit, hos glorificavit:* & inferre. *Ergo, quos præcognovit, hos & glorificavit.*

Moralia.

Politicus quali ſcientia indiget?

QVi non ſciat longos & ſecuros Soritas conformare, non debet vocari Politicus. Solent dici res magnarum conſequentiarum, illæ, è quibus aliæ multæ aboriuntur, quæ debent in cauſis præcognoſci. Pono hunc Soritem, quem Canthuarienſis urgebat Antiſtes in Anglia, cùm orabat Parlamentum Carolum, ut declararet Parlamentum ſemel congregatum legitimè à Rege non poſſe diſſolvi. Diſcurrebat Archiepiſcopus ſic.

An Parlamentum ſit ſupra Regem? An ſit à Rege diſſolve?

Rex, qui non poteſt Parlamentum diſſolvere, non dominatur Parlamento.

Qui non dominatur Parlamento, ſubditur Parlamento. [non enim Anglia habet duo capita.]

De Regis & Parlamenti authoritate.

Qui ſubditur Parlamento debet obedire Parlamento.

Qui debet obedire Parlamento, poteſt judicari à Parlamento.

Qui poteſt judicari à Parlamento, poteſt condemnari à Parlamento.

Ergo *de primo ad ultimum, Rex qui non poteſt diſſolvere Parlamentum, poteſt condemnari à Parlamento.*

Monitum Politicum.

Viderit ergo infœlix Carolus, An-non Monitum Archiepiſcopi fuerit ſincerum: & ejus exemplo alii Reges caveant, ne uſis Parlamentis nimiam poteſtatem concedant: nam concedere frequenter eſt cedere: & ex ceſſione interdum minimæ conſequentiæ naſcuntur multæ & graves.

Vberioris doctrinæ gratia hunc Soriten ex D. Auguſtino propono. Sanctus enim Pater ab Octavio Morſt, Amſtelodamo Capuccino *in Anaſtaſi æternitatis tract.* 4. §. 3. citatus, agens de æternis damnatorum cruciatibus ſic inquit. *Hinc colligitur quòd infernus ſit incorporeus* (nempe) *ſubſtantia ſpiritualis corpori ſimilis: cujus pœna tantò ſit intolerabilior, quantò ſpiritus corpore eſt ſubtilior. Omne enim corpus vetuſtate deficit, diuturnitate diſſolutum interibit: Vnde, ſi infernalis ignis eſt corporeus, reſtat ut corporalibus inſtrumentis* (fortè, alimentis) *nutriatur: & ſequitur, ut illis conſumptis ipſe intereat. Sed conſtat ignem gehennæ non deficere, ergo ſpiritualis eſt. Si autem eſt corporeus ſed indeficiens ergo creatus eſt:* (ergo) *neceſſe eſt, ut animæ & ſpiritus qualecumque corpus induant, in quo ignem corporeum ſentiant.* Ecce S. Auguſtini tempore, an ignis inferni eſſet corporeus? dubitabatur. Hoc hodie Græci negant, & Latini affirmamus. Sed & ejuſdem S. Patris evo nihil ſciebatur de obedientiali potentia, quam doctè recentiores ediſſerunt: nihil de phyſica corporei ignis elevatione, quam aliqui doctè proponunt. Corporibus S. Pater Dœmones & Animas damnatas onerat, & ſine cauſa, quia illorum vel eſſent informantes, vel adſiſtentes formæ: at neutrum dici poteſt, ergo. Non primum, nam Dœmones ſunt ſubſtantiæ completæ, & hæ eſſe phyſicæ formæ non poſſunt; & animæ, ſi informarent corpora, viva redderent: & eſſent, qui in inferno cruciantur, non Animi ſeparati, ſed homines. Non ſecundum: quia pati, hoc eſt, ſentire cruciatus & dolores, eſt actio vitalis, & in corpore adſumpto exerceri non poteſt. [Faciliorem iniret viam Sanctus Doctor ſi diceret. Spiritualem ſubſtantiam, intellectu & Voluntate, &c. exornari connaturaliter: Fide, Spe, Charitate, Gratia, &c. ſupernaturaliter: Phantaſia, Senſu communi, &c. infranaturaliter. Sed de hoc ſuo loco uberiùs] Modò Soritam, quo utitur Præſul ſanctiſſimus, conſideremus.

An infernì ignis ſit incorporeus?

An Dæmones habeant corpora?

Quid de ſeparatis animabus dicendum ſit?

Sentire dolores eſt actus vitalis.

De hoc uberiùs in Phyſica.

Forma ſorita Auguſtiniani examinatur.

Di-	*Ignis inferni eſt corporeus?*
ma-	*At omne corporeum vetuſtate deficit,*
ma-	*Omne autem, quod vetuſtate deficit, diuturnitate diſſolvitur.*
ma-	*Et omne, quod diuturnitate diſſolvitur, interit.*
gni.	*Ergo ignis inferni, ſi eſt corporeus, interit.*
Di-	Vel iterum. *Ignis inferni eſt corporeus.*
ma-	*Sed omnis ignis corporeus alimento nutritur.*
ma-	*Omne autem, quod alimento nutritur, illo deficiente conſumitur.*
gni.	*Ergo ignis inferni, ſi corporeus eſſet tandem conſumeretur.*
Ba-	*Quia omne corporeum conſumitur.*
roc-	*Sed ignis inferni non conſumitur.*
co.	*Ergo ignis inferni non eſt corporeus.*
Di-	Vel aliter. *Ignis inferni eſt corporeus.*
ma-	*At omne corporeum in corpus agit.*
gni	*Ergo ignis Inferni in corpus agit.*
gni.	*Ergo Dæmones & damnatæ animæ adſumunt qualiacumque corpora, in quo ignis corporeus agat.*

SE-

SECTIO XVI.

De Syllogiſmo Obliquo.

An debeat neceſſariò cognoſci?

EGI de hoc argumento fuſiſſimè in noſtrâ Logicâ à *nu.*1030. ad 1251. per multa folia: & multa inveni, quæ à Iuriſtis poſſunt ſine periculo Iuſtiniani neſciri. Interim, ne ingenioſus Lector omninò ignoret, in quo præcipuè, aut ſaltem plerumque Dialectica Obliqua conſiſtat, hanc unicam legem propono.

In quo cōſiſtat?

Quotieſcumque in aliquâ propoſitione ſit aliquod nomen in caſu obliquo, poterit hac eadem propoſitio velut Major adſumi. Addenda eſt poſteà alia propoſitio, in quâ illud ipſum obliquum ſubſumatur in recto, & de illo aliud quodcumque prædicetur. Concluſio erit prior illa propoſitio, ſi loco obliqui, quod in Minori fuit ſubjectum, in eodem caſu ejuſdem Minoris prædicatum ponatur.

Regulam nullo modo meliùs dilucidare potero, quàm exempla opportuna adducendo. Per ſingulos ergo caſus diſcurramus.

Qualis Ariſtoteles fuerit?

Hic Phyſicorum liber, quem expoſui, Ariſtotelis eſt.
Sed Ariſtoteles fuit inter Græcos Philoſophos ingenioſiſſimus.
Ergo hic Phyſicorum liber, eſt Philoſophi inter Græcos ingenioſiſſimi.

Cujas Columbus?

Chriſtophoro Columbo debetur Occidui Orbis inventio.
At Chriſtophorus Columbus Placentinus fuit, non Florentinus.
Placentino igitur, & non Florentino debetur Occidui Orbis inventio.

Quid Pandectæ contineant?

Iuſtinianus librum Pandectarum Cæſareâ authoritate roboravit.
Sed Pandectarum liber dogmata Veterũ Iuriſperitorum complectitur.
Ergo Iuſtinianus librum, qui dogmata Veterum Iuriſperitorum complectitur, Cæſareâ authoritate roboravit.

A quo Iure manumiſſio proveniat?

Manumiſſiones omnes à Iure Gentium proveniunt. *Vlpianus* libr. 1. Inſtitut.

Quid ſit Ius gentium?

Sed Ius gentium eſt Decalogus prout populos ſeu gentes concernit.
Ergo Manumiſſiones omnes proveniũt à Decalogo, prout populos, ſeu gentes concernit.

Quid ſit Divinitas?

Sed & Theologi frequẽter utuntur Syllogiſmis hujuſmodi: ſubſequentes cõſidera.

Deus eſt habens Divinitatem.
At Divinitas eſt omnium perfectionum poſſibilium & intelligibilium aggregatum.
Habet ergo Deus omnium perfectionum poſſibiliũ & intelligibiliũ aggregatũ.

Pater Æternus Verbum generat.
Verbum eſt illa Divina Perſona, quæ Carnem ſumpſit.
Ergo Pater Æternus generat illam Divinam Perſonam, quæ carnem ſumpſit.

Virgo Maria eſt mater Dei.

Virgo Maria eſt Mater Chriſti.
Chriſtus eſt Deus.
Ergo Virgo Maria eſt Mater Dei.

Vt hunc ultimum ſyllogiſmum meliùs intelligas, producam Ægidium Columnam, qui *diſt.4.par.2. qu.1.art.2.* ſic ait. [Cum illa unio (hypoſtatica) fuerit tanta, quod Deum fecit hominem, & hominem Deũ, ſi Virgo fuit Mater illius hominis, cum ille homo ſit etiam Deus, conſequens eſt, quod ſit quoq; Mater Dei.]

SECTIO XVII.

De Syllogiſmo Identico.

Quid ſit?

DIcimur argumentari identicè, cum idem per idem probamus; cum videlicet illud ſupponimus, aut adſumimus, quod ſuadere debemus; cum verbis obludimus, circulum committimus, & eadem per verba diverſa affirmamus. Et hoc quadrifariam poteſt accidere.

Quotuplex ſit?

(1) ſi major extremitas. (2) ſi minor extremitas ſolo nomine à medio diſtinguatur. (3) ſi extremitates in re coincidant, & ſolo diſtinguantur vocabulo. (4) ſi omnes tres termini in lingua differant, & tamen, nec realiter, nec formaliter differant.

An & quando diſtinctio formalis identico ſyllogiſmo non præjudicat?

[Poſſent ſanè huc referri termini diſtincti formaliter, quando ad nihil conducit diſtinctio puta, ſi agatur de ſenſu reali & entitativo, quem modus concipiendi non alterat.] Exempla aliqua ſubjiciamus:

I. *Gladius eſt enſis.*
Enſis non poteſt tradi phrenetico.
Ergo gladius non poteſt tradi phrenetico.

II. Sydera ſunt in Aplane,
Aplanes eſt Firmamentum,
Ergo Sydera ſunt in Firmamento.

III. *Spica Virginis eſt Stella A.*
Stella A eſt Στάχυς
Ergo Spica Virginis eſt Στάχυς.

IV. Marcus eſt Tullius.
Tullius eſt Cicero.
Ergo Marcus eſt Cicero.

V. *Cor Leonis eſt Regulus.*
Regulus eſt Βασιλίσκος.
Βασιλίσκος *eſt* Kalbol-aſadi.
Ergo Cor Leonis eſt Kalbol-aſadi.

Quinam hujuſmodi ſyllogiſmis utantur?

Sic argumentantur frequentiſſimè qui rationibus carent; & indocti Advocati præcipuè; adſumunt enim, ut certum & indubitatum, illa ſibi deberi, quæ poſtulant.

lant, & grandi ſtatim ore inferunt, ſe poſtulare, quæ debentur. Vide noſtram Theol. Fund. *nu.* 134. & 571.

SECTIO XVIII.

De Argumentationum fundamento. An, qui duas contradictorias admiſerit, cogi poſſit, ut quidquid tu volueris, concedat?

De fundamento Dialecticæ.

ILlud Axioma. *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ut jam ſupra aſſeruimus, nec verum eſt; nec, ſi eſſet verum, ſyllogiſticam artem ſubſtrueret. Vide meam Metalogicam *à nu.* 1003. ubi fusè Authores, qui illud tuentur, impugno. Illud autem, *Quidquid de omni dicitur, de ſingulis ſub illo contentis dicitur*: *Quidquid de omni negatur, de ſingulis ſub illo contentis negatur*, verum eſt, & ut Artis Dialecticæ, ſeu argumentativæ à maximis Viris admiſſum. Sed quia tibi non placet, ſic illud condemnas, & impugnas. Propoſitio identica non debet aſſumi, ut ſcientiæ alicujus principium: Sed hæ duæ ſunt identicæ: non ergo debent, ut Dialecticæ Principia adſumi. Probatur minor, quia nihil aliud eſt, dici, aut negari de omnibus (nam de Vniverſali diſtributivo agitur) quàm dici, aut negari de ſingulis. Reſpondeo, *omnes*, & *ſingulos* non coincidere, ſed diſtingui formaliter, & hoc ſufficit, ne propoſitio ſit identica. Interim, quod de omnibus dicitur, aut negatur, debet dici aut negari de ſingulis: quia aliàs darentur duæ contradictoriæ ſimul veræ: nam ſi *nobilitas* quæ de omnibus dicitur in hac propoſitione, *Omnis Iuriſconſultus eſt nobilis*, de ſingulis non diceretur, eſſet vera etiam hæc propoſitio *Aliquis Iuriſconſultus non eſt nobilis*, & haberemus duas contradictorias ſimul veras. Has ſi admittas, nihil erit in Mundo tam abſurdum, aut impoſſibile, quod non debeas neceſſariò concedere, ſi bonâ Dialecticâ utamur. Vide Ariſtotelem *libr.* 1. *Phyſic. cap.* 2. *&* 3. & noſtram Theol. Fundam. *nu.* 1356. §. *ad prim.* & *nu.* 1632. &c. Vel dicito, quid tibi vis evidenter probari, quod manifeſtè falſum ſit? *Vlpianum eſſe Magnum Turcam*. Ergo concede mihi duas contradictorias, nempe quaſcumq; velis, & demonſtrationem exſpecta. Sunto hæ.

Non ſunt identica propoſitiones, in quibus termini diſtinguuntur formaliter.

Ex uno impoſſibili ſequitur quodlibet.

Hæc propoſitio, Petrus eſt lapis, *eſt vera*.
Hæc propoſitio, Petrus eſt lapis, *non eſt vera*.

Ergo ſic argumentor. Attende.

Vel Petrus eſt lapis, vel Vlpianus eſt Magnus Turca;
Atqui eſt falſum dicere Petrum eſſe lapidem.
Ergo eſt verum dicere Vlpianũ eſſe Magnum Turcam.

Prima propoſitio eſt vera: eſt enim disjunctiva, & ut disjunctiva vera ſit, ſufficit alteram partem eſſe veram: in illa autem illa pars eſt vera, *Petrus eſt lapis*; ut ſupponis. Secunda Propoſitio etiam eſt vera, ut ſupponebas. Conſequentia eſt legitima. *Vlpianus igitur eſt Magnus Turca*.

SECTIO XIX.

Nonnulla Conſequentia in Theologia Fundamentali examinata proponuntur.

ARgumentum negativum, ſi nihil addatur eſt inutile. Vide Theolog. Fund. *num.* 951. 1452. 1990. 2004. Sed interdum eſt efficaciſſimum: nam quando omittuntur, quæ poterunt non dici, conſequentia vacillat: quando autem omnia debebant dici, negativum argumentum eſt firmum. Hinc eſt quod in Theologia Fund. *num.* 525. examinans, An teneatur homo etiamſi Sacramenta recipiat, in articulo mortis actum contritionis elicere? dixerim aſſerentem ſententiam, quæ eſt Suarii *tom.* 4. *in* 3. *par. diſp.* 15. *ſect.* 4. *nu.* 17. Nugni *tom.* 2. *in* 3. *part. qu.* 2. *art.* 4. *dub.* 4. Zambrani *de caſib. occurr. temp. mort. cap.* 4. *dub.* 1. *num.* 4. & aliorum eſſe falſam: & ratione probaverim, quam evidentiſſimam puto, tametſi negativa ſit. Sic argumentabar. [Incredibile eſt annis ſolidis mille ſexcentis rem tam neceſſariam, ſi eſſet vera, fuiſſe in Eccleſia Orthodoxa ignoratã: nam altiùs de Dei Miſericordiâ & Providentiâ eſt præſumendum: nec enim dicendum eſt ab illo ita totam Eccleſiam deſeri, ut in re tanti momenti ſemper fuerit decepta.] Primus, qui ſententiam affirmativam docuit, Suarius fuit, & ideò benè fluit argumentum.

An, & quando argumentum negativum ſit firmum?

An in mortis articulo debeamus actum contritionis elicere?

Modus argumentandi in materiâ conditionatâ talis eſt.

Donaſti Franciſco mille aureos, ſi eſſet Doctor.
At eſt Doctor. & purificatur conditio.
Ergo tenet donatio: & in abſolutam tranſivit.

Argumentum ex conditione.

Vide Theol. Fund. *num.* 860. Sunt conditiones, quæ debent cenſeri non adjectæ, & tunc ſic debet argumentum procedere.

Captivum patrem redimere filius tenetur.

Petrus legavit Auſonio decem millia, ſi Patrem captivum non redimas.
At hæc conditio habenda eſt pro non poſitâ: eſt enim contra bonos mores.
Ergo legatum eſt abſolutum, & ab omni conditione independens.

Con-

An poſſis poſitionem, quam negaras, adſumere?

Conſequentia, quæ ex termino non ſupponente elicitur, nulla eſt. illud enim quod eſt nullum aut nihil moraliter, nec poteſt damnum, nec utilitatem inferre. Hinc lux Regulæ XXX. dicenti. *Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus exiſtit impugnare*; qui enim in tribunali negavit ſe eſſe Petri filium, ne illum ab hoſtibus teneretur redimere, cenſendus eſt non eſſe Petri filius, cum agitur de hæreditate. Hinc etiam lux Regulæ XXXVII. *Utile non debet per inutile vitiari*; nam ſi uxorem ducat, qui invalidè profeſſus eſt: valet matrimonium, non enim illud per inutilem, invalidam, & nullam profeſſionem vitiatur. Vide Theol. Fund. *num.* 998 §. *Secunda*.

Huc etiam pertinet Regula LII. *Non præſtat impedimentum, quod de iure nō ſortitur effectum.*

Quam certa ſit noſtra Religio?

Sunt etiam Argumentationes, in quibus inſeruntur hypotheticæ propoſitiones. *ibid. n.* 136 r. examino, *An bene* contra Novatores P. *Valerianus Magnus Capucinus, hanc disjunctivam probet*, Aut veniendum eſſe ad Eccleſiam Catholicam, aut recedendum à Chriſto?

Quomodo ab effectu debeat argumentari?

Argumentatio à poſteriori, quæ eſt ab effectu, interdum claudicat: nam effectus eſt duplex, per ſe, & per accidens: & quando ab effectu per accidens procedit argumentatio, vacillat. Pono exemplum. Motu & loca mutantur, & calor gignitur unde prodiit Adagium, *Motus eſt cauſa caloris*. Primus effectus eſt per ſe, & ſecundus per accidens, quam ob rem hæc erit bona argumentatio, *Lignum mutat locum, ergo movetur*; mala autem hæc, *Lignum calefit, ergo movetur*. Vide Theol. Fund. *num.* 7 ro.

Unde ſumantur impugnationes conſiderandum eſt.

Conſiderandum eſt, unde argumenta contra aliquam doctrinam ſumantur: nam, ſicut glorioſum eſt S. Thomæ eiſdem ejus de auxiliis ſententia impugnari argumentis, quibus S. Petri doctrina à Simone Mago impugnabatur, ita etiam glorioſum eſt Eccleſiæ Ianſeniſtas argumento à Luthero & Calvino deſumere, ut obloquantur. Vide Theol. Fund. *num.* 8 r.

Fidei & morum non eſt neceſſaria connexio.

Argumentum à moribus ad fidem nihil valet. Solent infideles habere bonos mores, unde D. Antonius de Guevara in quâdam epiſtolâ orat, ut cuidam Mauriſco Mahometano ſuam fidem, & ſibi ejus mores concedat. Unde ſcitè dicunt Iuriſperiti, *Argumentandum eſſe legibus, non hiſtoriis, aut factis.* Vide Theol. Fund. *num.* 1348.

Argumentum quod nimium probat eſt ineſficax.

Sæpè contingit, ut ratio plus probet, quàm debeat, & tunc tenet Adagium, *Argumentum, quod nimium probat, nihil probat*. Ex hoc fundamento bene Martinus Lutherus contra Anabatiſtas argumentatur, *tom.* 4. *editionis Ienenſ. fol.* 320. & *tom.* 2. *edit. Wittenberg. fol.* 279. §. 4. quia, ſi ideò eſt Anabatiſmus admittendus, quia eſt contra Papam, etiam Gentiliſmus erit admittendus, quia & hic eſt contra Papam. Vide Theol. Fund. *n.* 201. *in fin.* ex hoc etiā fundamento *ibid. n.* 1479. impugno Dianā qui aſſerit ſine mortali culpâ poſſe officium in officium mutari: & tamen poſtà, ut non poſſe Officium de Reſurrectione legi quotidie ſuadeat, argumento utitur, quo nullum officium in aliud mutari poſſe, æquè benè probatur.

An poſſit unius diei officium in aliud quodcūq; mutari?

Interim, ſciat Lector Alexandrum VII. 18. Martii 1666. damnaviſſe iſtā propoſitionem. *In die Palmarum recitans officium Paſchale ſatisfacit præcepto.*

An & quando ex potentia ad actum ſecurè argumentum procurrat?

Ex potentiâ ad actum in Phyſicis conſequentia non valet: malè enim diſcurreret, qui diceret, *Petrus poteſt currere, ergo currit*: nam & in ſimili formâ poſſet addere, *Petrus poteſt non currere, ergo non currit*. Et haberemus duas contradictorias ſimul veras. Interim in æternis, & neceſſariis idem eſt poſſe & eſſe. Pono exemplum. In Univerſitate Viennenſi P. Herwart S. I. iterum iterumque propugnavit hanc Theſim. *Poſſibilis eſt qualitas, quæ ex eſſentiâ ſuâ Phyſicâ & reali infallibilitatem illæſâ libertate inducat*. Primâ vice aliundè fui argumentatus, at quia hanc eamdem concluſionem reponi vidi, putavi me rem gratam facturum P. Herwartio, ſi illum impugnare conarer. Fui igitur ſic argumentatus.

An ſit poſſibilis phyſica prædeterminatio?

Poſſibilis eſt hujuſmodi qualitas. Ergo poſſibile eſt non dari in Deo ſcientiam mediam. Ergo de facto non datur ſcientia media. Probabam primam conſequentiam: quia ideò ſcientia media aſſeritur, quia Phyſicæ prædeterminationes negantur. Probabam ſecundam, quia ſcientia media eſt formalitas neceſſaria & à libero arbitrio independens. Ergo, ſi poteſt eſſe, ſemper eſt: &, ſi poteſt abeſſe, ſemper abeſt. Vide Theol. Fundam. *nu.* 64. & *nu.* 169. De his conſequentiis, *Potuit & voluit, ergo fecit*. *Potuit & tamen non fecit, ergo noluit*. Ago *ibid. nu.* 2 ro.

A voluntate ad actum.

A potentia ad debitum.

In Moralibus autem à potentiâ ad debitum valet argumentatio interdum, ut ſi dicas, *Poteſt ergo debet*. *ibid. num.* 607. Pono exempla. * Petrus poteſt juxta probabilem operari ſententiam. Ergo modò debet. Patet conſequentia: quia adeſt modò Superioris præceptum: & ſubditus tenetur Superiori obedire in omni materia probabili. * Moribundo ſenſibus deſtituto, qui Catholicè vixit, & tamen nullo ſigno externo petit abſolutionem, hanc poſſum ſub conditione concedere, ut in Theolog. Fundam. fusè oſtendo. Ergo & debeo. Probo conſequentiam, quia ille eſt in extremâ neceſſitate conſtitutus, & ex Charitate teneor pro illo facere quantum poſſim. Ergo abſolutionem ſub con-

An debeat obedire ſuperiori in materia probabili?

An moribundũ ſenſibus deſtitutum, qui nullo ſigno petiit confeſſionem, abſolvere?

conditione impendere, hoc enim poſſum. Peccaret extra neceſſitatem, qui in Sacramentis materiâ uteretur probabili tum contra Charitatem, tum contra Præceptum Eccleſiæ. At ubi inſtat neceſſitas, ceſſat Eccleſiæ lex, & Charitas contrariũ indicit. Pono exemplum. Pro baptiſmate adminiſtrando habes materiam certam probabilem, & dubiam. Ergo uti debes certâ, non probabili, aut dubiâ, quia ſic, Charitas præcipit, & Eccleſia. Non habes certam, & eſt in morâ periculum. *Potes uti probabili: ergo debes*. At nequidem probabilem habes: tunc dicam. *Potes uti dubiâ ſub conditione, ergo debes*. Patet conſequentia; quia eſt in extremâ neceſſitate ille infans, & tu debes illum juvare quantum poſſis: & hoc facere potes: & illi melius eſt baptiſmum dubium ſuſcepiſſe, quàm nullum. * Servis Comiti; ejus pecunias cuſtodiendas recipis, & illas te defenſurum promittis, & promiſſionem roboras juramento. Ergo illas defendere ex fidelitate, ex juſtitiâ, & ex religione teneris. Habes Comitis aureos mille in arce, centum in pago: illos, iſtos debes propugnare, ſi poſſis. Supervenit hoſtis, & tu arcem ſimul & pagum non potes defendere. Quid facies, ut tu bene tuo Domino ſervias? Pagum deſere. At illum ex juramento tenebaris defendere; nego, quia juramentum impoſsibilia non concernit. At hoſtis à te poſtulat, ut jures te non eſſe defenſurum pagum, vel aliàs vult pagum ſpoliare, & arcem poſteà invadere. An ne hoc emittere juramentum poteris tuta conſcientia. Videretur quod non. Si enim te pagum eſſe defenſurum juraſti, quomodò modò jurare poteris, te illum defenſurum non eſſe. Reſpondeo te poſſe hoc juramentum emittere, ac proptercà debere. Quod ſic perſuadeo. Strictiùs teneris defendere arcem, quàm pagum; quia ibi mille, hic autem centum Comes perderet. Ergo vi præſtiti juramenti debes omnia adhibere media, quæ neceſſaria ſint, ut illa defendatur. Ergo, ſi ad defendendam arcem neceſſarium ſit, ut de non defendendo pago juramentum emittas, hoc emittere poteris. Ergo hoc emittere vi prioris juramenti debebis. Hanc doctrinam bene conſidera, nam in illâ fundatur omnium Articulorum honeſtas, qui in tractatibus de Pace cum Infidelibus ſolent admitti. In ipſis, ut videris, excuſat neceſsitas: cæterùm, ſi aliquis ſine neceſsitate concedatur; aliundè cohoneſtari non poterit.

An, & quando in Sacramentis probabilis materia ſufficiat?

Quomodo intelligenda ſit illa Poſitio, Ex duobus malis minus eſt eligendum?

De pace, quæ cum infidelibus, ne eveniãt pejora, ſolet fieri.

De excluſivæ particula.

Conſiderari debet antecedentis excluſivi efficacia; multæ enim conſequentiæ, quæ aliàs eſſent malæ, ab excluſivâ particulâ ſecuritatem nanciſcuntur: hæc enim conſequentia eſt mala. *Homo eſt animal rationale, Ergo Equus non eſt animal rationale*, quia in ſimili formâ poſſet eſſe antecedens verum, & conſequens falſum; ut, ſi diceres, *Homo eſt animal, Ergo Equus non eſt animal*. At, ſi in antecedenti particula excluſiva ponatur, conſequentia erit bona; ut, ſi dicas. *Tantùm homo eſt animal rationale. Ergo Equus non eſt animal rationale*. Vide Theol. Fund. *n.* 1867. ubi contra Novatores examino, An ſola Fides ad juſtificationem ſufficiat?

De paritate rationis.

A paritate rationis in materiâ gratiæ conſequentia non urget: nîl enim valet hic diſcurſus. *Petrus dedit duos aureos illi pauperi, ego ſum æquè pauper. Ergo & mihi totidem aureos debes*. Vide Theol. Fund. *num.* 1092. 1122. 1561. 1789. Idem dicâs de argumento à ſimili, & habebis opportuna exempla *ibid. nn.* 652. & 1092.

A majori ad minus.

A minori ad majus.

Sed neque valet à majori ad minus, aut à minori ad majus in eâdem materiâ: undè malè argumentaretur, qui diceret. *Petrus legavit Ioanni famulo fideli centum aureos. At ego fui ipſi fidelior famulus. Ergo totidem mihi legavit, vel plures*. Vide Theol. Fund. *n.* 667. 925. 1030. Huc pertinent hæ conſequentiæ, *Potes Ioannem occidere, Ergo contumeliâ afficere. Potes donare domum, Illam ergo pro alio poteris obligare*; quas eſſe multas oſtendo *ibid. nn.* 933.

Oſtenditur, quod in materia gratia nulla ſit conſequentia, quæ à fortiori deducitur.

Et quidem in materiâ gratiæ eſſe ſceleratas interdum conſequentias, quæ à paritate, aut etiam à majori ad minus deducuntur, demonſtrat parabola Patris familias, quæ in Septuageſima cantatur. Ibi ille ſummo mane conduxit operarios in vineam ſuam, inita conventione de denario diurno. Alios diverſis horis miſit; ultimoſque hora undecima, videlicet ſub occaſum Solis. *Cùm ſerò autem factum eſſet, dicit Dominus vineæ Procuratori ſuo, Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à noviſſimis uſque ad primos. Cùm veniſſent ergo, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios*. Ratio videretur poſtulare, ut qui pro una hora ſingulos denarios dederat, pro horis duodecim duodenos daret. *Ideò venientes primi arbitrati ſunt, quod plus eſſent accepturi*. Quid autem factum? *Acceperunt & ipſi ſingulos denarios*. Tunc quia ſpuria erant Logica tincti, *murmurabant adverſus Patrem familias, dicentes, Hi noviſſimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus*. At Pater familias illos corripit: & nos veram Logicam docet. Quis unquam vidit, ait, ex gratiis conſequentias deduci, cum tota ratio favores concedendi ſit, concedentis

In materia gratiæ Aritmetica, aut etiam Geometrica proportio deficit.

Logica ſpuria.

Legitima Logica.

vo-

voluntas. Et converſus ad illum, qui fortè cæteros ſeducebat, & concitabat, dixit, *Amice non facio tibi injuriam. Non-ne ex denario convenisti mecum? Tolle, quod tuũ eſt, & vade. Vola autem huic noviſſimo dare, ſicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Nequam eſt ergo, qui in materiâ gratiæ à majori ad minus cum damno proximi argumenta deducit. Bonus, qui ſolvit, quod debet: & quibus vult, concedit gratias, quas non debet: nã ubi nulla eſt ſic, vel aliter operandi obligatio, unicuiq; licet, quod vult facere.

Nulla injuria fit illi, cui gratia negatur.

Ab impoſſibili.

Ab impoſſibili optimè argumentamur. Cùm enim ex veris falſa ſequi non poſſint, *ibid.num.*1590.1706. antecedens, ex quo impoſſibile ſequitur, falſum eſt. Verùm enim verò ab inconvenienti non benè diſcurſus deducitur: quoniam ex ipſa veritate manifeſtè probatâ multa interdum inconvenientia ſubſequuntur. Vide Theol. Fund. *à num.*456.

Ab inconvenienti.

A notitia omnium.

Hæc conſequentia. *Cæteri ſciunt, Ergo & Petrus*; non eſt infallibilis, eſt tamen fortis, ut *ibid.num.*976.984. oſtendo.

A ſententia omnium.

Hæc autem, *Omnes dicunt, Ergo eſt*; in rebus phyſicis eſt periculoſa, multæ enim communes opiniones ſunt falſæ, ut *ibid. à nu.* 341.405. perſuadeo. At verò eadem conſequentia in rebus Moralibus ſecuriſſima eſt; ut ſi dicas, *Omnes aſſerunt hoc eſſe licitum, Ergo illud poſſum facere ſine peccato. Omnes hanc actionem condemnant, Peccabit igitur qui illam facere audeat.* Vide Theol.Fund.*nu.*1630. S.&.

A ſententia diſcipuli.

Hanc ego conſequentiam, *Ioannes à S. Thoma eſt rigidus Thomiſta: & tamen hanc ſententiam tuetur. Ergo hæc ſententia eſt D. Thomæ*, eſſe probabiliſſimam probo *ibid.num* 884.

Doceri vis, quid judicem de his conſequentiis. *Eccleſia facit, Ergo poteſt. Summus Pontifex fecit, Ergo bene fecit. S.Michael dixit, Ergo eſt verum. Angelus Gabriel Titium baptizavit, ergo validè?* De hujuſmodi aſſertionibus diſſero *ibid. num.* 243. Sanè ſi Eccleſia in Concilio generali ſe poſſe aliquid facere definiat, hanc Eccleſiæ poteſtatem nemo negabit ſine hæreſi; unde in Tridentino Concilio ſeſſ. 24. Can. 4. legitur. *Siquis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe: anathema ſit.* Si verò nĩl Eccleſia definiat, à facto non poteſt infallibile argumentum deduci, multa enim Apoſtolica Sedes efficit, inſiſtendo opinioni probabili, aut etiam minùs probabili. Quod ex probabili Doctorum opinione facit Pontifex, benè facit. Cœlites mentiri non poſſunt, ergo nec S.Michael: ergo, niſi materia ſit in quâ opinari ille poſſit, quidquid dixerit, erit indubitatum. Deus Angelis ſuis Sacramenta conficiendi poteſtatem non contulit: potuit tamen, & poteſt. Quam ob rem, ſi per impoſſibile S. Gabriel aliquem baptizaret, cum non poſſit ſacrilegium committere, eſt enim confirmatus in gratiâ, deberemus dicere illum habuiſſe à Deo hoc Sacramentum adminiſtrandi poteſtatem.

De authoritate Eccleſiæ.

An potuerit impedimenta matrimonii ſtatuere?

Angeli opinari poſſunt, non mentiri.

An Sacramentum ab Angelo collatum eſſet validum?

An omnia, quæ non ſunt interdicta, ſint licita?

Optimè argumentaretur, qui diceret, *Hoc non interdicitur à Iure, Ergo permittitur à Iure.* nam ab interdictione præſcindendo interdicendo nihil Theologicè, aut civiliter malum eſt. Si non eſſet Decalogus nullum eſſet peccatum Theologicũ: &, ſi non eſſet Ius Humanum, nulla eſſet culpa Civilis. &c. * Sed dices, [Hæc non eſt bona conſequentia, *Solon non interdixit parricidia, Ergo permiſit parricidia.* Ergo non omnia permittuntur, quæ non interdicuntur.] * Reſpondeo Solonem excuſari ab aliquibus, quod putarit tale eſſe crimen parricidium, ut non poſſit à Lacedæmonio committi. At ille fuit & prudentior & cautior: Ergo dicendum eſt, eſſe leges tacitas & expreſſas. Tacitis interdicuntur à Principe omnia, quæ militant contra bonum commune: ergo parricidia tacitè interdixit Solon: adeoque illa nullatenus permiſit Solon. Sed quia rariſſimè hæc crimina accidunt, pœnam Iudicis arbitrio reliquit. * Et ſiquidem agimus de parricidio, quomodo intelligenda eſt illa Numæ Pompilii lex. *Siquis liberum hominem morti ſciens ducit, Parricida eſt.* Ergo quodcumque homicidium à Pompilio vocatur parricidium. Budæus *in libr.poſthum.de orig. Iuris.* nomen *Parricida* tam à pari, quàm à patre deducit, & Priſcianum allegat: vultq; parricidium committi cum occidit par parem. At ſi bene Orthographiæ proſpiciamus, à pari *paricidium* deberet, & non *parricidium* oriri. Sed poſſet aliquis Pompilium cum Florentino componere: & dicere primò, non ſolùm, cùm pater, ſed cùm frater, aut cognatus occiditur, parricidium committi. Et addere omnes illorum ſententia homines cognatos eſſe, nam *libr.*1.*Inſtitut.* Florentinus ſic ait, *Cùm inter nos cognationem quandam natura conſtituit, conſequens eſt, hominem homini inſidiari nefas eſſe.*

An Solon parricidia interdixerit?

An omne homicidium ſit parricidium?

Parricidium an differat à paricidio?

Hæ conſequentiæ, *Opinio N. eſt impreſſa Romæ, cum licentia Magiſtri Sacri Palatii: Ergo eſt probabilis. Opinio N. eſt deleta Romæ authoritate Magiſtri Sacri Palatii. Ergo eſt improbabilis.* examinantur *ibid.num.*321.

De Magiſtro Sacri Palatii.

Quid ſit opinionem ſpeculativè ſumi, & quid practicè ſumi?

Allucinantur multi, cum concedunt, aut etiam negant hanc conſequentiam, *Hac opinio eſt tuta ſpeculativè, ergo & practicè*, quia pace illorum dixerim, nolunt intelligere quid ſit ſpeculativè opinionē ſumi, & quid practicè. Pono exemplum. Quæritur, an in luxuria detur materia parva? Reſpondent aliqui aſſertivè. Et ſtatim alii vociſerantur hanc doctrinam eſſe probabilem ſpeculativè, ſed non practicè. Et cur, non practicè? ratione periculi. Sed attende. Actus luxuriæ levis ſpeculativè conſiderabatur cum periculo, vel ſine periculo. Si hoc ſecundum, alius caſus in ſpeculatione ponitur, alius in praxi. Cur ergo dicitur ſpeculativè eſſe probabilem, quia caret periculo, & practicè eſſe improbabilem, quia ſubeſt periculum, cùm ſint duo caſus toto cœlo diverſi? Si primum, nec practicè, nec ſpeculativè erit illa opinio probabilis, nam ſe exponere mortaliter peccandi periculo, eſt mortale, & oppoſitum ſpeculativè & practicè improbabile eſt. Vide Theol. Fund. *num.* 1569.

An in luxuria detur materia parvitas?

An modus Placidi ſit efficax?

Tametſi ex puris particularibus nihil infallibiliter ſequatur: ſyllogiſmi Iuridici bonas conſequentias inferunt, quæ etiā infallibiles ſunt, ſi modo convenienti afficiantur. * In Theologia igitur Fundam. *num.* 1172. examino hanc conſequentiā. *Aliquando fecit, Ergo & nunc facit*, quam illud Axioma ſuccollat, *Semel malus, ſemper præſumitur malus*, ſaltem in eodem genere mali. * Quæro *num.* 1837. an ab una nocte ad unam horam bene conſequentia trahatur? * Hanc. *Id plerumque fit, Ergo modo fit.* dilucido *ibid. num.* 795. 943. 1123. * Cui eſt ſimilis hæc, *Non poſſum ſemper, Ergo nec uno die.* quam ediſſero *ib. num.* 147. At hæ conſequentiæ ſunt Morales, & pertinent ad modum *Placidi*, de quo ſuo loco diſputabo.

Recenſentur aliqua quæſtiones Dialecticæ, quæ in Theologia Fundamentali examinantur.

Multa etiam in Theologia Fundamentali de ſyllogiſmorum efficacia expenduntur. An Ariſtotelici boni ſint? An præter illos alii formentur etiam boni? *nu.* 1706. an ex puris particularibus aliquid inferatur? *num.* 1477. Peripatetici poſtulant, ut in ſecunda figura altera præmiſſa ſit negativa, & concluſio negativa inferatur. An erit bonus ſyllogiſmus, cujus omnes ſint propoſitiones affirmativæ? *num.* 1561. anne præmiſſæ ſemper ſint veriores concluſione? *num.* 760. an hæc ſemper partem debiliorem ſequatur? *num.* 520. Ex veris falſa ſequi non poſſunt. *num.* 1405. Omnes ſyllogiſmorum modi & formæ demōſtrabiles ſunt. Non dantur formæ aut modi probabiles. *num.* 1395. Ex eiſdem præmiſſis ſolent diverſi Authores inferre conſequentias contrarias. *num.* 952. Conſequentiæ in Ethicis à legibus & non ab hominum actionibus deduci debent. *num.* 843. Ex præmiſſis licitis poſſunt illicita per neceſſariam conſequentiam inferri. *num.* 491. An quando aliquid licet, ea omnia liceant, quæ ſequuntur ex illo? *num.* 925. 938. An vera Ethici colligere poſſint ex fabulis? *num.* 17. 1579.

SECTIO XX.

De Monſtro Dialectico.

An-ne unum aliquando contradictorium inferatur ex altero?

Contingit interdum, ut unum contradictorium inferatur ex altero: ut, ſi quis dixerit, *Eſt vivus ergo nō eſt vivus. Eſt mortuus, Ergo non eſt mortuus.* An-ne hæ, & omnes ſimiles conſequentiæ ſunt præcipites & temerariæ? Ne puta; multæ enim occurrunt, quæ neceſſariæ & ex antecedentibus bene collectæ. Ergo has illationes dividemus in Chimœras & Monſtra. Eas Chimœris accenſeo, cùm forma peccant; eas verò Monſtris, cùm materia tantùm: cum videlicet in legitima figura & modo conſtruitur ſyllogiſmus, qui alterum Contradictorium adſumat, & alterum Contradictoriū inferat. Ex hujuſmodi igitur Conſequentiis, unam aut alteram doctrinæ gratia ediſſeramus.

Sit Prima contra Lutheranos. *Nihil debet credi, quod non ſit in Sacra Scriptura. Ergo nihil debet credi, quod ſit in Sacra Scriptura.*

Sit ſecunda contra aliquos paucos Recentiores, qui homines ad probabiliorem ſententiam obligare conantur. *Debeo ſequi probabiliorem opinionem. Ergo non teneor ſequi probabiliorem opinionem: ſed ero in conſcientia ſecurus, ſi ſequar minùs probabilem.*

Sit tertia contra quemdam juniorem, qui ſedecim Authores ad probabilitatem poſtulabat. *Sedecim Authores ad probabilitatem requiruntur. Ergo ſedecim Authores ad probabilitatem non requiruntur.*

Poſſem addere centenas alias ſimiles conſequentias, ſed hæ ſufficiant, modò demonſtrentur exactè. Ajo hæc tria Enthymemata in claras & manifeſtas demonſtrationes verti, ſi propoſitio illa, quæ ut ſyllogiſmus compleatur, requiritur, expreſsè prout debet ponatur. Primum igitur Enthymema compleamus. Attendite.

Nulla,

Si tantùm credenda ſunt, quæ in Sacra Scriptura leguntur, nullo modo credenda ſunt, quæ in Sacra Scriptura leguntur.

FE *Nulla, quæ non ſunt in Sacra Scriptura ſunt ab Orthodoxis credenda.* Sic hodie Lutherani & Calviniſtæ communiter: quos ut unico vocabulo comprehendamus, ſiquidem in hoc ipſi præjudicio conveniunt, *Bibliſtas* appellare ſolemus.

RI *Sed hos libros, quos vocamus* Canonicos *eſſe Sacrā Scripturam non eſt in Sacra ſcriptura:* vel exibeant locos, in quibus ſinguli hi libri deſcribantur, & admittantur.

O *Ergo hos libros, quos vocamus* Canonicos, *eſſe Sacram Scripturam, non eſt credendum.*

Tunc ſic. *Hi libri, quos vocamus* Canonicos, *non ſunt ſacra Scriptura.* Patet; demonſtravimus enim non eſſe credendum illos eſſe Sacram Scripturam.

CE *Ergo nulla quæ ſunt in iſtis libris, ſunt in Sacra Scriptura.* Patet: quia præter hos libros nullos alios Novatores ut Sacram Scripturam admittunt.

SA *Sed omnia, quæ ſunt credenda, ſunt in Sacra Scriptura.* Ab illis admittitur pertinaciſſimè.

RE *Ergo nulla, quæ ſint credenda, ſunt in iſtis libris, quos vocamus* Canonicos.

Ergo nulla, quæ ſunt in iſtis libris, quos vocamus Canonicos, *ſunt credenda.*

Admitti debent Traditiones.

Hoc Monſtrum in aciem contra Novatores eduxit noſtra Theologia Fundamentalis, *ration.8.num.* 226. Sanè ſine Traditionum & Conciliorum authoritate Religio Chriſtiana ſtare nequit: & ipſi Novatores, cum Traditiones maximè conantur proſcribere, illas ſuſcipiunt & ſuſpiciunt: quod clariſſimè oſtendo. Ipſi infantes baptizant, & eſſe baptizandos aſſerunt, producant ergo ex toto Novo Teſtamento unam lineam, ex qua conſtet Apoſtolos vel unicum infantem baptizaſſe, vel ab aliis baptizari juſſiſſe, aut ſaltem poſſe baptizari dixiſſe.

Ad ſecundum Enthymema tranſeamus; & contra pauculos Iuniores fulminemus; qui ut novi aliquid dicerent, voluerunt tyrannidem exercere in conſcientias. Sic diſcurro.

An ſit probabilior ſententia eligenda? an minùs probabilis ſufficiat?

DA DA DA *In omni controverſia Morali probabilior opinio eſt eligenda.* Sic ipſi ex tripode decernunt: *Non quia ſic licuit, ſed quia ſic libuit.*

RI *Sed controverſia illa, quæ inquirit,* an teneamur eligere probabiliorem opinionem? *eſt controverſia moralis.* Quis de hoc dubitet?

I *Ergo in controverſia illa, quæ inquiris,* An teneamur eligere probabiliorem opinionem? *probabilior opinio eſt eligenda.*

RI *At in hac controverſia ſunt duæ opiniones, quorum altera docet,* nos debere eligere probabiliorem; *altera, quæ docet,* nos id facere non debere, ſed ſatisfacere Deo & conſcientiæ eligendo minus probabilem.

I *Ergo in hac controverſia probabilior opinio eſt eligenda.*

RI *Sed in hac eadem controverſia opinio poſterior, quæ docet,* nos non debere eligere probabiliorē, ſed ſatisfacere Deo & conſcientiæ eligendo minùs probabilem *eſt probabilior.* [Id modò mihi ſufficit: ſed eſt non ſolùm probabilior, ſed certa moraliter, nam fere admittitur ab univerſis.]

I *Ergo in hac eadem controverſia opinio poſterior, quæ docet,* nos non debere eligere probabiliorem, ſed ſatisfacere, &c. *eſt eligenda.*

Idem argumentum poteſt ad formas differentes reduci.

Ecce vides ingenioſum Soriten, & tribus ſyllogiſmis Obliquis ad *Darii* Modum demonſtratum pertinentibus coaleſcentem: qui olim voce in gymnaſiis traditus, & anno 1639. in Theologia Regulari in lucem editus, carere reſponſione videtur. Quem Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo eſſe demonſtrativum, nec poſſe probabiliter ſolvi, fuit ſæpe me præſente teſtatus. Poteſt hoc idem ratiocinium ad formas diverſas reduci: illud in Fundamētali Theologia *n.* 343. ſub Bicornis Dilemmatis ſpecie poſui: illud alibi aliter.

Quot Authores ad probabilitatem ſufficiant?

Tandem ad Enthymema tertium ſubveniendo, cur illud addatur, explano. Dum ante annum 1648. de pace Germaniæ ageretur, nec eſſent omnia certa, quæ à Theologis & Politicis producebantur, quidam dignitate eminentior, quàm doctior voluit Probabilitatis Fundamenta alterare: & quaſi cautiùs cæteris conſuleret Imperatori, errare univerſos ajebat, nam quatuor Doctores ad Probabilitatem authenticam ſeu extrinſecam aſſerebant ſufficere, cùm quatuordecim aut ſedecim poſtulare deberent. Et cur? quia ſic volebat cæteris ſapientior judicari. At ſtatim fuit ejuſdem indocti arrogantia retuſa, Monſtro illo, quo ipſe utebatur, omnibus ſuis membris exornato. Conſidera ſequentia Fulmina: ſic enim rationes hujuſmodi in libro, qui S. R. I. PAX inſcribitur, denominantur. Sit primum.

DA | MA — *Omnis opinio, quæ non habet ſedecim Authores, eſt improbabilis.* Sic ille jubebat ſupponi.

RI | RO — *Sed opinio, quæ docet*, ſedecim authores ad Probabilitatem requiri, *non habet ſedecim Authores.* Vel, qui contrarium ſentiat, illos citet, & nominet.

I | NI — *Ergo opinio, quæ docet*, ſedecim Authores ad Probabilitatem requiri, *eſt improbabilis.*

De ſyllogiſmo cujus medium in altera præmiſſa eſt infinitum.

Forma eſt legitima: & quia Major habet ſubjectum infinitum, Minor non eſt negativa, ſed habet infinitum prædicatum: & eſt ſimilis hujus.

Omnes Stellæ, quæ non ſcintillant Planetæ ſunt.

Iuppiter non ſcintillat (clariùs, *eſt non ſcintillans*)

Ergo Iuppiter eſt Planeta.

Modus Maroni.

De hujus ſyllogiſmi ſecuritate agit noſter Hercules Logicus *num.* 1280. jubetque, ut Modus ille nominetur *Maroni*, qui, ſi Minor fiat infinita, erit *Darii*. Fulmen addamus alterum.

DA — *Omnis opinio, quæ pro ſe habet ſedecim Authores, eſt probabilis.*

RI — *Sed opinio, quæ docet*, ſedecim Authores ad Probabilitatem non requiri, *habet pro ſe ſedecim Authores*, Immò ſexcentos; omnes enim docent ſaltem quatuor ad Probabilitatem ſufficere.

I — *Ergo opinio, quæ docet*, ſedecim Authores ad Probabilitatem non requiri, *eſt probabilis.*

NOTA.

De Cardinalium Declarationibus.

PRacticis ſcribo, & ideò hoc Monſtrum addam, quod poterit juvare in praxi. Aſſero me legiſſe apud Dianam *part. 5. tract. 3. reſol.* 12. tria requiri, ut Eminentiſſimorum DD. Cardinalium Declarationes judicentur authenticæ. (1) ut ſint ſolito ſigillo munitæ: (2) ut ſint Cardinalis Præfecti (3) & Congregationis Secretarii ſubſcriptione roboratæ. Et cur? Nam ſæpe ipſæmet ſummorum Pontificum Bullæ judicantur authenticæ, ſi ſint unius Viri in dignitate conſtituti ſubſcriptione firmatæ? Quia ut teſtatur Diana, ſic declaravit Congregatio.

Quid requirantur, ut authentica ſint?

His poſitis tranſeamus ad Logicam, & hoc Monſtrum bene conſideremus. Sic inquam.

Monſtrum Dialecticum.

Hæc tria requiruntur, ut aliqua Sacræ Congregationis Declaratio ſit authentica.

Ergo, *ut ipſa ſit authentica, hæc ipſa tria non requiruntur.*

Neceſſitas illationis oſtenditur.

Demonſtratur conſequentia clariſſimè. Sic argumentor. Nulla Declaratio, quæ non habeat illas tres conditiones debet cenſeri authentica. Ergo neque illa declaratio quæ apud Dianam iſtas tres conditiones poſtulat, erit authentica, niſi habeat iſtas tres conditiones. At ſimpliciter refertur à Diana, & his tribus ſolennitatibus roborata non præſentatur. Ergo non debet cenſeri authentica. Ergo corruit ratio ob quam illæ ſolennitates poſtulabantur. Ergo iterum ſtat, ſi *illæ tres ſolennitates neceſſariæ ſunt, neceſſarias non eſſe.*

CA-

CAPVT IV.

DE LOGICA DISCVRSIVA.

Auſpice Moralis Dialectica Numine format,
Quæ ingenium & mores, hinc capit initium.

De Mentis Operationibus, prout Dialecticæ ſerviunt. De Aſcenſu & Deſcenſu Morali. An ab uno ad plura ſecurè fluat Argumentatio?

Voco hic Moralem ſumpta denominatione à materia; nam de moralib. formis Syllogiſmorum inferiùs accuratè tractabo.

EGimus de Moralibus Terminis, nec non de Moralibus Propoſitionibus: navim propcilo ulteriùs, & in Dialecticæ Moralis Oceanos à nemine, quem ſciam, ſulcatos, imò nec cognitos, aura ſecunda, quoniam favente Sancto Spiritu (ſic opto, ſic exiſtimo) ingredior.

Intellectus Diſcurſivus. Apprehenſivus.

Iſtum ſyllogiſmum ſcribo. *Omnis homo eſt animal; Petrus eſt homo, Ergo Petrus eſt animal*; & ſic philoſophor. Intellectus prout totum concipit, vocatur *Diſcurſivus*; prout ſingulas propoſitiones, *Indicativus*; prout ſingulos terminos, *Apprehenſivus*; & tandem, ut ſcit bene apprehendere, judicare, & diſcurrere vocatur *Logica*: ſi hoc ſciat duce naturæ lumine dicetur *Logica naturalis*, ſi à Magiſtris didiceerit, vocabitur *Logica Artificialis*. Erat olim nonnulla in vocum acceptione differentia, at hodiè *Logica*, & *Dialectica* ſunt duo nomina, & eadem res.

Logica: naturalis, & artificialis.

Dialectica.

Objectum Logicæ ſunt Mentis operationes quà dirigibiles. Et una & eadem mens, quà dictat qui debeant ſuæ operationes formari, vocatur *Docens*; quà eas format ad præpoſitas leges, *Vtens*; Cum ſobriè & prudenter eadem utimur, vocatur *Vtilis* & *Neceſſaria ad melius*; cùm abutimur, *Perniciosa* & *Nociva*. Et tamen Logica eſt una & ſimplex Mens, & has omnes denominationes habet ad diverſos terminos comparata.

Logica docens. & utens.

Vtilis & nociva.

SECTIO I.

De primâ Mentis operatione, quatenus ancillatur Dialecticæ.

SI dicamus mentalem ſyllogiſmum conſtare tribus propoſitionibus realiter diſtinctis, & ſingulas ſubjecto, prædicato & copula, etiam diſtinctis realiter, iter erit pervium, & facile: quoniam ſicut de Vocali, ita etiam de mentali philoſophabimur. Cæterùm, ſi nobis eſſe ſubtilibus & ingenioſis placeat, & tueri velimus eumdem mentalem ſyllogiſmum eſſe ſimplicem qualitatem: & præcipuè, ſi illum nolumus realiter diſtinguere ab intellectu, multa debebunt dici, quæ inaudita & illecta in Thomiſtarum & Scotiſtarum Scholis.

An ſyllogiſmus: an etiam propoſitio ſit ſimplex qualitas?

In hac enim poſitione, *Omnis homo eſt animal*, Mens prout concipit ſubſtantivum, vocatur *Terminus Categorematicus*; prout adjectivum, *Syncategorematicus*: prout exprimit verbum *Eſt*, vocatur copula; prout terminum qui præcedit copulam, *Subjectum*; prout terminum qui ſequitur copulam *Prædicatum*; prout exprimit. Subjectum *Nomen*, & *Verbum* copulam ſimul & prædicatum: idem enim eſt, *Petrus eſt*, ac *Petrus eſt exiſtens*; adeoque idem eſt, *Petrus currit*, ac *Petrus eſt currens*. Et quilibet ex iſtis terminis denominari poterit, *Major extremitas, Minor extremitas* aut *Medium*, ſumpta denominatione à loco, & officio, quæ in ſyllogiſmo occupet & obtineat.

Vna & eadem qualitas ſeu mentis actus (à mente realiter diſtinguatur, aut non) poteſt indiſpiſci varias denominationes provenientes à connotatis.

Theologica.

E Creaturis ad Deum, quem dialecticando homines invenêre, ſubrigo oculos, & rogaturus poſteà, An

dia-

dialecticetur? duo impræſentiatum rogo: alterum, An Deus apprehendat? & alterum, An apprehendatur?

An Deus cognoſcat? Et quæ?

Circa primum ſtatuo Scientiâ ſuâ cognoſcere primariò ſe, & ſecundariò creaturas, & ex iſtis *primo* intelligi cognoſcere poſſibiles, *ſecundò* omnes combinationes infallibiles, ſeu conditionata futura, quorum alia neceſſaria ſunt, & alia libera; *tertiò* ſuum decretum & in ipſo, & in ſeipſis omnes exiſtentes & purè poſſibiles. Ante decretum poſſibile non intelligitur creatura aliqua purè poſſibilis: Omnipotentia enim in Deo non diſtinguitur à Voluntate; & idem eſt Deum mundum condere, quàm velle.

Vnde creatura poſſibilis ſit?

Quid ſit Omnipotentia?

De Generatione Verbi: per quam ipſum cognitionem procedat.

Verbum oritur per cognitionem Patris; nimitùm per illam formaliter, quæ primò in Patre Divino intelligitur. Non ergo per cognitionem creaturarum exiſtentium, quam præcedit poſſibilium notitia. Non per poſſibilium cognitionem, quam præcedit notitia perſonarum. Sed per cognitionem ſuæ eſſentiæ (diſtinguimus eſſentiam à naturâ, actum directum à reflexo) ante quàm Pater intelligatur cognoſcere ſuam cognitionem (hæc eſt Paternitas) aut ſuum intellectum (hæc eſt Natura Divina.)

An Deus cognoſcatur; & quomodo?

Circa ſecundum ſtatuo Deum à Beatis videri intuitivè totum ſicuti eſt; à nobis intelligi abſtractivè, adeoque nunquam totum, ſed ex parte; non verò ſemper aliter quàm eſt in ſe; quia cùm illum eſſe intelligentem aſſerimus, non erramus; at aliquando erramus, quia cum dicimus Deum poſſe producere infinitum, concipimus eum aliter, quàm eſt in ſe.

Moralia.

An in concluſionem influant morales termini?

TErmini Morales etiam influunt, ut realis & expreſſa conſequentia inferatur. Conſidera periodum ſequentem. [Demonſtraverat Cicero, Milonem peremiſſe Clodium cum moderamine inculpatæ tutelæ; & inclamavit Cæſar, *Defenſionis ſui cauſa? Ergo eſt innocens Milo: licet enim unicuique propriam tueri ſalutem, etiam cum excidio invaſoris.*] Ecce *Milo* concluſionem expreſsè & formaliter ingreditur, cum tamen in præmiſſis non fuerit formaliter, ſed virtualiter.

An & quid ſint Morales termini?

Hinc patet dari Morales terminos. Sed quid eſt Terminus Moralis? Qui in propoſitione exiſtit virtualiter: qui reverà non exiſtit, prudentum verò judicio ita ſe habet ac ſi reverà exiſteret. Rem dilucido exemplis. Qualis eſt Petrus? *Doctus.* Quid agit Ioannes? *legit.* Quis Clodium interfecit? *Milo.* Quis labyrinthum ædificavit? *Dædalus.* Fuit-ne Cicero Conſul? *Fuit.* Eſt-ne Rex clemens? *Eſt.* Omnes reſponſiones, tametſi unicum verbum habeant, ſunt integræ propoſitiones: & æquipollent his.

Doctus.	*Petrus eſt doctus.*
Legit.	*Ioannes legit.*
Milo.	*Milo interfecit Clodium.*
Dædalus.	*Dædalus ædificavit labyrinthum.*
Fuit.	*Cicero fuit Conſul.*
Eſt.	*Rex eſt clemens.*

Ergo in primâ & ſecundâ reſponſione eſt ſubjectum virtuale: & in tertiâ & quartâ eſt prædicatum virtuale: in quintâ & ſextâ tàm ſubjectum, quàm prædicatum ſunt virtualiter, nam ſola copula eſt formaliter.

SECTIO II.

De ſecundâ Mentis Operatione, quatenus ancillatur Dialectica.

Quæ debeat Argumentator præcognoſcere?

FOrmaturus aliquam Argumentationẽ, debet bene cognoſcere Propoſitionum quiditatem, quantitatem, & qualitatem; quoniam hæc, *Omnis homo eſt animal*, eſt univerſalis; *Aliquis homo eſt animal*, eſt particularis; *Homo eſt animal*, eſt indefinita; *Hic homo eſt animal*, eſt ſingularis. Indefinita in materia neceſſaria eſt virtualiter univerſalis. Materia repugnans etiam eſt neceſſaria ad non eſſe: in materia contingenti eſt virtualiter particularis: & tandẽ in materia immultiplicabili (nam & hæc neceſſario eſt ponenda) eſt virtualiter ſingularis. Vnde hæ poſitiones.

An præter neceſſariam, repugnantem, contingentem, &c. ſit addenda materia immultiplicabilis?

Homo eſt animal.
Homo non eſt lapis:
Homo eſt albus.
Deus eſt homo.
Gabriel eſt Angelos.

ſunt virtualiter & moraliter hæ.

Omnis homo eſt animal.
Nullus homo eſt lapis.
Aliquis homo eſt albus.
Hic Deus (hæc Perſona Divina) *eſt homo.*
Hic Gabriel eſt Angelus.

An Angeli diſtinguantur ſpecie?

Vltima linea habet locum in opinione D. Thomæ: nam, ſi repugnant duo Angeli ejuſdem ſpeciei; *Gabriel* eſt nomen ſpeciei: & tamen idem erit *Gabriel*, quod *Hic Gabriel*.

Veritas propoſitionum eſt accidens.

Qualitas in veritate & falſitate conſiſtit; accidit enim propoſitioni eſſe veram aut falſam. Quæ tempus præſens, præteritum, aut futurum exprimunt, & tamen præſcindunt à tempore A vel B poſſunt è veris fieri falſæ, aut contrà. Quæ tempus

A

An una ex falſa in veram tranſire poſſit?

A vel B determinatè involvunt, neque unt veritatem cum falſitate commutare. Non dantur Propoſitiones negativæ; omnes enim Negationes infinitantes ſunt, nullæ negantes: nam hæc poſitio, *Petrus non eſt lapis*, æquivalet huic, *Petrus eſt non lapis*, & hæc, *Antichriſtus non eſt*, huic, *Antichriſtus eſt non exiſtens*. Sed majoris claritatis gratiâ ſic loquamur. Dicamus primò, nullam negationem cadere ſupra copulam: quo enim modo copularentur extrema copulæ negatione? ſecundò Propoſitionem negativam præcipuum prædicatum infectum negatione habere; tertiò Propoſitionem infinitam habere negationem in ſubjecto, aut in aliquo comprædicato. Pono exempla. Hæc Propoſitio, *Homo eſt non lapis*, dicatur negativa, infinitatæ hæ; *Homo non albus currit, Non homo eſt lapis, Homo eſt animal non irrationale*. Et hoc, ut antiqua retineamus nomina, quoniam Propoſitiones verè negativæ non dantur.

An dentur negativa?

An copulare extrema poſſit negatio copula?

De morali aut virtuali propoſitionum veritate.

Admittenda etiam eſt in propoſitionibus Veritas moralis, aut virtualis: multæ enim, quæ in rigore metaphyſico ſumptæ eſſent falſæ, veræ ſunt, ſi ſumantur moraliter. Talis eſt hæc. *Omnes ſunt in peccato concepti*; quæ in rigore ſcholaſtico negari debet, nam Deipara concepta fuit ſine peccato: at admittitur in ſenſu morali: quia eſt in Diverbio, *Parum pro nihilo reputatur*; & morali Vniverſalis propoſitionis veritati non præjudicat unius, aut alterius ſingularis exceptio. Etiam probabiles propoſitiones ſunt veræ virtualiter: nam licet reverà incertæ ſint, ſufficientes ſunt, ut mores ſecurè regantur, ita enim ſe habent, ac ſi eſſent certæ. *Materia prima exiſtit exiſtentiâ formæ, & Materia prima non exiſtit exiſtentia formæ*; ſunt contradictoriæ: nec poſſunt ſimul admitti ut veræ, at ſimul debent admitti ut probabiles. At probabilitas eſt virtualis veritas, ut dicebamus, Ergo duæ contradictoriæ poſſunt eſſe ſimul veræ virtualiter. Nulla propoſitio eſt quæ realiter nec ſit vera, nec falſa. Et tamen omnes dubiæ & incertæ, nec veræ, nec falſæ ſunt virtualiter: nam imprudenter adſumentur ut veræ, imprudenter ut falſæ. Præterea, nulla propoſitio realiter eſt ſimul vera & falſa: & tamen omnis probabilis eſt ſimul vera, & falſa virtualiter, non prudenter poſſum illam admittere, & prudenter poſſum illam negare. Hæc dicta ſint de propoſitionibus ſeorſim ſumptis; nunc illas conſideremus, ut argumentationis ſunt partes.

Vniverſalitas moralis.

Probabilitas eſt veritas virtualis.

Contradictoria poſſunt eſſe ſimul vera virtualiter.

Eadem propoſitio poteſt nec eſſe vera, nec falſa virtualiter.

Eadem poteſt eſſe ſimul vera & falſa virtualiter.

Præmiſſa. Concluſiones.

Propoſitiones, ſi ſint ex parte antecedentis, nominantur *Præmiſſæ*: &, ſi inſerantur, *Concluſiones*. Poſſunt & ſolent has inferre Propoſitiones Morales, quid enim aliud eſt Enthymema, quàm quidam virtualis ſyllogiſmus; cùm enim dico:

An Enthymema ſit ſyllogiſmus virtualis?

Petrus eſt amicus:
Ergo defendendus.

utor argumentatione, quæ virtualiter eſt integer ſyllogiſmus: concluſio enim non naſcitur à ſolâ illâ minori quam expreſſi; ſed ab hac etiam majori, *Omnis amicus eſt defendendus*, quæ virtualiter exiſtere & influere videtur.

Sicut præmiſſæ virtuales inferunt concluſionem realem, ſic interdum expreſſæ, & reales concluſionem virtualem. Hanc veritatem uberiùs in Logicâ Scholaſticâ, cùm egi de Enthymemate, ſum proſequutus: dicta ibi poterunt recognoſci: & nunc, ne nihil addere dicar, hoc Diſtichon ex Ow no ſubjicio.

Conſequentia virtualis.

In mare cornutos jaciendos Pontius inquit.
Pontia reſpondet, diſce natare priùs.

Quàm multa & quàm acutè uno, aut altero verbo Pontia colligit! Cur enim ſuum maritum oportet nandi artem diſcere? quia eſt in mari jaciendus. Ergo ex Pontiæ illo Monito ſuboritur hic ſyllogiſmus:

Pontius eſt in mare jaciendus:
Omnis jaciendus in mare eſt cornutus: & contra.
Ergo Pontius eſt cornutus.

An poſſit ſubintelligi integer ſyllogiſmus?

Eccè quàm rectè in uno breviſſimo Monito continetur virtualiter integer ſyllogiſmus.

SECTIO III.

De tertiâ Mentis Operatione.

Quid argumentatio ſit?

ARgumentatio eſt *oratio, in qua ex quibuſdam præmiſſis aliquid neceſſariò* (aut potiùs *infallibiliter*) *infertur*. Præmiſſæ præcedunt realiter, cùm expreſsè, ut cùm dicimus,

Præmiſſa expreſſa.

Omnis Princeps habet poteſtatem & authoritatem in Subditos:
Petrus eſt Princeps: Tu ſubditus:
Ergo Petrus habet authoritatem & poteſtatem in Te.

virtualiter, cum ſubintelliguntur, ut ſi dicerem.

Petrus juſſit:
Ergo teneris facere.

ſubintelligerem enim, omnem ſubditum ſuo Principi obedire debere: Petrumq; eſſe tuum Principem.

Theo-

Theologica,

An Deus diſcurrat?

OCcurrit ſtatim hoc dubium nimirũ, *An detur diſcurſus in Deo?* Reſpondeo omnia hic eſſe facillima, ſi ceſſent æquivocationes.

Quid ſit diſcurſus?
Quotuplex ſit?

Vt intelligas quæſtionẽ, præſcire oportet, quid, & quotuplex diſcurſus ſit? Ille diſcurrit, qui unum infert ex alio; & actus ille, quo unum ex alio infert *Diſcurſus* dicitur. Et eſt triplex; Realis, Formalis, Materialis. * In diſcurſu reali actuum diſtinctiones, & prioritates reales ſunt. Ita homo, rationis uſu præditus, qui nihil de Deo audivit, reſpiciens Cœlum, uno actu Mundum hunc materialem conſiderat, & infert alium, quo cognoſcit authorem. In diſcurſu formali nulla eſt diſtinctio realis, nulla prioritas realis: interim verum eſt unam rem cognoſci, quia cognoſcitur alia. Et quando hoc ſenſu diſcurſus formalis accipitur, tunc *formalis* à formalitate dicitur; quia, non per formas, ſed per formalitates proceditur. At, quia *formalis* etiam à formâ dicitur, ut à materiali, ſeu objectivo diſtinguatur, tunc diſcurſus formalis idem eſt ac realis, nam eſt ſucceſſio actuum, qui ſunt intellectus reales formæ. Fugienda eſt igitur æquivocatio, cum de formali diſcurſu diſſeritur. * Diſcurſus materialis ſe tenet ex parte objecti, & ideò *materialis* vocatur. Qui materialiter diſcurrit, non cognoſcit hominem eſſe ſenſibilem, quia cognoſcit eſſe animal, ita ut diſtinctio, prioritas, & cauſalitas ſe teneant ex parte intellectus; ſed cognoſcit hominem eſſe ſenſibilem, quia eſt animal, ita ut tota diſtinctio prioritas & cauſalitas ſe teneant ex parte objecti. His poſitis ſit

De Diſcurſu reali.

De formali.

An à forma, an verò à formalitate dicatur?

De Diſcurſu materiali.

Deus non diſcurrit realiter.

Concluſio I. *Repugnat Deo realis diſcurſus*. Demonſtratur. Quia in Deo non ſunt actus cognoſcendi realiter diſtincti; non eſt ulla realis prioritas; unde Sanctus Athanaſius in Symbolo. *Nihil prius, aut poſterius, nihil majus, aut minus*. &c.

An diſcurrat formaliter?

Concluſio II. *Si diſcurſus formalis à formâ dicatur, ita ut in actibus & non in objecto ſit realis prioritas & ſucceſſio repugnat Deo diſcurſus formalis*. Demonſtratur: quia diſcurſus formalis hoc ſenſu coincidit cum diſcurſu reali.

Deus eſt una realitas, in qua ſunt multæ formalitates.

Concluſio III. *Si diſcurſus formalis à formalitate dicatur, reperitur in Deo*. Patet: quia in Deo Theologi admittunt formalitates, quæ inter ſe habent formalem ordinem, qui non poteſt intelligi ſine prioritate & poſterioritate formali. Has ipſas formalitates diſtinctio formalis conſtituit, quæ in diverſis Scholis aliter exponitur & denominatur: in Scotiſticâ enim dicitur *ex natura rei*: in Thomiſticâ *rationis ratiocinata*, & in Nominali *rationis ratiocinantis*. Quando Deus cognoſcit unam creaturam futuram, ille actus, qui *Scientia Viſionis* vocatur, aut meliùs *Viſio*, continet tres actus formaliter: videlicet. *Erit quidquid voluero. Ego volo, ego decerno, ut cras pluat. Ergo cras pluet*. Primus actus ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ pertinet: ſecundus eſt decreti cognitio: tertius attingit pluviam futuram in ſe ipſa. Si per impoſſibile primo aut ſecundo actu careret Deus, tertiò etiam neceſſariò careret. Et ego non poſſum intelligere Deum cognoſcentem pluviam certò futuram, quin intelligam Deum cognoſcentem ſuæ voluntatis efficaciam, & ſui liberi decreti exiſtentiam. Sunt, qui hunc diſcurrendi modum vocent *virtualem* (non enim realis eſt, ita tamen ſe habet ac ſi eſſet realis) modò in re conveniamus, de verbis non ero ſolicitus.

Diſtinctio formalis quid ſit, & quomodo vocetur in diverſis Scholis?

Quomodo Deus futura intelligat?

Compoſitio rationis ratiocinata.

Compoſitio rationis ratiocinantis.

De Diſcurſu virtuali.

Deus diſcurrit materialiter.

Concluſio IV. *Dantur in Deo diſcurſus materiales*. Patet, quia hi nullam imperfectionem, ſed maximam perfectionem important; nam in ipſis diſtinctio & prioritas non ſe tenent ex parte intelligentis, ſed ex parte rei intellectæ. Non cognoſcit Deus eſſe ignem, quia cognovit eſſe fumum: ſed uno & ſimpliciſſimo actu cognoſcit eſſe ignem fumumque, & cognoſcit idcò eſſe fumum, quia eſt ignis: ita ut illud *quia* (illa cauſalitas) non ſe teneat ex parte intellectualium actuum, ſed ex parte objecti.

De Angelis ut de creaturis agendum eſt.

HINC VENIENDO ad Angelos, moneo Lectores illos eſſe creaturas, & de illis ſicut de creaturis eſſe agendum: nam aliqui Theologi ita de illis interdum diſſerunt, ut videantur velle neſcire illos ex nihilo productos fuiſſe.

Quid Angeli ſciant, & non ſciant?

Fulgentius Gallucius Ægidii continuator. *in 3. ſentens. diſt.* 14. *part.* 1. *qu.* 1. *art.* 1. *pag.* 494. ſic inquit. [Sciunt Angeli Beati omnia præterita, & præſentia: ſed neſciunt omnia futura, & præſertim futura contingentia. Ergo, quæ neſciunt poſſunt addiſcere, & de novo (circa illa) illuminari. &c. Nullus Angelus eſt, qui ſciat omnia futura, ſed continuè fiunt in Angelis illuminationes & revelationes de futuris. &c.] Ergo Angeli ex præteritis, & præſentibus ad futura diſcurrunt. Pono exemplum. Audierunt Angeli Chriſtum dicentem Petro, *Ter me negabis*. Futuram negationem non intuebantur, non circa præſentia tantùm verſatur intuitio, Ergo diſcurrebant hoc modo.

De quibus diſcurrant?

Quonam diſcurſu Chriſtum negandum fuiſſe à Petro cognoverint?

Chriſtus, nec poteſt decipi, nec decipere.

At

At Chriſtus dixit, ſe a Petro eſſe negandum.

Petrus igitur negaturus eſt eum.

An, quinam ſint prædeſtinati, ſciant?

Angeli, niſi divinitùs illuminarentur Petrum eſſe prædeſtinatum, ſcire nunquam poterant; pone hoc illos per revelationem didiciſſe. Ergo ſtatim diſcurrerent, ſic.

Quo diſcurſu Petrum acturum fore pœnitentiam cognoverint?

Omnis prædeſtinatus morietur in Domino, hoc eſt, in gratia ſtatu.

Ergo ſi fortè peccaverit, aget debitam pœnitentiam.

At Petrus peccabit & gratiam amittet, & tamen morietur in gratia.

Aget igitur pœnitentiam poſt ruinam.

Diſcurrunt etiam circa actus aliorum liberos, quos non cognoſcunt.

Sic circa futura ratiocinantur Angeli: & quia actus liberos aliorum (aut hominum, aut Angelorum) neſciunt, etiam ut illos rimentur, ratiocinio & diſcurſu juvantur. Verũ enim verò circa res neceſſarias præteritas præſentes-ve formant materialem diſcurſum, intuitivè enim vident Lunam lucere Solemque: non autem vident Lunam lucere, quia vident Solem lucere: ſed vident, quod ideò Luna lucet, quia Sol lucet: ita ut illud *quia* non ſe teneat ex parte actuum intellectus Angelici, & ſit unus actus, quia eſt alius; ſed ſe teneat ex parte objecti, & ſit lux in Luna; quia à Sole in illam derivatur.

Circa quæ materialiter tantum diſcurrãt?

Cur Luna luceat?

Homo Ariſtotelicus naſcitur, ut tabula raſa, in qua nihil inſcriptum eſt. Homo Platonis habet infuſas omnium rerum ſpecies: unde intelligere quodammodò ſit meminiſſe. Vterque Philoſophus erravit: nam ille avaritia, & iſte prodigalitate peccavit. Veritas conſiſtit in medio. Quando enim animam producit Deus, aliquas ſpecies in ejus intellectu comproducit, ut ſaltem natura duce in ſupremi Numinis, & legis Divinæ notitiam perducatur.

An homo habeat concreatas ſpecies?

Et quas?

Speciebus à Deo infuſis, necnon ſuo labore & induſtria adquiſitis utitur poſteà, & illas componendo judicat, & diſcurrendo novas rerum cognitiones adquirit. Sed quomodò? Nobis ipſis ignotiſſimi ſumus. Dum vivimus, anima non intelligit ſed homo per animã aſſerente Ariſtotele *lib. 1 de anim.* Sed hoc videbitur valde difficile. Clariora ſunt hæc Auguſtini verba. *Memoria non meminit, nec intelligentia intelligit, ſed homo per memoriam & intelligentiam meminit & intelligit.* Vide Fulgentium Gallucium Ægidii Continuatorem *in 3. diſt. 31. part. 2. quæſt. 2. art. 2 §. Tertia via.*

Quomodo judicet, & diſcurrat?

Quomodo intelligat?

Auguſtinus *tom. 3. libr. 15. de Trin. cap. 22.*

Quærunt Philoſophi, *An diſcurſus in homine ſit ſimplex qualitas?* Et opinio negans videtur profectò facilior, & addiſcendæ Logicæ accommodatior. Interim oppoſita, ſicut ſubtilior, ſic etiam ingenioſior eſt. Si primum; major, minor, & concluſio in diſcurſu diſtinguuntur realiter: ſi ſecundum, diſtinguuntur formaliter; aut ex natura rei, aut ratione ratiocinata, aut ratione ratiocinante juxtà diverſas Scholaſticorum opiniones.

An ſyllogiſmus mentalis ſit unicus actus realiter indiviſibilis?

N O T A.

Omnes argumentationum ſpecies, quibus Scholaſtici utuntur in Philoſophia Naturali, ancillantur Theologiæ Virtuali & Morali: ſed quia inter cæteras fortiſſimi ſunt Adſcenſus, Deſcenſus, & Syllogiſmus; de illis ſpecialiter acturi ſumus.

ARTICVLVS I.

De Adſcenſu & Deſcenſu Morali.



Dſcenſu recognoſcimus ſingularia, & inde univerſaliter pronunciamus. Tolle illum & ferè omnes Poſitiones univerſales auferes. Sic aſcendimus. *Ignis A eſt calidus, Ignis B eſt calidus, Omnis ignis, quem videre potuimus eſt calidus; nemo ignẽ frigidum vidit: Ergo omnis ignis eſt calidus.* Et hinc hoc Axioma deducimus. *Quod de ſingulis individuis cognitis determinatè probatur, & de nullo ignoto poteſt poſitivè negari, prudenter de univerſis aſſeritur.*

Vnde naſcantur univerſales?

Deſcenſu ab univerſali ad ſingulares Propoſitiones devenimus, ut *Omnis homo eſt riſibilis; ergo Petrus eſt riſibilis, Ioannes eſt riſibilis, Alexander. &c.*

Vnde probationes particularium?

De reali Adſcenſu & Deſcenſu egi Articulo præcedenti: at nunc eram acturus de ſyllogiſmo Virtuali, quarè igitur con-

Cur hic de Adſcenſu & Deſcenſu Virtuali differamus?

controverſiam hanc implico, de Adſcenſu & Deſcenſu Virtuali diſputando? Quia Adſcenſus & Deſcenſus ſunt quidam ſyllogiſmi Virtuales: quod breviter ſum probaturus: &, ut clariùs poſſim, hæc exempla propono. Sic deſcendo.

Omnis homo eſt animal.
Ergo Petrus eſt animal.
Ergo Ioannes eſt animal. &c.

& ſic etiam adſcendo.

Ioannes eſt animal.
Petrus eſt animal.
Et cæteri ſimili modo.
Ergo omnis homo eſt animal.

Ajo iſtos duos diſcurſus eſſe veros ſyllogiſmos in mente, & in lingua eſſe ſyllogiſmos virtuales: habent enim virtualiter unam propoſitionem, qua addita erunt ſyllogiſmi perfecti. Conſidera lineas ſequentes.

Deſcenſus virtualiter eſt Syllogiſmus.

Da	Da	*Omnis homo eſt animal.*
	ri	*Atqui Petrus eſt homo.*
	i.	*Ergo Petrus eſt animal.*
ri		*Atqui Ioannes etiam eſt homo.*
i.		*Ergo etiam Ioannes eſt animal.* &c.

Nemo igitur dubitare poterit, omnem Deſcenſum eſſe quemdam ſyllogiſmum Virtualem. Idem de Adſcenſu erit dicendum, & ut probetur, conſiderandum eſt, quid importet illa linea, *Et cæteri ſimili modo*. Illam interpretor, ut æquivaleat huic, *Qualem eſſentiam habet unus homo, talem habent univerſi homines*. Et ſic inde diſcurrendo progredior.

Etiam Adſcenſus virtualiter eſt Syllogiſmus.

Omnes homines habent eſſentiam, quam unus homo habet.
Sed Ioannes eſt homo.
Ergo omnes habent eſſentiam, quam Ioannes habet.
Sed in eſſentiâ, quam Ioannes habet, eſt animalitas.
Ergo omnes homines habent animalitatem.
Ergo omnes homines ſunt animalia.

Eſt bonus ſyllogiſmus; & ad Dialecticam Obliquam pertinet; & eſt formatus illo modo, qui nominatur *Talis-qualis*.

Theologica.

An utatur Aſcenſu Deus?

OMnia clarè, & diſtinctè cognoſcit Deus, adeoque in ipſo idem eſt dicere *Omnes* ac ſingulos expreſsè intueri, adeoque nec aſcenſu, nec deſcenſu ipſe utitur, at nos cum Deum cognoſcimus, aſcendimus, deſcendimuſque. Dicimus enim contra Arrianos & Photinianos, *Omnis perſona Divina eſt infinita & conſubſtantialis Patri Æterno. Ergo Verbum. Ergo Spiritusſanctus.*

An nos cùm Divina tractamus?

Moralia.

De maximis moralibus.

SVas Ethica debet habere Maximas, quibus ſua argumenta conficiat; & niſi univerſales iſtæ ſint, nihil ſecurè & indubitatè convincent. Sed inquiris, Quo modo ad notitiam harum Maximarum aſcendes? An-ne omninò ſufficiet unum caſum ſingularem vidiſſe, ut univerſale judicium efformes?

Moralia, & Naturalia ſūt analoga.

Puto de Moralibus ſicut de Naturalibus philoſophandum eſſe; & quia in Naturalibus hæc eſt mala conſequentia, *Petrus eſt albus, Ergo omnis homo eſt albus*: bona hæc, *Petrus eſt animal, Ergo omnis homo eſt animal*, reſolvo ex particulari aliquando univerſalem ſequi, aliquando non ſequi. Propoſitionum naturalium aliæ eſſentiales & neceſſariæ, & aliæ contingentes ſunt; Quidquid uni individuo eſſentialiter competit, omnibus competit, & ideò à ſingulari ad univerſale ſecuriſſimè procedi poteſt; at in materia contingenti non item. Pono facilem Regulam; *Prædicabilia communiter recepta quinque ſunt; Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens. E propoſitione particulari aut ſingulari ultimi prædicabilis malè infertur univerſalis: bene ex particularibus & ſingularibus cæterorum omnium prædicabilium.* Addo exempla. Iſtæ ſunt bonæ conſequentiæ; *Hic homo eſt animal, Ergo omnis homo eſt animal. Hic Philoſophus eſt homo, Ergo omnis Philoſophus eſt homo. Hic homo eſt rationalis, Ergo omnis homo eſt rationalis. Hic homo eſt riſibilis, Ergo omnis homo eſt riſibilis.* mala autem hæc, *Hic homo eſt dives, Ergo omnis homo eſt dives.* Hinc ad Ethicam veniens Poſitiones morales in moraliter eſſentiales, & moraliter accidentales ſubdivido, & ex una ſingulari prioris generis univerſalem infero. Intulit mecum olim ex Ethnicis Ovidius, ex Catholicis Bonifacius VIII. intulerunt & alii. Ovidius 2. *Triſt.* ſic.

Ex particulari interdum infertur poſitio univerſalis, ſed quando?

Sunt quinque Prædicabilia.

Ex quatuor prioribus ex uno ad omnia argumentum procedit.

Rerum moralium alia ſunt morales & alia moraliter accidentales.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi eſt?
Inſcius Actæon vidit ſine veſte Dianam;
Præda fuit canibus, nec minus ille fuit.
Scilicet in Superis etiam fortuna luenda eſt;
Nec veniam, læſo Numine, caſus habet.

Ex uno ad omnia.

Ecce triſtis Poeta ex uno aut altero particulari caſu eruit univerſale dogma: ſic

enim

Nimium Principes ſunt delicati: in eos ſoli peccant, qui diſplicent.

en im videtur diſcurrere. *Ego involuntarius peccavi, & punior; Actæon involuntarius peccavit, & punitus fuit: Ergo quicumque in Principe vel involuntarius peccaverit, punietur.* Nec malè; quia conſiderata malitia temporum, & impatientia Principum, puniuntur univerſi, qui peccant, & peccant univerſi, qui diſplicent.

Martialis Hiſpanus.

Nec aliter philoſophatur meus Martialis, qui ſic Sextum alloquitur.

Quæ te cauſa trahit, vel quæ fiducia Romam,
Sexte? quid aut ſperas, aut petis inde? refer.
Cauſas, inquit, agam Cicerone diſertius ipſo;
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Ateſtinas cauſas & Civis: utramque
Noras; ſed neutri penſio tota fuit.

An agere cauſas ſit utile?

Et ex uno vel altero caſu particulari conſequentiam communem & univerſalem deducit; ſic enim arguit, *Ateſtino non fuit data penſio; non fuit etiam data Civi; ergo jam decretum in Senatu eſt, ne ulli Juriſtæ penſio detur; quia aliàs tantis viris ea negari non poſſet.*

Virgilius ex uno, aut altero exemplo colligit, ætati fidendum non eſſe *Ecloga* 2. ſic ait,

An ætati fidendum?

O formoſe puer, nimium ne crede colori:
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

ubi ex uno vel altero particulari univerſalem poſitionem deducit.

Et 4. *Triſt.* Ovidius, ut probet Virtutem in adverſis fulgere, eodem modo procedit.

An virtus ſplendeat?

Hectora quis noſſet, fœlix ſi Troja fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt.
Ars tua Typhi jacet, ſi non ſit in æquore fluctus; (cet.
Si valeant homines ars tua Phœbe ja-
Quæ latet inque bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus arguiturque malis.

ubi vides à tribus tantùm caſibus univerſalem poſitionem deduci. Nec à multo pluribus *Metam.* 1. hanc univerſalem Maximam; videlicet, *Nemini fidendum eſſe*, intulit. Pono formalia verba.

An alieni credendum?

— *Non hoſpes ab hoſpite tutus.*
Non ſocer à genero: fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitiò vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miſcent aconita novercæ;

FILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos. [1568.]

N. B. Aliqui Critici ultimum verſum Filius &c. jubent eſſe chronologicum, & ab Ovidio, etiam inſcio, notabilem hiſtoriam prædici. Scientibus loquor, & ideò non debeo pluribus verbis rē notam univerſis tractare.

Ab uno etiam ſingulari Seneca *Epiſtola* XX. ad univerſale confidenter adſcendit. & quia ejus teſtimonio ſum uſus in Dedicatoria ad Principem Lobkovitzium, quæ illi meo libro, qui *S. R. Imperii Pax*, inſcribitur, præfixa eſt, tibi me reddam, & aliquas lineas reſumam. Sic ibi dixerim, *Non armis Ego tuis, ſed tuis oculis egeo, ut qui frequenter placui auditus, placeam lectus, nam tanti Ego ſinceritatem tuam, tanti prudentiam æſtimo, ut quia aſſentiris, non jam unum aut alterum, ſed millenos amuloe generosè contemnam. Aſſentiris, quia legis, & Te Duce aſſentientur univerſi qui legent; nimirùm, qui tibi ſunt ſimiles; qui probi & docti. Hiſpanus Seneca*: Si de me Vir bonus ſentit, eodem loco ſum, quo ſi omnes boni idem ſentirent. Omnes enim, ſi me noverint, idem ſentirent. Pax illis idemque judicium eſt; æquè verò (*enim*) ſentitur ab his, qui diſſidere non poſſunt. Apud malos diſſimilia judicia ſunt, diſſimiles affectus. Apud eos falſa ſunt, quibus aſſentiuntur, numquam autem falſis conſtantia eſt. Variant & diſſident. *Et quia non ſolùm tu Vir bonus es, ſed & magnus, doctus, & Princeps; & tamen à me ſtas; habeo pro me omnes bonos, omnes doctos, omnes Principes, & omnes magnos. &c.* Sic Ego in illâ Epiſtolâ, urgens verba Senecæ, quibus etiam *in Epitome Annalium Baronii, to.* 1. *in Prologo*, utitur Spondanus. [Sed inquiris, *An ſeriò loquendo legitimus iſte Aſcenſus ſit, qui inſtituitur à Seneca? An bene proceditur ab uno ad omnes?* Reſpondeo Propoſitiones debere dividi in duas claſſes; videlicet in certas & probabiles. Si agamus de certis certitudine fidei, idem unus Catholicus credit, quod omnes Catholici; ſi de certis certitudine demonſtrationis evidentiæ, cui unus Vir doctus aſſentitur, univerſi aſſentientur. Cæterùm in materia probabili, ſi Certa conſequentia quæratur, male arguitur ab uno ad alterum: ubi enim latet Veritas, nulla eſt ab uno ſingulari contingenti vel libero ad alterum ſingulare inferendi ſecuritas. Interim, ſi Probabilitate contenti ſimus, Argumentatio fluit. In Defunctorum Miſſâ modulatur Eccleſia.

Aſſentiris, Ergo univerſi probi & docti aſſentiuntur.

An bene adſcendat Seneca?

Ab uno aut paucis non infert certam Cōſequentiam Inductio.

Infert Probabilitatem & Spē.

Qui Mariam abſolviſti,
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoque ſpem dediſti.

Et hinc duplex debet argumentum deduci: nam peccator diſcurrere poteſt primùm ſic.

Maria habuit veram ſuorum peccatorum dolorem, & gratiam conſequuta eſt.

Deum daturũ gratiam habenti verum ſuorum peccatorũ dolorem, infallibile eſt.

Sed & latro ſimiliter verum dolorem habuit, & gratiam conſequutus fuit.

Ergo & ego, ſi verum etiam dolorem habeam, gratiam conſequar.

Et tunc non erit conſequentia probabilis, ſed infallibilis; nam Deus mentiri non poteſt, & ideò verè pœnitentibus concedet gratiam, quam promiſit; dixit enim per Iſaiam. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Hic autem non habet locum ſpes; ergo Rhythmus non loquitur hoc ſenſu. Sed quo? Aio peccatorem poſſe ſecundò ſic diſcurrere.

Iſai. 55. 4. 7.

Ad Spem ſufficit Probabilitas.

Tanta eſt Dei miſericordia, ut efficacem gratiam Mariæ ad agendam pœnitentiam conceſſerit.

Sed & latroni ſimiliter efficacem conceſſit.

Ergo habeo ſpem, ut mihi etiam gratiam efficacem conceſſurus ſit.

Conſequentia modalis eſt, & ſecura. Si autem loco *Spei* poneretur *Certitudo*, claudicaret illatio: nam ab exemplo habetur Probabilitas, quæ ad ſpem ſufficit; non autem habetur Certitudo, quæ ſine neceſſitate aut infallibilitate reperiri non poteſt.

Neceſſitatem aut infallibilitatem in præmiſſis certitudo requirit.

An ſit bona conſequentia?

Bonifacius Papa VIII. videtur improbitatis impulſum ad evidentem potiùs, quàm ad probabilem reducere; nam in Sexto Regulam VIII. ſcribit, aitque; *Semel malum, ſemper malum præſumi.* cui Hiſpanus conſonat, dum inquit, *Quien haze un ceſto, harà ciento.* ubi ut audies, *Semel, ergo ſemper*, ait Pontifex; & *Semel ergo centies*, Hiſpanus; Sed hoc ipſum ſuas patitur limitationes. Dico igitur, *Semel ita enormiter malum, ut non accidentaliter, ſed quaſi eſſentialiter & naturaliter peccaviſſe credatur, præſumendum ſemper (ſaltem in illo genere) fore malum.* non tamen illum, qui ex fragilitate, violentia, metu, aut aliquo alio graviſſimo infortunio delinquit. Porrò, qui ab extrinſeca violentia victus, & quodammodo coactus peccavit, non ſemper peccaturus præſumitur, non enim ſemper violentiæ externæ perſeverant. Ille autem, qui propria malitia peccavit, niſi veterem hominem per ſinceram pœnitentiam exuiſſe conſtet, ſemper malam indolem habere creditur, & ſemper peccaturus præſumitur; ſed præſumitur: non enim Certitudinem dicit Præſumptio, ſed prudentem & gravem aliquam Probabilitatem: quæ enim cum infallibilitate conjungitur, impropriè *Præſumptio* nominatur.

Semel, ergo ſemper.

Semel, ergo centies.

Aliter peccat, qui ex malitia, aliter qui ex metu & externa violentia.

Pœnitentia præſumptionem elidit.

Illa Regula, *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non debet*, vel aliter, *Quod ſemel placuit, ſemper placere debet.* huc non pertinet. Nam agit de contractibus, qui tametſi, dum ineuntur, à placito contrahentium dependeant; ſemel initi perſtant, & non poſſunt ab altero, altero diſſentiente, reſcindi. Non enim licet alteri mutare dictamen aut voluntatem cum alterius injuria. Pono exemplum, Vendidiſti domum tuam Ferdinando. Ut contractus fieret, ut tibi placeret illam vendere, ut illi placeret illam emere; neceſſarium fuit. At ſemel conſummato contractu, quod ſemel placuit, ſemper placere debet; nam ille contractus, qui *in fieri* à tua voluntate pendebat, *in facto eſſe* à tua voluntate non pendet: quoniam invito te manebit, quamdiu Ferdinando placuerit. Quid, ſi utrique diſpliceat? an-ne poterit ab utroque reſcindi? Videretur, quòd ſic: nam quicumque effectus per eaſdem cauſas deſtruitur, per quas producitur. At mihi videtur, quòd non. Et attende. Non poſſunt contrahentes facere, ut contractus, qui fuit validus, nunquam fuerit validus; at illum poſſunt tollere novo contractu. Quam ob rem, in caſu propoſito, Tuam Ferdinando domum vendidiſti; & contractus fuit validus; poteris illam emere à Ferdinando, & hac via domum recuperare: at non poteris ita reſcindere priorem contractum, ut qui ſemel fuit validus, nunquam validus fuerit. Quam ob rem, ſi illa domus, ita meæ Eccleſiæ ſit obnoxia, ut quoties vendatur, pendat pretii partem vigeſimam non patiar ego, ut dicas, *Fuit reciſa prior venditio, ergo nil debetur Eccleſiæ*: ſed reponam. *Fuit bis vendita domus, ergo bis debet meæ Eccleſiæ pendi pars vigeſima.*

An, & quando mutare voluntatem non liceat?

Quid requiratur, ut validè contractus fiat?

An poſſint reſcindi contractus?

Reſcinditur novo contractu.

Illa Evangelii verba, *Qui in uno delinquit, factus eſt omnium reus.* juxta virtualem debent ſenſum exponi. Non eſt ſenſus, ut qui violavit unam legem, cenſendus ſit univerſas violaſſe; non enim, aut à Deo divinitùs, aut à Prætore humanitùs ob adulterium v. g. punietur, qui homicidium commiſit. Sed agitur de pœna damni, de excluſione ab Empyreo. Nam, qui multas virtutes exercendo multos gradus gratiæ adquiſivit, & ad multos gloriæ gradus jus habet, ſi tamen unicum ſcelus mortale perpetret, omnem gratiam, & omne jus ad gloriam perdit, ac ita ſe habet (nempe, ut ex juſtitia cœlum poſtulet) ac ſi tota vita nullum actum meritorium feciſſet. Habemus hujus veritatis imaginem in jure Civili. Sunt crimina, quæ expiantur omnium perditione bonorum. Pone Franciſcum ſuis meritis multa fuiſſe lucratum, plura illi à Republica

An, qui unum peccatum commiſit cenſendus ſit perpetraſſe univerſa?

Locus hic aliis radiis dilucidatur. diſp. 21. art. 7.

Exemplum ex Iure Civili.

Digitized by Google

blica deberi: ſi tamen illud crimen committit, quod ipſo facto habet omnium honorum predicationem adnexam, ita ſe habebit, ac ſi nunquam ſerviviſſet Reipublicæ, ac propterea univerſa quæ habet, & quæ ob priora merita erat conſequuturus perdet.

Aſcenſus ab uno ex privilegio.

Privilegium Participationis

POteſt hic ipſe Aſcenſus eſſe bonus in rebus moralibus, quando videlicet Privilegium unius univerſis conceditur. Pono exemplum. Omnibus Religionibus aut ferè concesserunt Summi Pontifices *Participationis Privilegium*; & ne fortè ſit aliqua, quæ id nondum impetraverit, eas omnes, quæ illud impetrarunt, *Participantes* dicere poſſumus & ſolemus. Et hac doctrina præmiſſa ſic diſcurrimus.

Benedictini habent privilegium N.

Ergo omnes Religiones Participantes illud habent.

Vbi vides quanta ſecuritate ab uno aſcẽdatur ad omnia.

An valeat conſequentia à Chriſto ad omnes Chriſtianos?

Hinc intelliges D. Pauli Dialecticam, qui ab aliquibus illegitimè diſcurriſſe putatur, cùm dixit 1. Cor. 15.

Chriſtus reſurrexit:

Ergo & nos reſurgemus.

N. B. Iſti Aſcenſus ſunt boni, quia hæc Enthymemata virtualiter ſunt integri ſyllogiſmi. Illos ſic compleo.

Et efficacia horum Aſcenſuum iſta eſt: quia in primo exemplo ſupponitur iſtud Principium, *Quidquid uni Religioni conceſſum, omnibus eſt conceſſum*, & in ſecundo iſtud, *Quidquid Chriſto tanquam Capiti & Duci conceditur, id ipſum omnibus membris & affectis etiam conceditur.*

Ex dictis collige hos tres Aſcenſus bonos eſſe.

I. *Hic homo eſt rationalis:*

Ergo omnis homo eſt rationalis.

II. Chriſtus reſurrexit à mortuis:

Ergo omnes etiam reſurgemus.

III. *Ciſtertienſib. eſt conceſſum hoc. &c.*

Ergo & cæteris etiam Religioſis.

Hic homo eſt eſſentialiter rationalis. Sed omnes homines ſunt in eſſentia ſimiles. Ergo omnes homines ſunt rationales.

Chriſtus reſurrexit. Sed privilegia capitis ad membra extenduntur. Ergo & omnes reſurgent.

Ciſtertienſes habent hoc privilegium. Sed privilegia Ciſtertienſium omnibus Religionibus communicantur. Ergo omnes Religioſi habent hoc privilegium.

Primus habet efficaciam à rerum naturâ, quia eſt materia univerſalis naturaliter & neceſſariò: omnes enim homines à natura ſuâ habent, quod in rationalitate non differant. Secundus habet efficaciam non quidem à natura rei, non enim repugnantiam involuit Chriſtum reſurgere reliquis hominibus non reſurgentibus. At illam habet à libero Decreto Dei ſtatuentis omnia verificanda eſſe (ſuo tamen modo) in membris, quæ in capite: omnia in hominibus redemptis à Chriſto, quæ in Chriſto eorumdem Redemptore. Et tandem tertius efficaciam habet non ipſam à natura rei, aut ipſorum extremorum eſſentia, non ipſam à Decreto Divino, ſed à libera Pontificis diſpoſitione: qua manente, bene aſcenditur ab uno ad multa: qua revocata, illegitimus eſſet Aſcenſus.

An ab opinione Magiſtri ad totam Scholam & omnes Diſcipulos valeat Adſcenſus?

Exponitur quæſtio.

SVnt qui Magiſtrorum ſententias in diſcipulis, ſunt qui diſcipulorum in Magiſtris examinent: & ſunt, qui hoc ipſum examen incertum & fallibile exiſtiment: & hanc ob rem inquiris, An iſtæ conſequentiæ ſint bonæ? I. *Eſt ſententia Chriſti, Ergo omnium Chriſtianorum.* II. *Eſt Chriſti, Ergo omnium Romanorum ſeu Catholicorum.* III. *Eſt Ariſtotelis, Ergo omnium Peripateticorum.* IV. *Eſt Auguſtini, Ergo omnium Auguſtinianorum.* V. *Eſt Benedicti, Ergo omnium Benedictinorum.* VI. *Eſt Bernardi. Ergo omnium Ciſtertienſium.* VII. *Eſt D. Thomæ, Ergo omnium Dominicanorum.* VIII. *Eſt Scoti, Ergo omnium Franciſcanorum.* Et tranſeundo ad Hæreticos & Infideles. IX. *Eſt Mahometi, Ergo omnium Maurorum, Turcarum, & Perſarum.* X. *Eſt Lutheri, Ergo omnium Lutheranorum.* XI. *Eſt Calvini, omnium Ergo Calviniſtarum.*

Proponuntur undecim difficultates.

Deciditur.

Et reſpondeo Magiſtros & etiam Diſcipulos poſſe redigi in claſſes; nam vel Magiſter infallibilis eſt, qui decipi nequeat, qui decipere nolit aut non poſſit, & in tali caſu diſſentirent eiuſdem diſcipuli, ſi in rebus ab illo clarè dictis, aut deficerent aut dubitarent. At non obſtante infallibilitate doctrinæ, poſſent inter ſe diſſentire Diſcipuli, primò in quæſtione, *An dixerit?* ſecundò in quæſtione, *An eius verba ſic intelligi debeant, vel ſic?* quod ſi Magiſter errare aut decipere queat, præter has duas quæſtiones adhuc agitari poſſent non paucæ; poſſent enim dicere tertiò, *Se ſuum Doctorem ſequi in practicis, non in ſpeculativis; in moralibus, non in ſcholaſticis; in theologicis, non in philoſophicis; in talibus & non talibus*; & poſſent quartò, *Se illum admittere, non quidem ut jacet, ſed ut à tali diſcipulo exponitur.* admittunt enim Ariſtotelem Dominicani, Franciſcani, & Nominales, at primi non illum ſecundum expoſitionem Scoti, non ſecundum ſubtilitates Ochami, ſed ſecundum meditationem & interpretationem D. Thomæ; ſecundi ita illum intelligi volunt, ut ab Scoto traditur: & ultimi Ochami Commentarios ſequuntur. Et ut moralia etiam exempla adjungam, Luſitani Iuſtinianum admittunt, non à quocumque ſed ab Acurſio explicatum: quos aliæ gentes imitantur. *His poſitis*, reſpondeo ad ſingula.

An poſſint diſſidere Diſcipuli?

Quo debeat modo intelligi Ariſtoteles?

Quo Iuſtinianus?

AD

De doctrina Chriſti & chriſtianorum.

Ad primum dico, doctrinam Chriſti non eſſe omnium Chriſtianorum; nam tametſi hodie ſententiâ univerſorum Chriſtus ſit Deus, & qui nequeat decipi, vel decipere, eſt quæſtio adhuc inter Catholicos & Hæreticos de canone ſacrorum librorum, & quæritur, qualem cognovit Chriſtus. Vbi in textu conveniunt, adhuc differunt in expoſitione, nam Catholici non quamcumque admittimus, ſed quam Concilia Generalia; & illi ſunt ſpiritu privato contenti. Sed quia poſteà & ipſa Concilia, multa nondum loca expoſuerunt, & multa adhuc tradiderunt obſcurè, adhuc inter ipſos Catholicos habentur controverſiæ probabiles, quæ ſalva fide diſputantur. Hinc patet quid debeat reſponderi.

De Librorum Canonicorum Canone.

De Textus ipſius intelligentia.

An Concilia generalia ſint admittenda?

Ad ſecundum. Omnes enim Catholici admittunt has. Liber Veteris teſtamenti, quem Chriſtus admiſit, ut dictatum à Spiritu ſancto, Canonicus eſt. Quod Chriſtus dixit, verum eſt; omnes expoſitionem Conciliorum Generalium admittunt, & tamen ſæpe in expoſitione ipſorum Conciliorum diſſentiunt.

Dividitur in varias Scholas Peripatus.

Ad tertium dico multas eſse Peripateticorum Scholas, & in ſingulis eſſe Doctores, qui exiſtiment, & aſſerant ibi & non alibi tradi doctrinam ſinceram Ariſtotelis. Averroiſtæ reliquas Scholas condemnant, Thomiſtæ Averroiſtas, utroſq; Scotiſtæ & Nominales regerunt, & tamen omnes ſe uni & ſoli Ariſtoteli inhærere glorientur. Excipiunt ſinguli illas ejus ſententias, in quibus erraviſſe dignoſcitur, à Fide enim edocti ſcimus dari Creationem, mundum habuiſſe initium, Animas hominum eſſe immortales, & alia quę neſcivit Philoſophus.

Errores Ariſtotelis.

De doctrina Auguſtini.

Ad quartum dico mirum non eſſe, ſi nemo in omnibus ſequi Auguſtinum velit, quem conſtat ſe non fuiſſe ſequutum in omnibus. Interim Proſper videtur in ejus verba juraviſſe, poſſeque Sancti Doctoris mentem, ubi obſcura, dilucidari ex Proſpero. Auguſtinus Academicus fuit, Peripateticus verò Sanctus Thomas; & quia iſte veneratus fuit illum, & in omnibus, aut ferè ſequutus, habemus in Divi Thomæ operibus lac purpureum, ſaphiros candidas, hoc eſt Auguſtinum indutum Peripatetico colore.

An ſe ipſo ſemper: an ipſum ſemper ſequatur Proſper?

Auguſtinus Platonicus. Thomas Peripateticus.

Sed quia hoc ultimo ſæculo ſe Auguſtinianos vocitant Lutherus, Calvinus, & ferè omnes juniores Hæretici, notari volo eâdem libertate, & malitiâ, quâ Sacram Paginam, ab ipſis Auguſtini ſententias obtorquent, lacerantur, truncantur, obnubilantur, ut coralo ſimiles alterius coloris ſint in mari, in fonte, & alterius diverſi, aut adverſi extra fontem.

An Hæretici ſint Auguſtiniani?

Color corali.

De D. Benedicti & Bernardi opinionibus.

Ad quintum & sextum reſpondeo multas eſſe evidentiſsimè defenſas à D. Benedicto opiniones, plurimas à D. Bernardo, quas Benedictini, & Ciſtercienſes non tuentur; pauci enim ſunt, qui horum Sanctorum Patrum perſcrutarunt ſententias; pauci, qui illas intelligant, aut propugnent. Nos olim Salmanticæ & Lovanii illas eruere & defendere cœpimus; ſed quia uterque Patriarcha plus Spiritui Sancto, & plus rationi deferre, quàm Ariſtoteli, aut Platoni, non libenter auditur à Peripateticis, aut etiam Academicis, qui in verba ſuorum Philoſophorum conjurarunt. Sed quia Philoſophiam Benedictinam dedimus, non eſt cur impręſcotiarum hæreamus.

Nec Platonem, nec Ariſtotelē ſequuntur.

De antiquis Thomiſtis.

Ad septimum dico, multas D. Thomæ ſententias explodi à Patribus Dominicanis, quod ſint contra antiquos Thomiſtas; ac ſi non eſſent hodie nobiliſſima ingenia, quæ corrigerent antiquorum errores. Liberè loquar. Ante Typographiæ inventionem, qui omnia D. Thomæ Opera haberet, vix unus privatus Doctor fuit; fortè in ditiorum Monaſteriorum Bibliothecis reperirentur manuſcripta, at pauperiora loca expenſas ſubire non poterant. Hinc fuit quod veteres Thomiſtæ ex uno, aut altero Sancti Doctoris libro mentem ejus Angelicam eruere voluerint, & librorum defectu multa loca non viderint, aut recognoverint, in quibus loquebatur clariùs. Hinc quod ſæpè ejuſdem, nec mentem, nec ſenſum tetigerint, quod clarè juniores obſervant, cùm nova editione uſi, Tabulæ copioſiſsimæ auxilio plura loca conferunt, & conciliant; unde ſperandum erit, ut ante paucos annos habituri ſimus Philoſophiam verè Thomiſticam, eamque ſuaviorem & probabiliorem.

Ante Typographia inventionem, qui omnia haberet Angelici Doctoris Opera, rarus erat.

Philoſophia verè Thomiſtica nondum edita.

Addo in plurimis tam Philoſophicis, quàm Theologicis, ipſoſmet Thomiſtas ſubdividi, & pro oppoſitis omninò ſententiis Angelicum Doctorem adducere: quod optimè notavit Poza Elucidarii Deiparæ *libr. 4. tract. 5. cap. 2. mihi pag. 1209. a.*

Thomiſtarum ſecta.

Subjungo multos fuiſſe Thomiſtas, qui non ſolùm ignorantes quid Sanctus Doctor ſenſerit, aut fortè probabiliter ejus mentem rimantes, ſed certa ſcientiâ, & conſilio eum voluerunt deſerere, & ſequi rationis, aut pietatis impulſum. Et ne multis meum Lectorem gravem, dabo Hervæum & Cajetanum, duos Thomiſtarum Principes; & ſi Doctoris Angelici Schola Cœlum eſt, duos Athlantes. Et tamen Hervæus in Epiſtolas ad Galatas, & Hebræos Commentarios ſcripſit, & in ipſis frequenter Divo Thomæ opponitur.

An aliquando Angelico Doctori contradicant?

Et

Et Cajetanus in omnes Epiſtolas Pauli Illuſtrationes edidit, D. Thomæ, & multis etiam Patribus contradicentes, quod & ipſe animadvertit, & ſcripſit, *Majores ſequi nil eſſe aliud omninò quàm noſtra condemnare ingenia, & nos privare & ratione & judicio.* Sed hæc pro Divo Thoma ſatis: nam iterum iterumque ejus authoritatem ad examen & ponderationem reducemus.

An debeamus ſemper priores ſequi?

Ad octavum dico Deciſiones Scoti eſſe pauciſſimas, pleraque ab ipſo (quod & Patres Franciſcani fatentur) indeciſa relinqui; committique diſcipulorum genio. At hic ipſe eſt triplex. Alii enim, ubi nihil ab Scoto reſolvitur, eam ſequuntur contradictionis partem quam Scotiſtæ veteres, & non aliter putant debere ſubtilem Doctorem intelligi. Alii ingeniis conſulunt, & ut hæc exerceantur, eam partem eligunt, quam Thomiſtę rejiciunt, ut inter has Scholas perpetua ſit differentia & contentio. Alii libertatem amantes, illam eligunt partem, quam judicant probabiliorem, plauſibiliorem, aut etiam nonnunquam faciliorem.

De doctrina Scoti.

In tres ſectas dividitur.

Ad nonum dico, ſicut ſub uno, & eodem Evangelio multæ ſunt hæreſes, ſic ſub uno & eodem Alcorano multas eſſe opiniones & ſectas. Aliter intelligunt & exponunt Mahomethū Saraceni & Agareni; aliter Mauri, aliter Perſæ. Afri obtuſioris ingenii homines, ſequuntur literā; & Perſæ mente & animo altiori omnia ad ſenſum moralem reducunt, & à cæteris appellantur hæretici, quod Alcorani nugas, quæ realiter impoſſibiles ſunt, ad anagogicos ſenſus reducant.

De Alcorano & doctrina Mahometi.

Suas habet Sectas.

Ad decimum dico, non eſſe Lutheranum hodiè, qui ſequatur Martinum Lutherum in omnibus: Varius fuit; & quia multi modi mentiendi ſunt, prout tempora tulerunt, diverſiſſimas ſententias habuit. Nec omnia noſtra dogmata negavit ſimul, ſed paulatim, & cauſam rogans, diſſidentes diſcipulos etiam in eâ adſignandâ reperio. Alii ad Theologiam, & alii ad Politicam volunt recurrere. *Dicunt illi Lutheri mentem fuiſſe divinitùs illuminatam, non quidem luce tantâ, quâ poſſet omnes errores Romanæ Religionis reſpicere, ſed quâ aliquos. Se gratiæ illum ductui permiſiſſe, & quia facienti, quod in ſe eſt, non denegat gratiam, hoc eſt, ſubjicienti ſe primæ, non denegat ſecundam, obtinuiſſe ſecundam lucem tertiamque, & tandem omnimodam, quâ omnes perciperet Romanæ Religionis errores. Sed contra iſtò Deum Luthero omnes Fidei Articulos ſimul revelaſſe, at illum non omnes ſimul prædicaſſe, debebat enim* doctrinam accommodare Auditorum, & Lectorum ingenio, illiſque tanquam parvulis in Chriſto, lac dediſſe non eſcam; eiſdemque jam fortioribus & inſtructioribus majora arcana propalaſſe. Et quidem Lutheri hæreſis cauſam nemo eſt Lutheranus, aut etiam Romanus, qui ignoret. Erat vafer & prudens Hæreſiarcha; & ut Papæ noceret, malè moratis populis adulabatur. Cum urgeretur, ad Generale Concilium appellavit, interpoſita etiam ſuorum diſcipulorum proteſtatione, à qua illi *Proteſtantes* ſunt dicti. Sed quo appellavit animo? quantâ ſinceritate? ipſemet Lutherus Epiſt. 5. ad Philipp. Melan. 20. Iulii anno 1530. *Poſteà quàm hæc mendaciſſima diabolorum capita ludunt, in promittendo Concilium liberum; ſic volo & ego cum eis ludere, ab eorum ſomniis appellare ad illud ipſum Concilium, quod tamen nunquam futurum eſt, ut ego interea in pace agam.* Putabat Concilium non eſſe poſſibile, & tamen appellabat ad illud. Ecce non omnia, quæ negabat animo, negabat linguâ, ſed illum in obſtinatione & infidelitate fovebat, & hanc tempori accommodabat.

Diverſis temporibus tradidit ſententias diverſas.

An paulatim in veritatis cognitione profecerit?

An doctrinam Auditorū captui attemperaverit?

Lutherus qualis?

Vnde ſint dicti Proteſtantes?

Cur ad Concilium appellavit?

Porrò ipſe, nec ſibi unquam, nec diſcipulis ſuis ſuadere potuit, vera eſſe quæ concionabatur, non enim illa prædicabat, quod vera crederet, ſed ut opponeretur Pontifici, quem odio intenſiſſimo perſequebatur. Proderit audire Ioannem Matheſium in Concione XII. de vita Lutheri; ait enim *M. Antonium Muſum prædicantem de ſe Lutherum admonuiſſe, quod ipſemet non crederet, quod aliis prædicabat: dixiſſe verò Lutherum; Benedictus ergo ſit Deus, cum idem aliis, quod mihi uſu venit: huc uſque enim id mihi ſoli uſu venire credidi.* Vnde Lutherus ipſe in Sermone de Hieruſalem, *Neque vides, ait, duriſſimam plagam Dei, quâ nos punit per innumeros falſos fratres & ſectas, quas nobis undequaque immittit? qui tam ſecurè prædicant perinde ac ſi Spiritum Sanctum penitùs devoraverint. Et quos veluti omnium optimos exiſtimavimus, illi nunc homines uſque adeò dubios reddunt, ut penè ignorent omninò quid vel facere vel omittere debeant.* Auguſtanæ confeſſioni addictos *Proteſtantes* vulgus, & Lutherus *ſuos bonos Lutheranos*, & reliquos diſcipulos ſuos *Pſeudolutheranos* appellat. Ecce varias Lutheranorum Sectas, etiam ſub ipſum defectionis initiū. Ioannes Funccius in Chronolog. ad ann. 15.17. obſervat & ait, *Optarim, ut quidam tanta veneratione legerent ea* (Lutheri Opera) *& tanto pietatis Zelo, quanto fortaſſis ad errores ſuos ex his ſtabiliendos & Eccleſiæ moleſtias augendas ſtudio flagrant.*

An Lutherus ſciens & volēs falſa ſit concionatus?

Quæ perſuadebat aliis, hæc ſibi perſuadere non potuit.

Quales ſint Prædicatores Lutherani?

Lutheraniſmus ſubdividitur in varias ſectas.

tanc.

tunc me hercle tot rixarum, tot maledictorum & execrationum inter eos non eſſet, qui ſanctiſſimi viri illius diſcipuli & dici & eſſe volunt. Ecce quanta inter Lutheranos opinione hominis Lutherani ſit diſſentio!

Calvinianorũ ſecta.

AD VNDECIMVM dico eſſe plurimas Calvinianorum Sectas; nam tametſi, ut aſſerit CartWrightus, Puritanorum Coryphæus lib. 1. pag. 33. *non recuſent Calvini judicium in quacumque re controverſâ*; ſubdividuntur; quia controverſam rem eſſe illam nonnulli dicunt, quam alii indubitatam, certamque: & ubi ad Calvinum recurritur, non omnes illum exponunt eodem modo, & ideò in hæreſes plurimas ſubdividuntur. Sunt & alii, qui ſupra Calvinum ſapiunt, & ejus teſtimonia recuſant; unde Paræus Heidelbergenſis, *Eſto id dicat Calvinus*, ait, *non tamen propterea id dicturi ſunt Calviniſtæ*; unde contendit Calvini ſententiam de Deo authore peccati, injuſtè Calviniſtis imponi, & ait,

An etiam contradicant Calvino?

Vos quoque promiſſi memores, delete liturâ
Ingenuâ STARVM, *impegiſtis quod malè noſtris.*

An Deus author peccati ſit, Calviniſtarum ſententia?

ubi errorem, quem eſſe *Calvini* fatetur, *Calvini-ſtarum* eſſe pernegat.

N O T A.

Argumentum à Magiſtro ad diſcipulos;

POſſet hic ſtatim inquiri, an ſicut à Magiſtro ad diſcipulos, ita etiam à diſcipulis ad Magiſtrum valeat conſequẽtia? An ſcilicet, ſicut ſolemus dicere, *Hac eſt ſententia Calvini. Ergo & Calviniſtarum. At Paræus eſt Calviniſta. Ergo hæc eſt ſententia Paræi*: ſic ſimiliter poſſimus dicere, *Hac eſt ſententia Paræi: At ipſe eſt Calviniſta, Ergo eſt ſententia Calviniſtarum. At ipſi Calvini ſententiis adhærent. Ergo eſt ſententia etiam Calvini?*

à diſcipulis ad Magiſtrum,

quantam vim habeat?

Paulò antè oſtendimus, illum priorem diſcurſum non eſſe infallibem, ergo de hoc poſteriori idem ſumus dicturi. Interim aliqui à Diſcipulorum doctrina ad Magiſtri mentem argumenta deducunt. Et inter hos Paulus Antonius Foſcarinus; agens enim de Syſtemate Mundi, Planetarum Heliocentricam diſpoſitionem Pythagoræ accenſet, quòd fuerit ab Ariſtarcho Pythagorico tradita. Vnde videtur ſic diſcurrere.

De Syſtemate Mundi Copernicai. An ſit Pythagoræ?

Omnes Diſcipuli ſententias ſuorum Magiſtrorum tutantur.
Ariſtarchus eſt Pythagoreus.
Ergo Pythagoræ ſententias tutatur.
At ſyſtema Heliocentricum admittit.
Ergo Mundus Heliocentricus eſt ex ſententia Pythagoræ.

Negat conſequentia Ricciolius *libr. 9. ſect. 3. cap. 2. pag. 277. a* dicens; *non rectè vocari à Paulo Antonio Foſcarino* Syſtema Pythagoræ, *aut abſolutè* Pythagoricum, *illud, in quo Sol eſt in centro Mundi, & Terra ſupra Mercurium ac Venerem circa Solem volvitur: Eſto ſic ſenſerint aliqui Pythagoræ Diſcipuli.*

Hæretici carent credendi Regula.

Sanè, ſi agimus de Heterodoxis à Diſcipulo ad Magiſtrum Conſequentia claudicat evidentiùs & clariùs: vix enim eſt hæreticus, qui Hæreſiarcha non ſit, nam cùm Novatores doctrinæ ſuæ nullam Regulam ſecutam habeant: illa, quæ quando erant diſcipuli, ſunt docti, non retinent, ſed ſemper aliquid demunt, aut augent: interim iſti Lutherani, illi Calviniſtæ, &c. vocari ſolent, quia iſti ut plurimum Martino Luthero; & illi ut plurimum Ioanni Calvino adhærent. Quam ob rem, cum Regula prudentis diſcurſus ſit illa, quam Bonifacius VIII præſcripſit Canoniſtis *in Sexto*: videlicet, *Inſpicimus in obſcuris id, quod eſt veriſimilius: vel quod plerumque fieri conſuevit*; putarem non infallibilem à Magiſtro ad diſcipulos, aut à diſcipulis ad Magiſtrum, ſed probabilem tantùm, aut probabiliorem conſequentiam deduci.

In dubiis, quod eſt veriſimilius judicamus.

Regula Iuris 45.

Epiſtola ad Demetriadem, cujus ſit?

Hinc intelligo dubium, cui occaſionem præbet Cornelius Ianſenius *in Auguſtino ſuo tom. 1. lib. 1. column. 15. §. Sed anno*; juxta editionem Lovanienſem. Nam, cum ageret de epiſtola illa celebri, quæ inſcribitur Demetriadi Nobiliſſimæ Virgini, quam alii Ambroſio, alii Hieronymo, aut Auguſtino inſcribunt, ſic inſit. *Habetur illa inter Opera D. Auguſtini, itemque Hieronymi, ſub cujus nomine multis ſæculis lecta eſt, jam inde à temporibus Bedæ, qui cum eam à dignitate nominis Hieronymiani removiſſet, adductis, ac refutatis non paucis hæreſibus, quibus infarta eſt, eam attribuit Iuliano illi Pelagianorum Antesignano, contra quem S. Auguſtinus multis annis luctatus eſt. Vnde neſcio, quid Baronio in mentem venerit, dum dicit illam Epiſtolam à Beda agnitam fuiſſe tanquam Pelagii fœtum. Refutata eſt aliquot annis poſt à Sancto Auguſtino, qui ei Epiſtolam centeſimam quadrageſimam tertiam ad Iulianam Demetriadis matrem oppoſuit. Porrò eſſe veriſſimum ipſius Pelagii fœtum, ſine ulla ambiguitate confitetur ipſe Pelagius in literis purgatoriis, quas ab hinc quinquennio ad Innocentium Papam dedit.* &c. Non quæritur hic, cujus nam fuerit hæc epiſtola? nam ſupponitur eſſe Pelagii. Si illam Pelagio accenſuiſſet Baronius, nullus obloqueretur: ſed difficultas in eo eſt, cur à Beda tanquam Pelagii fœtum agnitam aſſerat, cum tamen Beda non illam Pelagio, ſed Iuliano diſcipulo Pelagii accenſeat?

Erat Epiſtola 142. nunc rejecta in appẽdicem Operũ S. Auguſtini. Vide Bedam in Præfat. in Cãtic. Cantic.

Non illam Pelagio Beda attribuit.

Eſt tamen Pelagii.

In quo conſiſtat Quæſtio?

Me-

Baronius defenditur.

Memoria hîc, ſicut & alibi ſæpè, lapſum fuiſſe Baronium, poſſet dicere, qui Virum diligentiſſimum nollet defendere: interim ex præcedenti doctrina dicere poſſumus Iuliani Pelagiani ſententias Pelagii eſſe: adeoque Bedam illam Epiſtolam, ut ut à Iuliano ſcriptam crediderit, eſſe fœtum Pelagii judicaſſe, ſiquidem Pelagianis hæreſibus infarta erat: & ob Pelagium illam nomine Hieronymi, quo deſigurabatur, exuiſſe, & poſteà etiam fortiter impugnaſſe. Baronius igitur bene loquutus eſt.

ARTICVLVS II.

De Diſcurſu Politico. *De methodo argumentandi in Ethicâ, in Iure Pontificio, Regulari, Cæſareo. De Politica in Adæquatam, & Inadæquatam diviſione, & quomodò ab Antipoliticâ diſtinguatur?*

De partibus ratiocinationis.

IN omni Diſcurſu duo neceſſariò reperiuntur, Antecedens, & Conſequens: ad illud pertinent nobiles quæque Propoſitiones, quæ apud doctos receptæ, quæ negari non poſſint, & magnas conſequentias parturiant: ad hoc omnes illatæ Concluſiones, quibus vita & mores gubernantur. Hic ergo breviter de ſingulis acturi ſumus.

SECTIO I.

De Iudiciis (ſeu etiam Præjudiciis) Moralibus; hoc eſt de Syllogiſmorum Præmiſſis.

Quid Iudicium Morale ſit?

IVdicium morale eſt vel ipſamet electio, vel electionis dux, & eſt morum Regula, & ut ſit prudens, debet Modales propoſitiones judicare. Ex modis igitur ſuo loco poſitis, compoſitis, expoſitis, naſcuntur iſta Præjudicia, è quibus omnes conſequentiæ morales debent naſci.

Voco præjudicia, illa Iudicia, quæ ſunt ſtrema, in bonâ partem vocem accipiens.

De viribus neceſſitatis.

PRIMVM. *Neceſſitas caret lege*; vel aliter, *In neceſſariis nec meremur, neque demeremur*. Et oſtenditur. Quia nemo peccat in eo quod vitare non poteſt. Hoc principium in dubium inceperunt reducere aliqui Auguſtinianæ doctrinæ non commentatores ſed commentitores; inter quos Lutherus, Calvinus, & ex noſtris Bayus, Ianſenius, admiſerunt in homine neceſſitatem peccandi; ſed hæc ipſa neceſſitas jam à multis Pontificibus damnata eſt.

An componatur cum peccato?

Hinc patet actiones neceſſarias inhiberi non poſſe. At ipſas in duas claſſes diſtinguo: in prima pono phyſicè neceſſarias, quales ſunt habere ubicationem aliquam, materiam affectam quantitate. &c. in ſecunda neceſſarias moraliter, ſine quibus ſtare non poteſt id, quod mihi præcipitur lege ſuperiore ut comedere; nemo enim Abbas poteſt ſubdito jubere ut nihil omninò comedat, quoniam cibi conſervandæ vitæ neceſſarii ſunt, & hanc ſervare ex quinto Decalogi præcepto tenemur.

Duplex neceſſitas.

SECVNDVM. *Impoſſibilia præcipi non poſſunt*. Contra Lutherum & Calvinum Synodus Tridentina ſic. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo admonet, & facere quæ poſſis, & petere quæ non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Hanc ego materiam fusè tractavi in meo Benedictino Reformato, & in Theologia Fundamentali à nu. 701. ad 756. ubi Caput LX. Regulæ expono, & varia impoſſibilitatum genera diſtinguens decîdo, quid debeat pius Religioſus facere, ſi Superior impoſſibilia indicat.

Præcepta non ſunt impoſſibilia.

TERTIVM. *Merè contingentia non poſſunt præcipi*. Aliter, *Non poſſunt præcipi omnia poſſibilia, ſed illa ſola quæ ſunt in noſtra poteſtate*. Vt rem meliùs intelligas, meminiſſe oportet differentiæ, quæ intereſt contingenti & libero. Vtrumque poteſt eſſe & non eſſe, neutrum eſt neceſſarium, neutrum eſt impoſſibile; at hoc præcipi poteſt, illud non poteſt. Contingens poteſt eſſe & non eſſe ab extrinſeco, liberum ab intrinſeco. Tranſvolare Caucaſum (exemplum eſt I. Calvini) mihi impoſſibile non eſt; poſſum enim & donari alis, quibus activè volem, & poſſum transferri paſſivè; at mihi liberum non eſt, non enim eſt in poteſtate mea aut habere alas, aut

Contingentia non præcipiuntur.

Diſcrimen inter contingens & liberum.

ab Angelo per crines, ut olim Abacucus, transferri. Et quia mihi non eſt liberum, mihi injungi non poteſt.

An, qui careret auxilio Dei, peccaret?

Hinc patet iterum contra Novatores, hominem cui negaret Deus auxilia ſufficientia, poſſe excipere contra Dœmonem accuſatorem, & dicere, *Feci, quod potui*; qui enim operatur quod poteſt, operatur quod debet; nam debitum non patet latiùs, quàm poteſtas. Hinc patet dari auxilia ſufficientia, proxima vel remota; Deumque deſerere neminem, antequam deſeratur. Hinc etiam neminem poſſe tibi præcipere, quæ in tua poteſtate non ſunt, niſi fortè tyrannus ſit, qui velit in tuam innocentiam ſævire.

Dantur auxilia ſufficientia.

Probabilitas eſt quadam moralis certitudo.

QVARTVM. *Quæ probabiliter vera ſunt, virtualiter ſunt manifeſta & certa.* Oſtenditur; quia tametſi verè & realiter mihi manifeſta non ſint, in ordine ad mores ita ſe habent, ac ſi eſſent omninò certa & manifeſta.

Hinc patet ſecuriſſimè poſſe hominem operari ſecundum opinionem probabilem. Vide ea quæ dixi in Commentarii Regulæ Benedictinæ *num.* 57.

Dubium virtualiter eſt idē quod nihil.

QVINTVM. *Omnis propoſitio dubia eſt virtualiter nulla.* Aliter. *Si poſt debitum examen notitia dubia in mente maneat, ſupponendum eam non eſſe in rerum natura.* Aliter. *In dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione certa, quæ erat ante notitiam dubiam.* Patet: quia mores ſunt res gravis momenti, & debent graviter regulari; & tamen notitia dubia gravis non eſt; adeò nec Regula; Vide quæ dicturus ſum, cùm agam de Conſcientiâ dubiâ.

Dubium non eſt Regula morum.

De Aſſertionibus cenſura dignis.

SEXTVM. *Omnis Propoſitio cenſura digna contradictoriè oppoſita, morum Regula eſt.* Patet, quia ideò illa eſt cenſura digna, quòd contra morum Regulam ſit, ergo ejus contradictoria (contra hanc enim eſt) eſt ſecuriſſima Regula morum.

Hæc ſunt ſex moralia Principia, quæ ex Modalibus Poſitionibus exordium ſumunt; at omnia ipſa in alio profundiore & reconditiore fundantur. Sed quale illud? Layman. in ipſo ſuæ Moralis Theologiæ limine ex Auguſtino (*libr. 2. de libero arbitrio cap.* 10.) hanc morum fundamentalem & infimam baſin ſupponit. *Bonum & honeſtum eſt amplectendum; malum culpæ eſt fugiendum; non plus minuſ-ve iraſcendum aut comedendum quàm oportet; juſtè eſt vivendum; propria ſuis quibuſcumque ſunt omninò reddenda.* Quod quidem Protheorema ita videtur Auguſtino placuiſſe, ut addiderit, *Nonne fatêberis eſſe veriſſimum, & tam mihi quàm tibi atque omnibus id (Protheorema) videntibus*

Ethica profundiſſima Baſis.

(cogitantibus) *præſto eſſe* (per ſe notum eſſe) *communiter?* Non quidem Sancte Doctor, non quidem. Multi ſunt, quibus non apparet veriſſimum, & mihi ex veriſſimis legitimè deduci apparet, at eſſe per ſe notum, & præſto cognoſcibile non apparet.

Quæſtio hæc eſt Logica: non quæris, an ſint vera, quæ Auguſtinus adſumit, ſed an ſint Principia, an verò Concluſiones ex aliis Principiis illatæ?

Non nego Sancte Pater illa à te adducta Ethicæ fundamenta eſſe vera; nam illa admitto. Nego eſſe prima, & univerſis præſto eſſe: niſi enim alia priora ponantur, non ſubſiſtent. Sed quæ ſunt Protheoremata, quæ præcurrunt? Hæc. [1] *Deum eſſe.* [2] *Deum poſſe jubere & conſulere.* [3] *Deum hæc aut illa conſuluiſſe; hæc aut illa juſſiſſe*; quod & tu ipſe fateris, ut ſtatim videbimus. Illa itaque, quæ adducis, præſto ſunt, nempe homini his prioribus, quæ propoſui, prævento, his prioribus illuminato.

An bonum amplectendum ſit

Primò enim, illa aſſertio *Bonum eſt amplectendum*, ſi agatur de bonitate tranſcendentali, vera eſt; non tamen morum regula; hoc enim ſenſu bonitas eſt amabilitas, & omnia, quæ amantur, ſunt bona. Hoc ſenſu intelligunt hoc axioma Sinenſes Ethici, qui aſſerente Triglautio moralem tranſcendentalemq; bonitatem confundunt. Hoc ſenſu illi hæretici, qui ſub Statuum regimine Antuerpiæ S. Salvatoris Ciſtertienſe Cœnobium occuparunt & horto inſcripſerunt, *Quod volumus id juſtum eſt.* Hoc eodem Sarabaitæ de quibus S. Benedictus in Regulæ cap. 1. *Bini aut terni, aut certè ſinguli, ſine paſtore non dominicis, ſed ſuis incluſi ovilibus pro lege eis eſt deſideriorum voluptas, cùm quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt ſanctum; & quod noluerint, hoc putant non licere.*

An bonitas moralis à reali & tranſcendētali diſtinguatur?

Sinenſium error.

Hollandorum error.

Sarabaitarum error.

Eadem autem Aſſertio, ſi agatur de bonitate morali, quæ ſit à tranſcendentali diſtincta, ita ut æquivaleat huic, *Honeſtum amplectendum eſt*, mihi præſto non eſt, nec ante examen vera apparet: adeoque dico eſſe veram, non tamen per ſe notam, ſed à per ſe notis illatam. Tolle enim, quod Deus juſſerit, vel conſuluerit, ut vivamus honeſtè, & ſtatim eſſe veram hanc eamdem Aſſertionem negabo. Sanè non debeo amplecti virtutes propter ipſas, ſed propter legem Domini: nec omnes, ſed quas ipſe præcepit; & ſi nullas præcepiſſet, ad nullas omninò tenerer. Quod demonſtrant conſilia; cælibatus enim bonus eſt, honeſtus eſt, imò caſtus & conſultus eſt, nec tamen neceſſariò amplectendus eſt.

An ſit amplectendus cælibatus?

Cætera, quæ ſubjiciuntur in hac Aſſertione, quam excluſi, clauduntur, adeoque non eſt cur in eorum expoſitione &

im-

impugnatione hæreamus.

Nos autem, qui deſideramus rem radicitùs examinare, his potius Principiis Conſcientiam ſubſtruendam putamus. Nimirùm,

Deum eſſe creatorem.

PRIMVM. *Deus creauit nos.* Hoc fateor eſſe veriſſimum, tam mihi quàm tibi, quàm omnibus, qui cœci non ſunt, hoc præſtò eſſe communiter; hoc negari non poſſe.

Tria hoc Protheorema complectitur (1) *Deum eſſe.* (2) *Nos eſſe.* (3) *Nos à Deo eſſe.* quæ omnia evidenter noſcuntur.

An ex creatione dominium & poteſtas oriatur?

SECVNDVM. *Deus eſt perfectiſſimus Dominus noſter.* Deducitur ex præcedenti, & ut puto evidentiſſimè. Nam dominium eſt conſervandi & deſtruendi poteſtas, & nullibi clariùs hæc poteſtas, quàm in creatione relucet; ita enim nos Deus creat conſervatque, ut omittere poſſit. Vide interim Theologiæ Moralis num. 105. juxta editionem Lovanienſem.

Dominium Dei in noſtros actus.

TERTIVM. *Deus non ſolùm eſt Dominus noſtræ ſubſtantiæ, ſed etiam noſtrarum operationum*, Patet, quia de conceptu dominii perfecti eſt, ut non ſolùm habeat in rei ſubſtantiam poteſtatem, ſed etiam in ejus fructus & operationes.

Hæc tria ſunt Principia Phyſica, & totam Moralem (Philoſophiam & Theologiam) ſubcollant; nam ubi deſinit Phyſicus, incipit Moralis, cui eſt,

PRIMA MORVM BASIS.

An ſi creatura contra voluntatem creantis operans?

QVi aliter operatur quàm Deus vult (ago de præceptiva voluntate) *procedit contra jus Dei, Negat Deo actum debitum; Opponitur legi divinæ; Peccat moraliter, & ſi materia fuerit gravis mortaliter.*

Quid ſit peccatum?

Hinc oritur communis definitio peccati, illud enim *eſt factum, dictum aut concupitum contra legem Divinam*; quæ, cùm ab Auguſtino ſit tradita, nemo ſuſpicari poterit nos ab ipſo diſcedere. Ergo hoc radio ab ipſomet Auguſtino ſumpto, Protheoremata illa ab Auguſtino tradita dilucidemus.

Præſcindendo à Dei lege peccatum non poteſt intelligi.

Bonum amplectendum, eſt obligatorium. Ergo præceptũ.

Bonum & honeſtum eſt amplectendum: nam honum & honeſtum Theologicè eſt quod Deus jubet; & nos Deo obedire debemus.

Fugiendum, quod eſt interdictum.

Malum culpæ eſt fugiendum; ideò enim malum culpæ eſt, quia divinitùs eſt interdictum.

Quãdo ſit iraſcendum? Quãdo comedendũ?

Non plus minùs-ve iraſcendum, aut comedendum, quàm oportet; nam vox illa *oportet* ſignificat voluntatem Divinam. Iraſci ergo, & non iraſci; comedere, & non comedere debemus, quando Deus jubet.

Logica Moralis lib. II.

Quid Oportet ſignificet?

Dixerat D. Gregorius Nazianzenus *Oportebat* & Damaſcenus *lib. 2. de fide.* illud verbum exponens ait. *Hoc autem vocabulo*, Oportebat, *nihil aliud à me indicatur, quàm Opificis voluntas; hac enim nec lex, nec ſanctio aliqua congruentior imaginari aut fingi poteſt.* Vide noſtram Theolog. Intentional. *num.* 38. Iraſci igitur, ut oportet, erit iraſci, ut Deus jubet.

Quid ſit juſtè vivere?

Iuſtè eſt vivendum; hoc eſt, Ius naturale (Decalogus) eſt ſervandum. Eſt autem Ius naturale lex lata à Deo, cujus ſecunda Tabula poteſt ad hæc verba reduci. *Propria ſuis quibuſcumque ſunt omninò reddenda*; adeòque propria (honos, vita, uxor, pecunia, &c.) à nemine debent auferri.

Non-ne fateberis eſſe veriſſimum (totum hoc, quod præmiſi) *& tam mihi, quàm tibi, atque omnibus* (bene inſtructis, & Chriſtianè educatis) *id præſto eſſe communiter*.

Concluſio.

Ergo S. Auguſtinus eſt ſibi ſimilis: nec opponitur his, quæ ex ipſomet Auguſtino docemus.

SECTIO II.

De modo argumentandi in Ethicâ.

Synderesis: Ethica: Conſcientia.

COnſtat ex tribus Propoſitionibus ſyllogiſmus moralis. Majorem ponit Synderesis, Minorem Scientia moralis, & infert Concluſionem Conſcientia. Hic alii ſtatim reperiunt tres habitus realiter diſtinctos, nos qui paucis ſumus contenti, ſic ſyllogiſmi moralis principia & cauſas explicamus. Ille eſt, *Quod jubet Deus eſt faciendum, & omninò omittendum quod inhibet: Hoc jubet, illud inhibet: Ergo hoc faciendum & illud omittendum eſt.*

Syllogiſmus moralis.

Quid ſit Synderesis?

Intellectus prout cognoſcit Majorem appellatur *Synderesis.* [D. Thom. 1 p. quæſt. 79. art. 12.] nec credo Synderesin verſari circa generaliſſima principia, ut communiter aſſeritur, ſed circa hoc unicum; quod non eſt errori obnoxium, unde bene colligitur Synderesin errare non poſſe. Sanè Synderesim ab omni errore immunem fatentur Scotus *in 2. diſt. 39. §. ad quæſt.* Durandus *in 2. diſt. 39. quæſt.* 5. *a.* 1. Gabriel Biel *quæſt. 1. art. 3.* S. Thomas *in diſputatis quæſt. 16. art. 2.* Layman. *Theologia Moralis lib. 1. tract. 1. cap. 1. num. 2.* & multi alii.

Quod objectum habeat?

An errare poſſit?

An Cain fuerit in paradiſo?

Sed producis S. Hieronymi in Ezechielis cap. 1. verba, quæ Synderesin vocat *ſcintillam conſcientiæ, quæ in Cain quoque pectore, poſtquam ejectus eſt de paradiſo, non extinguitur.* An Cain aliquando in paradiſo

diſo fuit, ut ejici potuerit inde? Non ſanè. Extra paradiſum natus fuit, nec eum ingreſſus, ſed hic D. Hieronymus debet metaphoricè exponi, ita ut Paradiſi nomine gratiæ ſtatu intelligat, à quo peccando debuit ejici. Sed cur ſynderesin appellat Conſcientiæ ſcintillam? quia eſt prima lux, quæ ex mente excutitur, & *lumen morale* (ſicut notitia Principiorum in Phyſicis, *lumen naturale*) vocatur.

Paradiſus, quid ſit;

Conſcientia ſcintilla.
Lumen morale.

Objectum moralis Theologia.

Tota moralis Philoſophia remotè, & tota moralis Theologia proximè occupatur in examinanda Minore; hoc eſt, in inquirendo diſtinguendoque præcepta prohibitioneſque; & eſt ipſemet intellectus prout Decalogum ſpeculatur. De intellectu ſic conſiderato agebat Baſilius homil. 12. ad populum; dicens circa medium, *Apud nos ipſos judicium quoddam naturale habemus, per quod ab iniquis bona facilè diſcernimus.*

An lex Dei humanis cordibus ſit inſcripta?

Supponebat igitur Sanctus Pater eſſe in nobis concreatas Divinorum mandatorum notitias, ut in Theolog. Intent. *num.* 1059. probavimus.

Et tandem ipſemet intellectus prout concluſionem infert, appellatur Conſcientia; quæ ſolet *Judicium* appellari à Theologis, non quod ſit ſimplex aut qualecumque judicium, ſed judicium à ſynderesi & Theologia morali prædeterminatum ſeu illatum. Layman. in Theologiæ ſuæ moralis principio cap. 1. num. 2. hoc rem optimo exemplo confirmat. *Verbi gratia* ait, *Omne malum peccati* (hoc eſt, *Omne quod interdicit Deus*, non enim alia peccata dantur) *eſt deteſtandum; Perjurium eſt malum peccati, quippe à Deo prohibitum: Ergo etiam illud perjurium quod heri feci, malum peccati eſt, & ſupplicio dignum; vel perjurium hoc de quo nunc delibero, malum peccati eſt ac deteſtandum;* & S. Thomam *diſputatis, qu. 79. art. 13.* S. Antoninum *p. 1. t. 3. c. 9. & 10.* Gabrielem Bielem, pro ſe adlegat, ſed quia Conſcientiã ita definiit, ut vi definitionis neſciatur, id quod vi expoſitionis additæ clarè dignoſcitur; nimirùm, Conſcientiam eſſe Conſequentiam ſyllogiſmi moralis, verbulo alterato clariùs meliuſque ejuſdem definitionem exſcribo. Sic inquam, *Conſcientia eſt actus intellectus practici ex judiciis habitis inferentis, & ſincerè reſolventis aliquid hîc & nunc agendum eſſe, (vel tunc fuiſſe ſeu fore) tamquam à Deo præceptum, aut conſultum; aut aliquid nunc (vel tunc) fugiendum tanquam inhibitum à Deo.* Aut certè ſic. *Conſcientia eſt judicium rationis practicæ circa particularia per ratiocinationem deductum ex principiis univerſalibus, quorum aſſumptum dat Synderesis, ſubſumptum Theologia Moralis.*

Conſcientia, quid?
Judiciũ quid, & c.

Deſtenſus moralis.

Quid tandem ſit conſciẽtia, &

SECTIO III.

De modo argumentandi in Iure Canonico.

Theologiæ Morali ſubalternatur Ius Canonicum, quod eſt Corpus leges Pontificias complectens, in quo ſic à primis fundamentis diſcurritur.

Quid illud ſit

***	Synderesis.	*Omne, quod Deus jubet, tenemur facere.* Demonſtratur.
***	Theologia.	*Atqui Deus in Decalogi quarto præcepto jubet, ut obediamus Parentibus realibus, & moralibus.* Eſt de Fide.
Syndrreſis.	Conſciẽtia.	*Ergo illis obedire debemus.* Eſt illata legitimè.
Theologia.	***	*Atqui Pontifex eſt Pater moralis univerſorũ Chriſtianorum.* Eſt de Fide.
Conſciẽtia.	Synderesis.	*Ergo omnes Chriſtiani obedire debemus.* Bene infertur.
***	Certit. moral.	*Atqui ego ſum Chriſtianus.* Eſt certa moraliter.
Synderesis.	Conſcientia.	*Ergo illi obedire teneor.* Et hęc omnia ſupponit Ius Canonicum.
Ius Canonicũ.	***	*At Pontifex miſſam audiri diebus feſtis præcipit.* Eſt certa.
Cõſciẽtia.	Synderesis.	*Illam igitur audire debeo.* Oritur ex præcedentibꝰ.
***	Factũ.	*Sed illam die feſta non audivi.* Pendet à facto.
***	Conſciẽtia.	*Ergo peccavi.* Et eſt practica Concluſionum Concluſio.

Majorem illam primam & univerſaliſſimam, primi ſyllogiſmi dedit abſoluta ſynderesis. minorem Moralis Theologia, conſequentiam Conſcientia. Et in ſequenti ſyllogiſmo ſicut conſequentia virtualiter ponitur loco majoris, ſic illa Conſcientia ſubit vices ſyndereſeos, ut conſcientiam magis determinatam inferat. Secundam minorem, nimirùm Pontificem eſſe moralem omnium baptizatorum patrem, dat fides Divina, & iterum Conſcientia infert univerſalem obligationem obediendi. Fides humana & poſſeſſio me eſſe baptizatũ ſubſumit, & Conſcientia infert me debere obedire Pontifici. Quibus poſitis ut fundamentis, de quibus in Tribunalibus Eccleſiaſticis diſputare non juvat, ingreditur Ius Canonicum, & ſubſumit. A Pontifice eſſe carnes talibus diebus inhibitas, Miſſæ auditionem talibus diebus indictã, communionem tali tempore juſſam: & infert

An conſequentia agat vices aliquando ſynderesis?

Pontifex omnium Pater.

Quænam Ius Canonicũ ſupponat: & quid indicat?

fert

Concluſionum concluſio.

ſcit Conſcientia me in iis obedire debere: vel aliàs omninò peccaturum, contra Deum, qui juſſit obedire Præpoſitis; contra Pontificem, qui legem tulit authoritate divinitùs ſibi conceſſa; adeoque pœnæ ab utroque infligendæ fore obnoxium, ni fortè impoſſibilitate, licentia, aut alia circumſtantia à lege eximar & excuſer.

SECTIO IV.

De modo argumentandi in Iure Sæcalari.

Analogia doctrina.

Sicut Epiſcopus in Eccleſiaſticis eſt Rex: hoc eſt, Regens. Sic ſimiliter Rex in ſæcularibus & politicis eſt Epiſcopus, hoc eſt ſuperintendens.

De poteſtate indirecta.

Principia chriſtiana Politica.

EOdem omninò modo de Cæſareo, ac Pontificio Iure philoſophandum eſt; nam ſicut in Eccleſia Epiſcopus Romanus eſt Eccleſiaſticus Rex, ſic Philippus IV. in Hiſpania eſt quidam ſœcularis Epiſcopus; unuſquiſque in ſuo genere; quoniam ille non poteſt directè attingere res ſœculares, & hic non poteſt attingere directè Eccleſiaſticas; ſed uterque poteſt in alienam meſſem manum immittere eo caſu, quo homo privatus in alienã vitam; nimirùm, cùm invaditur, & adhibito moderamine inculpatæ tutelæ aliter procedere non poteſt; ſemper hoc poſito *Potiùs rempublicam perdendam eſſe Regi, quàm Deo. Potiùs permittendam unum, aut alterum hominem privatum Deo perire, quã Rempublicam totam. Potiùs totam ad tempus, quàm perpetuò.* Sæpè enim ſunt tam ſtringentes miſeriæ, ut Reges omnes hæreſes, aut omnia vitia abolere non poſſint ſine majori morum damno, adeoque tunc, *ne graviora eveniant, poſſunt minus mala permittere.* Sed hoc ipſum indiget maturo judicio & examine.

Quando poſſint minùs mala permitti?

Quo ſenſu Conſtantinus ſe vocarit Epiſcopũ?

Sanè Epiſcopos eſſe Eccleſiaſticos Reges; & Reges reſpectu ſuorum ſubditorum, & in materia ſibi proportionata eſſe Sæculares Epiſcopos, bene noverat Conſtantinus referente in ejus vitæ libro 4. cap. 24. Euſebio. Solebat enim Pius Imperator Præſulibus Eccleſiæ dicere, *Vos intra Eccleſiã Epiſcopi* (ſublimiùs reſpicientes) *& ego extra Eccleſiam* (res Eccleſiaſticas,) *Epiſcopus* (ſublimiùs reſpiciens) *ſum conſtitutus à Deo.* Quæ verba videtur ægrè tuliſſe Hoſius apud Athanaſium in epiſt. in qua ſic Imperatorem Conſtantinũ compellat. *Deſine*, inquit, *quaſo, & memineris te mortalem eſſe; reformida diem judicii; ſerva te in illum diem purum; nec te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere pracipe, ſed potiùs ea à nobis diſce.* Iuniores illa benignè interpretantur, & inter ipſos Petrus Ribadeneira *in ſuo Chriſtiano Principe lib. 1. cap. 19.* latinè loquens (Hiſpanè enim ſcripſerat) induſtria Ioannis Orani. *His verbis prudens admodum Imperator ſignificabat, & ſi Rex nec re ſit, nec nomine Epiſcopus, neq; alios ſacrare poſſit, vel in definiendis diſponendiſque rebus Eccleſiaſticis Iudicis legitimique Superioris partes adſumere; cum tamen (quantum fas eſt) ſic Epiſcopi quaſi perſonam gerere, ut ſacrorum Præſulibus faveat, animos addat, perfici jubeat, quod illi ſanciverint, præſidio externo, atque ope eorum authoritatem muniat, contumaces illis repugnantes ſuppliciis comprimat, eaque omnia præſtet, per quæ Sanctiſſima Chriſti Eccleſia pacis otiique tranquillitate perfruatur.* Quæ omnia, tametſi vera, non videntur exhaurire, fortè nec tangere acumen Cæſaris humaniſſimi. Vt rem fatear; nec juſtè Hoſius in Imperatorem invehitur, nec benè illum Ribadeneira excuſat. Aliunde igitur Ego illa verba conſidero, & ſic expono. Hæc poſitio, inquam, *Rex eſt in rebus ſæcularibus Epiſcopus*, infert hanc, *Epiſcopus eſt in rebus Eccleſiaſticis Rex*; utraque ſimul docet Epiſcopo Regique dari univocum, aut analogum ſaltem Superioris conceptum & contrahi ad diverſas ſeries ratione diverſæ materiæ; quantũ enim Epiſcopus poteſt facere in rebus eccleſiaſticis eccleſiaſticè, tantum Rex in ſœcularibus ſœculariter. Vnde patet Iuris Canonici & Civilis analogia nata ab analogâ hominum dignitate. Diſcurſum Canonici Iuris præpoſui, alterum ipſi parallelum adjungo, & Civilis Iuris fundamenta profundiſſima expono. Sic diſcurro.

Reprehenditur ab Hoſio.

Defenditur à Ribadeneira.

Neuter videtur mentem Imperatoris adſequutus.

Authoritatis Regiæ & Epiſcopalis collatio.

Legum & Canonum analogia.

Diſcurſus Politicus.

I. *Omne, quod jubet Deus tenemur facere; atqui Deus in quarto Præcepto Decalogi jubet, ut obediamus Parentibus (phyſicis, moralibus.) Ergo illis tenemur obedire.* II. *At Philippus IV: in ſæcularibus eſt pater moralis Hiſpaniæ: Ergo omnes illi Hiſpani obedire tenentur.* III. *Atquì Petrus Hiſpanus eſt: Ergo obedire tenetur Regi Hiſpaniæ.* Nondum Ius Civile ſeu Regium in his conſequentiis relucet. Major enim dictatur à Synderesi; prima minor à Theologiâ morali; ſecunda & tertia minor à morali certitudine, omnium voce, & poſſeſſione pacificâ; & conſequentias infert ſolicita & veritatis indagandæ ſtudioſa Conſcientia. Subſequitur Ius Regium & ſubſumit. IV. *Sed Philippus IV. ne quis equum extrahat ex Hiſpaniâ ſub capitis pœna præcepit; Equum igitur Petrus extrahere non poteſt.* V. *At extraxit, Igitur capitis reus eſt.* Hic ultimus diſcurſus totus præcedentibus ineſt, & quæſtionem Iuris in prima habet minori, & quæſtionem facti in ſecunda.

Quænam Ius Civile ſupponit, quænam verò præcipiat?

Concluſionum Concluſio.

Reſpublica eſt quidam homo myſticus.

Hinc oritur ſyllogiſmus Iuridicus. *Omnis, qui equum extrahit ex Hiſpania, reus*

eſt:

An habeat ſynderesim & Conſcientiam?

eſt mortis; Petrus extraxit: Ergo Petrus mortis reus eſt. Major pendet à Iure, minor à facto; & conſequentia infertur à Iudiee. Ergo in Republicâ, Iura & Leges, gerunt vices. Factum à proceſſu juxta allegata & probata deſumitur, & Iudex eſt quædam Conſcientia Civilis, quę quid hîc & nunc ſit faciendum indîcit.

SECTIO V.

De modo argumentandi in Iure Regulari.

Legum, Canonum & Regularum analogia.

AN ponam calamum, & ad alia me conferam, antequam Regularibus proſim, inter quos vivo? Non quidem: ſed aliquid dicturus ſum de converſatione Religioſâ. Ponamus igitur unum diſcurſum regularem.

Diſcurſus Regularis.

I. *Omne, quod jubet Deus tenemur facere; Atqui Deus in ſecundo Decalogi Præcepto, indîcit homini, ut ſatisfaciat votis ſuis, quæ diſtinxerunt labia ſua: Illis igitur tenemur ſatisfacere.* II. *Atqui obedire Prælato ſecundum Regulam Benedictinam promiſimus: Igitur ſic præcipienti obedire tenemur.* III. *At Petrus eſt Monachus, Ambroſius Abbas; hic illi ut eat ad matutinas præcipit, & hoc ſecundum Regulam; ergo tenetur obedire.* IV. *Sed non obedit: Ergo peccat in Deum, cui promiſit ſe obediturum homini; peccat in hominem, cui negat obedientiam promiſſam.*

Examinatur.

Prima major conſtat ex ſynderesi, prima minor ex Theologiâ morali. Secunda minor conſtat ex profeſſionis formula, non enim Ciſtereienſes obedientiam ipſi Regulæ, quod faciunt Franeiſcani, promittunt, ſed Prælato ſecundum Regulam. [Vide Commentarium meum in Regulam Benedictinam num. 511. & 695. & elimatum ad eamdem Regulam Scholion num. 339.] Tertia minor involvit Ius Regulare, quod certiſſimè cognoſci poteſt. Et tandem quarta tota in facto conſiſtit. Et privatim conſequentias omnes Conſcientia, quæ eſt quidam Iudex privatus; & in foro externo Iudex, qui eſt cõſciẽtia Regularis Reipublicæ, deducere ſecuriſſimè poteſt.

Qualem Benedictini obedientiam, & quale Franciſcani promittant?

Nota bene.

Eodem etiam omninò modo de Iure privato, Paterno, Herili, & ſimilibus philoſophator.

Objectio.

An prima morum regula dictamen ſit?

DIſplieeo tibi, ut video; Sie diſcurrebam, *Omnis homo tenetur obedire Deo; atqui ille præcipit hoc, prohibet illud; ergo omnis homo tenetur hoc facere, illud omittere.* Tu vero hunc diſcurſum condemnas, & iſtum loco ejuſdem reponis, nimirùm, *Omnis homo tenetur operari ſecundum dictamen rationis; at ratio dictat hoc faciendum, illud omittendum; ergo hoc debet fieri, illud omitti.*

Reſolutio.

Subrideo, & peto, An verè ratio dictet fornicationem omittendam? reſpondes aſſertivè; Et ſuppeto, Cur illud ipſa dictet? Hærebis, torquebis, nec reperies rationem aliam, quàm *Divinum Præceptum*: ratio enim hodie ſimpliceem fornieationem omittendam, etiam in morbo, qui illam loco medicinæ potentiſſimæ exigeret, dictat, quia illam inhibuit Deus; ſi non eſſet cœlitùs interdicta, in eaſu, quo ipſa ad vitam eonſervandam judiearetur neceſſaria, non fore omittendam dictaret. Vel ad Oſeam converto oculos, & ſie inquam. Frat bene inſtitutus, & bene intelligebat Decalogum. Illi igitur dictabat ratio non eſſe ingrediendum ad fornicariã, nec faciendum filios fornieationis: hoc enim ſexta Decalogi lex interdicit. Ergo ſic diſcurrebat.

Cur ratio dictet fornicationem v. gr. fugiendam?

Oſeæ 1.

Synderesis.	*Obediendum eſt Deo.*
Fides	*Deus fornicationem interdicit.*
Conſcientia.	*Ergo non eſt fornicandum.*

Idem Rationis lumen, quod dictabat Oſeæ non eſſe fornicandum, poſteà superveniente Divino præcepto dictavit eſſe fornicandum.

Diſpenſat Deus cum illo in ſexto Decalogi præcepto eontrariè, jubet, ut fornicetur. Illi dicit, *Ingredere ad fornicariam & fac tibi filios fornicationis*; & poſteà eadem Ratio oppoſitum dictat, & ait.

Synderesis.	*Obediendum eſt Deo.*
Fides.	*Deus hic & nunc fornicationem præcipit.*
Conſcientia.	*Ergo hic & nunc eſt fornicandum.*

An Oſeas fornicariam duxerit in uxorem?

Nec juvat Sacræ Paginæ verba obtorquere; hunc enim loeum intelligi debere, ut jacet, & inter fornicariam Oſeamque nullum matrimonium interceſſiſſe, noſtra Theologia Intentionalis *num.* 1232. evidenter oſtendit.

Quantam claritatem & ſcientiam habuerit homo integer?

Fortè ratio hominis integri minoris claritatis fuit, quàm à multis putatur: talis enim ſtatui illi debetur, ut homo maneat peccabilis; nam multi recentiores talem Adamo ſcientiam, & evidentiam concedunt, ut ſicut beatis, ſic etiam homini integro videantur auferre poteſtatem peccandi. Sed quidquid ſit de rationis integrę claritate, hodiè omnes ſumus mẽte capti, & ille dicitur acutior, qui minùs obtuſus videtur. Multa ignoramus, pauca ſcimus, & ſi deſerti à Deo lumen naturæ unius ſequamur, ſub luce maligna dubitantes nullum locum, in quo pedem ſecurè figere poſſimus, reperiemus. Convertamus ad Romanos oeulos nempè ad viros doctiſſimos, cultiſſimos, & politiſſimos. Et tamen quid ipſis lumen naturale dictaverit, videamus.

Quantam habeamus nos?

Romanorum errores.

Pri-

Circa cultum divinum.

Primò habuerunt loco ſummæ religionis omnem Divinitatem colere, adeoque cujuſcumque nationis, tametſi barbaræ, Deos ſunt venerati, nullum volentes habere inimicum, aut offenſum.

Circa juramenta.

Secundò, *Si pejerare licet, cauſa regnandi licet*, dicebant; quibus verbis clariſſimè innuebant majoris eſſe faciendam juriſdictionem veracitate etiam juramento firmata.

Circa faſtorum obſervantiam.

Tertiò, Dierum diſtinctio tametſi eiſdem cognita, non videbatur obligare moraliter, ſed pœnaliter.

Circa honorem Parentum.

Quartò, In honore Parentum exceſſerunt, credentes illos in filios vitæ & mortis habere poteſtatem; & ut puto non laudarent dicentem, *Qui reliquerit Patrem, Matrē, Filios, Vxores, divitias, agroſque propter nomen Domini, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit.*

Circa vitæ dominium.

Quintò, Laudaverunt Suicidia, putantes eſſe actum generoſæ virtutis ſibi mortem conſciſcere; & hoc dogmate tam conſtanti, ut multi Authores noſtri Suicidium in Lucretiâ, Catone aliiſque à mortali peccato ob ignorantiam inſuperabilem excuſent.

Circa fornicationem & adulteria.

Sextò quis perſuaderet ſimplicem fornicationem eſſe contra rationem, hominibus exiſtimantibus adulteria ſecundum rationem committi. Andreas Geſnerus anno 1559. edidit Tiguri Romanorum Imperatorum effigies, & deſcriptiones, quas ex theſauro Iacobi Stradæ adſumpſit, & in Auguſto ſic. *Summa fuit in eo clementia, ſumma moderatio, civilitas, patientia, parſimonia in victu, ſuppellectile, & veſtimentis: ſumma continentia, niſi quod in adoleſcentia, aliqua, non tamen libidine, ſed ratione commiſit adulteria.* An-non etiam cuidam Imperatori dicenti, *Si liceret, liberet*; reſpondit fœmina, *Memento te Imperatorem eſſe, nec debere leges accipere, ſed dare?* An-non multa alia reperiuntur exempla, quæ convincunt, Romanos omnem luxuriem licitam judicaſſe; non enim, illam ipſis Diis adtribuerent, ſi contra rationem putarent.

Qualis fuerit Auguſtus?

An adulteria ratio ſuadeat?

Circa furta & rapinas.

Septimò, præter Romanos multi populi laudarunt furta, ſi commiſſa ingegnioſè; & ipſi-met Romani, cùm ſpoliabant totū Orbem, quid aliud faciebant, quàm furari? Sanè apud ipſos, ille creditus laudabilior, qui ditior Romam revertebatur.

Circa veracitatem.

Octavò, in Papiri prætexta video mendacium honoratum: ſed quia vidimus ab iis perjuria admitti, non eſt cur mendacia commendari miremur.

Circa concupiſcentiam.

Nonò & Decimò, Concupiſcentiæ crimina occulta, non urgebo; certum eſt enim non condemnari occultos voluntatis conſenſus, nec ſcandali circumſtantiam bene cognitam fuiſse ab hominibus, qui laudarunt ipſamet externa peccata.

Quid dictet ratio læſa?

Maneat igitur, rationem præcipuè lapſam læſamque, dictare in nobis, vitandam fornicationem eſſe, non quod illam eſsentialiter malam putet, ſed quod ſciat obediendum Deo eſſe, & illam diviniùs interdictam Numine revelante didicerit. Si enim hoc ignoraret, eadem nobis omninò dictaret, quæ Romanis.

SECTIO VI.

De Diſcurſu Morali.

Quid ille ſit?

STando noſtro modo definiendi Moralia, ſeu Virtualia dico, *Diſcurſum Moralem eſſe qui reverâ non eſt diſcurſus ſcholaſticus, ita tamen ſe habet, ac ſi diſcurſus ſcholaſticus eſſet.* Et quia poteſt ab ſcholaſtici Diſcurſus perfectione deficere ratione materiæ & ratione formæ, ideò Morales diſcurſus in duas dividam claſſes.

Quotuplex ſit?

An mens conformet Enthymemata?

Primò, Enthymema (quidquid de mente ſit: fortè enim mens Enthymemata formare nequit) ſi ſtemus linguæ & calamo, perfectus ſyllogiſmus non eſt, & nihilominùs ita ſe habet, ac ſi verus & integer eſſet. Ergo Enthymema eſt ſyllogiſmus realiter imperfectus, & incompletus; at perfectus & completus moraliter.

An Enthymema ſit integer ſyllogiſmus?

Solet in Enthymemate ſubintelligi unica propoſitio; unde ſi conſequentia negaretur, non aliter eſſet probanda, quàm adjectione propoſitionis omiſſæ. Nam ſi dixeris;

Modeſtia eſt virtus:
Ergo Modeſtia eſt laudabilis:

aut etiam, ſi malueris;

Omnis virtus eſt laudabilis;
Ergo & Modeſtia.

Quomodo ejuſdem conſequentia probetur?

& neget conſequentiam Reſpondens; nullo alio meliore modo illam probare poteris, quàm integrum ſyllogiſmum formando & dicendo.

Modeſtia eſt virtus;
At omnis virtus eſt laudabilis;
Ergo Modeſtia eſt laudabilis.

Qui ſyllogiſmus eſt in *Dimagni*, aut ſi præmiſſæ commutentur, in *Darii*.

Enthymemata realiter diſtincta, coincidunt ſi ſumantur virtualiter.

Ecce dedimus duo Enthymemata, quæ cum perficiuntur, coincidunt, in quibus conſideranda eſt realitas & virtualitas; hæc enim Enthymemata conſiderata ſecundum realitatem, quam habent, diſtinguuntur; at conſiderata ſecundum virtualitatem quam habent, non ſunt duo ſed unicus tantùm ſyllogiſmus. [Hic rapior, ut vel umbram Divinitatis reperiam, quā

alibi

Digreſſio Theologica.

alibi expoſiturus ſum. Perfectiones creatæ ſunt quædam Enthymemata, & imperfectæ realitates inter ſe diſtinctæ, & diſtinctæ à Deo; at quando arte ſupereſſentiali illa, quam D. Dionyſius nos docuit, imperfectionibus ſuis denudantur, & prærogativis, quibus carebant, veſtiuntur, & conſiderantur in Deo, coincidunt; ibi enim nec Angelus diſtinguitur ab Homine, nec Corpus ab Animo, nec Mortuus à Vivo; quoniam in Deo omnia ſunt Deus, omnia ſunt vita; unde Ioannes in ipſo hiſtoriæ Evangelicæ initio, *Omnia per ipſum* (Deũ) *facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet; ſed tenebræ eam non comprehenderunt*. Sed de hoc alibi uberiùs diſputabimus.]

Enthymematum conſideratio nos ad Dei perfectionem ſuſpiciendam & adorandam manuducit.

Omnia quæ in Deo, ſunt Deus.

An ſyllogiſmus integer conſtare unica propoſitione poſſit?

Vidiſti unum ſyllogiſmũ in binis propoſitionibus moraliter inexiſtentem: dabo aliũ, qui totus in una claudatur; ut videas unam & eamdem orationem eſſe realiter propoſitionem, & integrum ſyllogiſmum virtualiter. Illam reperio apud Matthæum *cap. 11. a. 2.* ubi refertur hæc hiſtoria. [Clarebat miraculis Chriſtus, totaque Palæſtina admirabunda, diffuſa in laudes ejus potentiam prædicabat. Fama ſe inſinuavit in carceres, in quibus Ioannes detinebatur. Baptiſta igitur, ut ſui potiùs Diſcipuli in notitiam veritatis veniret, quàm ut ipſe cognoſceret, quem in Iordane Patris æterni conſubſtantialem eſſe filium didicerat, duos legavit ad Chriſtum; qui inquirerent, An eſſet Filius Dei olim mundo promiſſus, an venturi præcurſor, aut aliquis alius Propheta? Veniunt ad Chriſtum illi; & non jam per ambages, ut Principum Legati hodie faciunt, ſed uno verbo rem expediunt, & ſuam inſtructionem ſequuti, ajunt, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Et quid eis Chriſtus? *Sum? Non ſum?* Se eſſe non ſolùm dixit, ſed evidentiſſimè probavit; videlicet hoc ſyllogiſmo. *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.* An-ne iſte ſyllogiſmus eſt? An-nè hæc verba legationi reſpondent? Non rogabant Legati, An miracula fierent? Imò quia illa fieri audiverant, veniebant ut rem ſummam ulteriùs indagarent. Sed fallor. Legatis non ſolùm reſponſum, ſed etiam ſatisfactum fuit; non enim repoſuerunt vel verbum. Multa didicerunt à Chriſto: ſicut enim Chriſtus, eſt unicum Verbum, quo Pater æternus omnia, quæ ſcivit, dixit: ſic etiam ipſe Chriſtus multa paucis verbis complectitur: ſæpe enim unâ voculâ propoſitionem integram; ſæpe una propoſitione integrum ſyllogiſmum. Quem apud Ioannis Diſcipulos urget, ut ſuam divinitatem oſtendat, videamus.]

Solebat S. Ioannes Baptiſta Chriſtum eſſe Redemptorem Mundi promiſſum.

Legatio Diſcipulorum Ioannis Baptiſtæ ad Chriſtum.

Poteſſima Chriſti reſponſio.

Omnia dixit Pater æternus uno verbo.

Pauciſſimis Chriſtus plurima & grandia.

Syllogiſmus qui unica illa propoſitione claudebatur.

Qui cæcis lumen, claudis pedes, mancis manus, ægrotis valetudinem, & mortuis vitam dederit, ille eſt Meſſias, qui mundum redempturus eſt.

At Ego hæc omnia impertior: Quod ipſum, ſi dudum audieratis jam videtis.

Ego igitur Meſſias, & mundum redempturus ſum.

Hic eſt ille ſyllogiſmus, qui Divinitatem, & Potentiam Ieſu Chriſti demonſtrat; qui totus in minori, quam Chriſtus protulit, continebatur virtualiter.] Et quia præter Morales ſeu Virtuales Diſcurſus, qui materialiter ab Scholaſtico rigore deficiunt, reperiuntur nonnulli qui deficiant formaliter, in ipſomet modo colligendi, & inefficacia illationis, Articulo ſequenti formas & modos adſignabimus, quibus Moralia Ratiocinia formentur. Interim præcedent nonnulla, quibus aut aperiatur via, aut frangatur glacies, & impedimenta tollantur. Præmittam faciliora nonnulla. Et primò modum arguendi in materia morali: privata, publica, Canonica, Civili, Politica; & tandem examinabo aliquas morales conſequentias, quæ fuerunt à doctiſſimis Viris illatæ.

De Moralium ſyllogiſmorum formis.

SECTIO VII.

De Diſcurſu Politico:

Reſpublica & Cælo collata.

PRincipes Soles ſunt, Homines ſydera, conſtellationes urbes; Orbis Chriſtianus Cælum. Soli & Principi ſplendere, illuſtrare, fovere, communes ſunt prærogativæ; & Homines Aſtrorum inſtar, partim ſunt virtuti & honeſtati affixi, partim errant. Conſtellatio ex multis ſtellis coaleſcens, repræſentat rempublicam ex humanis ſtellis compoſitam; unde & Chriſtiana Cœlo ſimilis, quod multas conſtellationes habeat; adeoque cum hodie egerim de Aſtrologia Cœleſti (abſolvi Aſtronomicum opus, eadem omninò die qua hæc ſcripſi) congruum erit, ut ediſſeram Aſtrologiam humanam. Agam de artificioſo ſyderum rationalium motu, & politicas rationalium Erronum theoricas breviter explicabo.

Princeps eſt ſol.

Subditi ſtellæ.

Reſpublica eſt conſtellatio.

Quid ſit Politica?

Politicam igitur ſecundum abſtractiſſimum conceptum ſuum definio *Paſſiones & perturbationes humanas mortificandi Scientiam*; & ſtatuo non priùs hominem futurum bonum Politicum, quàm optimè mortificatum. Politici enim eſt, carere ſenſibus virtualiter, carere voluntate, imò & mente virtualiter nam & apertis oculis debet nonnunquam non videre

Quæ facere debet Politicus?

quæ

quæ maximè videt; non audiſe, quæ auſcultat; non ſentire, quæ luget: carere etiam debet proprio libertatis arbitrio, vivere alienis regulis; & multa ita intelligere, ut ignorare videatur. *Scire tuum nihil eſt, niſi ſcire tuum ſciat alter*, dicebatur olim Scholaſtico, at jam Politico, *Si ſciat hoc alter, ſcire tuum nihil eſt*.

Scholaſtici Politicique differentia.

Exiſtimo Politicam in Totalem & Partialem dividi; quarum priorem eſſe ſcientiam, & poſteriorem opinionem aut potiùs umbram opinionis exiſtimo; at utrāque practicam; neutram huc uſque bona methodo traditam, & debere altiùs examinari & diſcuti. Finis utriuſque Politicæ beatitudo, ſed non eadem eſt, unam aliam omninò ſibi proponit adſequendā qui ſe totum, aliam qui tantùm mortificat ſui partem.

Politica duplex: totalis & partialis.

Finis utriuſque Politicæ.

De Politicâ Imperfectâ & Inadæquatâ.

Quid illa ſit?

Homo lapſus paſſiones multas habet, imò & perturbationes in iraſcibili, & concupiſcibili animi parte, quas dum vivit eradicare nequit, ſubigere & remittere poteſt. Politicus imperfectus, ſub ſpecie bonitatis illuſus, beatitudinē ſuam in una paſſione conſtituit, & ſe eo beatiorem putat quo illi liberiùs poteſt cedere; & in hunc ipſe finem omnes alias mortificat, ut illis carere videatur.

Homo, dum vivit, paſſionibus carere non poteſt.

Avarus finem.

Pono ob oculos avarum, ſi Politicus ſit, ut opes congreget, Divitum aulas frequentabit, & omnibus à quibus quidpiam ſperat, omnia factus, ſoli avaritiæ intentus, ingruentes procellas reipublicæ non curat. Si concivium miſeriæ ipſi utiles, etiam gratæ. Conſtanti animo patitur, unde lucretur. A prodigo nihil non tolerat, ſub ſpe participii; & mavult ejuſdem voluntate regi, quàm propria, modò ipſi adulans, gratiam poſſit, & ob eam extorquere honoraria.

Ambitioſus juvenis.

Pono etiam ambitioſum juvenem ante diem ad promotiones eximias anhelantē. Hanc ipſe generoſam paſſionem aliarum mortificatione irritat & intendit; & duce dictamine politico, multa tolerat, ut inimicum nullum habeat; ſera enim experientia didicimus, plus poſſe malè pexis mendaciis unum Zoïlum inficere, quàm benè propoſitis rationibus multi poterūt facere Principes, perficere multi Magnates. Ut propriis ipſe oculis viderit illum ſibi molientem inſidias; ut alterius audiverit verba aſperitate exuberātia, ut grandes conſequentias intulerit, & occaſiones provocandi; ſe nihil vidiſſe & audiviſſe ſimulat; & ſe illa omnia, quæ maximè intelligit, ignorare diſsimulans, ſinceri, prudentis, & morigerati opinionem adquirit, & quod ante ætatem dignus quacumque promotione cenſeatur.

Hypocrita.

Pono hypocritam, etiam honoris ambitioſum, ſed alterius, & aliter. Sanctus ipſe cenſeri vult humanitùs, non autem eſſe; & iſtam inordinatam plauſus concupiſcentiam fovet, auget, intendit, ſumma mortificatione paſsionum reliquarum. In eum pecco? diſsimular; offendo? lingua ignoſcit injuriam, quam retinet alta mente repoſitam. Famem, ſitim & alias incommoditates tolerat, ut mortificatus videatur; & ubi poteſt non videri, genio indulget. O quàm multos Ego Politicos Hypocritas, artificio ſuas miſerias celantes, & populum decipientes vidi! ſed tandem lapſos miſerè; non enim apud Solem calidum perſtare potuit Icarus alis cereis & fragilibus præditus; nec apud vulgus callidum hypocrita virtutum ementitarū alis.

Explicatur Iacobus.

Aliam hujus loci expoſitionē diſp. 20. art. 4. reperies.

Contra hos imperfectè Politicos ſcripſit Apoſtolus Iacobus illa verba, *Qui in uno delinquit, factus eſt omnium reus*. Qui enim in uno ſibi vitio beatitatem proponit, & omnes illuc virtutes conducit, ut in illo ſecuriùs permittatur ſordeſcere, ita in uno delinquit genere, ut omnes virtutes eo referendo maculet, & fiat univerſarum reus.

De Perfectâ & Adæquatâ Politicâ.

Quid illa ſit?

Ille perfectè Politicus, qui ſe totum mortificans, ſibi toti dominatur. Ille, qui non exercet in vitia tyrannidem, ut uni vitio ſoli ſerviat; ſed univerſis indîcit bellum vitiis, ne ſerviat ulli. Hic clarioribus notitiis præditus, beatitudinem cœleſtem conſtituit in gloria, & terreſtrem in virtute & cordis tranquillitate. Carere tentationibus & turbationibus non poteſt; & cùm ſenſibilis ſit, debet eas perſentiſcere; imò & turbari; curat tamen, ne ita ſentiat, ut conſentiat, ne ita turbetur, ut etiam perturbetur. Intellectualis eſt, & debet ita omnia, quibus aut frangi poteſt, aut percelli, intelligere, ut ſit virtualiter ſtultus aut amens; hoc eſt, ita ſe habere debet, ac ſi careret oculis, quibus æmuli inſidias videret; auribus, quibus injurias explodentem audiret; mente, quâ intelligeret, quæ ſibi nocerent; lingua, qua ſe defenderet, & pejora exprobraret.

Senſus à conſenſu, & turbatio à perturbatione diſtinguitur.

Stultus propter regnum cœlorum.

Optimus Politicus Paulus.

Pono ob oculos Paulum Apoſtolum, adæquatè, & perfectè Politicum, ſolius virtutis ſtudio, vitiorum omnium domitorem, omnibus omnia factum gaudentem cum gaudentibus, flentem cum flentibus,

Quanta fuerit perpeſſus?

tibus, & omni ſe nationi & homini accõmodantem. Scivit tolerare laborem, ſamem, ſitim, ne homini diſpliceret; inſidias à ſratribus perpeſſus, diſſimulavit, aut quia putabat, ſi reſiſteret fore irritandos & graviùs peccaturos, aut quia hac illos via ſperabat lucrari ſibi & Deo. Et quia ubi opus erat, tam debilis viſus, ut & æmulis cederet; ubi opus viribus, habuit robuſtas & toroſas. A Petro Summo Eccleſiæ Pontifice poterat multa ſperare, multa timere, ſi hominem imperſectum ageret; ſed quoniam Politicus perfectus erat, amorem illum & affectum, qui ſe in errorem induceret, remiſit, mortificavit; ſubflagranti violentiam intulit, & reſtitit dilecto Petro in faciem, ubi reprehenſibilis, aut Paulo, aut ſaltem cæteris viſus fuit. Factus enim propter Deum omnia omnibus; non omnia quæ ſinguli volebant, ſed quæ ſibi expediebant, ut conſequeretur finem ſibi propoſitum.

An Petro reſtiterit jubente Petro examine in Hierarchia Eccleſiaſtica, quam vide.

Ratiocinium Avari.

In quonam avaritia conſiſtat?

AVaritia non ſolùm divitiarum conſervationem, ſed & adquiſitionem concernit; & homo cui finis ultimus conſervatio pecuniæ videtur diſcurrere ſic. *Omnia quæ conducunt ad conſervandam pecuniam quam habeo facienda ſunt.* Hoc præjudicium loco Majoris ſumit, nec vult habere aliam ſyndereſin. Hac generaliſſima Poſitione præmiſsâ, attentè ſuum negotium reſpicit & ſubſumit; *Atqui conſumuntur multa pecunia in famulatu, veſtibus, conviviis, hoſpitibus*; Et infert, *Ergo opus eſt ſtudere modeſtiæ, talem demum, & familiam inſtituere, ut nullum habeam famulum quo carere poſſim: propono ſimplici eaque modeſtiſſimâ veſte eſſe contentus; volo eſſe ſobrius, & nullum inſtituere convivium; placet mihi vita quieta, omni hoſpitum ſtrepitu carens. Nolo eſſe prodigus, nec ullas donationes facere. Iudico non poſſe ſine vana gloria periculo erogari eleemoſynas.* &c. Vbi vides, Modeſtiam, Humilitatem, Sobrietatem, & alias optimas virtutes malitia Avaritiæ, quæ ut finis proponitur, decolorari, & habendi ſplendorem deſiderium, dominandi appetitum, veſtium curioſarum ſtudium; gulam, luxum, vanam gloriam & alias plurimas paſſiones cohærentes politicè mortificari; ſed in hunc ſolum finem, ut pecunia poſſeſſa conſervetur. [Hæc de Avaritia, quæ pecunias conſervat: & de illa, quæ lucrum reſpicit, analoga ratione diſcurritur.]

Avari ſyndereſis, qua?

Subſumptum.

Concluſio.

Interdum Virtutes malitia finis maculantur.

Ratiocinium Laſcivi.

Quam ſynderesim laſcivus habeat?

QVI ſe permittit Veneri, hanc Majorem adſumit, *Frui Amarillide volo; adeòque omnia quæ ad illam vincendam, adquirendam, retinendam conducant, interponere.* Et ſubſumit, *Atqui libenter ipſa eloquentes auſcultat, ſpecioſè veſtites gratis oculis reſpicit, laudat liberales, & Eccleſiam frequentantes commendat. Habet Pediſequã pauperem & ſuperbam*; & infert, *Ergo mortificare me debeo; & tametſi literas odio habeam, curabo videri eruditus; incipiam rhetoricæ ſtudere, per iudus pectere, & grandi ore illius decórem celebrare; induam pretioſiſſimas veſtes, tametſi malem meas retinere pecunias, quàm furibus dare occaſionem lucrandi. Et licet contra meam inclinationẽ militet vel nummum dare, hæc ipſa inclinatio eſt vincenda; oportet enim ut ab illa judicer liberalis; oportet etiam ut devotus, & hanc ob rem Eccleſias frequentare, & ea omnia ibi facere, quæ alii omnes qui ſcrupuloſi aut devoti cenſentur. Ergo & Pediſequa erit circumvenienda. Quid faciam? Mercator naufragans amat divitias vitamque; ſed quia hanc intenſiùs, amori divitiarum vim infert, & merces committit oceano, ut vitæ ſecuritatem habeat. Et ego naufrago ſimilis, vellem meas retinere pecunias, & Amarillida vellem lucrari; ſed quia hoc intenſiùs mortificabo illud prius deſiderium; & corrumpam pauperem famulam pecunia, ut facilem ingreſſum habeam; quem ſi ipſa promittat, cum & ſuperba ſit, verbis non ſiare non valet.* Sed quo tendit tam multiplex mortificatio? Sanè omnes mortificantur paſſiones, ne una mortificetur. Laſcivus eſt. Amarillida, ut ultimum finem intendit; mavultq; omnes & ſingulas paſſiones, quàm hanc unicam mortificare.

Subſumit.

Infert.

Poteſt & ſolet homo liberè agere invitus & contra ſuam voluntatem.

Omnis actus humanus ſpeciẽ à fine deſumit

Pariformi errore diſcurrit Ambitioſus, Hypocrita, & quicumq; efficaciter malum aliquem finem intendit. Qui Politicus perfectus diſcurrat, audiamus.

Ratiocinium Politico-chriſtiani.

Quid ſibi proponat ut finem

MAjor practica & rerum faciendarũ regula, in ejus mente, non reſpicit conſervationem pecuniarum, non divitiarum lucrum, non carnis luxum, non dignitates, non commoditates; ſed ſolam divinæ legis obſervantiam; talis eſt enim Decalogus, ut à male politico, ſive quod idem eſt, à parum mortificato adimpleri non poſſit. Hæc eſt igitur, Politico-chriſtiani Aſſumptio, *Decalogus ſervandus eſt.* Hæc ſubſumptio. *Sed paſſiones, occaſiones,*

Quid adſumat? Quid ſubſumat?

&

Quid inferat ?

& multæ res humanæ impediunt. Hæc concluſio. *Ergo mortificandæ ſunt paſſiones, fugiendæ occaſiones quæ impediunt. Ergo mortificandus eſt viſus, auditus, guſtus, tactus, olfactus: experientia enim docet viſa adlicere, audita attrahere, guſtata inducere; demonſtrat tactum eſſe lubricum, nec ſemper caſtum odoratum. Mortificanda eſt memoria, ne recordetur rerum, quæ poſſint nocumentum inferre. Mortificanda eſt mens, ne nimium diſcurrat, ubi quæ ratiocinio haberi poſſunt, utilius ignorantur. Mortificanda eſt voluntas, ne ſe voluptati proſtituat. Fugienda ſunt occaſiones peccandi; vitandi amici qui genio indulgent, & virtutem non curant; auferenda illa omnia, quibus abutremur. Ergo ut remotius abſit, Legis Divinæ temeratio; adhuc amplius & amplius mortificandi ſenſus ſunt, negantis etiam rebus, quæ concedi illis poſſent ſine ſuſpicione peccati. Addenda cilicia, jejunia, diſciplinæ, ſilentia, & curandum, ut ita homo habeat ſenſus, ut non habere videatur*. Non addam literam, tamerſi multas poſſem; non enim hic Politicam ex profeſſo tradimus, ſed prælibamus illa, ſine quibus ſubſiſtere non poteſt.

De Antipoliticis.

Cognovi aliquem, qui lingua mordaciſſima armatus, nec Divis parceret, & eum in innocentem quemcumque obvium, virus omne evomuerat, ſibi ipſi applaudebat, & congratulabatur, quod non eſſet aliis Chriſtianis ſimilis, qui proximo adulabantur; ſe velle Sacerdotalem ſinceritatem obſervare, & ſemper quæ ſentiret dicere. Et bene, ſi bene ſentiret. Qui non vult caſtus eſſe, ſuadetur ut ſaltem cautus ſit, ne reliquos ſcandalizet; & qui malè ſentit & judicat, ut ſaltem taceat, ne ſua temeraria promulgando judicia, innocentem infamet & reliquos ſcandalizet. Sanè contra has peſtes Reipublicæ invenitur remedium; nimirum, ſi ad probationem, aut ad retractationem cogantur; prudentiùs enim fures, imò homicidæ poſſent, quàm detractores & calumniatores tolerari. Profectò improbus ex ſua natura cæteros judicat, & me judice, qui calumniatur, poſt ſupplicium calumniæ debitum, ſolet reus agi de ipſomet peccato, quod imponit; prudenter enim poteſt talis præſumi, qualem ipſe innocentem putavit. Quæ conſideratio Talionis æquitatem confirmat, & maledicorum petulantiã coërcet.

Detractio ſub virtutis ſpecie.

Non debet loqui ut ſentit, qui non ſentit ut debet.

Remedium contra Detractores.

De pœna talionis.

ARTICULUS III.

De Argumento, quod vocatur *ad hominem*.

Tria genera propoſitionum.

DUPLEX eſt veritas Propoſitionis: alia quoad ſe, alia quoad nos. Propoſitio vera quoad ſe, eſt, quæ enunciat rem, ut eſt in ſe, à nobis cognoſcatur aut non. Propoſitio vera quoad nos, eſt, quæ rem enunciat ut nos illam eſſe putamus, realiter ita ſit aut non ſit. Sanè Propoſitio vera quoad nos, eſt quæ vera quo ad homines; & quia varii ſunt horum ſenſus, quæ ab his cenſetur vera, ab illis ut falſa rejicitur. Sunt & aliæ Propoſitiones, quæ ſunt veræ quoad ſe, & quoad nos; quę videlicet enunciant rem ut ſunt in ſe, & nos illas bene rem enunciare cognoſcimus. Ex hoc genere Propoſitionum ſumi debent Syllogiſmorum præmiſſæ, *Logica Moralis lib. II.* quando volumus infallibiliter aut demõſtrativè concludere. Primum Propoſitionum genus eſt Dialecticæ inutile: quo enim modo utar præmiſſis, de quarum veritate dubito, quas eſſe falſas neſcio, & veras vocare non audeo. Supereſt ſecundum Propoſitionum genus, unde ad hominem (hoc eſt, contra talem hominem: contra illum nimirùm, qui illas ſit neceſſariò admiſſurus) fortiter argumentamur.

Quales eſſe debeant Demonſtrationum præmiſſæ?

Inutiles propoſitiones, quæ?

Quibus conſtet præmiſſis argumentum ad hominem?

Hanc viam ingreſſi ſunt ſæpe antiqui Eccleſiæ Patres, ut Hæreticorum arrogantiam retunderent: nam contra Græcos, qui dicunt *Spiritum Sanctum à Verbo diſtingui, & tamen ab illo non procedere*, etiamnum ſic argumentamur. [In Divinis omnia ſunt idem, ubi non obviat relationis oppoſitio. At Verbum & Spiritusſanctus non ſunt una perſona. Obviat ergo

De Spiritusſancti proceſſione.

Quæ diſtinguãtur in Divinis?

go Relationis oppoſito. Sed Relationes Divinæ ſunt proceſſiones. Ergo Spiritusſanctus, non ſolùm à Patre, ſed etiam à Filio procedit.] Et ab abſurdo ſic. [Si Spiritus ſanctus non procederet à Verbo, ſequeretur,quòd non diſtingueretur ab illo. At diſtinguitur. Ergo procedit. Probatur major. Quia in Divinis ſolæ Relationes diſtinguunt,& Relationes non niſi proceſſiones ſunt.] Adverſus Arrianos, qui erant Platonici,& contra Ariſtotelem ſtatuebant Mundum nec fuiſſe, nec eſſe potuiſſe ab æterno,ſic Orthodoxi Veteres argumentabantur. [Creaturæ eſſe non poſſunt ab æterno. Verbum fuit ab æterno.Ergo non eſt creatura.Eſt ergo Deus.] Hoc erat argumentum ad hominem contra Academicos: nam Peripateticus, qui Arrianus eſſet,ſe expediret majorem præmiſſam negando. Hoc argumentum ita preſſit nonnullos, ut neſcientes ſalva Platonis reverentia illud ſolvere, maluerunt in Verbum Divinum novum ſcelus committere, quàm poſitionem admiſſam à Platone negare. Vnde auſi ſunt dicere minorem omninò eſſe falſam. Hinc occœpit crudele inter Arrianos ſchiſma: nam, tametſi omnes Divinum Verbum eſſe creaturam delitarent; non eſſe creaturam, ut ſunt cæteræ, dicebant aliqui: nam fuit ab æterno, & cæteræ inceperunt in tempore: alii verò pervicaciores volebant eſſe creaturam ut ſunt cæteræ, creatam tamen multis ante corporeum mundum ſœculis,quando videlicet Angeli fuerunt Græcorum opinione producti.

Argumentum ab abſurdo.

An creatura eſſe potuerint ab æterno?

An Verbum fuerit ab æterno?

Arrianorum diviſio.

An fuerint Angeli ante mundum materialem producti?

Hac Dialecticæ parte, quæ nos docet ad hominem argumentari, uſus fuit D.N. Ieſus Chriſtus, *Matth.* 12. 27. adſumit enim injuriam & blaſphemiam ſibi ſacrilegè irrogatam, & contra Iudæos conſequentias deducit. *Si Ego,ait,in Beelzebub ejicio dæmonia, filij veſtri in quo ejiciunt? Ideò ipſi Iudices veſtri erunt.* Quem ſuit imitatus Apoſtolus *actor.*17.28.Hinc eādem in primitivâ Eccleſia Logicam laudarunt, & commendarunt Patres, quod poſſet multis illorum teſtimoniis oſtendi. Origenes *libr.*4.*in Cant.*aſſerit Samſonem veri & fidelis Doctoris eſſe imaginem: quoniam,ut Hæreticos capiat,eorumdem adverſantes ſibi ſententias connectit, & ex propriis eorum dictis & argumentis propoſitiones & concluſiones colligit, quas veluti faces ignitas in eorum ſegetes immittit, ut ipſorum ſectas & errores cōburat. Conſonat S. Chryſoſtomus *homil.* 82.*in Ioann.* & utrique S.Maximus *homil.* 1. *in Paſch.* dicens irrefragabile eſſe veritatis argumentum, ſpecioſamque victoriam,inimicos propriis illorum laqueis irretire, ac ſuorum teſtimoniorum vocibus confutare; ac tandem æmulos propriis telis confodere, & confodiendo convincere. Similia apud Iuſtinum,Tertullianū, Auguſtinum & alios antiquos leguntur; unde addiſcimus,ab ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis ad hæc uſque tempora magni ſemper fuiſſe habitam illam partem Dialecticæ,quæ nimirùm propriis illorum teſtimoniis, hoſtes Veritatis convinceret.

Sampſon imago optimi Dialectici.

Quanta ſit argumenti ad hominem efficacia?

At quia non ſciunt omnes quomodo hujuſmodi argumenta formentur, & hæretici exorbitant,& Chriſtianus Kottholtus præcipuè, operæ-pretium judicari argumentum ad hominem breviter ediſſerere,ut illud conformare poſſimus, & de conformatis ab alio legitimam ſententiam proferre. Ergo attende. Sic inquam.

Cur de argumentatione ab homine diſſeramus?

Argumentum ad hominem conſtare debet gemina propoſitione, Majore ſcilicet & Minore,aut explicitè aut implicitè; ex qua utraque poſteà inſertur concluſio; In hoc quippe convenit argumentum ad hominem cum omni alio, & quocunque argumento; an verò neceſſarium ſit, ut utraque propoſitio, major nempe & minor ſit admittenda ab eo, ad quem coarguendum inſtituitur argumentum,ex mox dicendis conſtabit. Aſſero igitur tria argumentorum ad hominem genera ex Sacris Litteris, & Sanctis Patribus haberi poſſe.

Quomodo fiat argumentum ad hominem?

Tres modi argumentandi ad hominem.

PRIMVM *eſt*, cùm quis urget adverſarium ut ab eo reſponſionem extorqueat ex qua ſubinde ſuum inſtruit argumentū. Hoc genere argumentandi uſus eſt Salvator noſter iterum,atque iterum, ut Exempli gratia, quando *Matth. c.* 22 *v.* 43. congregatos Phariſæos interrogavit dicēs, *Quid vobis videtur de Chriſto? Cujus filius eſt?* cùmque ipſi reſpondiſſent. *David*; ipſe indè ſubintulit, id impoſſibile eſſe, conſtituens argumentum per hæc verba. *Quomodo ergò David vocat illum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis,&c.* Porrò hæc inſtantia etiam ſtando Idiomati Latino eſt fortiſſima: nam poteſt ad hanc formam reduci. *Nullus filius eſt ſui Patris Dominus: Sed Chriſtus eſt Davidis Dominus. Ergò non eſt ejuſdem Filius. Male igitur inſtruſtis populum cùm dicitis, Chriſtum eſſe Filium Davidis.* Majorem probare poterat ex quarto præcepto Decalogi, & aliis multis Sacræ Scripturæ teſtimoniis, quæ illi conſonant. Sed hoc non erat argumentum ad hominem: nam Chriſtus, ſi ſic ejus verba exponantur, non adſumpſit Iudeorum ſententiam, ſed illam impu-

Si neſcimus, quid adverſarius ſentiat, hanc notitiam adquirimus,illum interrogādo?

Iudæos Chriſtus interrogat, & eorum reſponſionem impugnat.

An filius ſit Dominus patris?

pugnavit objectione ex Pſalmo Davidis deſumpta. Quam ob rem Chriſti Domini verba aliter ad formam reducantur. Et poterunt diſponi ſic. *Vel vos erratis cum Regis Propheta Pſalterium numeroſum admittitis: vel erratis modò, quãdo mihi interroganti reſpondetis. Aſſeritis enim duo, quæ ſe mutuò debellant. Si eſt enim Meſſias Davidis Filius, non eſt Davidis Dominus, & hoc contra literam Pſalmi. Si autem eſt Davidis Dominus, non eſt ejuſdem Filius, & hoc contra veſtram reſolutionem.* Verùm enim verò in lingua Hebræa ſunt compoſiti Pſalmi: & ideò Chriſti adhuc argumentum fortius eſt. Sic habet Textus Sacer. נאם יהוה לאדני: Nevm Ieova L-Adonai, *Dictum Ieova ad Dominum meum.* Vatablus. [נאם participium eſt paſſivum, vel nomen. *Dictum Ieova*, aut *Sermo Ieova*. ſubintellige *erit*, id eſt, *dicet*; Prophetia enim eſt de futuro per præteritum tempus more Prophetarum. Hac dictione frequenter utuntur Prophetæ.] Qui loquitur eſt Ieova, Deus. Et ad quẽ? ad Chriſtum: quem David vocat, non *Adoni*, ſed *Adonai*. Hoc eſt, *Dominum meum* appellat. Vt differentiam percipias, adnotato *Adonai*, ita ſignificare *Dominum meum*, ut de ſolo Deo dicatur. Nec hoc videri debet mirum nam בריא *Morio* & מוא *Moro*, Syriacè: Κύριος & Κύρος, Græcè; *Dominus*, & *Domnus*, Latinè: *Monſieur*, *Monſeigneur*, *Maiſire*, *Sire* Gallicè: & aliæ plures voces in linguis diverſis ſonant *Dominum* & tamen non coincidunt: nam *Sire* de ſolo Rege dicitur. *Moro*, Κύρος, & *Domnus* non dicuntur de Deo: *Ieova*, *Adonai*, &c. non dicuntur de homine. Quam ob rem poſſemus carmen Davidis vertere, *Dixit Deus Domino Deo meo, ſede à dextris meis.* Ergo Chriſti argumentum erat hoc. *Nullus Filius eſt ſui Parentis Deus. At Chriſtus eſt Davidis Deus. Ergo non erit Davidis Filius.* Sanè, ſi Chriſtus Latinè loqueretur, poſſent reſpondere Iudæi, non repugnare, ut filius parentis ſit herus & dominus: filio enim Reipublicæ regimini admoto debent parentes obedire; & etiam, ſi poſtulet occaſio, ſervire: nam ut aliquid narrem, quod hanc doctrinam dilucidet, Leopoldina, Archiducum Tirolenſium filia, erat Ferdinando III. Imperatori Romanorum ſponſa. Pridie quàm celebrarentur nuptiæ, ante prandium dum manus abluerent, manutergium Claudiæ ſuæ Matri miniſtravit: & in menſa ſequuta eſt. Et tamen die ſequenti Claudia ſervivit Leopoldinæ Auguſtæ, manutergium exhibuit, & noluit in menſa præcedere. Non ergo repugnare videtur ut filius ſit dominus moralis ſui patris. Sic ergo potuiſſent Phariſæi reſpondere, ſi Davidis potuiſſent verba ad ſenſum moralem obtorqueri. At ut conſtat ex ſacro Textu, *nemo poterat ei reſpondere verbum: & ex illa die nemo fuit auſus interrogare.* Ergo Chriſtus Dominus urgebat verba Hebraica. Agebat de naturali & Divino Dominio: repugnat enim, ut ſui filii ſit aliquis dominus naturalis, & Deus.

Iudæi malunt legere L-ADONI, ſed legere L-ADONAI, debent, hoc enim ſenſu fuit Propheta loquutus.

ADONAI eſt nomen Dei.

An parens ſervire filio poſſit.

Claudia mater ſua filia Imperatrici ſervit.

De reali & morali dominio.

Hanc doctrinam adfirmo, aliud exemplum proponendo. Nam *Luc.* 5. 12. rogat Chriſtus Iudæos, *Quidnam illis videretur facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere, ſurge, & ambula*, licet namque exteriùs nullum legatur à Iudæis datum fuiſſe reſponſum, attamen Chriſtus, qui hominum corda intuebatur, agnovit tale intus in corde nutriri reſponſum, *quòd nempè difficiliùs eſſet Paralyticum curare, quàm peccata dimittere*; ex quo ſtatim ſubintulit, *ſe poſſe peccata dimittere*, hoc ſic modo arguendo ad hominem. *Qui poteſt, quod eſt difficilius, poteſt pariter, quod eſt facilius, ſed ex confeſſis difficiliùs eſt curare Paralyticum, & hoc ego poſſum & illud, quod eſt faciliùs, id eſt peccata dimittere.* Cumque Iudei ulterius aſſererent, peccata à ſolo Deo poſſe dimitti, inde etiam tandem conclusit, ſe Deum eſſe, quod tamen ipſi negabant. Argumentum ad formam reductum erat hoc. *Solus Deus poteſt peccata dimittere, at illa ego dimitto. Sum ergo Deus.* Probatur minor. *Paralyticos Sanitati reſtituo: Sed ejuſdem eſt facere miracula, & peccata remittere. Ergo, ſiquidem illa facio, etiam iſta remitto.* Vnde D. Ambroſius *ibidem* bene advertit Iudæos ſuo judicio ac propria confeſſione fuiſſe à Chriſto de ſua perfidia convictos.

Quid difficilius ſit ægrotos curare, an peccata dimittere?

An Chriſtus probaverit ſe eſſe Deum?

Secvndvm *genus argumenti ad hominẽ eſt pariter*, cum quis adverſarium interrogantem ſuper aliqua re viciſſim interrogat ſuper alia: quo genere argumenti uſus eſt pariter Salvator noſter, quando interrogantibus Iudæis *Matth.* c. 21. v. 24. in qua poteſtate talia gereret? ille viciſſim alia interrogatione eos urgere voluit, dicens: *Interrogabo vos & ego unum verbum, reſpondete mihi: Baptiſmus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus?* cumque illi obmutuiſſent eos compulit, dicens v. 27. *Neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc facio.* Hoc genus argumenti plurimum commendat D. Auguſtinus, *acutiſſimum* appellans, nam *libr.* 15. *de Trinit.* ſic perorat. *Acutè ſanè quidam reſpondit Hæretico verſutiſſimè interroganti. Vtrum Deus filium volens, vel nolens genuerit? ut ſi diceret, nolens abſurdiſſima Dei miſeria ſequeretur:*

Interrogatio eliditur interrogatione.

Qualis baptiſmus Ioannis fuerit?

De hoc argumentandi modo S. Auguſtini Cenſura.

An Pater Verbum volens, an nolens genuerit?

retur; Si autem volens, continuò, quod intendebat, concluderet, ſe non natura eſſe filium, ſed voluntatis. At ille vigilantiſſimè viciſſim quaſivit ab eo: utrum Deus Pater volens, aut nolens ſit Deus? ut ſi reſpōderet nolens, ſequeretur grandis abſurditas, & miſeria, quam de Deo credere magna eſt infamia. Si autem diceret volens, reſponderetur ei, ergò, & ipſe voluntate ſua Deus eſt, non natura. Quid ergo reſtabat niſi ut obmuteſceret ſuâ interrogatione, obligatum indiſſolubili vinculo ſe videns?

An Pater nolens, an volens ſit Deus?

An hic argumentandi modus meritò à S. Auguſtino commendetur?

Sed enim quæres, cur S. Auguſtinus commendet hunc modum arguendi, cùm non videatur commendabilis? multiplicare namque inconvenientia non eſt ſolvere. Hoc dubium movet S. Bonaventura *in Diſt. 6. dub. 3.* tractans verba præfata Auguſtini apud Magiſtrum Sententiarum, & ipſemet reſpondet; notandaque eſt reſpōſio, ex quâ clarè colligitur, ejuſmodi eſſe verè argumentum ad hominem, & potiùs ducere ad inconveniens, quàm ſolvere. Verba S. Bonaventuræ ſunt hæc: *Auguſtinus commendat iſtam ſolutionem, qua non commendanda, quia multiplicare inconveniens, non eſt ſolvere. Reſpond. Dicendū, quod eſt ſolutio ad hominem, & eſt ſolutio ad rationem, & aliquando melius & utilius eſt ſolvere ad hominem, quam ad rationem: ut puta, quando reſpondens eſt diſcolus, & non vult intelligere veritatem, & quando aſſiſtentes ſunt ſimplices, & non poſſunt capere veritatem, & ſubtilitatem: ideo, quia Hæreticus veritatem reſpuebat, & adverſabatur, idcirco adverſanti erat adverſandū, & tali modo, quo magis privaretur gloria, & aſſiſtentes fallacia. Idcircò commendat iſtam reſponſionem Auguſtinus, quod manifeſtè opponentem, ſua quaſtione ligavit: & hunc modum reſpondendi docuit Dominus, cum dixit; Baptiſmus Ioannis de Cælo erat, an ex hominibus?* hactenus S. Bonaventura. Hinc ſtatim ſequitur alterum hoc loco pariter notandum: Argumentum videlicet ad hominem redigi ad illud, quod Dialectici vocant ab abſurdo, ſive inconvenienti; quippe immediatè ducit adverſarium ad aliquod abſurdum, aut inconveniens, ut inde tandem nihilominus quaſi nolentem reducat ad veritatem.

Præſtat interdum ad hominem, quàm à ratione fundamentali argumentari.

Cur argumentemur ab abſurdo?

Tertium, *& ultimum genus Argumenti ad hominem eſt*, ubi & quando ex datis, & conceſſis, quomodolibet, ſive nimirum oretenùs, ſive ſcripto, ſive prævia interrogatione, ſive non, coarguitur adverſarius: Quo argumenti genere uſus eſt pariter Salvator noſter, ut habetur *Luc.* 11. Cum enim ejeciſſet dæmonium, quidamque ex Scribis & Phariſæis, dicebant ipſum in Beelzebub principe Dœmoniorum ejicere Dœmonia, videntur id ſola mente dixiſſe: inquit enim Evangeliſta. *Ipſe autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis.* Ecce: ut cogitationes vidit, ait: non ut verba audivit. Chriſtus igitur ad blaſphemiam, quam mente conceperant, reſpondit, dicens. *Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem & Satanas in ſe ipſo diviſus eſt, quomodò ſtabit regnum ejus.* &c. Quæ verba ſolent aliqui ad hanc formam reducere. *Nullum regnum in ſe diviſum poteſt ſtare, ſed Regnum diaboli ſtat, Ergo Dæmon non poteſt ejicere Dæmonem, ſive alios quiſpiam in Principe Dæmoniorum ejicere Dæmonia.* At hoc potiùs eſt impugnare & coarguere Iudæorum temerarium judicium, quàm ad hominem argumentari. Ergo ita debent Chriſti verba dilucidari, ut Iudæorum aſſertionem adſumat, & ex illa contra illorum impudentiam diſcurrat. Ego ex illis hoc concinno argumentum. *Hæc veſtra poſitio*, In Beelzebub, Principe Dœmoniorum, ejicit Dœmonia, *ſe ipſum deſtruit; quod hoc modo perſuadeo. Si utor unius dæmonis aſſiſtentia & concurſu, ut dæmones alios expellam, regnum Satanæ diviſum eſt. Non ergo ſtare poteſt: quia omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur. Si autem Satanæ regnum non ſtat, nullus Dæmon imperat, nullus obedit. Ergo, ſi nullus imperat, nec Beelzebub imperat. Ergo, ſi iſte non imperat, nec illi alii diaboli obediunt, me Beelzebubi virtute expellere dæmonia, non eſt verum.*

Arguit ad hominem, qui ex conceſſis oſtendit Theſim defenſam ab Adverſario eſſe falſam.

N. B. Contradicere Chriſto videtur Cornelius Tacitus, cùm dixit, Divide, & impera.

An illa Iudæorum propoſitio ſit falſificans?

Hoc tertio argumentandi modo abutuntur nonnulli: & Chriſtianus Koltholtus præcipuè; nam in libello ante annos paucos edito ſe *Eccleſiam Romanam hodiernam, non eſſe veram Chriſti Eccleſiam* fore demonſtraturum pollicetur: & quia *promiſſis dives quilibet eſſe poteſt*; putat ſatis eſſe, ſi id aliquando promiſerit, quod nunquam præſtiturus eſt. Nam ſi librum accuratè legamus, hoc unicum colligimus: videlicet, illius ſyntagmatis authorem, quid ſit Argumentum ad hominem, abſolutè neſcire. Et hanc ob rem propter Koltholtum, & alios ſibi ſimiles, progrediar: & hunc tertium argumentandi ad hominem modum uberiùs exponam, & dilucidabo.

Koltholtus quid ſit ad hominem argumentari neſcit.

In ſyllogiſmo ad hominem utraque ejuſdem hominis debet eſſe præmiſſa. Qui enim contra D. Thomam formaret ſyllogiſmū, cujus major eſſet D. Thomæ, minor autem Scoti, ad hominem non argumentaretur: immò nec bene argumentaretur: majorem enim Scotiſtæ, minorem Thomiſtæ negarent. Hoc poſito reſcire velim contra

Argumenti ad hominem lex.

quem

Kolsholtus non argumentatur contra Eccleſiā Romanam hodiernam:

quem Knlsholtus ad hominem argumenterint. Contra Eccleſiam Romanam hodiernam? Ergo debet duas præmiſſas adſumere, quas Eccleſia Romana hodierna definierit; & ex illis debet in forma & modo legitimo inferre *Eccleſiam hodiernā non eſſe Eccleſiam Chriſti*. Contra Catholicos? Debet ergo adſumere duas propoſitiones, in quibus Catholici univerſi conveniant; nam adſumere unam, quæ Semphronii, & alteram, quæ Titii ſit, non eſt argumentari, ſed nugari. Contra Bellarminum? Ergo omnia, quæ aſſumit, eſſe debebuot Bellarmini: non autem media pars Bellarmini, & altera media Becani, aut alterius Theologi: nam ex diverſorum corporū membris, etſi pulchris, monſtra ſolent componi. Vtar exemplo, quod iterum & iterum prout loca & tempora poſtularunt, propoſui, & ſic diſcurram. (1) *Non dantur præciſiones objectivæ. Non poteſt una formalitas concipi, ſine altera. Vbi unum ſine alio concipitur, realis intercedit diſtinctio*. &c. Hæc omnia doctè pronunciant Nominales, & ingenioſè defendunt. (2) *Natura Divina poteſt concipi ſine relationibus: ſine attributis: ſine decretis liberis*. &c. Hæc omoia docet Sanctus Thomas; docet Scotus; & docent utriuſque diſcipuli. (3) Inferam. *Natura ergo Divina diſtinguitur realiter à relationibus, attributis, decretis. &c.* Eſt Concluſio Hæretica, ex optimis deducta doctrinis. An ſum ad hominem argumentatus? Sed contra quem ad hominem? Contra Nominales? at ipſi minorem negaot, & ideò diruunt ſyllogiſmum. An contra Thomiſtas & Scotiſtas? at negant hi majorem: & diſcurſui in ipſomet principio obſiſtunt. Contra quos ergo? contra nullos: non enim argumentum Logicum ſeu rationale, ſed monſtrum irrationale ex membris, quæ cohærere non poſſunt, conſtruxi.

non contra Catholicos:

non contra Bellarminum.

An dentur præciſiones?

De diſtinctione Naturæ & proprietatum in Divinis.

ARTICVLVS IV.

De Syllogiſmo Iuridico. *Ediſſerit Formas, Figuras, Modos, & Nomina Syllogiſmorum Moralium: Advocatos, & Senatores inſtruit, ut in praxi ſciant legitimè patrocinari, & judicare.*

Ratio ordinis.

ARticulo Primo de Morali Ratiocinio diſſerui, ſumpta denominatione à materia: egi enim de formalibus argumentādi modis Morali materiæ attemperatis. Articulo Secundo egi de Diſcurſu Politico, ſed liberiore calamo, & legibus minùs devincto. Nunc tandem in hoc Quarto Moralem illuſtrabo Diſcurſum, ſumpta denominatione à forma. Agam igitur de Politicorum ſyllogiſmorum Formis, Figuris, Modis, & ingenioſo invento Dialecticum Orbem ditabo.

Argumentum hujus diſputationis.

SECTIO I.

Dialectica Iuridicorum ſyllogiſmorum Nomina.

Moralium Syllogiſmorum numerus.

EA, quæ diximus, viam aperiunt doctrinæ ſyllogiſticæ, quam impræſentiarùm expendo. Pono ob oculos nunc novem ſyllogiſmos præcipuè, quibus tota Dialectica Iudicialis fundabitur.

Cur illorum nomina tres habeant ſyllabas?

Tribus propoſitionibus omnes ſyllogiſmi formantur; & ideò eorumdem Nomina tres ſyllabas habere debent, ut prima majori, ſecunda minori, tertia concluſioni reſpondeat. Minor & Concluſio ſemper ſunt ſingulares affirmativæ: majores diſtinguit quaotitas, cujus notio à litera prima coofonante dependet: ſignificat enim.

Syncategoremata, ſeu ſigna Moralia.

CA. *Cunctos. Omnes.*
FA. *Fere omnes.*
PLA. *Plures.*
MA. *Mediam partem.*
PA. *Pauciores.*
RA. *Raros.*
MV. *Multos.*
PV. *Paucos.*
NV. *Nullos.*

Hæc ſunt ſyncategoremata (ſigna Latini vocant) quæ Morales Quantitates diſtinguunt, & ſubjecto inhærentes, daot Tribunalibus iſtas propoſitiones.

Propoſitiones Morales.

CA. *Cuncti (Omnes) fecerunt hoc.*
FA. *Fere omnes fecerunt hoc.*
PLA. *Plures fecerunt hoc.*
MA. *Media pars fecit hoc.*
PA. *Pauciores fecerunt hoc.*
RA. *Rari fecerunt hoc.*

MV.

MV. *Multi fecerunt hoc.*
PV. *Pauci fecerunt hoc.*
NV. *Nullus fecit hoc.*

Hæ ſunt majores, quæ morales Syllogiſmos conſtituunt, & inter ſe diſtinguunt. Novem illæ ſunt. Ergo moralium Syllogiſmorum modi erunt novem, quorum Nomina Numeri ſequentes repræſentant.

Moralium ſyllogiſmorum Nomina.

FALLITIS *Ponti* PLACIDI MAGISTRI:
Concha MUGIUIT PARIDIS PUDICI:
Caſtra jam Phyllis RAPIDI CAMILLI
NUBILIS *armat.*

Sola triſyllaba dictiones ſerviunt.

Intermiſſis monoſyllabis, & diſſyllabis dictionibus, quæ verſum complent, & ad Dialecticā Artem non pertinent, manent novem triſyllabæ, quæ Syllogiſmis correſpondent.

Omnes Morales Modi ad Darii *pervenire conantur.*

Omnes hi modi morales ſunt modo *Darii* ſimiles; quia hunc debet ob oculos habere Ethicus, & in illum quantum permittat materia conari. Minor & Conſequeutia ſemper eſt ſingularis (dualis, trialis, aut quæcumque alia ſimilis de his, aut illis hominibus ſingularibus & individuis determinatè agit, & ad ſingularem reducetur) & ſi concluſio ſit Modalis, magnam quamcumque cauſam claritate ſuffundet.

CAMILLI. DARII. CAPITIS.

Camillus, quis, & qualis?

PRimus ſyllogiſmus, quo in moralibus utimur, trahit nomen vireſque à Camillo (quanto Viro!) ne quiſpiam ei poſſit reſiſtere.

Non contemnit eruditionem Logica.

Equis albis triumphare.

Camillus (nam etiam eruditio juvat, & Logica interdum comitatur Rhetoricam) fuit Romanorum illa ætate clariſſimus, qui Vejos decennio obſeſſos (quam generoſa utriuſque partis pertinacia!) tandem per cuniculos cepit, & Romæ redux equis albis, quod nemini licuerat, triumphavit. Die dicta ab Apulejo Saturnino damnatur, & Ardeam concedit. Mox, cùm Galli Capitolium ſtrictiſſimè cingerent, abſens Dictator factus, venit, vidit, vicit; collectis enim victi & fuſi exercitus Romani reliquiis, Gallos, auri captivi ponderibus dividendis intentos, inexſpectatus oppreſſit, & patriā liberat.

Abſens promovetur.

Qualis ſit ſyllogiſmus Camilli?

Illi per omnia ſimilis ſyllogiſmus, cui ab illo nomen. Moralium omnium eſt clariſſimus, fortiſſimus & ſecuriſſimus. Si veritatem quæras, & ne te fugiat, aliis armis obſideas, eam non capies, quouſque Camilli ſyllogiſmo illam oppetas; ipſe enim & certiſſimam victoriam indiſpicitur, & albis equis triumphat: hoc eſt, candidè, generosè, & ſincerè. Si aliquis hunc ſyllogiſmum damnare & rejicere audeat, dabitur occaſio, quâ invaſus, aliter non poſſit ſe defendere, quàm ad arma Camilli recurrendo, & ſyllogiſmum hūc ad ſummum locum revocando. Nam adverſarios ipſe, cùm minimè exſpectatur, opprimit, & Concluſioni invaſæ reddit ſecuritatem.

Quanta ejus virtus, & neceſſitas!

Syllogiſmus Capitis.

Solet hic ipſe ſyllogiſmus habere nomen Capitis: vel quod ſtatim hoſtem capiat, vel quòd captum capitis ſententiā condemnet: actum enim eſt de eruditiſſimo quocumque reo, ſi actio contra eum inſtituta ad Capitis modum reducatur.

Syllogiſmus Darii unde ortus? quanta ſit efficacia?

Eſt idem omninò, qui Darii; quem male à Dario nomen traxiſſe dixeris: nam Darius ab Alexandro victus fuit, & qui ſyllogiſmum in *Darii* opprimat, nondum eſt natus Alexander. Si autem omninò non eſt idem, qui *Darii*, quàm modus *Darii*, fortior eſt: quod ſic probo. (*Cūcti* & *Omnes*, duo ſunt nomina ferè ſimilia; ſed poſterius ſignificat univerſos ſparsim; junctos prius: unde videntur dicti *Cuncti*, quaſi *juncti*. Virgilius 1. Georg. *Cuncta* (ſimul juncta) *ſibi Cererem pubes agreſtis adores.* & Æneid. 1. multò clariùs, *Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis*. Sed plus urgent teſtimonia conjuncta & cohærentia, quàm ſparſa; major enim fides adhibetur conteſtibus, quàm teſtibus ſparſis, quos Iura *Singulares* nominant. Ergo plus urgent cuncti, quàm omnes. Ergo *Camilli* ſyllogiſmus ſyllogiſmo *Darii* robuſtior & ſecurior eſt. Interim nos, ne nimis ſubtiles aut ſcrupuloſi dicamur, indifferenter alterutrum ſyncategorema (*omnes* aut *cunctos*) adſumemus. Ergo aliquod exemplum ſubjiciamus.

Diſcrimen inter Cunctos & *Omnes.*

An debeant Imperatores laborare?

Laborem pro cunctis civibus ferre conſuevit Imperator, ut habet Cicero:
Marcellus erat civis: .
Ergo pro Marcello laborem ferre conſuevit Imperator.

For-

Digitized by Google

Forma eſt obliqua; rectam amas, & in tui gratiam ſyllogiſmum alterum ſubſcribamus.

An Cretenſes mendaces ſint?

Cuncti Cretenſes malunt mori, quàm ſincerè agere:
Uranius eſt Cretenſis:
Ergo malet mori quàm ſincerè agere.

Conceſſis præmiſſis conſequentia eſt certiſſima & poteſt affici modo neceſſitatis aut ſaltem infallibilitatis; illo, ſi agatur de rebus neceſſariis; iſto autem, ſi de liberis. Subjectos ſyllogiſmos conſidera.

Conſequentia modalis,

Omnis homo eſt animal:
Petrus eſt homo;
Ergo neceſſarium eſt quod Petrus ſit animal:

neceſſaria,

Septies (hoc eſt ſæpe) in die cadit (in peccata venialia ſubintellige) omnis homo, etſi ſit juſtus. *Proverb.* 24. *b.*16.
Franciſcus eſt homo: eſto ſit juſtus,
Ergo infallibile eſt, quod ſepties (ſæpe) quotidie cadit in peccata venialia.

infallibilis,

Omnis prædeſtinatus ſalvabitur:
Fridericus eſt prædeſtinatus:
Ergo infallibile eſt, quod ſalvabitur.

infallibilis.

In primo conſequentia eſt neceſſaria: in ſecundo & tertio infallibilis: non enim eſt neceſſarium, quòd vel juſtus cadat, vel prædeſtinatus ſalvetur; utrumque verò eſt infallibile: tanta enim eſt lapſæ humanitatis fragilitas, tanta prædeſtinationis certitudo, ut infallibile ſit juſtum in leves aliquas negligentias frequenter cadere: & prædeſtinatos ſanctè exceſſuros ex hac vita, & in altera beandos eſſe.

Humanæ naturæ fragilitas.

Prædeſtinationis certitudo.

Inter *Omnem* & *Omnes* non reperit diſcrimen Calepinus: ait enim [Omnis, *diſtributiva dictio eamdem vim habet in ſingulari, quàm in plurali,* Omnis *enim* homo *ſignificat idem quod* Omnes homines.] Et in moralibus teneri hæc ſententia bene poteſt: at in Scholaſticis, in quibus major rigor requiritur, inter has voces diſcrimen certiſſimum eſt. Vide noſtram Logicam, ubi de Plurali Propoſitione diſputatur.

An differant Omnis, & Omnes?

Fallitis.

Secundus Modus Moralium Syllogiſmorum eſt, cujus maior eſt ferè univerſalis. Pono exemplum.

Fal-	*Ferè omnes matres amant filios ſuos.*
li-	*Carolina eſt mater Friderici.*
tis.	*Ergo Carolina amat Fridericum.*

Et hujus ſyllogiſmi major eſt fere univerſalis, & fere certa moraliter: imò eſt univerſalis moraliter; quia cùm *omnes moraliter*, dicimus, non plus intelligimus quàm *ferè omnes*.

Propoſitio moraliter univerſalis quæ?

In hoc modo ſi præmiſſæ ſint veræ, eſt concluſio omni probabiliore certior, adeoque fere certa phyſicè, aut certa moraliter.

Si placeat concludere modaliter, tunc Syllogiſmus erit demonſtrativus. Pono exemplum.

Modus concludendi modaliter.

In fere omnibus qui tractant Politica, minùs valent præcepta quàm experimenta.
Sed Petrus eſt unus ex illis.
Ergo moraliter certum eſt, quod in Petro minùs valeant præcepta, quàm experimenta.

An præcepta meliora ſint experimentis?

Major eſt Ciceronis *libr. de Amicitia*; & conſequentia neceſſaria.

Sed quid eſt *ferè multi*. Calepinus in dictione *Fere*, exiſtimat *fere multos* idem eſſe ac *fere omnes*. Alii non legunt *fere multis*, ſed *fere cunctis*, & ſic tollunt omnem æquivocationem. Alii volunt, quod *fere multi* ſit minùs quàm *multi*, & tunc hic ſyllogiſmus non pertineret ad Fallitis, ſed ad Paridis.

Ferè omnes: ferè multi.

Placidi.

Tertius modus eſt, & plures in majore colligit, & minorem certam ſupponens, concluſionem probabiliorem infert. Pono exemplum.

Pla-	*Plerique Hiſpani ſunt generoſi:*
ci-	*Petrus eſt Hiſpanus.*
di.	*Ergo Petrus eſt generoſus.*

Concludit ſimpliciter.

Si modaliter concludere libeat, erit demonſtrativus. Verbi gratia.

Plures Galli ſunt Catholici, quàm Calviniſtæ.
Carolus eſt Gallus.
Ergo veriſimilius ſeu probabilius eſt, quod Catholicus ſit.

Concludit modaliter.

Quæris, *An ſyllogiſmi in* Placidi, *quando modaliter non concludit, poſſit conſequentia negari?* quod eſt quærere, *Quantam vim habeat ille terminus ſyncategorematicus* Plerique, *qui in majore præmittitur?* Reſpondeo pauculas lineas ex S. Hieronymo adducendo ipſe enim *lib.* 1. *Comment. in cap.*8. *Matth.* ſic ait. [*Ille dixerat*, Si vis: *& Dominus reſpondebit*, Volo. *Ille præmiſerat*, Potes me mundare: *& Dominus jungit & dicit*, Mundare. *Non ergo ut plerique Latinorum putant, jungendum eſt & legendum* Volo mundare: *ſed ſeparatim; ut primum dicat* Volo, *deinde imperet*, Mũdare.] Ecce Hieronymus illam ſententiam, quæ docet Chriſtum dixiſſe, *Volo mundare*, poſito verbo *mundare* in infinitivo, aſſerit eſſe plerorumque. Ecce aſſerit eamdem habere authenticam pro-

Dubium incidens.
An negare poſſimus, quæ eſſe probabiliora fatemur?

Reſolutio ex Hieronymo.

In illis verbis Chriſti Volo mundare, *verbum* mundare, *non infinitivi, ſed imperativi paſſivi eſt.*

babiliorem. Ecce tamen illam rejicit & falſam abſolutè pronnntiat. Ergo Hieronymus non terrejur hac morali illationc: nimirùm,

Plerique dicunt:
Ergo eſt probabilius.
Ergo eſt verum.

Quanam ſit opinio probabilior extrinſecè?

Admittit enim abſolutè, antecedens. Primam conſequentiam tenetur neceſſariò admittere; idem enim eſt dici à pleriſque, ac eſſe probabilius authenticè. Et nihilominus ſedato animo negat conſequentiam illatam.

Dubium alterum.

An teneamur probabiliori adhærere ſententiæ?

Nota bene.

In quacumque materia ad cõſcientiæ ſecuritatem quæcũq; probabilis opinio ſufficit.

Hinc obiter, patet ſolutio controverſiæ quærentis, *An teneatur homo ſequi probabiliorem opinionem? An poſſit licitè ſubſcribere minùs probabili?* Et reſpondeo probabiliorem eſſe, quæ plerorumque; & D. Hieronymum licitè eam ſequutum fuiſſe, quam ſciebat eſſe pauciorum, & agendo de probabilitate authentica, minùs probabilem; quoniam minùs probabilis poteſt & ſolet eſſe vera, & magis probabilis falſa. Vt id bene intelligas adnotato Primò in omni Scientia, in omni Fidei & morum materia, quamcumque Opinionem probabilem (videlicet, magis, æque, vel minùs probabilem) ad conſcientiæ ſufficere ſecuritatem: unde Reverendiſſimus D. Ioannes Franciſcus Turanus Caruſus, Cæſarei Pontificiique Iuris Conſultus, Sacræ Theologiæ Profeſſor in illo doctiſſimo & eruditiſſimo libro *de Doctorum præcedentia & nobilitate*, inter multa, quæ ingenioſè deduxit, noſtræ (hoc eſt, omnium) Reſolutioni adhæret, & *part.* 2. *num.* 103. *pagin.* 63. ſic ait. [*Non negandum tamen*, quòd veriſſima hodie, & plus quam certa ſententia eſt, quod in omnibus Scientiis Opinio probabilis ſequi poteſt, ut modernior & doctiſſimus Epiſcopus Caramuel docet, qui perdoctè defendit, *quod in materia Fidei & morum ad conſcientiæ ſecuritatem ſufficit Opinio probabilis*, quidquid ſcripſerit etiam noviter quidam Religioſus Dominicanus in libro, qui dicitur, *Notitia eorum*; &c. qui rationibus Epiſcopi Caramuelis non poteſt reſpondere: nec *in prima part. quæſt. unic.* contractum ſocietatis ſolitum in praxi rectè reprobat, cùm ſolùm ſuis ſcrupulis; eſt enim approbatus ab omnibus ferè Theologis & Iuriſtis: & D. Ioſeph Pilaia Meſſaneoſis ſuus concivis *tom.* 1. *Inſtitut. Canon. tit. ultim. de uſuris*; pluſquam 30. refert Doctores, cum firmis rationibus, quibus ipſe non reſpondet. &c.]

An Caramuelis Adverſarii reſpondeant?

An contractus ſocietatis ſit licitus?

Adnotato ſecundò hãc ſequendi quãcumque probabilem Opinionem libertatem limitari frequenter voto, juramento, & præcepto; nam qui liberè vovet vel jurat, ſe liberè privat libertate faciendi oppoſitum: & qui voluit eſſe in tali Republica, liberè illius leges acceptavit, & illas obſervare tenetur, ut in Apologemate noſtro *de Probabilitate*, quod honorat D. Caruſus, fusè oſtendo: nam qui voto, juramento, aut præcepto obſtringitur ad defendendum *Deiparam eſſe ſine labe conceptam*, etſi fortè per impoſſibile judicet oppoſitum eſſe probabilius, non poteſt licitè votum, juramentum, aut præceptum violare. Et, quia Iudici à Republica injungitur, ut juxta probabiliores & communiores Opiniones jus dicat, peccabit mortaliter & ad reſtitutionem tenebitur, ſi in cauſa Civili aut Criminali juxta minùs communem pronunciet. Et huc oculatiſſimè reſpiciens ingenioſiſſimus D. Caruſus *loc. cit. num.* 99. dixerat. [*Vnde*, ſi nefas eſt à communi opinione recedere Imol. *conſ.* 8. *n.* 23. quia, quod à pluribus recipitur majoris eſt authoritatis, quàm quod à paucioribus, *c. in Canonicis* 19. *diſt.* & ibi gloſ. *verſ. præponat* atque à pluribus veritas perfecta habetur, quæ non eſt in paucis *l. poſt verſ. lex etenim.* C. *de fideicomm.* integrumque eſt judicium quod à plurimorum comprobatur ſententia *c. extra* 95. *diſt. c. prudentiam in fine.* ubi Abbas *de offic. delegati*, & ubi adſunt hinc inde opiniones, ea ſententia in judiciis attendenda eſt, quæ à majori parte, vel ab omnibus eſt approbata, ut in caſu noſtro. *cap. in Canonis* 19. *diſt.* Caruſ. *mox citat. cap.* 10. *num.* 15. 16. & 17. *fol.* 348. à quo dicta argumenta ad meum favorem accepi, tanquam validiſſima, & vera, quidquid in contrarium aſſerant adverſarii; quia habemus in puncto DD. loquentes, & firmantes concluſionem. Quæ pro lege non immeritò cenſetur ut docent Giarlin. *controv. juris c.* 44. *n.* 29. Beccius *conſ.* 68. *num.* 9. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 335. *n.* 23. *tom.* 2. Cavalc. *deciſ.* 43. *num.* 10. *per tot.* Giurba *deciſ.* 87. *num.* 21. & Groſſ. *controv. forenſ.* 2. *num.* 8. *contr.* 6. *num.* 12.]

Cur ſequendi quamcumque opinionem libertas voto, juramento, & præcepto auferatur?

An, & cur Iudex non poſſit minùs probabilem ſententiam ſequi?

An illi adhærere ſit nefas?

Veritas perfecta, quæ à pluribus.

Concluſio plurium eſt habenda pro lege.

SVpponis *pleroſque* eſſe idem ac *plures*, nam Nicolaus Perottus, Pontifex Sipuntinus, *in Cornucopia pag.* 659. ſic inquit. *A plus* Plerique *dicitur; quod Authores aliquando uſurpant pro eo quod eſt* plures & maxima ex parte. *Saluſtius: In diviſione orbis terræ plerique in parte tertiâ Africam poſuerunt; pauci tantummodò Aſiã & Europam*. Ecce coincidunt *plerique* & *plures*, & opponuntur *plerique* & *pauci*. Et progrediens ulteriùs, interrogas, quid ſignificent *Plerique omnes*? Quid voluit Terentius cùm dixit, *Quod pleri-*

Plerique.

Plures.

Plerique.
Pauci.
Plerique omnes.

rique omnes faciunt adoleſcentuli?

Has tres voces *Plerique*, *Plerique omnes*, & *Plures* æquipollentes eſſe judicat Nicolaus Perottus; cujus ſententia hic ſyllogiſmus,

Plerique omnes illibenter ſtudent adoleſcentuli:
Caſſimirus eſt adoleſcentulus:
Ergo illibentor ſtudot.

ad modum PLACIDI pertinere debebit. At eumdem Ego reduco ad modum FALLITIS, plus enim eſt dicere *pleroſq; omnes*, quàm *pleroſque*, minùs quam *omnes*: [nam & *homine albo* latiùs patet *homo*, & latiùs *albus*.] Ergo erit idem quod *fere omnes*.

MAGISTRI.

Exponitur.

QVartus eſt modus, & univerſalem in duas partes moraliter æquales dividit, & mediam in majori collocat; ſupponit minorem certam, & æquè probabilem conſequentiam concludit. Pono exemplum.

Concluſio ſimplex.

Media pars Francandalienſium eſt militaris:
Ioannes Francandalienſis eſt.
Ergo & militaris eſt.

Si velis concludere modaliter, concluſio erit certa & demonſtrativus ſyllogiſmus. Sic inquam:

In Imperatricis Aulâ decem Virgines ſunt, quinque fatuæ, & quinque prudentes.
At Cloris una ex illis decem eſt.

Concluſio modalis.

Ergo probabile eſt quod ſit ex fatuis; & æquè probabile, quod ſit ex prudentibus.

Similis ſyllogiſmus poteſt confici ex multis carminibus & conceptibus Virgilii. Sumam aliqua ex Æneid.6. & ſic inquam.

—— Iuvenum manus emicat ardens,
Littus in Heſperium: quærit pars ſemina flammæ,
Abſtruſa in venis ſilicis: pars denſa ferarum,
Tecta rapit, ſylvas, inventaque flumina monſtrat.
Ex illis Alardus erat, ſpes altera Trojæ,
Qui civem patremque gerit, qui publica curat.
Ergo eſt incertum, flammæ utrùm ſemina quærat,
An potiùs ſylvas inventaque flumina monſtret.

MVGIVIT.

Qualem inferat conſequentiam?

QVintus modus majorem habet affectam ſigno *Multi*, & infert conſequentiam, ut minimùm minùs probabilem. Pono exemplum.

Multi Cantabri ſunt Architecti:
Petrus eſt Cantaber:
Ergo & Architectus.

Conſequentia eſt probabilis: fortè probabilior, aut æquè probabilis, ſed ut minimũ minus probabilis oppoſita: ſed ſi placeat concludere modaliter, conſequentia erit evidens quod ipſum hoc exemplo diluceido.

Multi Auſtriaci ſunt ingenioſi;
Petrus eſt Auſtriacus:
Ergo, niſi contrarium aliunde conſtes, erit ut minimum minùs probabile, quod ſit ingenioſus.

Quid ſignificent voces, Multi, Pauci, Plerique?

Si rigorem vocis adſequi vis, adnotato *multos* & *paucos* opponi: cùm autem *pauci* opponantur *pleriſque*, videntur *plerique* eſſe iidem, qui *multi*. Si hoc apud omnes verum, hic modus ſe inſinuaret in PLACIDI; ſed quia vocem alii aliter capiunt, utiliùs diſtinguitur ab illo.

PARIDIS.

SExtus eſt modus, & in majore minus quàm mediam partem comprehendit, multos tamen, &, ſi minor ſit certa, concludet minùs-probabiliter. Exempli gratia.

Qualiter concludat?

Pauciores Galli ſunt indocti;
Ferdinandus eſt Gallus:
Ergo & indoctus.

At hic obiter notandum eſt, duo vel plura indicia, quorum ſingula formarent ſyllogiſmum in PARIDIS, ſimul conjungi, & facere ſyllogiſmum in PLACIDI, aut etiam aliquando in FALLITIS. Vnde prudentiſſimè Carolus V. *in Ordinationum ſuarum art.27.* torqueri jubet reum, quem multa indicia arguunt, tametſi ſingula non videantur ad torturam ſufficere. Conſonat Ludovicus à Peguera *qu.crimin.17.nu.37.* & alii qui ſumunt arg. à lege *inſtrumenta.* ubi Gloſſa *in verb.quoque C. de probat.* Et ut rem bene intelligas iſtum caſum propono.

De tortura vel ob levia indicia, multa tamen.

Caſus proponitur.

[Fuit occiſus Ioannes in foro, & viſus eſt Petrus apud cadaver, & Franciſcus eſt viſus in aula habere cultrum cruore infectum.] Dico neutrum torqueri poſſe, quia & potuit Petrus caſu illac tranſire, & Franciſcus in aula, hoc eſt, in loco à foro diſito, multis ex cauſis aliis ſuum cultrum maculaſſe. [At Antonius reper-

tus eſt apud cadaver, cum cultro recentis ſanguinis ſpecie infectus:] Et dico fortiter Antonium indicari, & è duobus minus probabilibus indiciis, unum probabilius componi. Quia ex illis, qui apud occiſorum cadavera habentes arma ſanguine madida reperti, plures rei fuerunt; & innocentes pauci.

Reſolutio.

Si concludere modaliter velis, ſyllogiſmus erit demonſtrativus: ut ſi dixeris.

Pauciores milites moriuntur morte naturali.
Tu miles es.
Ergo minùs probabile eſt, quod morieris morte naturali. Ergo probabilius eſt, quod morieris violenta.

PVDICI.

HVC referri ille diſcurſus debet, cujus majorem & minorem expreſſit Virgilius *Æneid.6.* & conſequentiam inſinuat. Paucis alteratis totum ſyllogiſmum expedio.

Pu- *Tros Anchiſiade facilis deſcēſus Averni;*
Sed revocare gradū, ſuperaſq; evadere ad auras.
Hoc opus, hic labor eſt; pauci quos æquus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Diis genitī potuere; tenent media omnia ſylvæ,
Cocituſque ſinu labens circumvenit atro.
di- *At tibi magnus amor menti, tibi magna cupido eſt.*
Bis ſtygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, & inſano juvat indulgere labori.
ci. *Ergo timore minor reſtat ſpes. Ergo ſerenis.*
Nunc animis opus Ænea, nunc pectore firmo.

Eſſe facilem viam, quæ in infernum perducit, ipſimet Gentiles cognoverunt.

Eſt in modo PVDICI, & concludit dupliciter; ſimpliciter & modaliter: Concluſionem ſimplicem præſefert hoc exemplum.

Concluſio duplex; ſimplex, modaliſque.

Pauci Poetæ ſunt prudentes;
Theodorus eſt Poeta;
Ergo & prudens.

dico ex his præmiſſis concluſionem minùs probabiliter deduci: poſſe tamen inferri legitimè & efficaciter, ſi tranſeat in modalem competentem; ut ſi dixerimus.

An Poetæ ſint prudentes?

Pauci Poetæ ſunt prudentes,
Theodorus eſt Poeta,
Ergo, ſi temeritatis notam non incurrit, qui illum judicat eſſe prudentem; ſaltem ſententiā amplectitur minus probabilem.

RAPIDI.

HIC eſt octavus Moralium Syllogiſmorum modus. Raros in majore comprehendit; minorem particularem habet, & nonniſi temerariam conſequentiam deducit. Addo exemplum.

Modus concludendi.

E Viennenſibus rari ſunt uſurarii
Hic eſt Viennenſis.
Ergo etiam uſurarius.

Si placeat modalem conſequentiam inferre erit demonſtrativus ſyllogiſmus; talem complectitur hoc Epiſtolium.

CArmina Heroica Conſulis Marpeſtii polliceris, neſcio an tanti facienda à nobis ſint, quanti à Tabellario ſolent, qui pro levi pondere non leve ſtipendium expoſtulat. Lego apud Ciceronem de Amicitiâ. *Rarum iſtud genus* (& quidem omnia præclara rara) *nec quidquam difficilius, quàm reperire quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum.* Lyrica ejuſdem legi, & ſi inter plurima, paucula eſſent omni ex parte perfecta, cætera tolerarem: At in omnibus illis vix quidpiam perfectum vel ex parte; Dicat igitur Iudex temerarius & præceps, ſi à tali Muſa expectem aliquid, quod lectione ſit dignum. Interim gratias habeo, & à tua diligentia Authores nobiliores ſpero. Vale.

Totum ad pauca verba & hanc formam reduco. Sic inquam.

Inter multa quæ publicavit Conſul Marpeſtius ſunt bona paucula, ſeu fere nulla.
At modò novum opus evulgat.
Ergo erit Iudex temerarius, qui antequā videas & legas, illud audeas à perfectione commendare.

NOBILIS, NVBILIS.

ADdi cæteris poteſt, debet-ve: ut opponatur Syllogiſmo CAMILLI. Conſtat tribus propoſitionibus, quarum prima eſt univerſalis negativa, minor & conſequentia ſingulares. Pono exemplum.

Qualis ſit?

Nullus Cantaber fuit proditor:
Aricius eſt Cantaber:
Ergo eſt proditor.

Concluſio ſimplex.

Et affirmo concluſionem eſſe evidenter falſam; & poſſe in evidenter veram tranſire, ſi modo ſibi debito afficiatur; ut in ſequenti conſpicis.

Nullus homo præter Deiparam, caruit peccato originali:

Concluſio modalis.

Al-

Alphonſus eſt homo;
Ergo evidenter falſum eſt, quod caruerit peccato originali.

Ecce ex negativâ oritur affirmativa in bono & legitimo modo, in quo nunquam daturus es antecedens verum & conſequens falſum.

HINC

Proponuntur & ſolvuntur duo dubia. jam datur ſolutio duobus Dubiis, quibus hucuſque negativè reſponſum. Nam petebatur primò. *An ex puris particularibus aliquid bene inferri poſſet?* & ſecundò, *An poſſet dari ſyllogiſmus, cujus major & minor ſint certa, & tamen conſequentia tantummodò probabilis ſit?* Et ad primum reſpondeo, in his modis moralibus dari conſequentias certas, nimirùm, ſi afficiantur modo concludendi; & ſi non afficiantur, futuras, qualis fuerit modus, qui deſideratur. Pono exemplum. *Plerique Divites ſunt avari, Ioannes eſt dives, probabiliùs igitur avarus eſt.* Dico ergo hanc concluſionem affici modo figuræ debito, adeóque certiſſimam eſſe, tametſi à particularibus meris deductam. Quod ſi modum illum probabiliùs auferas, manebit hæc concluſio, *Ergo Ioannes avarus eſt*, quæ eſt probabilior ſua contradictoria; & videbimus dari poſſe ſyllogiſmorum formam, in quâ ex præmiſſis certis & indubitatis oriatur conſequentia probabilis. Quòd ſi tandem loco modi debiti indebitum quemcumque ſubſtituas, propoſitio erit falſa, & illegitimè ex illis præmiſſis deducetur.

Modus concludendi duplex.

Majoris claritatis gratiâ aliud ſubjungo exemplum. *Rari religioſi concubinarii ſunt. Petrus eſt religioſus, ergo concubinarius eſt.* Et dico eſſe ſyllogiſmum in forma RAPIDIS, cui correſpondet *temerarium*. Hæc igitur conſequentia, ſi modo dubio careat, temeraria eſt; & modo addito certa; nam certiſſima eſt hæc concluſio: *Ergo, quamdiu non ſuppetant alia rationes, dicere Petrum eſſe concubinarium, temerarium eſt.*

Univerſale Paradigma.

VT omnia dicta poſſim paucis lineis comprehendere brevem hanc Tabellam ſubjicio, in qua multum doctrinæ complectar, ut meus Lector poſſit bene ſcire, quo debeat modo in cauſis dubiis, aut etiam certis judicare. Singula attentis oculis conſiderentur.

Syllogiſmorū nomina.	*Majoris ſigna & quātitas.*	Character.	Si Minor comprobetur plenè. Concludendi Modus.	Efficacia. *Quid debeat fieri?*	Si Minor probetur ſemiplenè. Concludendi Modus.	Efficacia. *Quid debeat fieri?*
Capitis.	CVNCTI.	C.	*Certus omninò.*	Condemnetur Reus.	*Probabilior.*	Torqueatur leviter.
Fallitis.	Fere omnes	F.	*Certus moraliter.*	Torqueatur graviter.	*Æquè probabilis.*	Inquiratur. Capiatur.
Placidi.	Plures.	PL.	*Probabilior.*	Torqueatur leviter.	*Min⁹ probabilis.*	Inquiratur.
Magiſtri.	Media pars.	M.	*Æquè probabilis.*	Inquiratur. Capiatur.	*Ferè īprobabilis.*	Nihil fiat cōtra Reū.
Paridis.	Pauciores.	P.	*Minus probabilis.*	Inquiratur.	*Ferè īprobabilis.*	Nihil fiat cōtra Reū.
Rapidis.	Rari.	R.	*Temerarius.*	Nihil fiat cōtra Reū.	*Temerarius.*	Nihil fiat cōtra Reū.
Nubilis.	NVLLI.	N.	*Repugnans.*	Nihil fiat cōtra Reū.	*Repugnans.*	Nihil fiat cōtra Reū.
Mugivit.	*Multi.*	MV.	Probabilis.	*Inquiratur. Capiatur.*	Fere īprobabilis.	*Nihil fiat cōtra Reum.*
Pudici.	*Pauci.*	PV.	Vix probabilis.	*Nihil fiat.*	Temerarius.	*Nihil fiat.*

Explicatur hæc tabula. Habes auream Tabellam, Lector Mi, in quâ plus auxilii, quàm in multis fortè libris reperias. Conſtat ſeptem columnis, quas volo breviter dilucidare.

Prima continet Syllogiſmorum Moralium, ſeu Iudicialium nomina. Secunda eorumdem Syllogiſmorum Majorem. Tertia Majoris characterem. In quarta & quinta conſtituitur Minor, ſi fuerit comprobata plenè: & quarta dabit concluſionis modum, & quinta monebit Iudicem, quid debeat facere. Quod ſi Minor fuerit ſemiplenè probata, recurrendum ad ſextam & ſeptimam eſt; è quibus ſexta dabit concludendi modum, & ſeptima inſtituet Iudicem, ne fortè animoſitate, aut fervore in cauſa improbabili excedat. Syllogiſmus PVDICI obſcurus eſt: cum enim *paucos* dicimus aliqui intelligunt *pauciores*, alii *raros*, ſeu *fere nullos*. Idem de modo *Mugivit* dixero, nam aliqui multorum nomine intelligere ſolent nimis paucos. Hanc ob rem, tu ne erres, hos duos modos negligas, aut illos ad relativos eis affines reducas.

De modis Pudici & Mugivit.

Captura aliquando eſt cautela, & aliquando initium pœnæ. In pœnam nemo capi debet, niſi in caſu, quo defenſio ipſius ſit accuſatione minus probabilis; quamdiù enim probabilius eſt cum innocentē eſſe capi non poteſt; cū omnia ſunt hinc inde æquè probabilia, poteſt. Cæterùm, ſi prævideatur fuga, ad vitandum periculum tunc capi poteſt, non ſolùm à Iu-

Cur rei capiantur.

Et à quo capi poſſint?

Iudice, qui poteſt inquirere, ſed ab illo etiam, qui nondum certò ſcit ſe non poſſe.

De pœna talionis.

Talionis pœna videtur eſſe vinculum amicitiæ, & charitatis erga proximum; ſunt enim hoc ævo tam multi calumniatores, ut nullus innocens ſervire Deo, & Reipublicæ tranquillè poſſet, niſi talionis timore illi compeſcerentur. Sed cur non eſt additum aliquid in noſtra Tabula de Talione? Imò ſunt diſtinctiſſimi de Talione Canones; nam quotieſcumque Accuſator, eo ſuam probationem deduxit, ut temerè dicatur concludere, talionis pœnâ debet neceſſariò damnari. Sed quid ſi non attigerit infimum gradum probabilitatis, ſed inter probabilitatem infimam & temeritatem ſupremam hæſerit, ferè improbabiliter concluſerit? Reſpondeo hæc eſſe nimis ſubtilia, nec hucuſque à Legislatoribus examinata. Sed quia obtinuit hæc Regula, *Vt quotieſcumque probatio ſit levior ſemiplena, talionis pœnâ damnetur Accuſator*; putarem etiam in caſu poſito Accuſatorem condemnari debere. Sed de hoc uberiùs alibi.

Quando illam debeat Accuſator ſubire?

Quid ſi Accuſatoris ſententia fuerit fere probabilis?

Quid ſit convincere?

Indiciare. Iudicare. Convincere.

ALiud eſt indiciare (placet potiùs hoc verbum, quàm *indicare*; eſt enim clarius, & Iuridicæ Dialecto congruentius) aliud convincere. Quam ob rem, ut Iudicii naturam altiùs intelligamus, debebimus aliquid plena probatione præmittere.

Quot ſint teſtes ad convincendum requiſiti?

Sanè ille *plenè convictus* dicitur, qui legitimè examinatus, duobus conteſtibus criminis reus probatur: niſi fortè ipſe privilegio aliquo gaudeat, vi cujus hujuſmodi probatio plena dici non debeat. Inde eſt, quod ſpeciali jure ſanctum in aliquibus locis, ut nemo negativus plenè convictus ſit, & in eiſdem unus teſtis & confeſſio rei ſolet plenè convincere, & centum, aut plures conteſtes, ſi rei confeſſio deſit ſemiplenè. Etiam Cardinalibus conceſſum legimus, ut ſeptuaginta, aut pluribus conteſtibus debeant convinci; quæ quoniam ſingularia ſunt, notari debent, non expendi, ut moralis dialecticus judicium & ſententiam pronuntiaturus examinet, An-ne perſona, aut locus ſpeciali aliquo privilegio gaudeat, quod regulas generales immutet.

Locorū & perſonarum privilegia.

SECTIO II.

De Indiciis.

An à definitione an verò à diviſione incipiendum?

EST Regula communis Logicæ, quæ præcipit Vnivoca prius definiri, & poſteà dividi; Æquivoca contra, dividi priùs, & poſteà diffiniri; intellectâ enim Vnivocorum definitione quæ generaliter, & univerſaliter explicat quid res ſit, ad reliqua facili negotio progredimur, ut optimè notavit Ramus 4. *Schol. Dialog.* Gocklen. 5. *Probl.* 47. Picolominæus *in Comit. Polit. p.* 6. *pag.* 10. 19. quibus conſonat Bodinus *3. de Republ. 7.* dicens, ſine definitionibus certis, quod firmum ac ſtabile futurum ſit, conſtitui nihil poſse. Sine definitionibus certis, inquit; dantur enim definitiones bonæ & malæ, certæ & incertæ, è quibus illæ omninò neceſsariæ ſunt, & hæ omninò nocivæ. Hinc eſt quod Legislatores præcipuè à definitionibus incipiant, ut patet *ex l. ſi is qui* 13. *§. utrū. verſ. animadvertendum igitur quid ſit de quo quaeritur. ff. de rebus dubiis. l. 1. ff. de legibus. l. 1. ff. de in jus voc. l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de procurat.*

Definitio duplex: certa & incerta.

An nomen Indicii ſit æquivocum?

Reperio igitur duas oppoſitas Iuriſperitorum ſententias. PRIOR tenet *Indicium* eſſe nomen æquivocum, adeoque ob indiciorum incertam & diſſimillimam naturam non poſſe ſub generali aliquo conceptu, aut etiam definitione comprehendi. Hanc Nobilis & Clariſſimus Fridericus Grüner, & ſub eo Ioannes Adamus Volg in diſputatione Iuridicâ de indiciis & tortura, habitâ Viennæ Auſtriæ anno 1646. *Theſi* I. communem vocat, & tamen pro ea ſolùm Angelum Aretinum *tract. malefic verb. quod fama publica. nu.* 9. & Auguſtinum Arimin *in additionib. ibidem* adducit. Sed puto oppoſitam ſententiam, & communem & veram, & affirmo *Indicium* eſſe nomen univocum & ſtandum POSTERIORI ſententiæ, quæ docet, poſſe omnia indicia unica communi definitione comprehendi.

An duorum vel trium ſententia poſſit appellare communis?

Sed ſub qua? Quidam doctus Iunior hæc habet. [Nos ex multis aliis, qui recenſentur à Fr. Brun. *tract. de indiciis & qu. p. 1. qu. 1. num. 1. & ſeqq.* Menochio *libr. 1. præſump. 7.* Maſcard. *de probat. vol. 1. qu. 15.* Farin. *qu. 36. num. 27. cum ſeqq.* hanc mutuatam malumus à Rhetoricis, qui cum argumentum definiant, quod ſit Ratio, aut Oratio, quæ rei dubiæ fidem facit: indicia autem à Iure-conſultis ſæpè argumenta dicantur *l. 1. §. 1. l. unius* 18. *§. 1. & 2. ff. de quæſt. l. milites* 8. *§. oportet. Cod. eodem. l. 3. §. prætereà. 4 ff. de ſuſp. Tutor. l. 5. §. à barbaris 6. ff.*

Quid ſit argumentum apud Rhetores?

Quid ſit Indicium?

An ſit argumentum?

6.ff. de re milit. non abs re forſan indiciis aptabimus definitionem, quã Rhetores argumeneum deſcribunt. (videlicet) *Indicium eſt quadam probatio, quæ rei dubiæ fidem facit.*]

Notitia multiplex.

Sunt tamen aliqua, ob quæ hanc ego debeam definitionem rejicere, & aliam vetam ſubſtituere. Dico igitur multiplicem eſſe in moralibus rebus notitiam; certam & moraliter infallibilem, probabilem, & fallibilem, dubiam, quæ aperit viam examini. *Certa & moraliter infallibilis* eſt illa, quæ adquiritur informatione plena; *probabilis*, quæ ſemiplena, quæ aliquando oriri poteſt ab indiciis vehementibus; *dubia*, quæ à levibus. Aſſerendum igitur eſt, Indicium non eſſe probationem, quæ rei dubiæ fidem faciat, ſed eſſe potiùs

Vera definitio proponitur & probatur.

Antecedens, ut cujus in poſitivum dubium, aut probabilitatem reducitur propoſitio, quã aliàs eſſe veram nemo ſuſpicabitur. Pono caſum. Reperitur in foro occiſus Ferdinellus, & nemo Antonium præſcindendo ab indiciis ſuſpicaretur homicidam. At conſtat Antonium Ferdinellumque acerrimis verbis contendiſſe, & re incompoſita ſimul egreſſos, & jam dubitari poſitivè incipitur, An-ne Antonius Ferdinellum occiderit? Et exiſtimo in tali caſu nullum dari dubium poſitivum, quod præcedat

Nota bene.

indicia, ſed dari quod indicia ſequatur; ergo indicium dubium excitat, aut inducit & cum dubium præexiſtens non inveniat, rei dubiæ fidem non facit, ſed potiùs rem ipſam, quæ erat indubia, dubiam facit.

Argumentum igitur indicativum eſt, quod aſſumit indicia, & crimen commiſſum infert; & in eo præmiſſæ & conſequentiæ ſunt conſiderandæ. Circa præmiſſas hæc occurrunt.

Quomodo probari debeant?

Primum. *Indicium unumquodque ſive propinquum ſive remotum illud ſit, duobus conteſtibus probari debet. Indicium, ſi unico tantum teſte probetur non eſt verum & certum indicium, ſed probabile. Quod enim de uno teſte omni acceptione majore à Iuriſtis aſſeritur, non de indicio intelligi debet, ſed de facto.*

Audiendus omnino eſt reus, circa indicia.

Secundum. *Non eſt plenè probatum indicium qua indicium, tametſi multi teſtes ſint, ſi reus actionem illam probabiliter excuſare poſſit, & oſtendere alia mente, aut motivo eſſe factam, adeoq; in tali caſu torqueri non poterit.*

Puto utrumque aſſertum ab omnibus debere admitti, adeoque non fatigabor, ut Authores recenſcam. Has tamen conſequentias conſederandas pono.

Conſequentia intelligenda & perpendenda.

I. *Datur unus teſtis delicti, ergo certum, & infallibile eſt illud patratum ab Antonio fuiſſe.* II. *Datur unus teſtis delicti, ergo probabile eſt illum ab Antonio commiſſum.* III. *Datur delicti teſtis unicus, ergo dubium eſt, an Antonius ſit reus.* Tres ſunt argumentationes, quarum meditatio multum proderit aliis quæſtionibus examinandis.

Indicium de illis.

Dico igitur priorem poſterioremque conſequentiam eſſe malam; optimam autem intermediam: prior enim temeritate, & laborat timore poſterior: illa enim plus infert quàm deberet, & hæc minùs. Porrò

Cur non probet plenè unicus teſtis?

unus teſtis delicti plenam probationem non facit, quia ubi unus negat, & alter aſſerit, datur ratio fortis credendi, & datur ratio fortis non credendi, non tamen tanta, quæ moraliter infallibilis ſit, & prudentem animum ad aſſenſum neceſſitet. Nec unus teſtis dicendus eſt occaſio dubitandi: quia in hoc dubium à probabilitate diſtinguitur, quòd hæc rationes poſtulet, illud tamen debili aliqua contentum ſit; &

Quomodo Dubium à Probabilitate diſtinguatur?

tamen ratio, quæ à teſtimonio unius hominis probi, & prudentis deſumitur, tametſi convincens & infallibilis non ſit fortis ipſa, & gravis, ac proptereà probabilis eſt.

IV. *Dantur duo teſtes vehementis indicii factum probabiliter inferentis; ergo certum & moraliter infallibile eſt homicidium ab Antonio commiſſum.* V. *Ergo probabile eſt;* VI. *Ergo dubium eſt.* Et quidem duæ extremæ conſequentiæ temerariæ

Aliæ examinantur conſequentiæ.

ſunt, & quinta ſolummodò bona. SI OBIICIAS ſolere aliquando contingere ut indicia plenam fidem faciant, veliſq; quartam conſequentiam tueri, habebis pro te Iuniorem quempiam doctum dicentem [Indicia aliquando PLENAM fidem faciunt,

An indicia crimen plenè probare poſſint?

puta in Civilib. *l.indicia.19.Cod.de re vindic.* quandoque TALEM quæ à plena non multum abſit *l.1.ff. de qu.* interdum ALIQVALEM.*arg.d.l.1.§. quæſtioni 23. & § ſeq. §.cum quis latrones ff.de qu.*] hoc eſt, Ratio quæ ab indiciis deſumitur, aliquando eſt moraliter infallibilis certa & convincens, aliquando fortis & verè probabilis, & tandem quandoque aliqualis, debilis, & quæ ad dubitandum ſufficiat. SI OBIICIAS

Objectio proponitur ſolviturque.

hæc, reſpondebo negando rationem, quæ ab indiciis ſumitur poſſe eſſe infallibilem, ſed ſemper eſſe debilem, & poſitivè dubitativam, aut tandem probabilem; talem tamen, quæ viam aperire ſoleat argumentis fortioribus, quæ à rei examine, & matura diſcuſſione reſultant. Confirmat

An ob indicia indubitata aliquis condemnari poſſit?

Friderici Gruner Theſis IV. *Ex indiciis* ait, *licet indubitata & propinqua ſint, nemo in cauſa capitali eſt damnandus, ne quidem in criminibus occultis, & difficilis probationis.* At ex notitia plena eſt damnandus; ergo indicia, tametſi indubitata dicantur, nunquam faciunt informationem plenam. NOTO dari indicia, ſi indicia hæc ſunt vo-

can-

canda, quæ quod facto non eareant, illud ſecuriſſimè inferunt; quam ob rem, nunquam negarem hanc conſequentiā, *Vxor Petri ad domum Ioannis ivit, & cum ipſo dormivit: ergo adultera eſt.*

Alia examinantur conſequentia.

VII. *Datur unus teſtis indicii, ergo crimen commiſſum fuiſſe ab Antonio certum & infallibile eſt.* VIII. *Ergo ſaltem probabile eſt.* IX. *Vt minimum ergo dubium eſt.* Et quidem cum quartam & quintam conſequentiam damnaverimus, ſeptima & octava damnanda à fortiori eſt, & ſolum nona examinanda.

De materia qua ſit nulla moraliter.

Valor nullus moraliter.

Pondus nullū moraliter.

Dico igitur in omnibus rebus moralibus dari materiam parvam, nullamque: illam, quæ prudentum æſtimatione parvi ſit; hanc, quæ nihili. In valoris materia eredimus nullum habere valorem politicum, quidquid minus ſit moneta infima: ſic etiam in materia ponderis, putamus omni politico & morali carere pondere, quidquid levius minimo Reipublicæ pondere: ſic randem eſſe indicium leve illud, unde ratio levis deſumitur, & indicium moraliter nullum, quod prudentum judicio tale eſt, ut ne leves quidem rationes parturire poſſit. Tale eſt iodicium etiam proximum uno teſte probatum; aut etiam probatum duobus, ſi contra probationem Reus excipiat, fortes rationes & excuſationes afferendo. Ita Caroli V. ordinationes in verb. *Ein iede genuegſambe anzargung darauff man Peinlich fragen magſoll mit zWay guten Zeugen beWiſen verden art. 29 verſ. es vverde dann. art. 33. & 37. verſ. erkonte dann. & art. 131. verſ. So aber &c.* VVeſembecius *in Parat ff. de qu. num.* 7. Farin. *qu.* 37. *nu.* 42. *arg. l. ubi numerus. ff. de teſtib.* Diſſentit tamen Blanc. *de indiciis nu.* 47.

Indicium nullum moraliter.

Porrò ſtando ſummo rigori, ſi detur unicus teſtis levis indicii, dicam probabile eſſe dari rationem levem, aut nullam, quia leve indicium plenè probatum ratio levis eſt, & ſemiplenè probatum eſt indicium probabile. Cum igitur ratione quæ certò eſt levis, debilior illa ſit, quæ probabiliter eſt levis, vel nulla, dicendum eſt argumentationem quæ ab indicio levi ſemiplenè probato deſumitur eſſe minorem levi adeoque moraliter conſideratam, hoc eſt prudentum virorum judicio, eſſe nullam.

An & quomodo elidantur indicia?

Sed qui poterunt elidi indicia, ſi benè, & plenè probata ſunt? Reſpondeo probationem duorum teſtium eſſe plenam, quouſque Reus probabiliter ſuadeat, aut illos non eſſe fide dignos ratione perſonarum, aut eorum aſſertionem eſſe veroſimiliter falſam. Et quidem in indiciorum materia, enervatur accuſatio & probatio, ſi indicia contraria adæquatè probentur, ſi adverſus probatum indicium teſtes contrarium deponentes dentur; & aliquando, ſi Reus juramento purgetur. Quæ omnia receptiſſima ſunt, nec indigent probationibus aliis.

Indicium quotuplex.

Indicium commune & proprium.

PRimò Indicium dividitur in commune & proprium. Illud omnibus criminibus aut ſaltem pluribus commune eſt; iſtud eſt ſpeciale, & delictum determinatum inſinuat. Petrum enim eſſe ex pauperibus parentibus natum, carere patrimonio & officio, & tamen multa annuatim millia ducatorum expendere, videtur ſuadere eum injuſtè pecunias lucrari; non tamen rapere aut furari, cum aliis multis modis ditеſcere poſſit iniquitas. Quod ſi prodigalitatem Petri, rei alienæ & furto ablatæ poſſeſſio concomitaretur, jam ipſe eſſet de furto, aut lattocinio in particulari indiciatus.

Proximum & remotum.

Indicium indicii.

Secundò Indicium dividitur In proximum remotumque: illud eſt, quod infert crimen; hoc quod indicium criminis: unde aliis verbis poſſet dici, indicium proximum eſſe indicium criminis, & remotum eſſe indicium indicii.

Certum probabile & dubium.

Tertiò alii dividunt indicium in indubitatum certumque probabile, & dubium. Et hoc duplicem habere poteſt ſenſum. Quoniam nomine indicii indubitati, aut probabilis intelligi poteſt efficacia, & poteſt indicii exiſtentia. Efficacia quidem. Indicium enim infallibile eſt, quod infallibiliter eſt cum effectu conjunctum: probabile quod eſt conjunctum probabiliter: dubium quod leviter. Si agatur non jam de virtute illativa indicii, ſed de exiſtentia ipſius indicii, dicam nos ſolùm agere de indicio cujus exiſtentia plenè probata eſt; Illud enim cujus exiſtentia plenè non probatur plenè, juridicè indicium non eſt.

Indicia debent plenè probari.

Hac doctrina præmiſſa conſequentiæ aliquæ criminales veniunt examinandæ.

SECTIO III.

De Principum veracitate.

Quæſtio proponitur.

EXaminabitur cauſa Ambroſii: implicata & difficilis: imò & periculoſa, Vir enim nobilitatis ſummæ illum oculato teſtimonio opprimebat. Hanc ob rem me interrogarunt Iudices, An unicus teſtis, ſi eſſet Princeps, vel Rex, ſufficeret ad informationem plenam?

Quàm claræ debeant eſſe informatio, ut reus condemnetur?

Reſpondeo primò probationes, vi quarum condemnetur Reus, debere eſſe clariores luce meridiana *l. qui ſententiam. 16.*

l. cum

l.cum reis. 18.*C. de pœnis.l. abſentem.* 5. *ff. eod.* Caroli V. Ordinationes, *art.* 22. *Novel.* 13.*cap.quia igitur.*2.*ibi.l.ult.C. de probat.* Clar. §. *fin. quaſt.* 66.*verſ. debent autem*.

An omnes Principes ſine fide digni?

Reſpondeo ſecundò non ſufficere Principis aſſertionem aut teſtificationem, ut Reus debeat damnari. Matthias Stephani *ad conſtit.Caroli art.*22.*n.*5. Hancq; reſponſionem multis poſſem teſtimoniis firmare, ſed unam aut alteram hiſtoriam doctrinæ cauſa ſubjungo.

Iezabella licèt Regina, calumniatrix & mendax.

In ſacris litteris multa ſunt exempla, quæ probant eſſe Regem, & eſſe veracem diſtingui. Nota eſt Iezabella Regina, Achabi Iſraelitarum Regis uxor, quæ Nabothum falsò accuſari & lapidibus obrui præcipit, ejuſque vineæ occupationi viam aperit. Vide totam hiſtoriam 3. *Reg.* 21.& mecum ad Chriſtianos tranſi; qui cum ſint Chriſti quædam ſæculares imagines, aut ad vivum non erunt, aut veraces erunt, quia Chriſtus Via, Veritas, Vita eſt. Et quidem in Breviario Monaſtico ſeu Benedictino ad diem Maii ſeptimam, S. Staniſlai Cracovienſis Epiſcopi & Martyris ſolennitatem celebramus & ſub Matutinum ejus hiſtoriam legimus, & in ipſa has periodos [Erat tum Poloniæ Rex Boleſlaus, quem graviter (Staniſlaus) offendit, quod illius notam libidinem publicè arguebat. Quare in ſolenni Regni conventu Staniſlaum per calumniam in judicium coram ſe vocari curat, tanquam pagum occuparet, quem Eccleſiæ ſuæ nomine coemerat. Quod cùm neque tabulis probare poſſet, & teſtes veritatem dicere timerent, ſpondet Epiſcopus, ſe Petrum Pagi venditorem, qui triennio ante obierat, juxta dies tres in judicium adducturū. Conditione eum riſu accepta, Vir Dei toto triduo jejuniis & orationi incumbit; ipſo ſponſionis die poſt oblatum miſſæ ſacrificium Petrum è ſepulchro ſurgere jubet; qui ſtatim redivivus Epiſcopum ad Regium tribunal, euntem ſequitur, ibiq; Rege & cæteris ſtupore attonitis, de agro à ſe vendito, & pretio ritè ſibi ab Epiſcopo perſoluto teſtimonium dicit, atque iterum in Domino obdormivit.] *Et deſcendendo* ad noſtra tempora memorabile exemplum de Henrico II. Chriſtianiſſimo Galliarum Rege habet Bodinus *lib.* 6. *de Republica.cap.*6. ubi ait, *Iudices, ſi judicandi religione ac legibus obligati, Regi in dānando Reo ex ſola Regis aſſertione paruiſſent, Carnifices ad Parricidas potiùs, quàm Iudices videri potuiſſe*. ETIAM in cauſa Barnaveld apud Hollandos, quia Principis Mauritii nimium teſtimonium fuit creditum, multa facta, obliquæ judices ab Hiſtoriographis dicuntur fuiſſe *procuratores*, qui non examinare cauſam, ſed capitalem ſententiam juſſi pronuntiare deberent.

Staniſlaus Piſſimus, & Martyr.

Boleſlaus licèt Rex, calumniator & mendax.

Innocentia omnipotens: mortuos excitat.

Henricus II. licèt Rex calumniator.

De cauſa Barnevaldii.

An ſufficiat ſi aliquis Princeps dicat, Ego vidi, Ergo dānetur?

Sed & nuper Princeps N. indixit Domino N. amico meo militum Iudici, ut Titium, qui ſe præſente peccaverat, morte damnaret; at Iudex Principi; Exhibeat Sereniſſima Tua Celſitudo teſtes, re examinata ego, ſi convincatur, condemnabo; ſi non convincatur, dimittam. Se eſſe abſolutum clamat Princeps, nec à teſtibus pendere. At reſpondet Auditor, Ergo carnifici dicatur, non mihi; qui non aliter, quàm juxta allegata & probata procedo. Adquieſcit Princeps. Exhibentur multi teſtes, multi examinantur; & tandem Titius liber mittitur. Porrò hominum errare eſt; nec Principes humanitatem exuunt cùm dignitatem induunt; adeòq; cùm etiā Principes fallere poſſint, & falli ſoleant, non debent tanti credi, ut unus ad plenā probationem ſufficiat. [Hinc diſces, quòd debeas de Epiſcopis, Abbatibus, & aliis Eccleſiaſticis Principibus pariformiter philoſophari.]

Notentur hæc quia ſæpiſſimè prodeſſe poterunt.

N O T A.

De libello, quem in Tribunali Advocatus producit: & de Sententiâ Definitivâ, qua Iudex Libello reſpondet.

An Advocati Libellus eſſe debeat integer Syllogiſmus?

SI Logicam Advocatus ignoret, turbabit Iudices, & tempus, aliàs pretioſum, prodiget. Debet ita primum conformare Libellum, ut legitimum ſyllogiſmum contineat. Ex Zaſio & Oldendorpio hæc habet Spiegelius. (*Libellus*, ſyllogiſmus quidam Iuridicus eſt, cujus Propoſitio (Major) Axioma Iuris continet: Aſſumptio (Minor) ſpeciem facti: Concluſio petitionem. D.Vult. *ind. titul. de act.num.*41.Zaſius *ibid*. Vt ecce, cum ita dicimus.

Iure ſtatutum eſt, poſſeſſorem injuſtum rei alienæ teneri ad reſtitutionem ejus domino rectè vindicanti.

Sed Titius poſſidet me invito, & injuſtè rem meam: nec vult reſtituere.

Quare peto, Titium condemnari & compelli, ut mihi eamdem rem reſtituat.

Hic vides Majorem Propoſitionem, Minorem, & Concluſionem.) Hæc ille.

Sententia debet eſſe perfecti ſyllogiſmi concluſio.

Sicut Advocati Libellus, ſic & ſententia Iudicis debet ex legitimis præmiſſis oriri, & ſyllogiſmum claudere. Quoniam Majoris loco Iudex legem ſupponit: Minoris loco ſpeciem facti, & inde concluſionem, hoc eſt Sententiam, quam pro-

nunciat, deducit. Puta, ſi non probetur Titium rem alienam poſſidere & Iudex

Supponat ex Iure, *Poſſeſſorem eſſe manutenendum, quamdiu non probetur poſſidere illegitimè.*

Videat in proceſſu, *Titium eſſe poſſeſſorem injuſtum non eſſe ſufficienter probatum.*

Et inferat, *Ergo manuteneri in ſua poſſeſſione debet Titius.*

Hæc Concluſio eſt ſententia, quam Iudex pronunciat: quæ naſcitur ex præmiſſis, quam ſine exacta cognitione Dialecticæ proferre non poteſt.

Cauſa Iuridica interdum ſunt de mera Logica.

Et quidem interdum cauſas in Senatu graviſſimas eſse tantùm de logica, potero demonſtrare Epiſtolam ſequentem adjungendo.

Occaſio ſcribendi.

Caſus proponitur.

INvaſerant Salvienſes Baronias Caſtellarii & Petullæ, & volebant authoritate Regia manu-teneri, quia invaſionem vocabant poſseſſionem, & ex Iure etiam latro eſt manutenendus. Epiſcopus Satrianenſis contrà, cùm eſset territorii dominus Baronias illas eſse liberas, & nullam habere ſervitutem probabat: ut tempora tulerunt tres cauſæ Commiſsarii, qui proceſsum legerant, ab Epiſcopo fuerunt; tandem venitur in Sacro Conſilio ad ſententiam, & ex quatuor Iudicibus, qui adetant, duo pronunciarunt, *Manuteneatur Eccleſia*: & alii duo, *Detur terminus Salviæ*; non enim auſi ſunt dicere, *Manuteneatur*. Erant Viri doctiſſimi, qui hic non fuiſse paritatem contenderent, quia ut loci manuteneatur dominus, ſufficit non condemnari in Tribunali, nam ab ipſo ille Iure maoutenetur. At ego litigandi tædio, ut cauſam evidenter & certam citiùs expedire valerem, petii novos Iudices, qui paritatem, ſiqua fuerat, dirimerent, & terminum moleſtæ controverſiæ imponerent. Denominavit tres Prorex Eminentiſſimus, doctiſſimos & integerrimos, quibus Ego has literas, ut puto opportunas, ſcripſi.

An in hoc judicio fuerit paritas?

Illuſtriſſimi Domini.

SVmma patientia audiviſtis utriuſque partis (Salviæ & Eccleſiæ) Advocatos. Quæ illi fusè ſcripſerunt, debita attentione legiſtis. Ergo, qua eſtis humanitate præditi dignemini Epiſcopum, cujus cauſa agitur, breviſſimè diſcurrentem audire, & has paucas lineas perpendere. Nec vobis videri debet grave, præbere aurem Philoſopho, nam & vos eſtis etiam Philoſophi, ſiquidem veſtro Iuſtiniano ex Vlpiano aſserente, *verum Philoſophiam, non ſimulatam affectatis.* Igitur, ab ipſa Reſolutione incipio. Attendite.

Vlpianus lib. 1. Inſtitut. Iuſtinianus leg. 1. D. de Iuſtit. & Iur.

Sic inquam. *Circumſtantiis omnibus bene perpenſis, & legitimè conſideratis, eò cauſa Epiſcopatus Satrianenſis pervenit, ut impræſentiarùm non de Iure, non de Facto, ſed tantùm diſceptetur de Logica.* Hanc ſum Reſolutionem breviſſimè & clariſſimè demonſtraturus. Quam ob rem ſic dialecticor.

Ædificia poſſunt in ſervitute naſci: at montes, flavii, &c. fuerunt in ipſo initio libera.

An ſervitus probata fuerit?

Hæc Propoſitio, *Agri, Campi, Montes & Flavis naſcuntur liberi; & ideò præſumendi ſunt liberi quamdiu ſervitus non ſit ſufficienter probata*; eſt indubitata: nam licet ædificia naſci poſſint alicui ſervituti ſubjecta, non autem agri, campi, monres, & fluvii, quos Deus liberos condidit. Ergo jam non eſt Quæſtio de Iure.

Hæc Propoſitio *Paulus Luvianus & Salvienſes paſcendi lignandi & aquandi in Caſtellario ſervitutem non probarunt ſufficienter*, eſt uniformi Patrum Conſcriptorum in Sacro Conſilio reſolutione deciſa. Sic enim definierunt, qui dixerunt, *Manuteneatur Epiſcopus*; ut manifeſtum eſt. Sic etiam definierunt, qui dixerunt, *Detur terminus parti*; Si enim judicaviſſent fuiſse illam ſervitutem à Salvienſibus ſufficienter probatam, non utique dixiſſent, *Detur terminus parti*; ſed dixiſsent & dicere omninò debuiſsent, *Baro & terra Salviæ Cives manuteneantur.* Ergo omnes quatuor Senatores in hac Propoſitione *Baro, & Salvienſes nondum intentum ſuum ſufficienter probarunt*, convenerunt. Ergo jam non eſt Quæſtio de Facto.

An agatur de ſola Logica?

Sed quo vertitur cardo difficultatis? Vt videatur quænam ſecundum Dialecticæ leges ex his duabus præmiſſis conſequentia inferatur: omnis enim tam Civilium quàm Criminalium Tribunalium ſententiæ ſunt concluſiones quædam ex Iure & ex Facto tanquam ex præmiſſis illatæ.

Illuſtriſſimi Domini N. & N. diſcurrunt & pronunciant ſic.

Primus Syllogiſmus conſideratur.

Agri campi, montes, & fluvii naſcuntur liberi; & ideo præſumendi ſunt liberi, quamdiu ſervitus non ſit ſufficienter probata.

Servitus paſcendi, lignandi & aquandi in Caſtellario non fuit à Barone & terra Salviæ Civibus ſufficienter probata.

Ergo campi montes & fluvii Caſtellarii ſunt liberi.

Ergo manuteneatur Epiſcopus & Baro & terra Salviæ cives abſtineant.

Videntur Conſequentiæ ſuo pondere

juxta

juxta bonæ Logicæ leges ex datis Præmiſſis profluere.

Cæterum Illuſtriſſimi Domini N. & N. maluerunt diſcurrere & pronunciare ſic.

Syllogiſmus ſecundus cõſideratur.

Agri, campi, montes & fluvii naſcuntur liberi; & ideo præſumendi ſunt liberi, quamdiu ſervitus non fuerit ſufficienter probata.

Servitus paſcendi lignandi & aquandi in Caſtellario non fuit à Barone & terra Salviæ Civibus ſufficienter probata.

Ergo detur terminus parti. &c.

Et quidem non videtur hæc Conſequentia poſse à datis præmiſſis deduci. Immò contraria deberet, ut opinor, inferri.

Vos igitur Patres Conſcripti; quos ſcientia doctrina & prudentia reddunt ab omni hallucinationis aut æquivocationis ſuſpicione ſecuros, ſub quibus Pietas Probitas & Sanctitas reddunt Leges & Iura ab omni ſiniſtræ expoſitionis ſuſpicione ſecura, Deum habentes præ oculis, quod huc uſque cum magno Reipublicæ bono, & veſtrarum commendatione Perſonarũ, feciſtis & facere pergitis, Cauſæ finem imponite: erroreſque ſi quos fortè commiſit Antiſtitis injuſtè afflicti calamus quæ cœlitùs donati eſtis, clementia & humanitate condonate.

SECTIO IV.

De Praxi judicandi.

An judicia divinitus interdicantur?

NOn interdicit Deus omnia judicia, ſed temeraria tantum; judicia enim ſive privata, ſive publica, licita ſunt, modò limites prudentiæ non videantur tranſgreſſa. Pius igitur & Deum timens Superior, ſciat ſe non poſſe contra proximum procedere, ni ſufficienter informatus putet ſincerè, conducere ad majorem Dei gloriam & Reipublicæ ſecuritatem & commoditatem proceſſum.

Modi morales.

Primò igitur debet benè cognoſcere formarum ſyllogiſticarum efficaciam; Ipſæ ſunt; Faelitis, Placidi, Magistri, Paridis, Rapidi. Et ut ab ultima incipiamus, exiſtimo omnia quæ in tribunalibus aguntur, eſſe gravia, nec debere ex levibus motivis procedi; unde tenendum Iudicem inſtructum civili ſyllogiſmo, facto in *Rapidi*, non poſſe ad torturam, imò neque ad inquiſitionem procedere, ni velit temerariam & pernitioſam ordiri litem propter quam debeat teneri in ſyndicatu, cùm cauſæ à Superioribus recognoſcantur. Vel dicito; quis non ſcandalizaretur, ſi audiret Iudicem ſic argumentantẽ: *Bari Monachi fuerunt heretici, Bernardus eſt Monachus, ergo & hereticus?* Porrò conſequentia temeraria eſt; & ut in legitimam tranſiret, deberet temeritatis modo affici, & ſic inferri. *Ergo, niſi majora indicia addantur, temerarium erit dicere Bernardum hæreticum eſſe.* Ergo, ſi temeratium, peccabit Iudex, qui contra Bernardum, eum torquendo, capiendo, examinando, aut qualitercumque inquietando, procedat.

Quantam vim habeat Rapidi?

Peccat Iudex, qui temerè contra reum procedit.

Quantam Paridis?

Forma *Paridis* dat ratiocinium ad capturam & inquiſitionem ſufficiens; tunc enim culpam & innocentiam redigit ad probabilitatem; non tamen hujuſmodi ſyllogiſmi virtute poterit Reus torqueri, quoniam tametſi ſit nocens probabiliter, innocens probabilius eſt. Conſideretur hic diſcurſus, *Non ſunt vulgi clamores & infamia indicia contemnenda, quoniam multi quos fama accuſavit, rei inventi ſunt, tametſi plures manſerint innocentes: at fama Ioannem de latrocinio accuſat; ergo probabile eſt eum eſſe latronem, eumque eſſe innocentem probabilius.* Teneo igitur hujus virtute ſyllogiſmi poſſe inquiſitionem juridicam inſtitui, & ne contingat Ioannem effugere, poſſe illum capi: teneo tamen illum ob meram famam torqueri non poſſe; ſama enim, ut experientia docet, eſt indicium minus probabile [Dictum enim unius facilè ſequitur multitudo. *c. cùm in juventute. 14 extr. de purg can.* hinc quo vehementior fama eſt, eò ſubinde fallacior. *arg. l. cùm mater. ff. de ineff. teſt. L. ult. ff. de hæred. inſt.* & ad nocendum à malevolis ſparſa, ut plurimum vana, nec audienda. *l. decurionem. C. de pœnis.* Zanger *tract. de quæſt. & tort. cap. 2. num.* 82.]

An famæ credendum?
An ob ſolam famam aliquis torqueri poſſit?

Fama bene fundata eſt plus quàm fama.

Et hic obiter nota, non eſſe meram famam illam, cujus origo ſcitur, & eſſe bene fundatam vulgò conſtat: hæc enim præter vocem communem dicit cauſam & fundamentum talis vocis, & dicunt Viri prudentes ad torturam ſufficere. Et hac via conciliantur ſententiæ, quæ oppoſitæ videntur, & non ſunt.

De captura, & tortura.

Ad torturam plus, quàm ad capturam aut inquiſitionem requiritur, adeoque Iudex ita debet procedere, ut ſaltem habeat ſyllogiſmum in *Placidi*, vi cuius veroſimilius ſit captum eſſe nocentem; quoniam ut habet Regula Iuris. *In ambiguis obſcuriſque ſequi debemus quod eſt veroſimilius, aut quod plerumque fieri conſuevit.* Videretur mihi, ut condemnarem Antonium ad torturam, iſtum ſyllogiſmũ ſufficere. *Tametſi multi extra judicium fateantur homicidium, quod non perpetrarunt, ob aliquam neſcio quam vanam gloriam, quæ poteſt ex fortitudinis & audaciæ commendatione ſuboriri: experientia docet*

Quantam vim habeat Syllogiſmus in Placidi?

Quinam torqueri poſſit?

plures nonniſi veraciter in re tam periculoſa loquutos: Antonius extra judicium narravit confidenter, quo Fridericum modo occiderit, ergo vero-ſimilius eſt eum homicidium commiſiſſe.

De mediis Magiſtri & Fallitis.

Major difficultas inſurgit, quia interrogas, quid debeat Iudex facere, ſi formetur ſyllogiſmus in forma *Magiſtri* vel *Fallitis*, hoc eſt, an poſſit condemnari torturâ, quem eſſe reum eſt probabile, & eſſe innocentem æquè probabile? an capite, quem eſſe homicidam omni probabilitate certius eſt, nec tamen omninò certum eſt.

Quantam efficaciam prior habeat?

An poſſint dari probationes æque probabiles?

Ad inſtantiam, quæ ex *Magiſtri* formâ ſyllogiſticâ ſumitur, reſpondeo rarò contingere poſſe, ut ratiocinia in hac formâ eliciantur; quod ſi in illâ darentur, viderentur non ſufficere ad torturam; quia cùm leges nihil de hac materiâ determinaverint; in rationum paritate ne plus deferatur actori quàm reo, hic torquendus non eſt. SED NON ADQVIESCIS, & citas Recentiores dicentes [Interim tamen non negandum cum Carpzovio *prax. crimin. part. 3. quæſt. 122. num. 36.* quod ſanguis interfecti profluens ante oculos occiſorum faciat judicium ad torturam, ſi alia adminicula concurrant, non levia ſed probabilia & veroſimilia.] & ſic ais. At indicia in formâ *Magiſtri* imò etiam in formâ *Paridis* ſunt gravia & veroſimilia: ergo ad torturam ſufficient. ET RESPONDEO Authores iſtos probabilitatem cum probabilioritate confundere; & nos putare probabilitatem ad capturam & inquiſitionem; ad torturam verò probabilioritatem requiri.

Debet Probabilitas à Probabilioritate diſtingui.

Quantam poſterior?

An certitudo moralis ad condemnationem ſufficiat?

Vt reſpondeam ad alteram, fateor formam *Fallitis* eſſe fortiſſimam, at puto, ejuſmodi ſyllogiſmo nullum plenè convinci, adeoque nullum poſse damnari. Conſidera ſequentem ratiocinationem. *Ferè omnes qui inciderunt monetaria ſigilla, monetam falſam percuſſerunt; at Claudius ſigilla monetaria incidit; eum igitur falſam monetam percuſſiſſe omni probabilitate certius eſt non tamen illud omninò certum eſt. Ergo mandari igni debet.* Et dico totum ſyllogiſmum bonum eſse; ejuſque conſequentiam priorem neceſsariò admittendam; at ſecundam eſse exorbitantem, crudelem, & omninò illegitimam. Placet mihi Friderici Grüner ingenium, & in reſolvendo ſuavitas prudentiaque, ideoque illum ſrequenter in hac Diſputatione citaturus ſum, malo enim Theſibus quàm libris uti, cùm quia in Theſibus curioſiora ſolent ediſseri, in libris enim non omnia ſint æquè curioſa; tum etiam quod librorum doctrina, ſæpe à nullo, ſæpe ab indocto Cenſore examinata ſolum Authoris nomen præ ſe ferat; Theſes verò authoritate conſenſu & examine illuſtrium Doctorum proponantur, & in Vniverſitate propugnentur, quæ non eſt permiſsura in ſuis ſcholis doctrinam pravam aut periculoſam defendi. Gruner igitur in Iuridicâ diſputatione habitâ Viennæ in Auſtriâ menſe Auguſto, anno 1646. theſi IV. ſic inquit. [Ex indiciis tamen, licèt indubitata & propinqua ſint (*vel meo Lexico: licet à forma* Fallitis *in bona conſequentia deducantur*) nemo in cauſa capitali eſt damnandus. *l. qui ſententiam. 16. l. cum reis. 18. C. de pœnis. l. abſentem. 5. eod. ordin. art. 22.* nec immeritò, cùm in criminalibus de anima, *novel. 13. cap. quia igitur; ibi, quibus ſuper animabus;* aut de ſalute hominis agatur. *Ordin. art.* idcirco probationes luce meridiana clariores eſſe debent. *l. ult. C. de prob.* Clar. *S. fin. qu. 66. verſ. debent.* Vt ne quidem in criminibus occultis & difficilis probationis (ex indubitatis indiciis damnari poſſit) *Hippol. de Marſil. in repetition. rubr. C. de probat. num. 236. & ſequentib.*] Sed puto his non obſtantibus admittenda eſſe indicia infallibilia, vi quorum formetur ſyllogiſmus in *Capicis* & poſſint homines damnari capite. Quoniam tametſi ad ultimam condemnationem non ſufficiat Probabilitas, nec Probabilioritas, ſufficere videtur Infallibilitas, cùm ita indicium inſert factum, ut ſine temeritate admitti non poſſit exceptio.

Gruner laudatus.

Vtra librorum, an Theſium doctrina ſit majoris facienda?

Ob indicia nemo capite plectendus eſt.

Niſi ſint infallibilia, & ſyllogiſmus in modo Canullis formetur.

Qui ſcire Iudex poſſit in quâ forma Syllogiſmus formari debeat?

Quid in praxi faciendum ſit?

SI hac ſcientia ipſe caruerit, non poterit officio ſatisfacere. SIT REGVLA. *Propoſito indicio, & crimine iudicato prudens Iudex formet majorem poſitionem in omnibus formis, & poſtea ſingulas attentè conſideret, & electa poſitione veriſſima ſuũ ipſe ſyllogiſmum inducat.* Pono exemplum. Accuſatur de homicidio Franciſcus, & indicium conſiſtit in hoc quod Franciſci pileus fuerit in loco delicti repertus: Iudex igitur has ſibi poſitiones conſiderandas & cenſurandas proponit, nimirùm.

Harum propoſitionum veritatem vel falſitatem debet Iudex eruere ex librorum lectione, propria experientia, Aſſeſſorum iudicio, &c.

Cuncti homines, quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt.

Fere omnes, quorum res in loco delicti perpetratò inventa ſunt, reò fuerunt.

Plures, quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt.

Media pars illorum, quorum res in loco, deli-

delicti perpetrati inventa ſunt, rea fuit.
Pauciores, quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt.
Rari ex illis, quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt.
Nulli ex illis, quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt.

Examinantur ſingula propoſitiones. Omnes prolixè ſcribat, ut attentiùs conſideret, & reperiet primam & ſecundam eſſe falſam, ſæpè enim contingit caſu, aut etiam aggreſſoris malitia rem alienam in criminis loco reperiri. Poſſet enim contingere, ut ubi Franciſcus caſu pileum perdidit, ibi à Paulo Ioannes occiſus ſit: poſſet etiam, ut Paulus in utriuſq; odium, & Ioannem occideret, & Franciſci pileum apud cadaver projiceret, ut Franciſcus in foro criminali plecteretur. Tranſit Iudex ad tertiam, & eam eſſe veram ſinceré judicat; nec habet, unde temerè ſe judicare exiſtimet, cum ejuſdem opinionis fuerit *Quænam ex illis vera?* Blanc. *de indic. num. pen. & ult.* & Carolus V. *in Ordinatien. ſuarum art. 29.* Porrò, ſi, tertia poſitio vera eſt, ſic debet in formam *Placidi* formari moralis ſyllogiſmus, *Plures quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt; In loco, ubi Ioannes* *Probabilitas ſufficit ad torturam: & ad capturam probabilitas.* *occiſus eſt, pileus Franciſci inventus eſt; ergo probabilius & veroſimilius eſt Franciſcū occidiſſe Ioannem.* Capi ergo poteſt Franciſcus, & examinari, & vi hujus etiam indicii torqueri.

De minori ſyllogiſmi moralis.

Indicia debent plenè probari. Ipſa quæſtionem facti involvit, & debet plenè eſſe probata; quod ſi ſemiplenè probetur, erit minoris efficaciæ, & habebit effectum multò debiliorem; adeoq; putamus minorem, quæ plenè probata, damnaret, ſolummodò torturam inferre, ſi ſemiplenè probetur. Illamque, quæ plenè probata poſſet torquere reum, non poſſe ſemiplenè probata plus facere quàm capere & examinare. Et tandem illam quæ *Quid ſi tantū ſemiplenè probentur?* plenè probata reum caperet aut inquiſitionem inſtitueret, ſemiplenè probatam nullius efficaciæ eſſe.

Neque id bene. Quid, ſi minor, ne quidem ſemiplenè probetur? quid ſi dentur indiciorum indicia? tunc valde cautè debebit procedere Iudex, nec audere, aut hominem capere, aut inquiſitionem inſtituere.

De forma Capitis, *ſeu* Darii.

Eadem eſt, ac forma quæ Capitis vocatur. Eadem forma, quæ à Logicis Scholaſticis vocatur *Darii*, à moralibus *Capitis* dicitur: quam quòd minus videatur ad moralitates ſpectare, ex numero moralium formarum ferè excluſimus. At nunc aliqua de hac eadem forma ſubjungemus. Dicimus dari propoſitiones univerſales, moraliter veras, quas non libenter cum indiciativis confundimus; quas ſi inter indiciativas jubear enumerare, vocabo infallibiles, ut à reliquis indiciis diſtinguantur. Nam adulterium non aliter poteſt probari à conteſtibus, quàm ſi dicamus, *Omnis qui nudus in lecto cum aliena conjuge nuda recumbit, adulter eſt: at Froilanus inventus eſt à Paulo & Friderico nudus cum nuda Ambroſia uxore Franciſci dormire: Froilanus igitur adulter eſt*; & *Indicia infallibilia.* putamus hoc ſyllogiſmo, ſi minor plenè probetur, adulterum plenè convinci. Quod non volumus ad Sodomiam ita retorquere, ut qui convincitur cum puero dormiiſſe, eſſe infandi criminis reus, plenè convictus aſſeratur: hoc enim crimen ipſamet natura humana reformidat, & inter *Mutata materia interdum fallunt.* adulterium & ſodomiam diſcrimen maximum ponendum eſt. Nemo enim cum aliena uxore condormit, qui illa frui nolit, at cum puero poteſt ob alias cauſas, etiam libidinoſas & peccaminoſas mortaliter; nec certò dicendus eſt Sodomita; qui poteſt fuiſſe mollis. Crederem tamen *Adulterium. Sodomia. Mollities.* condormitionem ſolam, ſi procurata videretur, nec cohoneſtaretur aliqua neceſſitate, ad vehementem mollis animi & corporis ſuſpicionem prudenter habendam ſufficere.

De purgatione Indiciorum.

Rei erit ad minorem reſpondere, quæ ſi plenè probata ſit, magna induſtriâ & prudentiâ opus erit. D. Fridericus Gruner *in diſput. Iuridic. theſ.* XXVIII. *Indicia eliduntur rationibus* ſic inquit [Si tamen Reus indicium aliàs per ſe ſufficiens, ac per duos teſtes probatum, aliqua diſtinctione elidere poſſit, & oſtendere, quod aliâ mente factum ſit; dicendum eſt, eum ex illo torquendum non eſſe. *Ordin. art. 29. art. 33. art. 37. & art. 131.*]

contrariis indiciis; Præterea indicia tolluntur contrariis indiciis, VVeſenbecius *in parat. ff. de quæſt. num. 7. in fine* Boër. *deciſ.* 165. *num.* 10.

teſtibus: & Etiam ipſa tolli poſſunt per teſtes. Puta ſi dentur, qui teſtificentur contrarium. Maſcard. *de probat. vol. 2. concl. 904. num. 1.* Menochius *lib. 5. præſ. 48.*

juramento purgatorio. Iuramenti purgatio nullo eſt modo admittenda in forma *Capitis*, vel *Fallitis*; quoniam licèt quandoque admitti poſſit, ex his quæ tradit Guil. *2. obſerv. 48. n. 30. cap. ult. extr. de purg. canon.* & Zanger *de quæſt. cap. 3. n. 26.* ſemper indicia nimia excipi debent & ſolent; unde Gruner *Theſi* XXX.

XXX. ſic inquit. [Indicia.... ſubinde etiam juramento purgātur; niſi fortè indicia nimis quàm urgentia ſint. Maranta *in ſpecul p. 6. tit. de queſt. n. 12.*] ponit reum talem eſſe, qui non debeat perjurus præſumi. Porrò indicia nimis quàm urgentia, ſunt certa moraliter, & omni probabilitate certiora, quæ ponuntur in formis *Capitis* & *Fallitis*.

Quæſtio incidens.

SED PETIS, *An purgatio debeat eſſe evidens, an ſufficiat, ſi ſit merè probabilis?*

Quantum certitudinem purgationes requirant?

Dantur in hac materia duæ opiniones: prima purgationem probabilem, ſecunda evidentem requirit. Hanc ultimam ſequutus eſt Gruner *theſi* XXIV. ubi ait (Niſi delatus vivis & luce meridiana elarioribus (*hoc eſt*, evidentibus) rationibus demonſtrare queat (*nota vim verbi* demonſtrare) ſe ea materia ad finem licitū uſum eſſe, per *Ordin. art.* 41. & Matt. Stephan. *ibid.*) Primam tenuit idem Gruner *theſi* IV. docens probationes contra reum luce meridiana elariores eſſe debere; cùm tamen certum ſit illas, quæ probabiliter eliduntur clariores luce meridiana non eſſe. Conſonat ſibi *theſi* XXVIII. ubi ut enervetur probatio, non jam evidentiam, ſed aliqualem diſtinctionem poſtulat, vi cujus indicium duobus teſtibus probatum elidatur. Et puto in favorem rei, hanc ſententiam ultimam ſolummodò tenendam eſſe.

SECTIO V.

De Moralium Syllogiſmorum aliis Formis, Figuriſque.

FOrmavi Syllogiſmos morales in prima figura Ariſtotelica, quæ hoc ævo videtur notiſſima & receptiſſima, & quia puto Modos ſuperiùs deſignatos, & denominatos ſufficere, te opponis, & utrum poſſim alias etiam figuras appropriare, requiris. Et ego aſſertivè reſpondeo, & tabulas iſtas ſubſcribo.

Omnes hi Modi demonſtrantur.

TABULA I. ACCUSATRIX.

Dicatis.	Infamis.	Triplatis.
Immanis.	Diſparis.	Piratis.
Ignoti.	[Immunis.	Impulſi.]
Capitis.	*Fallitis.*	*Placidi.*
Magiſtri.	*Pavidis.*	*Rapidi.*
Nobilis.	[*Mugivit.*	*Pudici.*]

** Poſſem omnes iſtos Accuſandi & excuſandi Modos Exemplis manifeſtis oſtendere; tametſi enim Nova Methodus ſit, ea, quam hic trado & dilucido, etſi caruerunt illa, id quod ea præſtat D. Donatus de Marinis, & alii Ingenio De Flores, ducti à ſola naturali Dialectica, in multis locis, & cauſis præſtiterunt in praxi, ut eorum doctiſſima ſcripta teſtantur.*

TABULA II. EXCUSATRIX.

Hi nondum ſunt ſecuri & perfecti.

Carolo.	Famoſo.	Plagoſo.
Mammoſo.	Parrocho.	Ramoſo.
Nodoſo.	[Muſcoſo.	Punctoſo.]
Caſpio.	Faſcino.	Placido.
Mario.	Pario.	Radio.
Notior.	[Muſico.	Putior.]
Ocaſtor.	*Olfactor.*	*Opplaſtor.*
Ormabor.	*Opaſtor.*	*Orabor.*
Ornoſor.	[*Omoror.*	*Oppugnor.*]
Icaros.	*Infamo.*	*Implano.*
Immarco.	*Imparo.*	*Irato.*
Igneto.	[*Immundo.*	*Imparo.*

Ratio nominum

Prima Tabula Accuſatrix dicitur; & ſecunda Excuſatrix: quia prima utimur, ut urgeamus indicia contra reum; ſecunda (aut utraque veriùs) ut indicia elidamus.

Modorum numerus & diſtinctio.

Prima octodecim nomina ſyllogiſmorum complectitur: novem priora (quæ cha-

charactere rotundo ſcripta) Platonicæ formæ correſpondent: & novem poſteriora (quæ curſivo) primæ figuræ Ariſtotelicæ : habent enim communem concluſionem , ſed præmiſſarum ordinem commutarum. Prioribus eſt ſimilis *Dimagni*: poſterioribus *Darii*.

De Tabula altera.

Secunda habet medium quale poſtulat ſecunda Figura Ariſtotelis : & complectitur nomina triginta ſex. Novem priora ſunt ſimilia *Baroco*, & novem quæ immediatè ſequuntur, ſunt ſimilia *Feſtino*. Alia octodecim ex præmiſſarum commutatione naſci poſſunt : & præ ſe ferent ſimilitudinem indirectorum ſecundæ Figuræ. Inter hos modos pauculi dicuntur Abſoluti, & ipſi ut cognoſcantur, parentheſi quadrata clauduntur.

Modi relativi & abſoluti.

Cur omittantur Syllogiſmi, quos tertia Ariſtotelis Figura procreat?

Poſſem tertiam etiam Ariſtotelis figurã ad numeros & claſſes reducere : ſed quia ita volo iſta tractare, ut aliquid Lectori ingenioſo relinquam, non progredior ulterius, ſed dicta exemplis claris & eorumdem certiſſimis Cenſuris confirmo.

Forma Platonica.

Qualis ipſa ſit?

INcipiam à figurâ Platonicâ, quæ poſtulat ut indicium ſit medium, & ſeteneat ex parte prædicati in majori, & ex parte ſubjecti in minori.

Modvs I. Dicatis.

Vera ſanctitatis indicium.

VVlt homines docere Chriſtus artem diſcernendi inter filios Dei & ſervos dœmonis, & ait. *Qui ex Deo eſt verba Dei audit; propterea vos non auditis; quia ex Deo non eſtis.* Quoniam audire verbum Dei eſt indicium, unde ſanctitas ſecurè infertur. Ex his verbis Ego confirmo ſequentem ſyllogiſmum.

Ratio Theologica.

Paulus libenter audit verbum Dei :
Cuncti qui libenter audiunt verbum Dei, ſunt ex Deo :
Ergo Paulus certiſſimè ex Deo eſt.
Ioannes autem contrà, non libenter audit verbum Dei :
Ergo certiſſimè non eſt ex Deo.

Et per analogiam ad Politicam tranſeo, & ſic inquam.

Fridericus in Cæſaris laudes diffuſus, illos qui contra obloqui audent, tolerare non poteſt.

Ratio Politica.

Cuncti autem, qui ſic agunt, amant Cæſarem [ſunt hæc enim ſinceræ dilectionis indicia.]
Ergo certiſſimum eſt, quod Fridericus amet Cæſarem.

Eſt modus argumentandi ſecuriſſimus, & ab Scholaſticis nominatur *Dimagni*, & parturit omnes ſequentes.

Modvs II. Infamis.

Nominis ratio.

SIC dici potuit, quod reum convincat, & per conſequens damnet, puniat, & infamem reddat. Habet majorem ſingularem & minorem ferè univerſalem : & infert concluſionem modo moralis certitudinis præditam. Hoc exemplum produco.

Germanorum ſinceritas.

Ferdinandus Germanus eſt :
Omnes Germani, aut ferè ſunt ſinceri.
Ergo moraliter eſt certum, (vel *fere certum eſt*) *Ferdinandum ſincerum eſſe.*

Commendat ſinceritatem Ferdinandi : & poſſet accuſare Theodorum, ſi inſtitueretur iſtis verbis.

Theodorus eſt Cretenſis :
Omnes ferè Cretenſes vafri & fallaces ſunt :

Græcorum infidelitas.

Ergo eſt certum moraliter, Theodorum eſſe vafrum fallacemque.

Addo aliud exemplum ex Satyrico.

Vera loquar, ſi vera licent. Tu Cantor Anarde es :
Omnibus hoc vitium eſt cantoribus inter amicos,
Vt nunquam ponant animum, cantare rogati,

Omnibus. *ſubintellige*, fere.

Injuſſi numquam deſiſtant. Diſcimus ergo.
Ingenium Philomela tuum. Cantare libebit,
Si ut taceas orare libet. Si oremus, ut ore
Nobiliore canas Heroas, Philomela tacebit.

Modvs III. Triplatis.

Mores divitum quales?

MAjorem habet ſingularem, minorem communiorem, & infert conſequens affectum probabilioritate. Verbi gratia.

Petrus eſt dives :
Sed plures divites ſunt mali quam boni.
Igitur probabilius eſt, eum malum eſſe.

Modvs IV. Immanis.

GAudet majori ſingulari; minorem ad mediam partem collectionis reducit: & infert conſequentiam inſignitam probabilitatis charactere. Pono exemplum.

Cœlius eſt miles victus :

An ſint dimittendi, qui victi?

At victi exercitus media pars debet dimitti, altera detineri.
Ergo probabile eſt, quòd dimittetur Cœlius; & æquè probabile, quòd non dimittetur.

Mo-

Modvs V. Diſparis.

DIſpar etiã à cæteris eſt modus *Diſparis*, & in ipsâ diſparitate paritatem obſervat: in majori ſingularem, in minori pauciores continet: & infert concluſionem modalem, quam minoris probabilitatis nota excipiat.

An homicidiũ per inſidias, ſi accidat, debeat domeſticis occiſi imponi?

Antonius erat domi, cùm per inſidias fuit occiſus Aubertus:
Sed pauciores, qui domi ſunt, ſolent eſſe in ejuſmodi criminibus complices:
Ergo minùs probabile eſt, quod Antonius ſit complex. Ergo probabiliùs eſt innocens.

Modvs VI. Piratis.

MAjor eſt ſingularis, minor rara, vel ferè nulla: & conſequentia temeritatis notâ afficitur: ut ſi diceres:

An Roſcius fuerit Parricida?

Occiſi Herois Roſcius eſt filius:
Rarus filius (aut nullus fere) patrem ſuſtulit:
Ergo temerè dicitur Roſcius patrem ſuũ ſuſtuliſſe.

Modvs VII. Ignoti.

EST fortiſſimus, & efficaciâ & vi Scholaſticis modis non cedit: In majori habet ſingularem affirmativam, in minori univerſalem negativam, & infert conſequentiam affectam modo falſitatis: ut cùm dicimus,

Iudex, qui ſubornatur, ut ſanctè judicet, incapax eſt.

Caſpius eſt ſubornatus:
Nullus Iudex ſubornatus eſt integer:
Falſum igitur eſt, Caſpium eſſe Iudicem integrum.

Modvs VIII. Immunis.

POſt relativos Modos, duo abſoluti ſequuntur: videlicet *Immunis* & *Impulſi*. In illo Major contenta eſt uno: minor poſtulat multos: & conſequentia modum probabilitatis. Sic inquam:

Quid agant per Germaniam Sabaudi?

Marcus Antonius eſt Sabaudus:
Multi Sabaudi caminos purgant:
Ergo probabile eſt, quòd Marcus Antonius ad claſſem eorum pertinet, qui caminos purgant.

Hodie Germania vix alios cognoſcit Sabaudos: nobiles enim habent domi, quod edant, nec vagantur per regiones alienas.

Modvs IX. Impulſi.

An pauci ad probabilitatẽ ſufficiant?

CVM paucos dicimus, interdum tot complectimur, quot ſint ad probabilitatem ſufficientes: & pauciores interdum: quam ob rem hic modus non poteſt ſemper inferre conſequentiam affectam modo probabilitatis: & quia non ſemper poteſt, ſemper non poteſt: nam Dialectica perpetuam poſtulat ſecuritatem. Exemplo illuſtrabo hanc doctrinã, illudque è Virgilii ſexta Æneide deſumã. Sybillæ Æneas.

Conſidera iterhanc conſequentiam. Non ſemper poteſt. Ergo ſemper non poteſt

Virgilius Æn. 6. verſ.

Vnum ora (quando hîc inferni janua Regis
Dicitur, & tenebroſa palus Acheronte refuſo.)
Ire ad cõſpectum chari genitoris, & ora
Contingat; doceas iter, & ſacra oſtia pandas. &c.
Si potuit Manes acerſere Conjugis Orpheus, — *Orpheus.*
Threiciâ fretus citharâ fidibuſque canoris,
Si fratrem Pollux alternâ morte redemit; — *Pollux.*
Itque reditque viam toties; quid Theſea? magnum — *Theſeus.*
Quid memorem Alciden? & mî genus ab Iove ſummo. — *Hercules.*
Talibus orabat dictis araſque tenebat.
Tunc ſic orſa loqui Vates. Sate ſanguine Divûm,
Tros Anchiſiade. Facilis deſcenſus Averni, — *Deſcenſus inferni valde eſt facilis.*
Sed revocare gradum ſuperaſque evadere ad auras
Hoc opus hic labor eſt. Pauci quos æquus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus — *An in inferno ſit redemptio?*
Diis geniti potuêre. &c.

Duplex ſyllogiſmus moralis explicatur.

In quibus ego verbis duos morales ſyllogiſmos reperio; alterum ab Æneâ, & alterum à Sybillâ formatum: illum ad Modum *Immunis*, illum verò ad *Impulſi* ſpectantem, Vtrumq; expendam. *Rem ediſſero.*

Orat Æneas ut ſibi liceat ad infernum deſcendere.

Orabat Vatem, Averno Præpoſitam Æneas, ut ſibi liceret in infernum deſcendere, & Manes Parentis inviſere. Negat illa ſe poſſe: & Æneas contrà ſyllogiſmũ in *Immuni* proponit. Sic diſcurrit.

Ego ſum nepos Iovis, nec non Veneris filius:
Multis Deorum filiis, etiam dum viverent, licuit in infernum deſcendere:
Ergo licebit etiam mihi.

An ab inferno aliquis redeat?

Majorem ſupponit Æneas, ſciebat enim Sybilla unde ſanguinem traheret. Minorem probat, Orpheum, Caſtorem, Pollucem, Theſea & Herculem commemorando: ipſi enim bis aut pluries, ad ſubterranea palatia deſcenderunt. Et ex his omnibus infert conſequentiam probabilẽ.

Re-

Digitized by Google

Reponit verò Antiſtes infernalium nemorum ſyllogiſmum ſequentem.

Sit tibi genus à Iove ſummo; vel non ſit:
Pauci quos aquus amavit Iuppiter, aut ardens evexit ad athera virtus Diis geniti potuère bis ſtygios innare lacus: &c.
Ergo improbabile eſt, quòd tu poſſis.

Concluſio.

Sic argumentari licet, & uti his modis abſolutis, quorum loco tutius & clarius utemur relativis, quos expoſui.

Prima Figura Ariſtotelica.

In quo forma Platonica, & prima Figura Ariſtotelis diſſtant?

NAſcitur ex commutatione præmiſſarum, retentâ eâdem conſequentiâ. Hujus Figuræ Modos denominavimus, dilucidavimus, & exemplis illuſtravimus ſuprà Sec. I. quam ob rem non erit neceſſarium altero de illis ſtudio & labore diſputare.

Secunda Figura Ariſtotelica.

Quo modo elidatur indicia?

HVcuſque ſumpſimus indicium tanquam medium, ut probaremus crimen, virtutemve: modò in ſecundâ hac Figurâ docebimus indicia elidere: quod tametſi utendo Formâ Platonicâ, aut etiã primâ Figurâ Ariſtotelicâ pręſtare queas, hac utendo Figurâ, ſi ſemel eam ad infallibiles leges reducas, commodiſſimè conſequi poteris. Singulos Modos exponimus.

Modus I. Catolo.

Huic reſpondenti modus Probar la cuartada ab Hiſpanis vocatur.

CVncti qui propriâ manu occidunt aliquem, debent eſſe praſentes ut minimùm:
At Petrus non erat Madrîti, cùm Ioannes occiſus eſt, ſed Toleti:
Ergo Petrus non occîdit Ioannem propriâ manu.

Modus II. Famoſo.

FErè omnis qui ferro occîdit, ferro occiditur.
Petrus non fuit ferro occiſus: ſed in lecto ſuo tranquillè obdormivit in Domino:
Neminem ergo ferro occîdit.

Matth. 26.52.

Majorem ſuccollant verba Chriſti Domini dicentis Petro, *Converte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Sed quo ſenſu eſt intelligenda hæc propoſitio univerſalis? An-non multi homicidæ morte naturali tolluntur? Reſpondet Iſidorus Clarius non reſpexiſſe hîc Chriſtũ decretum aliquod divinum, omnes omninò occiſores occidendos ſtatuens; ſed

An omnis qui ferro perdiderit proximum, ferro peribit?

legem publicam; ut enim ultimâ ſententiâ damnarentur homicidæ univerſi, Iudæorum præcipiebat lex. Ergo, quo ſenſu & quantâ certitudine ſumatur major ſcias, & de concluſione legitimum judicium feres.

Modus III. Plagoſo.

An ruſtici ſint ingenioſi?

PLures ruſtici ſunt ſtupidi, quàm ingenioſi:
Fridericus non eſt ſtupidus, ſed pollet clariſſimo ingenio:
Ergo probabilius eſt Fridericum non eſſe ruſticum.

An Iudices ſubornati ſint juſti?

Plures Iudices, ſi corrumpuntur donis, injuſtè judicant:
Albertus injuſtè non judicat:
Ergo probabilius eſt, quod Albertus non corrumpitur donis.

An fures ſint pauperes?

Plures fures ſunt divites, pauciores pauperes, [ſic ſuppono, licèt experientia videatur demonſtrare contrarium.]
Theopompus non eſt dives:
Ergo probabilius eſt, quod non ſit fur.

Modus IV. Mammoſo.

Nullam habet ſecuritatem argumenta, qua ex hoc modo ſumuntur.

MEdia pars civium contra Pompejum ſtat: media pro illo.
Gellius non eſt contra Pompejum.
Ergo probabiliter eſt civis, & aquè probabiliter non eſt civis.

Media pars rebellium fugit ad arcem:
Franciſcus non fugit ad arcem:
Ergo probabile eſt, quod non eſt rebellis

Media pars militum habet ſtipendium:
Petrus non habet ſtipendium:
Probabile igitur eſt, quod non eſt miles.

Hic modus (imò etiam cæteri hujus figuræ, niſi magna attentione conformentur) poteſt ex antecedenti vero inferre falſum conſequens, ſi prædicatum conveniat ſoli ſubjecto, ſed non omni, quod Porphyrius proprium nominat in primo modo. Pono exemplum.

Proprium in primo modo quale?

Media hominum pars ſtudet Muſica:
Petrus non ſtudet Muſica:
Ergo probabile eſt Petrum non eſſe hominem.

Sed hinc etiam emerget nonnihil modis omnibus commune, quod poſt ultimum modum ſubſcribam, ut omnes meliùs intelligantur.

Modus V. Parrocho.

An divites probi eſſe ſoleant?

PAuciores Viri probi ſunt divites:
Arſenius non eſt dives:
Ergo minus probabile eſt, quod non ſit probus, & magis probabile eſt, quod ſit probus.

Oo. Hinc

Hinc orta illa carminis antiqui retorſio;
Non bene conveniunt neque in unâ ſede morantur.
Divitiæ & Pietas.

Modvs VI. Ramoſo.

Etiam hic modus reſpuitur.

Ex *his qui naufragium fecerunt apparent rari, nantes in gurgite vaſto: Achates non apparet in gurgite.*
Ergo improbabile eſt, quod non fecerit naufragium. An-ne ſtat conſequentia.

Modvs VII. Nodoſo.

Nihil ex purè negativis infertur.

Conſtat ex merè negativis, & ideò non poteſt ſecurè concludere. Oportet enim ad aliquid inferendum, ut aliquid omninò affirmetur.

Modvs VIII. & IX. Muſcoſo, Punctoſo.

Modi abſoluti ſemper ſunt inefficaces.

De his nihil reſtat ſpeciale dicendũ, niſi quod prior in majori complectitur multos, poſterior paucos: quod ſunt abſoluti, & poſſunt, aut debent potiùs, ad Modos relativos reduci.

Novem Modi ſequentes.

In quo conſiſtant?

Si minorem, quæ in omnibus Modis antecedentibus fuit negativa, in affirmativam convertas, habebis alios novem Modos, qui velint *Feſtino* eſſe ſimiles,

Octodecim ſequentes.

Modi indirecti.

Naſcuntur ex octodecim præcedentibus, ſi mutentur præmiſſæ & maneat intacta Concluſio: nam octodecim iſti reſpondent duobus indirectis, quos dedimus in ſecundâ Figurâ.

Monitvm.

Præſtat, ut abſtineamus à ſecunda hac figura.

Opto interìm, ut ſincerus Lector cõtentus ſit Formâ Platonicâ, aut etiam primâ Figurâ Ariſtotelicâ, quæ in eamdem recidit: quoniam tota hæc ſecunda figura ſubſiſtit ratione materiæ, ſi ſubſiſtit, & ſemper expoſita eſt extremo periculo: quoniam inferri ex vero falſum apud dialecticos extremum eſt. Scio tamen poſſe aliquibus limitationibus & legibus in hac ſecundâ aut etiam fortè tertiâ Morales ſyllogiſmos conſtitui, quas modò non vacat diſquirere, quas olim fortè dabimus, aut à Lectorum ingenio elimatas & probatas diſcemus.

N o t a.

Examinatur *Diſcurſus ille moralis* Et decet, Et non repugnat, Ergo eſt. *Quo tametſi in quæſtione de Immaculata Virginis Matris Conceptione uti ſoleant Theologi, in aliis etiam materiis, in quibus pia affectio & urbanitas animum prædetermines, locum habere poterit.*

D. Petrus Rodriguez Cortes Ingenioſum & pulcbrum Syntagma de Immaculata Virginis Conceptione edidit Neapoli.

Est communis argumentandi modus in hac materia, *Et decet, Et non repugnat, Ergo & eſt.* Hanc viam inivit D. Petrus Rodriguez Cortès in erudito illo Tractatu, qui inſcribitur, *Diſcurſo Iuridico ſobre la Concepcion*; cujus Præludium hoc eſt. [Eſte Diſcurſo ſe ha de reducir brevemente a tres puntos principales, en los quales ſe procurara fundar por Reglas de Derecho, y Razones naturales, que Chriſto N. S. preſervò a Maria ſantiſſima ſu Madre, y Señora nueſtra de el contagio de la culpa original. En el primer punto ſe fundarà, *ſupueſto que lo pudo hazer* (como es de cierto) que ſe preſume lo hizo con effetto: En el ſegundo ſe fundarà, *que por diverſas y eficazes razones convino à Chriſto hazerlo*; En el tercero punto ſe fundarà, *que a nueſtro modo de entender, le eſtuvo bien à Chriſto preſervar a ſu Santiſſima Madre*, Para que en materia tan ſagrada nos governemos atendiendo a lo que advirtio el Pontifice Inocencio Tercero en el *cap. Magnæ. 7. §. Et quidem tria de voto, & voti redemptione ibi. Quid liceat ſecundùm æquitatem, quid deceat ſecundum honeſtatem, quid expediat ſecundum utilitatem.*]

Idem Autor laudatur.

Deberem fortaſſis hæc verba in linguâ Latinam transferre, ſed me ab hoc labore exemit Sacræ Theologiæ, & utriuſque Iuris Doctor D. Nicolaus Sorrentinus Regius in Neapolitana Vniverſitate Profeſſor, qui librum approbat, Authoremque verbis iſtis commendat. [Petre, ſuper ſeniorem petram, prudenter fundavit Eccleſiam Filius, & ſuper juniorem tuam, ſua jura Mater non immerito fundat.

Quatuor tibi cardines occaſio præbuit ut in quatuor Orbis partes per famam Immaculatæ Conceptionis injicere fundamenta,

Argumenti forma proponitur.

Sed interim tuì ingenii acumen mirentur omnes, quo aſtra percurrens divinæ mentis motiva eligis, & per ea, quæ Mariam Puram Conceptam teſtantur, divina attributa declaras.

Potuit, Convenit, Decuit, Interfuit Dei, ais, ut per, *Potuit*, Patris potentiam; per *Convenit*, Filii ſapientiam, per *Decuit* Sancti

cti Spiritus amorem, per *Interfuit* totius Trinitatis decorem inſimul oſtenderes, nam quod fuit omnipotentiæ Patris gloria, præſcientis Filii Sapientia, erat decens bonitatis Spiritus decus, ac totius tandem Trinitatis honor, Puram nempè habere, pro Filia, Sponſa, & Matre.

Eodem argumento, quo probatur Immaculata Conceptio, probatur etiam ſingulorum eandem defendendi obligatio.

At, per quæ fecit Deus, per ea tu ſcribis, potes, ſcilicet, quia Petrus, & Petro datæ ſunt virtutis claves arcana aperiendi: debes quia Iudex, & Iudicis eſt veritatis decreta proferre; Decet, quia es verus Catholicus, qui Filii decorem ſervando, Matris jura non deſeris; & tua tandem intereſt, quia dum cauſa criminis, in Virginis Conceptione non eſt, tibi civilium cauſarum Iudici committendum erat, ut de ea ageretur civiliter.

Cauſam hanc, ergo, doctiſſime Domine, age libenter, nam ejus immaculata ſententia te ducet ad gloriam.

EAdem argumentandi forma ad alias poteſt ſimiles materias ſervata proportione transferri. Sum peccator & primò ab omni potentia argumentum deduco, & ſic in quam.

Te Deus imploro, qui blandè crimina tractas:

Culpa mea eſt ingens, ſed tua larga manus.

Argumentum præcedens, miſericordia Dei erga Peccatores attemperatur.

Eſt in Deo Miſericordia omnipotens, & Omnipotentia miſericors, & ſic attemperantur *Poſſe* & *Velle*, ut ex potentia ad actum, ſi oretur Deus, ſecura conſequentia inferatur: quæ, ut percipiatur certitudo diſcurſus, poterit ad hæc verba reduci.

Qui petet, accipiet.

Veniam Deus mihi poteſt concedere.

Humillimè illam poſtulo.

Ergo illam conſequar.

Nec aliter ex decentia ſolet argumentari Pietas; qua duce lachrymas, & hos numeros fundo.

Parcere ſubjecto, ſcelerum quem pænitet, omni,

Te ſol Empyrei, Te pie Chriſte decet.

Confidentiam hanc meam adfirmat Cōſuetudo, nam qui omnes peccatores, ſi oretur, ad ſuam gratiam admittit, & gratiam indulget, ut oretur; cur non etiam miſerebitur mei, ſi lugeo; & dabit gratiam ut lugeam, ſi non lugeo. Ergo ſanctam quamdam audaciam à miſericordia Dei præſumens, ſic inquam.

Spem concede, Fidem, lachrymas verumque dolorem

Da; ſolitus culpas tollere, tolle meas.

Sic Deum orare didici à S. Anſelmo, qui verbis his Omnipotentem Deum exorat.

Sunt verba digniſſima, quæ debent relegi & bene perpendi.

Domine Deus meus, ſi feci ut eſſem reus tuus, numquid facere potui, ut non eſſem effectus tuus? Si mihi paritatem meam ademi, numquid miſericordiam tuam peremi? Si commiſi unde me damnare potes, tu non amiſiſti unde ſalvare ſoles? Verum ſi Domine quod conſcientia mea meretur damnationem, ſed miſericordia tua ſuperat omnem offenſionem. Parce ergo mihi Domine, quia non eſt impoſſibile tuæ potentiæ. nec indecens tuæ Iuſtitiæ, nec inſolitum tuæ clementiæ. Quid enim eſt Ieſus niſi Salvator? Ergo Ieſu, qui me creaſti, ut non perimas: qui me redimiſti, non condemnes: qui me creaſti tua bonitate, non pereat opus tuum mea iniquitate. Cognoſce ergo in me quod eſt tuum, & abſterge, quod eſt alienum. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Caini blaſphemiam incriminantur.

Quæ verba confidentiſſimè à viro ſanctiſſimo dicta, impiæ blaſphemiæ Cainum primum homicidam condemnant, auſus eſt enim Deo dicere, *major eſt meum peccare, quàm tuum parcere.* Sic enim habet ex Hebraico rigoroſa translatio. Semper enim Divina Summi Numinis miſericordia major erit hominum infinitis peccatis: quoniam vel malitia peccati mortalis finita eſt, quod aſſerit probabilior ſententia, & ex multis finitis non poteſt infinitum coaleſcere: vel ſi eſt infinita, ut cum Doctore Angelico docent Thomiſtæ, hæc infinitas non eſſe poteſt, niſi extrinſeca, ſęperq; infinities minor miſericordia Dei, quæ intrinſecè infinita eſt.

De peccato mortali. an & quomodò ſit infinitum?

ARTICVLVS V.

De Conſequentiis Moralibus. *Sunt multa, in quibus Viri etiam docti hærere ſolent. Et ideò hîc proponuntur, perpenduntur, & dilucidantur.*

Quam ſit perniciosa ignorantia Dialecticæ?

VIdeo allquos erudltiſſimos homines in Authorum lectione verſatiſſimos laborare ignorantiâ Dialecticæ, & confidenter multas conſequentias elicere, quę ad Logicas regulas poſitæ conſtare non poſſunt. Fruſtra enim rerum intima contemplari conatur, qui non habet inſtrumentum, quò eo penetret. Sed quodnã eſt inſtrumentum, quo poterimus omnes Scientias & Facultates penetrare? Logica, ſine quâ ſuperficialiter tantùm poſſunt homines ſcientias adquirere. Scitè & doctè Baptiſta Cyſarus in libri de Cometâ anni 1618. præfatione. *Humanus Intellectus & Oculus*, ait, *pari ferè modo res intuentur; ut enim Oculus nonniſi ſuperficies earumque colores, perſpicit, corpora verò ſub iis latentia ex his duntaxat, quaſi per conjecturam deprehendit; ita Intellectus pauciſſimas veritates à naturâ ſuâ obvias habet, quas ſine nube ſerenas ſincerasque illi Deus conceſſit contemplandas, cæteras ſuis quaſque umbris ita veſtivit, ut nonniſi alia ex aliis quaſi per rimas perluceant. Hinc adeò, tum alia omnes* (nimirùm, Philoſophicæ, Theologicæ, Morales) *tum Mathematica præſertim Scientia Scita quædam aperta & ſuâmet luce clariſſimâ tradunt, è quibus tanquam Principiis* (juxta leges Dialecticæ) *ſuas quaque concluſiones educunt*. Ergo ſiquidem Morales etiam ſua Scira ſupponunt, & ſuam etiam Dialecticam admittunt, quî illi ſupponi poſſint debeant-ve, & quî Conſequentiæ fundamentales inferantur, examinemus accuratè, & quantâ brevitate poſſimus.

Logica eſt inſtrumentum ſciendi.

Mentis & oculi humani analogia.

De Morali Dialectica.

SECTIO I.

NON eſt animus omnes conſequentias examinare, quæ aſſumi ſolēt, multæ enim tales, ut examine videantur indignæ, cùm ſuâmet ſtupiditate prodantur. Occurrit igitur primo loco hæc illatio, *Omnes dicunt hoc licitè poſſe fieri, ergo ſecurè & ſine ſcrupulo illud facere poſſum*. Et inquiritur, an concluſio neceſſariò inferatur.

An liceat facere, quod omnes ſuadent?

Reſpondeo inferri bene in materia morali, non tamen in ſcholaſticâ ſpeculativâ; quoniam hic diſcurſus fundatur iſta aſſertione, *Quod omnes dicunt, verum eſt*: quæ in rebus naturalibus claudicat, & tamen in moralibus ſecuriſſimè admittitur.

Errores veterum.

Aſſertionem illam eſſe in materia naturali incertiſſimam, vel ex eo colligitur, quod multæ poſitiones aſſertæ univerſaliter ab omnibus, ſint ſucceſſu temporis repertæ falſæ; & ut alias omittam, hæ, *Cæli ſunt incorruptibiles, Cæli ſunt ſolidi, Planetæ ſunt ſeptem, Sol eſt puriſſimus, In quarto Cælo reſidet, Cometæ ſunt ſublunaria meteora, Galaxias eſt in regione ignis, Non dantur Antipodes, Torrida Zona eſt nimio calore inhabitabilis, Duæ Zonæ frigidæ ſunt etiam inhabitabiles ratione nimis frigoris, Sub ipſis polis dies eſt ſex menſium; & ubique diebus æquales noctes, Sole tenente primum punctum aut Arietis aut Libræ eſt æquinoctium*, & ſexcentæ aliæ: tametſi olim ab univerſis dictæ, hodie probabiliter defendi non poſſunt. Cœlorum enim corruptibilitatem Sacræ Scripturæ expreſſa teſtimonia, & obſervationes quotidianæ confirmant; Cometæ enim, & nova Sydera, nihil ſunt aliud, quàm accidentariæ quædam materiæ æthereæ corruptiones; illas accidentarias voco, quia ad dogmata Percæ Philoſophiæ prætec mortem hominis nulla in rebus datur corruptio ſubſtantialis; nam tametſi Peripatetici millenas in naturâ purè materiali cognoſcant, nullam probabiliter ſuadent; quod ſi lignum, cùm in ignem convertitur dicatur corrumpi ſubſtantialiter, non eſt cur Cœlis corruptio ſubſtantialis negetur. Cœlos liquidos ſumma Cometarum in ſuis motibus probat irregularitas; ut nihil dicam de Planetis, qui æqualibus temporibus æquales arcus in ſuis mediis circulis agere hucuſque crediti, jam incipiunt aliter menſurari. Contra Solis puritatem militant maculæ; ante annos triginta detectæ, & jam à multis obſervatæ. Et quidem

An Cœlum corruptibile ſit?

An ſit liquidū?

De Solis Ioca & maculis.

dem Sol in quarto cœlo jam conſtitui non poteſt; nam demonſtratur Venerem, & Mercurium eſſe Heliocyrlia corpora,& ſicut Luna, pati radiorum decrementa.

De Cometis.
De Galaxia.

Cometas inter Planetas volitare jam vidimus, & Galaxiam eſſe in ipſo firmamento minutiſſimorum ſtellarum congeriem jam videmus. Indicæ Hiſpanorum & Hollandorum expeditiones detexerunt Antipodas, & Zonas omnes ab animantibus & etiam hominibus inhabitari repererunt.

De Antipodibus.

De æquinoctiis, an à refractione tollantur?

Omnia, quæ de æquinoctiis dicta, poſitis refractionibus corruunt,& hæ omninò ſunt certæ, diemque alicubi horis integris, alicubi etiam diebus adaugent. Igitur concludendum eſt, eſſe poſſibile ut in naturali aliqua veritatis notitia univerſi fallantur.

Sæpe modalis eſt vera, quando ſimplex propoſitio eſt falſa.

At in morali minimè; morales enim cognitiones omnes ſunt quodammodo modales. Hæc poſitio, *Turca ſedet*, fortè eſt falſa; at hæc, *Incertum eſt an Turca ſedeat*, vera eſt, nam afficitur incertitudinis morali modo propter quem illa prior non fuerat omninò admittenda. Non aliter, hæc, *Sol eſt viridis*, falſa eſt; vera hæc, *Falſum eſt Solem eſſe viridem*. Vnde Propoſitio, quæ dicitur ab omnibus, falſa eſſe poteſt; at illam dici ab omnibus certum; eſt; ergo certum illam eſſe credibilem, imò ob authoritatem aſſerentium credendam, eſſet enim ſumma temeritas, quòd unus ſe doctiorem omnibus exiſtimaret.

Qui ſe omnib. doctiorem judicat imprudens, & temerarius eſt.

Igitur ſiquidem humilitas poſtulat, ut ſaltem non me præponam univerſis, prudentiſſimè potero illis cedere,& opinari & illos, & me poſſe decipi; at tantò certiùs me decipi & non illos, quantò evidentiùs me ab illis numero & etiam doctrina ſuperari. Stat igitur te ſecurè & ſine ſcrupulo conſcientiæ poſſe facere, quæ aſſerta & approbata ab omnibus.

Zipæus laudatus.

Huic innixus fundamento Zipæus Cœnobii S. Andreæ extra Muros Brugenſis Civitatis Abbas, vir pientiſſimus doctiſſimuſque, qui in materia regulari omnes Doctores amicos conſulebat, ut ſanctiùs & ſecuriùs ageret. Hic abſtinentiam à carnibus amabat; ſed nec introductam manutenere potuit ratione expenſarum, morborum & aliorum etiam inconvenientium, Ioannemque Schinchelium Doctorem Lovanienſem conſuluit, à quo prolixum libellum recepit,& in eo peccare mortaliter Benedictinum, qui carnes à Regulâ interdictas comederet.

An abſtinentia à carnibus obliget Benedictinos ſub mortali?

Fuiſſet anxius Zipæus, ſi de veniali argutus; nam hoc nonnulli dicunt; at quia culpæ mortiferæ agebatur reus, & cum ipſo vaſtiſſima Monachorum Religio, breviſſimo Epiſtolio exorbitantiam reſponſionis compeſcuit, & aſſeruit non videri poſſibile eſſe peccatum mortale, quod à nemine præter unum & ſolum Schinchelium tam ſeverè damnatum; aliquos eſſe religioſos, qui abſtinentiam illam regularem ſub veniali obligare exiſtiment, multos qui in foro externo, ne unum quidem qui ſub culpâ mortali. Quo fulmine ita fuit perterritus ille Regularis juris Conſultus, ut ſtatim opinionem remiſerit, & aliorum dictamini ſe accommodarit, certò ſciens quod ab omnibus approbatur, fieri à ſingulis prudenter poſſe.

Schinchelii modeſtia.

Quid requiratur, ut poſſis in tuo ſenſu abundare, & viam communem relinquere?

Sed petis, Quanta debeat eſſe rationum vis, quæ te à communi ſententiâ dimoveat? An poſſis pondere probabilitatis abduci, aut nequeas aliter, quàm ſi ratione evidente ducaris? Et quidem me judice, dubium grave proponis.

An materia diſtinguatur realiter à quantitate?

Arriaga *diſp.5. Met.nu.7.* pro Nominalium ſententiâ, quæ Materiam primam à Quantitate non diſtinguit, & ipſi videtur probabilis, ſic argumentabatur, *Non ſunt diſtinguenda entitates ſine neceſſitate; atqui in præſenti prorſus nulla eſt neceſſitas talis diſtinctionis: ergo non ſunt diſtinguenda.* Contra hanc rationem objicit & ait, *Reſpondent aliqui leve eſſe hoc argumentum ad deſerendam communem ſententiam, quia ad hoc requiritur manifeſta demonſtratio.* Quibus ipſe ſatisfacit his verbis. *Sed admiror novum in his ſcrupulum, cùm ipſi nõ ex graviore fundamẽto, ſed hoc eodem prorſùs uſi ſint ad negandam diſtinctionem potentiarum cum Nominalibus contra Thomiſtas.*

An ab anima diſtinguantur potentiæ?

Ex quibus collige primò ſentire Arriagam ad relinquendam viam communem non requiri demonſtrationem manifeſtam, & hoc illuſtrat dubium præſens. Collige ſecundò eum putaſſe argumentum Nominalium non eſſe demonſtrationem manifeſtam; quod, me judice, ſi minor ſit vera, evidentiſſima demonſtratio eſt.

An probabilis detur neceſſitas?

Reſolutio Quæſtionis.

Ego quidem ſic quæſtionem diſſolvo. Puto, ut quis probabilem judicet ſententiam communi oppoſitam, non debere habere evidentem rationem, ſed ſatis eſſe, ſi habeat gravem, probabilem, talem quam adverſarii diſſolvere evidenter non poſſint, ſed quam tantùm diſſolvant probabiliter: & in hoc caſu utramque viã (communem & particularem) probabilem eſſe dicerem. Cæterùm, ut quis dicat viam à ſe inventam eſſe unicè veram, & communem improbabilem neceſſarium omninò eſt, dari rationem evidentem, demonſtrativam, quam ne quidem probabiliter ſolvere poſſis.

SE

SECTIO II.

Aſſentiri omnibus eſt actus prudens.

NOn poteſt condemnari imprudentiæ qui potiùs credit toti Eccleſiæ quàm ſibi, etiam in materiâ quæ fidem orthodoxam non tangit. At non ſemper eſt neceſſarium, ut prudenter adquieſcas rem dici ab omnibus; ſufficit enim aliquando eam dici à tot & tantis, ut cenſeatur probabilis.

An realis probabilitas, virtualis certitudo ſit?

Hinc oritur nova controverſia; & interrogas, An hæc conſequentia ſit bona; nimirùm, *Illa opinio eſt probabilis; ergo moraliter & virtualiter certa; ergo ſine imprudentiæ nota admitti poteſt?*

Reſolutio.

Reſpondeo opinionem probabilem naturaliter poſſe eſſe falſam, & ideò meritò probabilem vocari; quoniam ſi talis ea eſſet, quæ eſse falſa non poſset, non jam probabilis, ſed certa, evidens aut manifeſta vocaretur. Addo opinionem probabilem in practico morum regimine eſse virtualiter veram, hoc eſt, ipſam, ſeu realiter vera ſit, ſeu non ſit, moraliter & prudentum æſtimatione ita ſe habere, ac ſi eſſet vera. Rem expono.

Confirmatur exemplo.

Das centum aureos famulo & mittis ad nundinas cum Petro, jubeſ-que ut emat quæ Petrus indixerit, & qualiter ipſe diſpoſuerit, & tuam Tu Petro voluntatem exponis. Itur ad forum, Petruſque quia non fuit tuam voluntatem adſequutus, à tuâ juſſione omninò deviat, & tuo famulo diverſa, quàm velles, indicit; & iſte Petro exactè obediens ad te revertitur, & dat rationem auri ſibi commiſſi. Et interrogo, An ſtante hac hypotheſi erraverit famulus tuus obtemperando Petro erranti? Et reſpondebis negativè. Quoniam famuli non erat diſputare, ſed ſolummodò Petro obedire. Igitur hoc exemplo bene intellecto ad nos revertere, Tu creatura Dei es, & multis titulis ejuſdem ſervus; ei obedire teneris. Quid ergo præceperit vide.

Qualia homini præceperit Deus?

Non juſſit Deus ut faceres vera vel certa; quoniam impoſſibilia ipſe non jubet, & hæc notitia tibi in paucis conceſſa, & in multis præter miraculum eſt impoſſibilis. Quid igitur tibi præceptum? Ut ſequaris prudentis rationis dictamen. Rationi enim, inſcripſit immediatè Deus ſuam voluntatem. Erret materialiter ratio, vel non erret, quid tua, ſi illius erroris non es cauſa? nec conſcius? Si poſtquam ſequutus fueris prudentis rationis dictamen torquearis ſcrupulis, ſubride anxietatibus tuis, & Patriarchæ Iob patientiam ebibens, ipſiuſmet conceptus generoſos eructa. Sic inquies.

Sequutus ſum ſincerè meam conſcientiam & rationis dictamen; at quia errare, hominum proprium eſt, fortè erravi; & ſi erravi materialiter tantùm, error enim qui nõ cõmittitur ſponte, nõ eſt formalis. Parce igitur mihi Domine, nihil enim ſunt dies mei.

Explicatur Patriarcha Iob.

Rationis Sol ſua præſentia diem & claritatem in intellectum meum inducit, & ſua noctem & tenebras abſentia; at poſt Adami lapſum obliquitas ſphœræ eſt maxima, poli altitudo eximia, voluntas ingrata divino calori, ſemper patitur hyemem, adeoque noctes longas, & breviſſimos dies; Ita breves ſunt dies mei, ut videantur fulgura, ita breves ut moraliter loquendo ſint nihil. Quid eſt homo aliud, quàm caligo obſcuritas & ignorantia? & ſi talis, cur magnificas eum, aut apponis erga eum cor tuum? Aut fallor, aut quia non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus; nec opus eſt luce Soli, ſed abyſſo profundæ. Cùm igitur totus ſis lux, homo totus caligo, opus eſt, ut tibi dicat ille, Illumina tenebras meas; opus ut viſites illum diluculo ut aurora, & ſubitò probes, probum facias, probum declares aut pronunties illum. Hæreo Domine, coram te, nec reſpirare audeo, qui ſine te nec reſpirare poſſum. Uſquequo igitur non parcis mihi, nec dimittis me ut reſpirem liberè & glutiam ſalivam meam? Peccavi fateor; materialiter tamen; non formaliter. Quî ſatisfaciam Tibi ò Cuſtos hominum? Quare ornando intellectum meum probabilibus, adeoque oppoſitis ſententiis, feciſti me formaliter contrariũ mihi; imò & materialiter contrarium Tibi? Hæc cum conſidero, factus ſum mihimetipſi gravis. Cur non tollis materialia hæc peccata, cur non iſtas iniquitates materiales, & das mihi claram veritatis notitiam? Ego ille qui ſubſiſto huic errori, ecce ad tua genua provolvor, ecce in cilicio & cinere oro, ecce in lacbrymis vigilo, in pulvere dormio; & ſpero quod ſi manè me quæſieris, ſi diluculo me viſitaveris, ſuffundar præſentiæ tuæ ſplendore, nec ampliùs caligini, nec errori ſubſiſtam. Sed cur moraris Domine? Si carere te debeam, tædet animam meam vitæ meæ. Suſpirabo; ero actor in cauſâ, in quâ ſum reus. Dimittam adverſus me eloquium meum. Loquar in amaritudine; cui? animæ meæ; in ſpe dicam Deo; Noli me condemnare. Aut ſi peccata materialia condemnas, indica mihi cur me ita feceris, cur me talem condideris, qui errores materiales evitare non poſſim. Aut ſi non eſt malum in errores purè materiales incidere, ſi tamen condemnare me velis, indica mihi, cur me ita judices. Numquid bonum tibi videtur, ſi calumnieris, &

prop-

propter materialem culpam opprimas me opus manuum tuarum, & conſilium impiorum formaliter peccantium adjuves? Nunquid, Lynx infinite, oculi carnei tibi ſunt, aut ſicut videt homo, qui totus eſt cæcitas, & tu, qui totus es oculus, vides? Nunquid ſicut dies & notitiæ hominis, obſcuræ, incertæ & tenebroſæ, ita dies etiã & notitiæ ſunt tuæ? Nunquid anni tui ſicut humana ſunt tempora, in quibus dies futura præterita eſt ſemper doctior? Minimè, minimè; infinitè enim ſapiens tantus es, qui diſcere aut doceri non poſſis. Ego à Te divinitùs edoctus, audacter & confidenter dicam: Ut quæras iniquitatem iſtam meam, & hoc peccatum materiale ſcruteris, ſcies quod nihil impium, aut ſaltem nihil impie fecerim; & hinc, unde viderer timidus, habebo quod tuam legem ſervaverim, & ſim ſub protectione tua, & quod ſit nemo, qui de manu tua poſſit me eruere.

SECTIO III.

Virum ſit probabile eum peccare, qui ſequitur opinionem probabilem?

SOlent aliqui ſic philoſophari. *Ex antecedente probabili ſequitur conſequentia probabilis: Atqui Petrus fecit id quod probabiliter erat peccatum: Ergo eum peccaſſe probabile etiam eſt.* Alii etiam hunc diſcurſum urgere, *Petrum ſi certò ſciret rem talem fieri ſine peccato non poſſe & tamen faceret, peccaviſſe eſſet certum: at probabiliter putabat illam ſine peccata fieri non poſſe, & tamen fecit; ergo illum peccaviſſe eſt probabile.* Iſti duo ſyllogiſmi ſimiliter omninò concludunt, & deſideras videre, an ſint boni? & ſi mali, quid debeat in ipſis aut culpari, aut negari?

Reſolutio prima.

Reſpondeo nos poſſe agere de peccato materiali & formali; & ſi de primo, utrumque diſcurſum eſſe bonum, & omnia vera; adeoque utrumque ſyllogiſmum, & in ſingulis majorem minorem, & etiam conſequentiam concedo; iſte enim, *Ex antecedente probabili ſequitur conſequentia probabilis: Atqui Petrus fecit id quod probabiliter erat materiale peccatum: ergo eum materialiter peccaſſe probabile eſt*; & iſte, *Petrum ſi certò ſciret rem talem fieri ſine peccato materiali non poſſe, & tamen faceret, materialiter peccare eſſet certum: at probabiliter putabat illam ſine peccato materiali fieri non poſſe, & tamen fecit: ergo illum materialiter peccaviſſe probabile eſt*, nempe ipſi Petro.

Reſolutio ſecunda.

At ſi agatur de peccato formali, nego dari poſſe hominem, qui probabiliter putet ſe formaliter peccaturum eſſe, ſi talem actionem eliciat; quia *Improbabile eſt* (nota bene) *eum peccare formaliter, qui ſequitur opinionem probabilem*. Poſſum dubitare, aut probabiliter aſſerere aliquam rem eſſe interdictam; ſed concomitanter ſcio, me non teneri moraliter illam omittere, antequam certò ſciam fieri licitè nequaquam poſſe: quod videtur non tam probari, quàm demonſtrari & ob oculos poni.

Nota bene.

Deus mihi impoſſibilia non jubet, nec culpæ arguit actionem, quæ vitari non poteſt. Ergo in materia probabili non præcipit mihi, ut eligam partem veram realiter; nam cum mihi hæc ſit omninò ignota, electionem præciperet, mihi impoſſibilem; nec interdicit Deus ut ſequar opinionem probabilem, quia ſi hoc præciperet, ego neceſſariò peccarem; quia aut agere debebo aut omittere, & ſi utrumque probabiliter malũ eſt, & probabiliter malum facere nõ licet, docere velim, quid debeam facere, ne peccatum incurram. Incurro, ſi operor: incurro, ſi omitto; & inter operari & omittere, tertiũ non datur.

Tutò ſequimur opiniones probabiles.

Demonſtratur.

Nec juvat dicere me poſſe rem probabilem facere, modò oppoſita probabiliore; hoc inquam non juvat, hæc enim Poſitio, *Sufficit in materia morum ſequi opinionem probabilem, nemo tenetur ſequi probabiliorem*, opponitur ex diametro huic, *Non ſufficit in materia morum ſequi opinionem probabilem, ſed omnes tenemur ſequi probabiliorem*; è quibus prima eſt certa, & ſecunda improbabilis eſt, quod ſic oſtendo. Hæc ſecunda eſt per ſe falſa (hoc eſt, ita falſa, ut ejus falſitas non indigeat alienis probationibus, ſed ſit per ſe notoria) ergo ipſius contradictoria eſt per ſe vera. Non eſt probabile hanc ſecundam eſſe veram, ergo non eſt probabile priorem eſſe falſam. Hanc poſteriorem non eſſe probabilem demonſtravi olim mei Commentarii in Regulam Benedictinam *nu.* 59. argumentatione per ſe; & demonſtrationem (non enim aliter hanc rationem vocari permitto) ſic formavi. (Vel poſſumus ſequi opinionem minùs probabilem, vel tenemur ſequi probabiliorem; quidquid dicatur, habebo intentum: ergo. Probatur minor. Quoniam ſi dicatur illud prius mea concluſio dicitur, & ſi poſterius mea concluſio dicetur, arguo enim ſic. Tenemur opinionem probabiliorem ſequi; at omninò probabilior eſt illa, quæ docet ſufficere minus probabilem; ergo ſequi tenemur opinionem, quæ docet ſufficere operari juxtà ſententiam minus probabilem. Minorem probo; quia hæc eſt opinio communis, ne dicam eam eſſe hodie inter homines doctiores ſolam.)

An debeas ſequi probabiliorem opinionem?

Poſitio per ſe falſa: quæ?

Conſideretur attentè hoc Dilemma.

SE-

SECTIO IV.

SVnt aliæ conſequentiæ ſimiles, quæ in probabilitatis ingenio & natura fundantur. Dixiſti talem opinionem eſſe probabiliter veram, intulit Petrus eſſe etiam probabiliter falſam, & quia vim illationis non penetras, inquiris, An ſit bona conſequentia, *Hæc Propoſitio, [Votum ſimplex & ſolenne ſunt ejuſdem ſpeciei] eſt probabiliter vera: ergo eadem Propoſitio eſt probabiliter falſa?*

An eadem propoſitio ſimul ſit vera & falſa?

Et reſpondeo aſſertivè. Tunc enim habeo opinionem probabilem, cùm pro utraque cõtradictionis parte habeo rationes fortes vel authores graves; pro neutra infallibiles. Sanè infallibilis ratio eſt, quæ demonſtrativa & infallibilis authoritas eſt, quæ evidenter in Dei revelatione fundantur. *Hinc patet* Conradum Philoſophum, quem Aventinum alii appellant, in ipſo Chronici Schirenſis initio non loqui philoſophicè, ſic enim ait. *Rationabile & acceptum videtur ut quod ab honeſtis & rationabilibus perſonis agitur, idoneis etiam argumentationibus ob memoriam poſteris reformandam probabiliter affirmetur, litterarum videlicet veriſſima inſcriptione, atteſtantium perſonarum confirmatione, quatenus undique veritate muniti, faciliùs obſtruatur os loquentium iniqua;* ubi Probabilem affirmationem, & Veriſſimam inſcriptionem veritate undequaque munitam, æquipollentes judicavit. Sed hoc eſt probabilitatem cum certitudine aut etiam evidentia confundere; adeoque probabilitatem tollere; hanc enim habemus, cùm nos ſumus undique certiſſima veritate muniti, ſed in utramque contradictionis partem fortibus rationum momentis, non tam evidentibus aut infallibilibus rapimur.

Probabilitatem cum certitudine Aventinus confundit.

Datur alia conſequentia præmiſſæ ſimilis, & in moralibus etiam neceſſariò admittenda; nimirùm, *Hæc Propoſitio* [Votum ſimplex & ſolenne ſunt ejuſdem ſpeciei] *eſt probabiliter vera: ergo ejus contradictoria nimirum* [Votum ſimplex, & ſolenne non ſunt ejuſdem ſpeciei,] *eſt etiam probabiliter vera*. Et demonſtratur; quoniam, ſi affirmativa eſt ſimul probabiliter vera, & probabiliter falſa; illi contradictoria erit probabiliter falſa; & probabiliter vera: ergo utraq; contradictoria erit probabiliter vera, & utraque probabiliter falſa.

An ſint duæ contradictoria ſimul vera? An ſimul probabiles?

Nec valet inferre Contradictorias non opponi tam rigidè, quàm hucuſque creditum; quæ enim aliàs eſſent contradictoriæ, addito modo redduntur non contradictoriæ; nam hæ, *Hodie pluit, Hodie non pluit*, contradictoriæ ſunt, nec ſimul eſſe veræ poſſunt: at iſtæ ſimul veræ ſunt, *Poſſibile eſt ut hodie pluat; Poſſibile eſt ut hodie non pluat; Contingens eſt ut hodie pluvat; Contingens eſt ut hodie non pluat. Liberum eſt Deo, quòd hodiè pluat; Liberum eſt Deo, quod hodie non pluat. Mihi habenti rationes graves probabile eſt quod hodie pluet. Mihi probabile eſt quod hodie non pluet*, quæ quidem Propoſitiones converſæ ſunt, & omnes affirmativæ, adeoque nec oppoſitæ; quarum ſi contradictorias quæris, dabo; videlicet, *Non eſt poſſibile, ut hodie pluat; Non eſt poſſibile, ut hodie non pluat: Non eſt contingens quòd hodie pluat; Non eſt contingens quòd hodie non pluat. Non eſt Deo liberum quòd hodie pluat; Non eſt Deo liberum quòd hodie non pluat. Mihi non eſt probabile, quòd hodie pluet; Mihi non eſt probabile, quòd hodie non pluet*; quæ omnes negativæ ſunt, & conſalſæ, quia contradictoriè opponuntur converſis.

Hæ affirmativæ contradictoriè opponuntur

iſta negativa.

SECTIO V.

POſitivi & Comparativi connexionem conſiderans ſic philoſophatis; Hæ ſunt bonę conſequentiæ inquis, *Sol eſt lucidior Luna: ergo & Luna eſt lucida. Nix eſt charta candidior; ergo charta eſt candida. Rege Angliæ eſt Rex Hiſpaniæ ditior; ergo Rex Angliæ eſt dives. Auguſtinus eſt Proſpero doctior; ergo Proſper eſt doctus. Qui ſervat conſilia & præcepta ſanctior eſt illo, qui ſervat tantummodò præcepta; ergo hic poſterior ſanctus eſt.* Et infers has eſſe etiam conſequentias bonas, *Hæc opinio eſt probabilior, ergo contraria eſt probabilis. Vaſquez hanc ſequitur ſententiam & probabiliorem appellat, ergo judicat oppoſitam eſſe probabilem*; & utrùm inferas bene me conſulis.

Comparatio poſtulat, ut qualitas de qua fit comparatio, ſit in utroque extremo.

Vt quæſtioni reſpondeam, dabo Ioannis Sanderſoni, viri eruditi verba: ipſe enim *Dialectica ſua libr. 4. cap. 2. pag. 171.* hæc habet.

Quidquid dicitur ſecundum magis & minus, dicitur ſimpliciter; ut, Quod magis minuſve eſt album, album eſt, & quod ſimpliciter non dicitur, nec ſecundum magis & minùs dici queat, ut, quod album omninò non eſt; id nec magis, nec minus album rectè dicatur. Sed magis & minus debent propriè intelligi, non catachreſticῶs, & abuſivè: ut, Aqua eſt levior terra, id eſt, minus gravis. *In comparatione ut ſecundum magis & minus duo requiruntur. Vnum, ut* termini tales ſint, qui poſſint magis minuſque ſuſpicere: ideò non valet: album eſt animal; ergo magis

Quod dicitur ſecundum magis & minus.

Quod negatur ſimpliciter.

Comparatio catachreſtica.

Digitized by Google

magis album, eſt magis animal. *Alterum, ut*, illud magis minuſque accipiatur ea ratione, qua debent, & reſpectu illius, cui rectè tribuantur; ut, Quoniam corporis exercitatio bona eſt quatenus conſervat ſanitatem; idcirco major exercitatio, quæ magis ſanitatem conſervat, magis bona eſt: non autem omninò; cum plerumque obſit.] Sic ille.

His poſitis quæſtioni ſatisfacio dicens, omnes illas conſequentias, ſtando rigori, eſſe veras.

Neceſſaria monitio.

At quia non pauci ſunt hodie, qui loquantur liberiùs, & rigorem Dialecticum non curent, & quia frequenter veteres exorbitarunt, monere volo meum Lectorem, ut ſi citet juniorem aliquem curioſum & eruditum, utatur illa conſequentia, *Titius vocat hanc ſententiam veriorem certiorem & probabiliorem: ergo contrariam judicavit veram, certam, probabilemque*; ſi verò citet aliquem negligentiùs aut fortè indoctiùs Ethica ediſſerentem: &, ſi antiquos præcipuè, ne nimiùm quæſo, huic ipſi conſequentiæ confidat: reperimus enim in veterum aut etiam juniorum libris aliquando ipſos Fidei articulos dici omninò hæreſi veriores & probabiliores. Nec hic loquendi rigor ad Sacram paginã extẽdi debet, ſæpe enim meliora dicit quæ unicè bona, & pejora, quæ unicè mala: ſæpe etiã meliora, quæ minùs mala, ut multis poterit probari exemplis.

Non eſt nimiũ huic Conſequẽtiæ confidendũ.

Quomodo ſiat in negativis comparatio?

Hæc de comparatione poſitiva. Sed ſciendum eſt, comparativa negativa, non ſemper ſumi negativè, ſed aliquando etiã diminutivè: qui enim diceret, *Ciceronem Demoſtene indoctiorem eſſe*, non vellet utrumque indoctum dicere: ſed potiùs utrumq; eſſe doctum, ſed Græcum doctiorem Latino: ergo *indoctior* hoc ſenſu, idem omninò eſt, quod *minus doctus*. Hæc etiam loquendi libertas in Sacra Scriptura reperitur, nam interdum *melius* ſumitur pro *minùs malo*, & dicitur *juſtior*, qui eſt *minùs injuſtus*. Sic Christus Dominus de Iuda. *Melius eſſet illi, ſi natus non fuiſſet.* &c. & tamen neutrum bonum erat; unde hæc verba his æquivalent, *Minùs malum eſſet illi, ſi natus non fuiſſet.* &c. Eodem ſenſu loquutus fuerat *Geneſ.* 38. Iudas, cùm dixit, *Iuſtior* (Thamar) *me eſt*, hoc eſt, *Minùs injuſta eſt ipſa, quàm ego.* Huc reduci etiam poterunt verba Pauli dicentis, *Melius eſt nubere, quàm uri*; non enim igne concupiſcentiæ aduri bonum eſt. Hæc etiã ſcribendi & loquendi libertas repetitur in Hiſtoricis & Rhetoribus multis; hæc in Scholaſticis etiam non paucis. Sed ne eadem iterum & iterum cogar ſcribere, literas ſequentes adjungo.

Logica Moralis lib. II.

LEANDRO BANDTIO S.

LOgicam meam Moralem evulgari deſideras, & ut properem, oras, at ego non ſolùm propero, ſed interdum feſtino. Interim quia ſcrupulis nonnullis pungeris, duos decidam, ex quibus cæteri ſuboriri videntur. Legis apud Doctores Theologiæ Moralis Scriptores, I. *Titius oppoſitam opinionem vocavit probabilem, ergo & hanc ſentit eſſe probabilem.* II. *Semphronius oppoſitam dixit probabiliorem & veriorem, ergo hanc probabilem & veram judicat.* Vnde naſcantur iſtæ duæ conſequentiæ non vides, & ideò ad me confidenter recurris.

Duæ quæſtiones Morales proponuntur.

De primâ Conſequentiâ.

SCio totam doctrinam de probabilitate à nonnullis Iunioribus rejici; quia eſt ipſorum ingenio ſubtilior & ipſorum voluntate ſincerior. Interim communis & vera ſententia ſupponit primò Authores, qui Morales controverſias ſcribunt, ſcire hos terminos eſſe condiſtinctos diverſoſque: nimirùm, *eſt Sententia de fide, Evidens, Probabilior, Probabilis, Minùs probabilis, Dubia, Improbabilis*. Supponit ſecundò opinionem, quæ opponitur probabili, eſſe probabilem. Supponit tertiò Doctores frequentiùs hoc rigore loqui, vocare illas ſolum probabiles, quibus oppoſitas probabiles eſſe arbitrantur. Supponit quartò probabilitatis vocabulo genericè ſumpto nonnunquam aſſerta demõſtrata aut revelata à magnis Viris *probabilia* vocari, quod illa naturali evidentia, hæc indubitata revelatione comprobentur; adeòque concludit

Multi hãc doctrinam nõ intelligunt.

Termini examine & notitia digni.

An certa poſſint probabilia vocari?

Primò, *In hac illatione* [*Suarius ſuam opinionem dixit eſſe probabilem; oppoſita ergo, cui ille non ſubſcribit, probabilis eidem fuit viſa*] *conſequentiam non naſci neceſſariò ex antecedenti* Oſtenditur; quia neceſſaria nunquam fallunt, at certum eſt aliquando vocari probabiles ſententias, quibus oppoſitæ improbabiles aut hæreticæ ſunt: ergo hæc conſequentia neceſſaria non eſt. Confirmatur. Quia plus favet oppoſitæ ſententiæ, qui ſuam probabiliorem nominat, quàm qui probabilem; atqui non eſt evidens quòd, qui probabiliorem ſuam nominat, putet alteram eſſe probabilẽ: ergo nec erit evidens oppoſitam videri probabilem illi, qui ſuam probabilem appellat.

Reſolutio.

Secundò, In eâdem illatione conſequentiam naſci *ex antecedenti probabiliùs*. Oſtenditur, quia in contingenti-

An probabilius aſſeri poſſint, quæ frequentiora?

Pp bus

bus illa probabiliora ſunt, quæ frequentiora: atqui frequentiſſimum eſt Authores utramque putare probabilem, cùm alteram probabilem dicunt; non ita frequens, imo jam ab eo tempore, quo accuratiùs caſus conſcientiæ inceperunt ſcribi, omninò rarum, quòd quis probabiliorem illam appellet, cujus oppoſitam tenet eſſe improbabilem: ergo probabiliùs eſt Authorem benè loqui, & verbis in debito rigore uti, quàm malè loqui, & terminis ſcholæ abuti.

Objectio. An omnis ſit bonus præſumendus; & quamdiu?

Dicis. Omnem hominem præſumendum eſſe bonum quouſque probetur malus; & adnuo. Addis præſumendum eſſe bene loqui, quouſque probetur loqui malè & vocabulis receptis abuti; & conſentio. At pace tua, aliud eſt præſumere, aliud evidenter cognoſcere: præſumimus enim prudenter cùm probabiliùs, imò cum probabiliter: at evidens notitia rationes poſtulat certiores omni probabilitate, imò probabilioritate, atque ideò omni præſumptione.

Quid ſit præſumere?

Quid de aliorum mente certò ſcire poſſimus?

Dices hinc ſequi mihi non eſſe evidens quod Suarius putaverit dari Deum, licèt dixerit, quia mentiri potuit, adeoque omnia quæ aliorum opiniones concernunt eſſe ſolummodò probabilia, aut ut plurimùm probabiliora. *At reſpondeo* primò mihi eſſe evidens phyſicè, quod in libris, qui Suario attribuuntur, lego Deũ eſſe: quia id ſenſu percipio; & evidentiæ phyſicæ vocantur illæ, quæ in ſenſibili experientia fundantur.

Quid phyſica & metaphyſica certitudo requirant?

Secundò, mihi non eſſe evidens phyſicè, nec metaphyſicè, hos eoſdem libros ſcriptos eſſe à Suario; non phyſicè, quia ſcribi ab eo non vidi; non metaphyſicè, quia ex primis principiis per neceſſarias conſequentias id monſtrare non poſſum.

Quid certitudo moralis?

Tertiò, mihi eſſe moraliter evidens, hoc eſt, moraliter certum, eſſe à Suario ſcriptos, quia in poſſeſſione Author eſt, nec audivi hominem, qui negaret; nec ſuppetit veriſimilis ratio, quæ contrarium oſtendat.

Suarius doctiſſimus & pientiſſimus fuit.

Quartò, mihi eſſe moraliter certum & evidens Suarium ſcripſiſſe quod ſentit; quia nullus unquam eum de mendacio arguit, nec datur ratio probabilis (imò nec levis) quæ illum atheum probet, cùm potius contrà fortiſſimæ ſint, quæ ejus magnam pietatem & opinionem ſanctitatis commendent.

Quintò, hanc inſtantiam malè objici noſtræ reſolutioni; quoniam ſi eſſet evidens quod Suarius ſæpe contra dictamen ſcripſiſſet, ſæpiùs ex dictamine: ubi ambigeretur, utrùm in tali loco contra aut ſecùdum mentem fuiſſet loquutus, tunc eſſet reſolutio parallela; diceremus enim eſſe probabile illum nos voluiſſe decipere, at probabiliùs proceſſiſſe ſinceré; quoniam in noſtro caſu Authores voce Probabilis aliquando abuti, frequentius verò non abuti demonſtratum eſt.

De Articulo mortis.

His inſtructus ideis mitari incipio, & neſcire, quid venerit in mentem Dianæ, quando *part. 3. tract. 4. reſol. 129.* ſic inſcripſit. [Dico contra Turrianum & Sanchez, quod in articulo mortis, ſi pœnitens habeat probabilem exiſtimationem de ſua contritione, non teneri confiteri per interpretem; quia tunc confeſſio non videtur moraliter neceſſaria ad ſalutem, nec Deus videtur obligare cum tanto onere: &, quia talis confeſſionis modus de ſe eſt publicus. Ergo, &c. Si autem probabiliter dubitet de ſua contritione, tunc ex charitate tenetur confiteri per interpretem, ne ſe exponat periculo damnationis, &c.] Sic ille: contra quem ego ſic diſcurro. Qui probabiliter putat ſe eſſe contritum, probabiliter putat ſe non eſſe contritum: aliàs enim non differret à probabilitate certitudo. At, qui probabiliter putat ſe eſſe contritum, non tenetur confiteri per interpretem, & qui putat probabiliter ſe non eſſe contritum, tenetur: Ergo teſte Diana idem homo, eodem loco, eodem tempore, ad idem opus, ſimul tenetur, & non tenetur.

De ſecunda Conſequentia.

Comparativorum uſus difficilis; nec quibuſcumque notus, calamo ubetiore indigeret, ſed, quia me bene noſcis, & doctrinæ meæ fundamenta tibi ſunt pervia, non indigebo multis, ut tibi meam ſententiam clarè, & evidenter aperiam.

Comparativa poſitivè, & etiã negativè ſumuntur.

Reperio Comparativa nomina bifariã poni. Poſitivè, negativè que. Poſitivè, ut cùm dicimus, *Auguſtinus eſt Franciſco doctior*; negativè, ut cùm dicimus, *Nemo fuit Auguſtino ſanctior.* De comparativis poſitivè prolatis plura dicturus, exponam breviter eorumdem uſus negativos, quod facilius adſequar, ſi Ruffini Presbyteri Aquilenſis, qui Apriani conſilio S. Gregorii Nazianzeni Opera in idioma latinum tranſtulit, & in Prologo his verbis ejuſdem Patris ſanctitatem commendat. *Hujus*, inquit, *neque vita aliquid probabilius, & ſanctius, neque eloquentia clarius, & illuſtrius, neque fide purius, & rectius, neque ſcientia plenius, & perfectius inveniri poteſt*: quibus verbis non aſſeritur Gregorius omnibus hominibus probabilior, ſanctior, clarior, illuſtrior, purior, rectior, plenior,

Qualis fuerit Gregorius Nazianzenus?

nior, perfectior; ſed fuiſſe tantus, ut ſuperaverit fortè multos, fortè æquaverit aliquos, ſed à nullo ſuperatus fuerit. Eodem ſenſu, licèt non ſatis eloquenter, dicunt alii, *Petrus eſt Antonio ſapientior negativè*, ut eſſe tam ſapientem ſignificent, ut Antonio inferior in doctrina non ſit, ſed ſaltem ſuperior, vel æqualis. Hæc de negativa Comparativorum acceptione ſufficiant; &, quia nihil de ipſis aliud dictu-rus ſum, ad poſitivam eorumdem acceptionem veuis, & inquiris; *Sit-ne evidens illam opinionem judicari ab aliquo Authore probabilem, cujus oppoſita ab eodem dicitur probabilior?*

Prima ſententia.

Mulii judicant eſſe illationem evidentem: quoniam de ratione comparativi eſt, quod ſupponat poſitivum in utroque comparationis extremo; ut cum dicimus, nivem eſſe papyro candidiorem, debemus neceſſariò ſupponere utramque candidam: malè enim diceretur candidior altera, ſi altera candida non eſſet: quis enim hanc comparationem toleret, *Homo eſt materialior Angelo, fragilior adamante, miſerior beatis?* nam, nec Angelus eſt materialis, nec adamas fragilis, nec beati miſeri. Ergo ſimiliter tolerari non poſſet comparatio propoſitionum, ſi poſitiva comparationis ratio alteri ſoli conveniret; omnium enim judicio peſſimè loqueretur, qui diceret, *Deum non dari, eſt improbabile, ſed dari, eſt probabilius.* Quoniam, ſi altera contradictionis pars improbabilis eſt, altera non debet dici probabilior, imò, nec probabilis, ſed certa, & extra omnem aleam diſputationis poſita. Cùm ergo hæc ſit Comparativorum acceptio, quam docentur Grammatici, ſupponendum eſt hanc ipſam ab Eximiis hominibus ignorari non poſſe, adeoque propoſitam conſequentiam eſſe omninò evidentem.

Quid ſit probabilioritas?

Confirmatur ratio eadem, ad terminos fortiores reducta. Quoniam, ſi eſſet evidens hanc opinionem eſſe probabiliorem altera, eſſet evidens etiam alteram eſſe probabilem: at Petrus judicat hanc eſſe probabiliorem altera, ergo, vel debet illam alteram judicare probabilem, vel ignorare quid ſit probabilioritas. Sed hoc ultimum ſine magni hominis injuria præſumi non poteſt: ergo illud prius omninò ſupponendum eſt. Vel dicito, An-non eſſet judicium non temerarium modò, ſed ſtultiſſimum illud, quod magnos Theologos de tali ignorantia condemnaret? Dicendum igitur eos eſſentiam probabilioritatis cognoviſſe, ſciviſſeque quid requireretur, ut opinio cenſeretur probabilior, cumque inter alia etiam requiratur, quod ſit probabilis oppoſita, hoc etiam ſuppoſuiſſe, & ſuppreſſis verbis docuiſſe.

Secunda ſententia.

Alii contra putant ſolùm eſſe probabilem illam inferendi rationem, illum enim comparandi rigorem non omnes viri illuſtres obſervant. Hoc exiſtimant negari non poſſe, nimirùm Juſtum Lipſium fuiſſe Grammaticæ rei peritiſſimum, nec tamen ſemper in comparatione ſcrupuloſum. Ipſis favent loca aliquot, quæ eruditionis causâ ex libello illo, qui *Diſpunctio notarum Mirandulani Codicis ad Tacitum* inſcribitur, collegi. Alii examinent alios; ego hunc ex aliis cauſis tenebar legere, & hæc pro hac quæſtione decidenda obſervavi.

Quid ſit perſona?

Primò. Dixerat in Prologo Lucius, *Iſe* (Lipſius) correctoribus perſonam detrahet. Lipſius verò. *Quàm perſonam? non ſatis capio, nos quidem palam loquimur, & profitemur eſſe, quod ſumus, quin vos potiùs hiſtrioniam exercetis, & perſonas ſumitis, quas indecorè ſuſtinetis.* Nota illud *potiùs*. An Lipſius concedere vult eſſe verum à ſe hiſtrioniam exerceri, ſed veriùs exerceri à Lucio? An verò vult oſtendere nullo à ſe modo illam, ſed à ſolo Lucio exerceri?

Qualis ſit Cornelius Tacitus Mirandulanus?

Quales Notæ Lucii?

Secundò. Cùm ſemper tota iſta diſpunctione ſuppoſuerit Lipſius Mirandulanum codicem eſſe adulterinum, vel adulteratum, & nullo modo verum ad libr. XI. ſic inſit, *O mi Sol, & ſalus ſequor, & jam video. Non tamen fas alios Codices incomparabiliter meliores ſequi?* Ergo tamen ſi alios *meliores* vocet, manutenere adhuc vult non eſſe Mirandulanum bonum: dixerat enim ſub initium, *Vidimus librum, ſeu libellum tuum Luci; avidè (fatebor hoc) expectatum. Titulus inducebat*. Notae in Cornelium Tacitum e manuscripto Codice Mirandulano. *Amamus, ut ſcis Auctorem illum, bene ei fecimus; & amamus hoc quoque, ut alii, eoque, ut dixi, avidè expectabamus. Quid autem, niſi mira è Mirandulano Codice, magna à Cive Romano? ſed fefelliſti nos, ut rem dicam, & verba veteri, Theſaurus cineres fuere. Tria attuliſti tantum, Fraudem, Livorem, Inſcitiam: & ſubſtringe aurem, breviter hoc, ac liberè doctura. Siquid non ad gratiam, aut guſtulum tuum erit, ſuſtine, & tolera: vel Euripide monente.* —— επει τα μηχαλα. &c. *quoniam non bona Patrare es auſus, non amica etiam feras.* Vbi vides Codicem illum malum à Lipſio judicari, & tamen alios ipſo meliores dici.

Qui dicit, quæ vult: audit quæ non vult

Tertiò notari volo hæc verba Taciti ex libro III. *Ad quæ illum pleraque ſapienter, quædam inconſultiùs reſpondente.* Vbi vides ipſummet Tacitum, tametſi inconſul-

Logica Moralis lib. II.

tiùs aliqua dicta aſſeruerit, non tamen judicare reliqua dicta fuiſſe inconſultè, ſed ſapienter.

Quartò diſpungens ea, quæ de Germanorum moribus dicta, hæc Taciti verba citat Lipſius, *Gerunt, & ferarum pelles proximi ripa negligenter, ulteriores exquiſitiùs.* Vbi illud comparativum non ſupponit poſitivum in altero comparationis extremo, qui enim dicit ripæ proximos gerere pelles ferarum negligenter, negat ferre exquiſitè. Audi Lucium, *Ideo-ne ulteriores exquiſitiùs utuntur pellibus, quia nullis commerciis gaudent? Contrarium veroſimilius ob pellium ſelectum.* Vbi iterum noto illud *veroſimilius*, & video alteram partem à Lucio *veroſimiliorem* vocari, cum tamen alteram non cenſeat veroſimilem.

Ferarum pelles

Et, ne à Tacito abeam Philippus Beroaldus agens de libris Taciti Leonis X. diligentia inventis, liberalitate publicatis, eodem omninò modo loquitur. *His autem quinque libris decem reliquos connectere placuit, ut ſuo tandem capite Cornelius, ſuam faciem multò integrior ſpectandam tuoque munere agnoſcendam praberet.* Comparat acephalum cum toto libro, hunc integriorem nominat, & tamen acephalus integer dici non potuit.

Si ad alios Authores converto oculos, reperio ſæpiuſculè vocaſſe probabiliores opiniones aliquas, quarum oppoſitas nunquam admiſſuri ſunt eſſe probabiles. Nam, ut alios prætercam, ſupponam Mathematicos, & inter eos præcipuè Aſtronomos omnia deſiderare per demonſtrationem concludi, nec tamen apud ipſos comparativas voces in tali rigore uſurpari, ut ſemper ſupponant poſitivas. Inter omnes Tycho Brahæus celeberrimus fuit, & in Præfatione libri de Cometâ anni 1577. ſic Ioannem Bavitium adloquitur. *Plurimis ab hinc ſæculis acris admodum inter Philoſophos de Cometarum ſitu Quaſtio fuerit agitata, & necdum conſentientibus omnium ſuffragiis definita: Ætherei-ne ſint Cometæ, an ſublunares? pleriſq; in Ariſtotelis Scholâ enutritis, eos infra Lunam in elementari aere ex igne vaporibus accenſo generari ſtatuentibus, aliis autem rectius* [nota hoc cõparativum] *in ipſum Æthera ſublime evehentibus; cum id natura Cæleſti minimè repugnare nova illa, & miraculoſa anni ſeptuageſimi ſecundi Stella, ad quam terreni Orbis magnitudo nullam admiſit aſpectus diverſitatem, evidentiſſimis argumentis evicerit: Vt haud citra rem mirum alicui videri poſſit Stagiritam illum per bis mille, & ampliùs annos mundum ineptiſſimo commento deludere potuiſſe, & neminem prope inventum, qui enormem ejus falſitatem, & abſurditatem tanto ſæculorum decurſu, & intervallo detexerit.* Vbi, ut videris duas oppoſitas opiniones recenſet veterum, juniorumque illos docet evidentiſſimè convictos, mundumque ineptiſſimo commento deludere; hos rectiùs ſentire; nec tamen admittet illos ſenſiſſe rectè.

Qualis ſit doctrina Ariſtotelis opinione Tychonis?

Nec juvat arguere de labii negligentiâ juniores, & commendare veteres, quoniam reperio antiquos etiam primæ notæ Scriptores comparativo abuſos. Auguſtinus enim Epiſtola XLVIII. Vincentium adloquitur his verbis, *Quod autem ad vos attinet (qui non ſolùm communiter Donatiſtæ à Donato, verum etiam propriè Rogatiſtæ à Rogato appellamini) mitiores quidem eſſe videmini, quia cum Circumcellionibus immaniſſimis gregibus non ſævitis.* Sed quibus mitiores? profectò illis, qui cum Circumcellionibus ſæviebant. Igitur, dicuntur Rogatiſtæ ſævientibus mitiores, quamvis, qui ſæviunt, mites, & benigni non ſint.

Donatiſtæ iidē & Rogatiſtæ: An Circumcellionibus ſint minùs mali?

Et idem Hipponenſis Epiſcopus Epiſtola L. ad Bonifacium militem, & aulicum de Donatiſtarum correctione, ante mediū. *Cur enim cum datum ſit divinitùs homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & ſacrilegia permittantur? An fidem non ſervare levius eſt Animam Deo, quàm fœminam viro? Aut, ſi ea, quæ non contemptu, ſed ignorantia Religionis committuntur, mitius vindicanda; nunquid ideò negligenda ſunt? Melius eſt quidem (quis dubitaverit?) ad Deum colendum doctrina homines duci, quàm pœna timore, vel dolore compelli. Sed non, quia iſti meliores ſunt, ideo illi qui tales non ſunt, negligendi ſunt.* Vbi notandum eſt Donatiſtarum ſententias à Sancto Doctore referri, quæ imponerentur illis, ſi comparativa hæc nomina ſtrictè uſurparentur. Primò, ait Auguſtinus non cenſeri levius, eſſe animā infidelē Deo, quàm fœminam viro; & tamen neutrum leve eſt. Secundò, videntur docuiſſe Donatiſtæ, & negare Auguſtinus, peccata ex ignorantia (vincibilem intellige) commiſſa ſuavius vindicanda, quàm, quæ ex contemptu; nec tamen iſta ſuaviter vindicanda ſunt. Tertiò, docebant Donatiſtæ melius eſſe ad Deum doctrinâ, quàm terrore reduci; & tamen negabant bonum eſſe hæreticos pœnis coerceri. Quartò, admittebant meliores eſſe, qui virtutis amore Deo ſerviebant, quàm, qui ſupplicii metu; nec tamen hos bonos eſſe putabant. Stat igitur non ſemper comparationis terminos imbuere ſignificationem poſitivi.

Cur graviora crimina minùs graviter puniri ſoleant?

Donatiſtarum errores.

Sed & ſcribens contra Epiſtolæ fundamentalis Manichæorum Caput I. ſic inquit.

quit. *Quanquam Dominus per ſervos ſuos regna ſubvertit erroris, ipſos tamen homines in quantum homines ſunt, emendandos eſſe potius, quàm perdendos jubet.* Vide illud *potius* inter adverſa poſitum: non enim jubet Deus illos diligentiùs emendandos, quàm perdendos, & tamen diligenter perdendos: ſed quid? omnibus modis emendandos, nullo perdendos, quia non vult mortem peccatoris, ſed, ut convertatur, & vivat.

Dialectici non ſemper quærunt veritatem.

Adjungam Auguſtino Nazianzenum Gregorium, qui Petro Moſellano Interprete librum Theologiæ primum orditur hiſce verbis. *Qui differendi artificio abutuntur ...... utinam, quemadmodum linguam habent verſatilem, ac in dictis nobilioribus probabilioribuſque elevandis vehementem, ſic, & in rerum veritate exploranda nonnihil laborarent.* Ecce opponit nobiliores, & probabiliores ſententias illis qui nonnihil habent vanitatis, ac proinde illas nihil habere veritatis inſinuat. Et ſub libri II. medium agens contra Phyſicos probabilius improbabili opponit, aitq; *Poſtremò, qua ratione ipſi* (mari) *arena ſit margatali, ac tanta elemento? Habent-ne hic aliquid, quod probabiliter afferant, naturam ſibi exploratam profeſſi vani iſti ſapientes, & revera cyathe mare metientes, ut qui ingenii ſui anguſtiis res tantas pertractent? An potiùs ipſe compendio rem ex ſcriptura tranſigam, longè certè, quam iſtorum prolixa diſputationes, tum probabilius, tum verius: Præceptum, inquit, circumdedit ſupra faciem terræ.* Ecce nihil probabile à Phyſicis dicendum ſupponit, & tamen ſe, & veriora, & probabiliora dicturum promittit.

An mare retineatur arenarum loricis?

Paulò poſt irridet celandi ſacras reſolutiones, extremam illam religionem, quam heterodoxi obſervant, & ait, *Alioqui declaramus apertè, qui dæmonia adorant, & turpium tum fabularum, tum rerum ſunt cultores, eos nobis eſſe longè religioſiores: illi enim his, qui non eiſdem ſint initiati ſacris, ſanguinem ſuum citius, quam quædam arcana ſua ſacra impertirent.* Illud *religioſiores* non aſſertivè, ſed ironicè videtur ſumi: & ſi ironicè, illos irreligioſiores nobis vocat, cùm tamen non dicat nos eſſe irreligioſos. Clariùs comparationis vis relucet in illo *citius*, ipſi enim citiùs dicuntur profuſuri ſanguinem quàm ſacra, cùm tamen certum ſit, iſta non eſſe profuſuros citò.

Et haici interdum diligentiùs ſuas leges obſervant, quàm nos noſtras.

Et inferiùs. *Quis meliori pejus, hoc eſt carnis pulverem Spiritus dignitati cogit obedire?* Sic Gregorius, ubi ſuperſtitioſus Grammatiſtes, *Quis meliori minus bonum*; aut fortè, *Quis minus malo pejus.*

Et ſibi conſonans ſub libri finem ſic loquitur idem Gregorius. *De mundo philoſopharis, & mundis? de rerum omnium materia? de anima? de ratienabilibus naturis nobilioribus, & vilioribus?* Vbi alius omninò diceret, *de nobilioribus, & minùs nobilibus, de minùs vilibus, & vilioribus.*

Et paulò poſt contra hæreſiarcham ſermonem dirigit, & licèt, nec infirmum illum, nec ſimplicem, ſed callidum potiùs, & duplicem arbitretur, infit, *Cur captionibus tuis, quaſi aranearum telis, infirmiores ſimplicioreſque illaqueas?*

Et in Apologetico juxta tranſlationem Ruffini; *Nec ſuffuit de anima indignas abjicere cogitationes, & malarum rerum formas abolere; ſed præſtantiores diviniores que inſerere.* Vbi indigno, & malo opponitur præſtantius, & divinius.

Vtrumque jam video, faſtidis. Gregorius Græcus eſt, Auguſtinus Afer; ille transferri debuit, iſte poteſt; quoniam non ſolùm ex lingua in linguam, ſed ex duro in ſuavem ſtylum transferri Authores excellentiores ſolent. Libentiùs audires Aulum Gellium, Scriptorem Criticum, qui aliena accuratè reformans, credi non poteſt uſus calamo incurio. Is in ipſo fine libri tertii ſic inquit. *Si licèt res dicere commentitias, cur non probabilius videatur, ut accipiamus* Parcum *ob eam cauſam dictum, quòd pecuniam impendi, ac conſumi arceat, & prohibeat quaſi* Pecuniarius. *Quin potiùs, quod ſimplicius, inquit, veriuſque eſt, id dicimus.* Vbi non jam cum probabili, & vero probabilius, & verius comparat, ſed cum commentitio.

Et *libr. 9. cap. 12.* ſic inquit, *Quod prius poſui profectò exemplis non indiget, ſic adeò multi loquuntur...... Alterum autem illud ignorabilius obſcuriuſque eſt.* Ecce ignorabilius, & obſcurius non conferuntur cum ignorabili, & obſcuro, ſed cum eo, quod ita notum, & clarum, ut probatione non indigeat.

Libri etiam 12. cap. 11. *At, ſi ſciant homines nihil omnium rerum diutiùs poſſe celari, ſuppreſſiùs prudentiuſque peccabitur.* Vbi hoc noto, vel *prudentia* in bonam, vel in malam partem rejicitur, ut ſit *providentia*, aut *calliditas*, & neutra ſignificatione utriſque ſanctis, & peccantibus competit; nam, nec illi callidi, nec iſti providi.

Prudentia etiã ſumitur in malam partem.

Nec-non libri 14. c. 5. proponit quæſtionem inter duos Grammaticos agitatam, quorum alter docebat omnia nomina ſecundæ declinationis deſinentia in IVS, habere vocativum in I. non in E; alter diſtinguebat, volebatque aliorum vocativum eſſe in E. & aliorum in I. & prio-

De vocativ. nominum deſinentiũ in IVS.

rem

rem Gellius, cùm ipſi propoſita eſsent nomina *Inſcius*, *Impius*, *Sobrius*, dixiſſe ait, *Inſolentius quidem, ſed rectius per I literam, non per E in eodem ſaſu pronuncianda*. Vbi ego; ſi non ſunt pronuncianda per E, non pronunciabuntur rectè, ſi per E pronuncientur, & tamen ille rectius eum malo comparat, & non eum recto; cum malo inquam, juxta ſuam opinionem, quam hodie univerſi condemnant.

Libri 16. cap. 2. condemnaverat unum modum reſpondendi, & ait, *Rectius igitur cautiuſque ita reſpondebitur*, & tamen priorem reſponſionem judicarat non rectam.

Et inferius libri 17. cap. 14. *C. autem Cæſarem ita Liberii maledicentia, & arrogantia offendebat, ut acceptiores, & probatiores ſibi eſſe Publii, quàm Liberij Mimos prædicaret*. Et tamen acceptos non poſſumus eos dici, quibus offendebatur.

Ioannes Caſſianus in Collatione Ioannis Abbatis. *Melius eſt devotum in minoribus, quàm indevotum in majoribus profeſſionibus inveniri*. Et tamen eſse indevotum in majoribus bonum non eſt.

An, qui in infantia à ſuis parentibus offerebantur monaſterio, poſſint in ætate fortiori reſilire?

Bernardus Epiſtola prima ad Robertum num. 7. *Videat, & famulus tuus* (loquitur Deo) *Legislator noſter Benedictus, quid regularius fuerit; utrum quod factum eſt de infantulo neſciente ipſo, an quod ipſe per ſe poſtmodum prudens, & ſciens fecit?* An-ne ſolum volebat Bernardus oſtendere ſuam eſſe probabiliorem ſententiam, & Roberti ſententiam minus probabilem? An aſſerere illum regulariter potuiſſe fugere, ſed regulariùs remanere? Ne id ſomnies. Totus eſt in hoc, ut oſtendat Roberti fugam fuiſſe indefenſabilem, & irregularem, eumq; non potuiſſe tuta conſcientia apud Cluniacenſes remanere.

Qui caſtitatem ſervare nõ poſſunt, uxores ducant.

Clariſſimè meum intentũ evincit Beati Pauli [1. Corinth. 7.] authoritas dicentis, *Melius eſt nubere, quàm uri*, quam D. Hieronymus in Apologia contra Iovinianum exponit iſtis verbis: *Si autem ſe continere non poſſunt, & ardorem libidinis, non tam continentia, volunt, quàm fornicatione reſtringere, melius eſt nubere, quàm uri, id eſt, melius eſt, maritum ducere, quàm fornicari.* Vbi evidentiſſimè vides fornicatione dici matrimonium melius, cùm tamen fornicatio bona non ſit.

An expediat votum emittere de non peccando venialiter.

Bartholomæus à S. Fauſto *theſauri lib. 1. qu. 97.* votum non peccandi venialiter diſſuadet, quia, ut ait, *poteſt eſſe occaſio gravius peccandi*. Ergo in hujus Scriptoris ſententia gravius peccat, qui emiſſo hoc voto officiosè mentitur, quàm qui non emiſſo. Et tamen non peccat graviter, qui ſine tali voto officiosè mentitur.

Et quia Auguſtini meminerim, nec tamen tam diligentem rigoris obſervaverim, placet inquirere, quid de hoc loquendi rigore ſentiat Iuſtus Calvinus in pulchrâ illa pro Sancta Catholica Romana Eccleſia, & ſua ad eam tranſmigratione, quam Moguntiæ edidit anno MDCI. apud Ioannem Albinum. Meritò Iuſtum hunc Auguſtino ſubmitto, cui ſe ipſe ſubmiſit, Calvinum legens, qui libri Inſtitutionis tertii capite III. §. 10. & lib. 4. cap. 14. §. 16. & in Pſalm. 58. verſ. 2. (cui conſonat Hyperius de lectione S. Scripturæ operum part. 2. fol. 52.) ad Auguſtinum tanquam ad fideliſſimum, atque optimum antiquitatis teſtem, quin & Theologorum Coryphæum provocabat. Nec dicendus Iuſtus ipſe indoctus; Theologiæ ſtuduit Heidelbergæ annis quinque & publicè concionatus eſt annis novem, nec dicendus incautus; ſumma enim in ſcribendo cautela utitur, & ſub initium ait. *Si quædam fortè incauto verbula duriora, quod non ſpero, exciderint*, & oſtendit, ſe non timere, ne incautè aliquid ſcribat, præparat tamen Principum animos, ut, ſi fortè, quod non timet, contingat, ſint faciles in concedenda venia, & tamen licet eloquens, comparativis vocibus frequenter abutitur illiſque componit adverſaria. Pagina V. ſic effatur. *Alterum igitur, quod tanquam graviſſimum telum mentem meam expugnavit, & ad Romanam Eccleſiam tanquam à melioribus ſtantem partibus, rectiuſque Scripturas Sacras interpretantem impulit Sanctorum Patrum, Sancti Auguſtini in primis, & S. Cypriani lectio eſt*. Nota illud *expugnavit*, illud *melioribus*, illud *rectius*. Si Iuſtus Calvinus expugnatus hæc ſcribit, ergo depoſita omni formidine, & dubio hoc ediſſerit: ſed quæ? Romanam Eccleſiam à melioribus ſtare partibus; Et rectius Scripturas exponere. Inſtas illicò. Ergo ſenſit Iuſtus Calvinianam ſtare à bonis partibus: & rectè exponere Scripturas; malè enim illa ſtare à melioribus diceretur, ni, & hæc à bonis eſſet; malè illa rectiùs interpretari, ni, & hæc rectè. Inſtas inquam, & reſpondeo, negando conſequentias illatas, hæc enim ſcribit Iuſtus juſtè, lectione Auguſtini expugnatus, ad noſtram Eccleſiam converſus, qui, ſi ſentiret Calvinianos ſtare à bonis partibus, & rectè Scripturas exponere, Catholico-Romanus non eſſet. Stat igitur comparationem non ſemper in utroque extremo poſitivum ſupponere.

Iuſtus Calvinus ad noſtrã religionem convertitur.

Cur hæreſin abjuraverit?

An Catholicus ſentire, aut aſſerere poſſit doctrinam Calvini eſſe probabilem?

In eadem pagina ſubjungit, *Omnia* (nimirum, quæ in Auguſtino legebam) *lædebant me, omnia vulnerabant, & Catholicis*

Auguſtini, & Cypriani ſinceritas?

pa-

patrocinabantur. Quod miratus, Cyprianum capeſſo, an fortè ille equior mea cauſa (Calvinianæ, videlicet eſſet) *ſed omnia ſimiliter habebant*. Quærebat, in Calvino eſſet æquior Cyprianus Auguſtino, hoc eſt, faventior; non quod Auguſtinum putarit hæreſiarchæ æquum, aut faventem, ſed quod obverſari cognoverit.

Fraus Calvini.

Et ſequenti, *Fraus Calvini me peſſimè habebat, & tutius judicabam in controverſis fidei quaſtionibus antiquiſſimos Patres ſequi duces.* Ecce tutius eſſe dicit ſequi veteres Patres quàm Calvinum; nec tamen ſequi Calvinum tutum exiſtimat, quæ enim in duce ſecuritas, cujus fraus, & malitia eſt detecta?

Hæretici noſtras ſententias ſemper malè proponunt.

Et pagina XIV. *De controverſis quaſtionibus Catholicorum diſputationibus rectiùs eruditus, &c.* An ab hæreticis erudiebatur rectè, à noſtris rectius? Abſit, nam ab illis malè, ab iſtis rectè.

Sic etiam vigeſima-ſecunda. *Quo-circa de integritate legis Divina puri ſunt Catholici, & rti potius* (veriùs) *Novatores, ut vidimus. Puritatem, quod attinet, deinceps videbimus, utrâ ex parte ſit caſtior doctrina.* An Iuſtus putat Catholicos eſſe verè reos, Calvinianos verius? An utramq; doctrinam eſſe caſtam, ſed noſtram caſtiorē? Nullo modo.

Ad terrorem aliorum debent ſcelerati puniri.

Et quidem, nec cautiores, nec religioſiores Græcos fuiſſe, in uſu Comparativi video, etiam Philoſophos, & Oratores. Primus ponatur

Plato, qui in Gorgia προσηκει. &c. cujus verba Andreas Carrander in Aulo Gellio, (lege Agellio,) qui editus Baſileæ ano. 1517.) libri enim ſexti cap. 14. citabantur) ſic vertenda putavit. *Id autem conveniens, ut qui plectitur ab alio rectè puniente, melior fiat, & utilitatem capiat, aut exemplo cæteris ſit, quo videntes alii malè affectum, pra metu reddantur meliores.* Cum nemo igitur, propter bonos actus puniatur, qui plectitur, bonus non eſt, ſed malus, & plectitur, ut bonus fiat. Ergo Plato comparationem poſuit inter malum, melioremque. Succedat Magiſtro Diſcipulus, Platoni Ariſtoteles, quem laudat

An aqua ex nive ſit nociva? Et cur?

Aulus Gellius (Agellius) libri XIX. capite V. quod roganti, Cur aquæ ex nive glacieque liquatæ ſint vitioſæ? Reſponderit, Rationem eſſe, quod cum aqua heterogeneis partibus conſtet, nimirùm ſubtilibus, & craſſis; illas cum rigeſcit, & concreſcit diſſlari, & evaporari neceſſarium ſit, has remanere. Rationis indicium; quod iterum eliquata minor ſit, quàm fuerat antequam concreſceret; & tandem concluſerit controverſiam his verbis: επελη λυθοτος. &c. *Cum itaque, quod ſalubrius eſt, deſuerit; deterius ſit, quod relinquitur, neceſſe eſt* Et quidem, ſi aqua anteà erat ſalubris, & poſteà nociva, certum eſt, quod pars bona evolaverit, mala manſerit, confert igitur Ariſtoteles ſalubrius cum nocivo, & cum bono deterius.

Sacra Scriptura noſtro loquendi modo ſe attemperat.

Satis multos Authores Sacros, & Profanos produximus, & omnes abuti nominibus comparativis evidenter probavimus: at, quia ad Sacram Scripturam recurris, An in illa major loquendi rigor obſervetur, interrogas. Et Ego negativè reſpondeo: nam Spiritus-Sanctus Prophetarum calamos communi loquendi uſui attemperat, & in Hebræa lingua præcipuè, quæ comparationis gradus non ſatis exactè diſtinguit. *Conſidera locos ſequentes.*

An Hebræi habeant comparativa?

Gen. 37. ſ. 27.

Deliberabant filii Iacob, an fratrem ſuum Ioſephum vellent occidere, an potiùs vendere: quorum neutrum erat bonum, & nihilominùs Iudas ſuam ſententiam proponit. *Quid nobis prodeſt, ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celaverimus ſanguinem ipſius? Melius* (minus malum) *eſt, ut vendatur Iſmaelitis, & manus noſtra ne polluantur.* &c.

Num. 14. a. 3.

Venerat ad terræ promiſſæ limites electus populus: & neſcio, quo terrore perculſus, incipit obloqui contra Moyſem, & Aaronem, & deliberare, An debeat ibi manere, an reverti in Ægyptum. Ibi habebant præ oculis mortem, hic ſervitutem utramque malam, & nihilominus dicebant. *Melius eſt reverti in Ægyptum. Conſtituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.*

Pſal. 36. b. 16.

Multa grandi ore David modulatur in Pſalmis: & inter alia; *Melius eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas: quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem juſtos Dominus*, & tamen confirmari à Deo bonum eſt, conteri malum eſt.

Pſalm. 83. c. 11.

Et in Panegyrico Victori in Gittith decantato, ſic inquit: *Quia melior eſt dies una in atriis tuis, ſuper millia, elegi abjectus eſſe in domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Nota illud, *quia*, & conſidera terminos comparationis: eſse enim in domo Domini, unicè bonum eſt, & malum, habitare in peccatorum tabernaculis.

Hic eſt uſus vocis *Melior* in ſacris literis: uberioris doctrinæ gratia, quo uſurpetur modo vox *Iuſtior*, diſpiciamus.

Gen. cap. 38. f.

Mollities eſt grave peccatū.

Nupſerat Thamar Hero, quem ob ſcelera interemerat Deus. Majorum ritu, & lege, imò, & Iudæ parentis juſſu, viduam duxit Onan, Heri frater, *qui ſciens ſibi non naſci filios, introiens ad uxorem fratris ſui*

ſe-

ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur: & idcircò percuſſit eum Dominus, eo quod rem deteſtabilem faceret. Manebat Sela tertius frater, Thamaræ debitus, quem negavit Iudas duorum filiorum miſerabili caſu perterritus. Thamar ſuccurrente occaſione meretricem ſe ſimulat, Iudam decipit, & ab illo concipit: illumq; receptis pignoribus dimittit. Elabuntur tres menſes, & à vicinis proditura, rea agitur apud ſocerum (erat enim Iudas Iſraelitarum Iudex) & comburi jubetur. Cum illa duceretur ad pœnam, miſit ad ſocerum pignora (peccati pretium) dicens, *De viro, cujus hæc ſunt, concepi, cognoſce, cujus ſit annulus, & armilla, & baculus.* Illa Iudas recognoſcit, & noſcit: hæret anxius: & tandem dolore labia regente inclamat, *Iuſtior me eſt: quia non tradidi eam Sela filio meo*: & tamen neuter erat Iuſtus: peccavit enim Iudas negando filium, & illa peccavit fornicando.

Regum cap. 24. d.

Eodem modo loquendi utitur Saul, cum dixit, *Iuſtior tu es, quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala*, & tamen ſolus David erat juſtus: quia Saul ſe injuſtum eſſe confitetur.

Sufficiant hæc, ut videas, non eſſe omninò quærendum in Scriptura; & Patribus (aut etiam in Poetis, & Hiſtoriographis) rigorem illum, quem Scholaſtici obſervant in Comparativis: ad Scholaſticos ſubvenio, & interrogo, An cenſendi ſint hunc rigorem curare? *Iudica igitur primò*,

Quæſtio reponitur.

hanc conſequentiam. [Petrus vocat probabiliorem hanc ſententiam, ergo oppoſitam cenſet probabilem] non eſſe ſemper evidentem omninò, ſed merè probabilem, quoniam, ut vidimus, nonnunquam illuſtres Authores hunc loquendi rigorem non curant. Sic ſuperiùs ſtatui: ſic perſuaſi, & demonſtravi, ut puto. *Iudico ſecundò*, Si agamus de veteribus Authoribus eſſe minus probabilem: probabiliorem, ſi de coætaneis. Quoniam illi minùs cautè comparativis uſi, noſtrates cautius. Multa enim apud antiquos probabilioritate donata, quorum oppoſita eorumdem opinione improbabilia: pauca apud juniores, qui vident hujuſmodi conſequentiam frequenter, & proponi, & admitti. *Iudica tertiò*, Si de illis, qui hac conſequentia utuntur, quales ſunt Diana, Sanchez, &c. certum omninò eſt oppoſitas probabiles credi, cum iſtæ, vel illæ probabiliores nominantur.

His poſitis, ut Eruditiſſime Leander propriis oculis videas, quo Diana modo dialecticetur; ex teſtimoniis pluribus quę congerere poſſem, hæc ſubjungo.

Primæ ergo partis tract. VII. qui de aggravantibus eſt circumſtantiis, Reſol. 57. rogat, An Prælatus, ſi omittat correctionem ſubditi, ſatisfaciat dicendo in confeſſione, Omiſi correctionem proximi. Reſpondet hanc circumſtantiam juxta aliquos non eſſe neceſſariò aperiendam; additque. *Hanc ſententiam probabilem exiſtimat Ioannes Sancius in ſuis Practicis diſput. diſp. 6. num. 9. nam ſententiam Baſiez veriorem tantùm vocat.*

De correctione ſubditi.

An aliter obliget, quam correctio proximi?

Et poſteà Tract. XI. de Bulla Cruciatæ Reſol. 48. quærit, An Confeſſarius ex juriſdictione ordinaria poſſit commutare votum in bonum æquale, vel ad hoc faciendum indigeat Bulla Cruciatæ? Citat Authores pro negativa: citat pro affirmativa: & addit, *Quam ſententiam* (nimirum, aſſerentem) *probabilem vocat Aragon. de iuſt. quæſt. 88. art. 12. dub. 1. diſc. 3. & Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 20. num. 4. & alii vocantes contrariam tantùm probabiliorem & tutiorem.*

De votorum commutatione.

Et iterum part. 1. tract. 10. reſol. 2. *Hanc ſententiam probabilem putat Bonacina; nam contrariam tantùm vocat probabiliorem.* & part. 2. tract. 17. reſol. 49. *Contraria ſententia non falſa, ut ait Torres; ſed probabilis viſa eſt Bonacinæ; qui contrariam opinionem vocat tantùm probabiliorem.* Et reſol. 55. *Pitigianus contrariam ſententiam tantùm probabiliorem vocavit: Ergo ſecundum Pitigianum ſententia Soti erit probabilis.* Et part. 3. tract. 2. reſol. 5. *Affirmativa ſententia magis placet, quam probabilem putat ipſemet Peregrinus, nam contrariam opinionem, quam ipſe tenet vocat tantùm probabiliorem.* Et tract. 4. reſol. 66. *Hanc ſententiam tanquam probabilem admittere videtur Homobonus; nam contrariam quam ipſe tenet, tantùm vocat veriorem.* Et part. 3. tract. 5. reſol. 38. *Tannerus ſententiam Salonii videtur probabilem putare, cùm contrariam, quam tenet, veriorem tantùm appellet.*

Et part. 1. tractat. 11. Reſol. 73. inquirit, An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare votum Caſtitatis ſeu Religionis emiſſum propter levem metum? Definit ſententiam aſſerentem eſſe probabilem, & ait, *Ita Sanchez in ſumma tom. 1. libr. 4. cap. 4. num. 24. nam contrariam quam ipſe tenet, vocat tantùm probabiliorem.*

De voto Religionis & Caſtitatis.

Ergo eodem modo poteris etiam diſcurrere, ubi alios claſſicos Authores videas dicentes hanc vel illam opinionem eſſe *veriorem, certiorem* aut *probabiliorem*: hoc enim ipſo oppoſitam dicunt, *veram, certam, probabilem*. Nam & Ego hac Dialectica interdum utor: Commentarii enim mei in Regulam D. Benedicti num.

Concluſio.

1329.

1329. ſic inquam: *Hanc opinionem citatus Servatius cenſet eſſe probabilem; nam contrariam cui ſubſcribit, vocat probabiliorem*. Et hac etiam uti liberè poteris cum cites Iuniorum Scriptorum ſententias, qui volunt dici caſtè loqui, & ſuas Reſolutiones huic Dialecticæ Morali, quam non debent neſcire, attemperare.

Nota id bene.

Interim (& hoc obiter monere te volui) fateor eſſe valde difficile, & interdum impoſſibile omninò, hunc loquendi rigorem obſervare. Expertus loquor: in Reſolutionibus volui eſſe exactus: at in orationibus aut declamationibus interdum mihi permitto, quod veteres & juniores ſibi permittere quotidie obſervo, caret enim vocibus plurimis Lingua Latina, & niſi velimus circumloqui, uti liberiùs gradibus comparationis aliquando debebimus. Cæterùm, hanc conſequentiam, *Caramuel hanc opinionem vocat probabilem vel probabiliorem: ergo oppoſitam putat eſſe probabilem*; ab omnibus inferri permitto.

Scholaſticus rigor in Concionibus, nec debet, nec poteſt ſervari.

Quæ & qualis ſit opinio, quæ dicitur probabiliſſima?

Alteri Epiſtolæ ejuſdem Bandini reſpondetur.

FInem impoſueram Epiſtolæ, & jam alteram recipio; in qua ulteriùs progrederis, & antequam reſponſionem obtineas, dubia promoves. Laudo quidem (Amice Optime) ſciendi ambitionem, qua ferves, & quidem libentiſſimè huic ultimæ Epiſtolæ reſpondeo, ut omnes Probabilitatis gradus cognoſcas. Opinionem hanc vocari probabilem, iſtam probabiliorem, illam probabiliſſimam prudenter obſervaſti, acutè propoſuiſti, & quia de prioribus tibi fuit ſatisfactum, quid requiratur, ut poſſit vocari *Probabiliſſima* ſtudioſè inveſtigas; videlicet, An illa ſola inter alias probabiliſſima appellari debeat, quæ univerſis ſit probabilior? An idem ſit omnino dicere, *Ex his quatuor ſententiis tertia eſt probabiliſſima*, ac *dicere*, Omnes quidem probabiles ſunt, ſed aliis omnibus probabilior eſt tertia?

Nova ponitur quæſtio.

Sanè ſi rigorem Grammaticæ ſectaremur, fortè non aliter loqui deberent, qui labio excolendo dant operam, qui controverſias ſubtiles & graves ſcribunt: at uſus obtinuit, ne tanta eſſet dictionis ſuperſtitio, nec tam extrema diligentia. Zacharias Vrſinus, Theologus Calvinianus, religionem Catholicam cum Ethnica, Iudea, & Mahometana comparat, & veriſſimam dicit. *Antiquitas hujus doctrinæ, ait, quæ reperitur vetuſtiſſima. Sola enim Eccleſiæ doctrina in Scripturis tradita originem ſuam ad ipſum Deum referre poteſt, & propagationem continuam & certam inde ab initio Mundi oſtendere. Alias verò Religiones omnes alii temporibus poſt illam exortas ac recentiores eſſe, collatio hiſtoriarum totius mundi cum hiſtoria ſacra oſtendit. Cùm igitur antiquiſſima Religio haud dubiè ſit veriſſima (primam enim Religionem homines à Deo acceperunt) ſequitur Eccleſiæ doctrinam ſolam veram & divinam eſſe*. Mireris ſingulariſſimam inferendi methodum. Qui nimis ſuperſtitioſè regulas Grammaticæ obſervaret, hoc potius modo excurreret. *Inter alabaſtrum, lac, chartam, calcem, nivemque, candidiſſima hæc ultima; ergo reliqua minùs candida, ſed candida. Inter planetas ſplendidiſſimus eſt Sol, ergo reliqui minùs ſunt ſplendidi, ſed ſplendidi. Inter Religiones, veriſſima quæ antiquiſſima, ergo reliquæ minùs veræ, ſed tamen veræ ſunt*. Non enim videntur bonæ hæ conſequentiæ, *Cùm inter alabaſtrum, lac, chartam, calcem, nivem-que, candidiſſima ſit nix; ſequitur unam & ſolam nivem eſſe candidam. Cùm inter Planetas Sol ſit lucidiſſimus & ſplendidiſſimus, ſequitur eum ſolum eſſe lucidum & ſplendidum. Cùmque inter Religiones, antiquiſsima haud dubiè ſit veriſsima, ſequitur eamdem unam & ſolam veram eſſe*. Et tamen Vrſinus, tametſi Calvinianus, optimè de Dialectica eſt meritus, & in hac controverſia à vera doctrina non deviat, omnes enim cum ipſo tenemus & aſſerimus unam & ſolam Religionem Chriſtianam eſſe veram: & tamen hoc modo diſcurrit. Ergo credidit ſuperlativa nomina excellentiam in uno extremo ſignificare, non verò reliqua extrema, quæ comparationi ſubſerviunt, poſitivè inveſtire.

Qualis ſit chriſtiana religio?

Nota hos diſcurſus.

Quid ſignificet ſuperlativum?

Omnia illa adjectiva quæ in indiviſibili quodammodo conſiſtunt, plus in poſitivo, quàm in comparativo, aut etiam ſuperlativo ſignificare judicantur. Talia ſunt, *Æqualis, Similis, Verus, Certus, Perfectus, Sanctus*. Quaternarius enim eſt alteri Quaternario æqualis, non Ternario, non Quinario, aut alii qualicumque numero; & tamen eidem Quaternario Ternarius æquallor eſt quàm Binarius, Quinarius quàm Senarius; & inter univerſos alios numeros eidem Ternarius & Quinarius æqualiſſimi, hoc eſt, minùs inæquales; cùm tamen neuter eidem numerus æqualis ſit. Sic etiam ſimile eſt Ovo Ovum, Homo Homini & Homini ſimilior Simius quàm Aquila, & Satyrus omnium animalium ſimillimus. Veri & Certi ipſimet Fidei Chriſtianæ Articuli vocari ſolent, non certiores; quoniam poſitio verior aut certior, ſi ſumis in rigore vocabulum, ſupponit contradictoriam eſſe

Aliqua denominationes conſiſtunt in indiviſibili; aliqua non.

Veritas, Certitudo.

veram aut certam. Adeoque aſſertio certiſſima veriſſima ſupponit talem habere veritatem & certitudinem, quæ ſatis magna ſit, & hæc certiſſimè & veriſſimè poteſt ſumma non eſſe. Sic etiam inter Cyclopas monoculum oculatiſſimum, aut Cygnum Corvo candidiorem quis diceret; & eodem ſenſu Lutheranum Calviniano meliorem, ſanctiorem, perfectiorem, & Pelagianum omnium hæreticorum ſanctiſſimum & perfectiſſimum; licèt nec monoculus oculos habeat, nec candorem Corvus, nec Lutheranus Calvinianus aut etiam Pelagianus veram aliquam ſanctitatem aut perfectionem. Nam Comparationis & Superlationis gradus veram & apparentem ſolent bonitatem afficere, etiam ubi poſitiva ſignificant præciſè veram.

Probabiliſſima ſententia quæ?

Sic de Superlativis diſcurro: & ut veniam ad illud nomen; propter quod cætera allata ſunt pronuncio *Opinionem probabiliſsimam* ſumi abſolutè interdum, & interdum comparativè.

Probabiliſſima comparativè.

Cùm ſumitur comparativè debet reſpicere duas vel plures tanquam minùs probabiles: & ipſa habebitur omnibus probabilior: poſſumus enim dicere: [Similis eſt mulieri Syrena; ſimilior Simia: at ſimillima Satyra:] & eodem diſcurrendi modo: [Probabilis eſt illa ſententia quæ actualem attentionem in Divini Officij lectione requiri: probabilior quæ docet habitualem ſufficere. Adhuc eſt probabilior, quæ quacumque attentione eſt contenta: tam ad literam, quàm ad ſenſum, quàm ad Deum. At probabiliſſima quæ præter attentionem, quæ ad pronunciandum neceſſaria eſt, nullam aliam interiorem requirit.] Quibus verbis ultimam opinionem eſſe cæteris probabiliorem ſignificamus.

De attentione requiſita in officio divino. Variæ ſententiæ proponuntur, & cenſurantur.

Probabiliſſima abſolutè.

Cùm ſumitur abſolutè hæc vox *probabiliſsima* denotat illam ſententiam eſſe ſatis probabilem, & poſſe tuta conſcientia practicari & defendi:

Hæc ſunt (Eruditiſſime Leander) quæ Scholaſticis tuis dubiis reſponderi debere judicavi: ad Politica venio *&c.* Vale: & diligere perge: *&c.* Dedi Lovanii. *&c.*

SECTIO VI.

De Appellatione negationis.

Oportet bene conſiderare, quæ terminum aut formalitatem afficiat?

SVnt ſæpe terminorum tricæ, quæ homines etiam doctos morantur; & tu ſpecialiter interrogas, An ſint bonæ hæ conſequentiæ I. *Opinio talis non videtur Auguſtino improbabilis, ergo eidem videtur probabilis?* II. *Eſt probabilis ſpeculativè, ergo & practicè?* III. *Eſt probabilis in ſpecie, ergo eſt probabilis in individuo?*

Propoſitiones ſimiles.

SANE Prior illa videretur eſſe ſimilis hiſce, *Petro non videtur hoc impoſsibile, Ergo videtur poſsibile. Ioanni non videris indoctus Ergo videris doctus. Hic contractus Ambroſio non videtur illegitimus, Ergo videtur legitimus. Hæc actio Friderico non videtur imprudens, Ergo videtur prudens. Ille vir Anſelmo non videtur innocens, Ergo videtur nocens.* & ut clariores ponam, *Ioannes non vidit te in foro, Ergo vidit te extra forum. Petrus non audivit te mentientem, Ergo audivit te dicentem veritatem, Anſelmus die Veneris non comedit piſces, Ergo die Veneris comedit carnes. Fridericus non dixit te eſſe innocentem, Ergo dixit te eſſe proditorem.* An-ne iſtæ conſequentiæ legitimæ?

P. Ignatius Derkennis.

Non eſſe ſentit & meritò P. Ignatius der Kennis S. I. Lovanienſis Profeſſor, cujus mentionem feci in mei Commentarii num. 1461. b. qui in re dubia, nimiumque ab experimento remota ſic reſpondet. *Certè poſitiva nulla occurrit ratio pro affirmativa parte quæſiti, ſed neque pro negativa; quare benigniorem partem aſſerenti faciliùs accedam, quàm ipſe poſitivè determinem; & dico potiùs non videri improbabile, quàm videri non-improbabile* (ſive quod idem eſt, *quàm videri probabile.*) Hæc ille doctiſſimus vir; Cui aſſentire debebit, quicumque ſuam mentem examinet. Similem modum loquendi reperies in Theologiæ Moralis *num.* 890. ex Leſſio *libr. 2. cap. 29. dub. 5. num. 66.* & ſæpe alibi. Peto à Te, An judices Turcam ſedere? & reſpondebis negativè: Quid ſi inferam, Ergo judicas Turcam non ſedere? negabis conſequentiam, & dices te carere omni ratione, adeo-que pro neutra ſtare parte, hoc eſt, nec negativè, nec aſſertivè reſpondere. Habeo etiam amicum in vinculis, cauſam & rationes ignoras, & peto, An tibi damnandus videatur? Reſpondes non videri damnandum, hoc eſt, te non habere rationem ob quam debeat damnari. Si inferam, Ergo videtur tibi non damnandus, non adquieſces; ſed dices, Tibi neutrum videri.

Authores ſæpe hallucinantur.

Nota tamen optimos Authores nonnunquam à rigore deficere & confundere has Propoſitiones, *Hæc ſententia non videtur improbabilis*, *Hæc videtur probabilis.* Nam, ut alios omittam, Dicaſtillus libr. 2. tract. 10. diſp. 2. n. 414. quem citabo in Theologiæ Moralis num. 799. comparans numeratam & numerandam pecuniam, videtur has eaſdem propoſitiones non diſtinguere.

Objectio.

Dices hac doctrina ſemel admiſſa corruere omnia fundamenta, quibus ſubſtruxi Scholaſticam Logicam; & inter alia, il-

lud

An de tur diſſenſus & noli-tio?

lud Dogma quod tenet, nec dari diſſenſus in intellectu, nec nolitiones in voluntate, quales hucuſque creduntur; ſed intellectum ſemper dicere *Eſt*, & voluntatem ſemper *Volo*; adeo-que has propoſitiones, *Petrus non eſt lapis, Petrus eſt non lapis*, lingua, ſed non mente differre, æquipollentes enim ſunt. Hanc doctrinam corruere inquis: quia ſi hæ, *Petrus non eſt lapis*, æquipollet huic, *Petrus eſt non lapis*, etiam æquipollebit iſta, *Hac propoſitio non eſt improbabilis*, iſti, *Hac eſt non improbabilis*, hoc eſt, *Hac eſt probabilis*.

Admitto totum, & quod non fuerim attentè lectus conqueror; aliud enim eſt, *Hac propoſitio non videtur improbabilis*, aliud & omninò diverſum, *Hac Propoſitio non eſt improbabilis*. Teneo igitur negationem negantem, ſive labio ponatur ante ſubjectum, ut cùm dicimus, *Nullus homo eſt lapis*: ſive ponatur ante copulam, ut cùm dicimus, *Omnis homo non eſt lapis*; mentaliter nec afficere ſubjectum, nec copulam, ſed prædicatum; & à mente ſolùm dici, *Omnis homo eſt non lapis*. Infers: Ergo cùm labio dicitur, *Hac Propoſitio non videtur improbabilis*, tunc mente effertur, *Hac Propoſitio videtur non improbabilis*. Et ego nego conſequentiam; quia hoc aſſertum, *Hac Propoſitio non videtur improbabilis*, æquipollent huic, *Hac Propoſitio non eſt viſa* (non habeo aliud participium paſſivum de præſenti in latino idiomate) *improbabilis*; & hoc; *Hac Propoſitio non eſt viſa improbabilis*, huic, *Hac eſt non viſa improbabilis*, non tamen huic, *Hac eſt viſa non improbabilis*; quoniam negatio quæ afficiebat copulam, debet aut poteſt afficere ipſummet prædicatum, quod eſt *viſa*, non verò *improbabilis*, nam illud *improbabilis* non eſt prædicatum, ſed prædicati accidens.

Expenitur negationis ſubjectum.

Hoc ſenſu præciſivo potius quàm aſſertivo aut negativo loquutus Auguſtinus fuit [nimirùm, *lib. de Panit.* & habetur *diſt.* 7.] cujus verba, quoniam ſunt ratione materiæ notatione digniſſima, huc debebunt traſponi. *Siquis*, ait, *poſitus in ultima neceſſitate ſua ægritudinis, voluerit accipere pœnitentiam & accipit & mox reconciliatur & hinc vadit; fateor vobis, & non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus quòd bene hinc exit. Si ſecurus hinc exierit, ego neſcio, pœnitentiam dare poſſumus. Nunquid dico, Damnabitur? Sed non dico, Liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? vis quod eſt incertum evadere? Age pœnitentiam, dum ſanus es. Si ſic agis, dico tibi, quia ſecurus es; quia pœnitentiam egiſti eo tempore, quo peccare potuiſti. Si autem agere vis pœnitentiam, quando jam peccare non poteſt, peccata te dimiſerunt, non tu illa*. Vides igitur, quî S. Doctor difficillimam quæſtionem decidat. *Petebatur*, An qui flagitiosè vixit, ſi in articulo mortis confiteatur & ſacramenta recipiat, ſalvetur? & reſpondet ſalvari, ſi hæc faciat bene; hoc eſt cum vero dolore & bono propoſito fuerit confeſſus. *Subpetebatur*, An præſumendum ſit hujuſmodi hominem fuiſſe bene diſpoſitum? & reſpondet, Non præſumimus, quòd ſit malè diſpoſitus, aliàs non daremus illi ſacramentum quod petit; Non præſumimus quòd ſit bene diſpoſitus, aliàs non diceremus eum non dimittere peccata, ſed à peccatis dimitti. Non dicimus, quòd malè moritur; Non dicimus quòd bene moritur. Non dicimus damnandum eſſe, Non dicimus eſſe liberandum. Sed dicimus nos neutrum dicere, neutrum ſcire, ſed utrumque eſſe incertum & dubium judicare.

Sera pœnitentia ſuſpecta & periculoſa eſt.

Oportet peccata dimittere priuſquàm ab illis dimittatur.

OPORTET etiam, ut ſecundam illam conſequentiam examinemus, ut probabilitatem ſpeculativam cum practica comparemus, & utrùm ſe inferant mutuò diſquiramus.

De probabilitate practica & ſpeculativa.

Prima quidem ſententia Sancii eſt *in ſelectis diſp. 54. num. 11. & diſp. 64. nu. 63.* docentis, omnem opinionem probabilem ſpeculativè, eſſe etiam probabilem practicè. Et ratio eſt, quoniam probabilitas practica naſcitur ex ſpeculativa; ille enim practicè juſtè operatur, qui ſpeculativè prudenter judicat, hanc actionem eſſe licitam: nec datur alius modus licitè operandi. Hinc eſt, quod Sancius, & qui ejuſdem ſubſcribunt opinioni, tenere debeant opiniones Duareni, Cujacii, Donelli, Fabri, aliorumque, quas vocant theoricas, poſſe tuta conſcientia practicari. At contra militat

Secunda ſententia, quam habet Sãchez *de matrim. libr. 7. diſp. 7.* & aſſerit non omnem ſententiam probabilem ſpeculativè, eſſe probabilem practicè.

At Diana *part. 2. tract. 13. reſ. 5. & 12.* & cum eo Auſonius Noctinot *in Diana ſumma verb. Opinio probabilis. num. 2.* malunt in re ſubtili & dubia ſuſpendere jodicium, quàm ſe exponere periculo errandi.

Ego quidem exiſtimo rem eſſe omninò claram, & facilem; nec, ſi concurrerent, Sanchezium à Sancio diſſenſurum; ſed totam differentiam in æquivocatione, & inſufficienti expoſitione conſiſtere. Me ſequere remque tibi clariſſimè totam oſtendam. Hæc poſitio, *Qui ſibi applicet alas, quarum magnitudo, figura & fortitudo ita ſe habeant ad ſuum corpus, ut ala aquila ad corpus aquila, illaſque didicerit movere ut aquila, poterit ex altiſſima turrè in aliam*

Reſolutio.

An homines volare queant?

diſtantem transvolare; nec peccabit, ſi transvolet, aut ſe è turri dimittat. Hæc quidem propoſitio ſpeculativè vera eſt, nec contrarium poterit Sancius oſtendere. At Sanci exſpecta, nam te Petrus ſubditus tuus conſulit, an poſſit ſe ex turri dimittere? jam enim ſibi præparavit alas ad proportionem requiſitam, brachia movere didicit, putatque ſe poſſe ipſummet Dædalum volandi artem docere. An illi hanc concedes licentiam? Non puto. Et ſi non, cur non illam concedas, me doceas. Dices non eſſe poſſibile, ut practicè omnia illa ponantur, quæ ſpeculativè petuntur. Et aſſentior, & diſco non omnem opinionem ſpeculativam eſſe practicè probabilem ſecuramque; & cauſam adſequor, nam ſi practicè omnia ponātur, prout ſpeculativè petuntur, procul-dubio, quæ ſpeculativè eſt probabilis, etiam practicè probabilis erit: ſed ſolent in praxi circumſtantiæ variari, ſæpè debent, & ideò opinio ſpeculativè probabilis frequenter practicari non poteſt. Hinc ergo ut ad dubium & poſitam controverſiam reſpondeam, ſit mea concluſio, *Omnes circumſtantiæ, quæ ponuntur in propoſitione ſpeculativè probabili, aliquando poſſunt exactè poni in praxi, & aliquando non. Omnis propoſitio ſpeculativè probabilis, ſi ſit prioris generis, erit in praxi tuta: ſi ſit ſecundi generis non erit.* Iam doctior, jam inſtructior caſum pono. Sit verum, quod nunquam deſit grave periculum in lubrica luxuriæ materia, quando quis deliberatè vel leviſſimam titillationem admittit; & ex hypotheſi convenio Malderum, & interrogo, An præciſo omni periculo ſit peccatum mortale, aut materia magna mulieris digitum digito vel leviter deliberatè tamen premere? ille *2.2.qu.74.art.*10. quem cito in Comment. *in Reg.S.Bened.nu.*1052. & Baſæus *in Florib.verb.Impudicitia.pag.*372.*num.7.b.* reſpondent partem negantem eſſe quidem probabilem ſpeculativè non practicè; & ratio eſt, nam ſi poneretur de facto, prout ponitur ſpeculativè, eſſe practicè probabilem, aut fortè certam negari non poſſet: at quia non ſolet poni practicè ſecluſo periculo, fortè non poteſt, & tamen ſpeculativè omne periculum excluditur: dicit Malderus, & ſi ſtemus illi hypotheſi, optimè, hanc ſententiam non eſſe probabilem practicè, ſed eſſe probabilem ſpeculativè.

Cur non omnis probabilitas ſpeculativa, ſit practica?

Concluſio.

Caſus proponitur.
& reſolvitur.

An in re Venerea detur materia levis?

REM TENES, quam neque Sanchez, neque Sancius negaturus eſſet, ut puto; ut autem Scriptores intelligas, qui diverſis utuntur vocabulis, dico eſſe idem inquirere, *An ſententia ſpeculativè probabilis, ſit probabilis practicè?* ac quærere, *An probabilis in ſpecie ſit probabilis in individuo?* Hinc lux opinioni quæ affirmat dari quidem actus indifferentes in ſpecie, non tamen dari in individuo; hoc eſt, poſſe ſpeculativè aſſignari actus indifferentes, non tamen poſſe practicè: ſpeculativè enim & in ſpecie dari poterunt à finis ultimi circumſtantia poſitiva & negativa præciſi; non tamen hic & nunc, practicè & in individuo; quicumque enim actus in individuo aut ordinatur ad Deum, aut caret hac ordinatione; & quidem ab his Authoribus, ſi hanc habeat ordinationem, bonus dicitur; malus tamen, ſi careat: quod ultimum probari deberet.

Quæſtio eadem aliis verbis propoſita, graviſſimam controverſiam dilucidat.

An detur actus indifferens in individuo.

AD MAIOREM ubertatem doctrinæ aliquid addam, poſſe nimirum evidentiam ſpeculativam componi cum improbabilitate practica. Et terreris, jam video; & probationem ſpectas. Dabo claram, & facilem. Sumo circinum & centro A circulum B deſcribo; & poſteà eodem circino invariato incipiendo à B totum percurro circulum, & ſex puncta æqui-diſtantia inter ſe & à centro deſigno. An non hæc ſpeculativè certa & ab Euclide demonſtrata? ſume igitur circinum cujus pedes ſatis acuti ſint, & octo aut pluribus digitis diſtent, & quod ſpeculativè eſt evidens, redde probabile practicè. Quære quamcumque tabulam ligneam, lapideam, æream, quemcumque circinum modò pedes acutos, quales habere debet, habeat; & incipe percurrere circulum à B. An-ne practicè ſextus paſſus incidet præcisè in B? ni priùs videris oculis propriis, ne crede. Nulla demonſtratio in tota facilior Geometria; talis eſt tamen, quæ ſpeculativa certa & evidens, at practicè fieri non poſſit. Hac ego olim practicum quempiam Geometram nimium de arcu & ſagitta, nimium de circulo & linea præſumentem, coram amicis aliquot humiliavi concertatione inita, pretio expoſito, ſi ſumpta ſemidiametro circulũ in ſex æquales partes divideret. Tabellam ſibi æneam præparari curavit, & quia ſemel erraverat, iteravit ſecundò, tertiòque; & ceſſit improbabilitati. Sequuti eum animoſiores aliqui, corruperunt tabellam, nec ſemel factum, quod ſtando ſpeculationi demonſtratæ ſemper infallibiliter fieri deberet. Porrò, ratio ob quam Geometricæ demonſtrationes tametſi ſpeculativè certiſſimæ, practicè probari non poſſint, è multis capitibus deſumitur; primò enim, deberet quæri Angelus, qui tabellam mathematicè planam formaret; ſecundò, circini pedes, tametſi acutiſſimi, puncta non ſunt; tertiò ipſimet motu vibrantur, aut laxantur, imo & nonnunquam contra-

Reſolutio.

Nota bene.

Reſolutionis ratio.

hun-

huntur; quartò manus ipſa, licet fortiſſima, arteriæ pulſatione movetur; quintò, mens etiam, dum nimium intenditur, hallucinatur. Et tandem aut omnibus, aut ſaltem aliquibus ex his rationibus intercurrentibus, primum & ultimum punctum non coincident; ſed deficiet praxis, ubi ſpeculatio demonſtratur.

An veritates omnes ſpeculativa ſint conditionales?

Ego quidem exiſtimo omnes poſitiones ſpeculativas eſſe conditionales, tametſi non exprimatur conditio, nec poſſe in praxin abſolutam tranſire, ſi non ponatur conditio, quæ ſæpè impoſſibilis eſt. Sic dicam has poſitiones eſſe ſpeculativè veras, practicè falſas; videlicet. *Homo qui non habeat impenetrabilitatē, poteſt ſe licitè gladio confodere. In navi, poteſt quicumque ſine crimine aut peccato mortali injicere in ſulphur tormentarium ignem, qui virtute accenſiva careat. Fæmina & vir non conjugati, ſi deſit peccandi periculum, poſſunt condormire in eodem lecto: Abuſus hujus beſtiæ, ſi ipſa convertatur in fæminam, non erit contranaturalis. Si Petrus eſſet canis, poſſet licitè occidi*; & ſexcentæ aliæ, quæ verè omninò & tamen claudicabunt in praxi, ponitur enim ſemper ſpeculativè aliqua circumſtantia, quæ ad praxin venire non poteſt; non enim datur homo penetrabilis, nec ignis qui non accendat, nec abeſt periculum, ubi fœmina viro condormit; nec beſtia in fœminam poteſt, aut Petrus in canem converti. Idem de aliis pluribus dicito, quæ minùs videbuntur abſurdæ, quòd magis practica impoſſibilitas lateat.

Andrea Cantelmo laus.

Hîc obiter meminiſſe oportet D. Andreæ Cantelmo, Militiæ Equeſtris Principis, Viri fortiſſimi, & Philoſophicarum rerum ſtudioſiſſimi, qui conſilia, quæ habebant fælicitatis apparentiam, & tamen erant talia, quæ debebant intra limites ſpeculationis conſiſtere, nec poterant redigi in praxin, ne ſtultitias vocaret, vocabat ſpeculationes Metaphyſicas; & ſic conſulentes dicebat eſſe Metaphyſicos; ſeque indigere phyſicis hominibus conſiliiſque: nempe hominibus, qui poſſent hic & nunc in ſingulari ſervire aut conſilio, aut auxilio, & ſpeculatione, quæ poſset conducere ad praxin. O quam pulchra ipſi circa formam motumque aciei, circa militum arma, circa fortificationum & aquarum uſum, ſunt tradita! & tamen rejecta univerſa, quoniam omnia ſpeculativè erant certa, at conſiderata ignavia & ſtupiditate gregarii militis, talia omnia quæ ſine ordinum turbatione non poſſunt in praxi tentari.

Speculationes ſæpe eſſe purè ſpeculativas, nec poſſe reduci ad praxin probat hiſtoria.

Hujuſmodi ſpeculationibus præventus quidam vir doctus Capucinus, expeditionem ſpeculativè non probabilem ſolùm, ſed & certam propoſuit; placuit Belgii Rectoribus, & non ſine mirabili alteratione qualitatum Ioannem Naſſovicum Generalem equitum vel invitum invexit in mare, maris Præfectum Marchionem de Aitona per oras continentis conduxit, & ſucceſſu miſerrimo multos milites perdidit. Ioannem ipſum Naſſovicum & alios plurimos commiſit gladii Hollandi clementiæ, demonſtravitq; mathematicas demonſtrationes tametſi ſpeculativè fœlices, in praxi nonnunquam claudicare: In praxi enim ſubeſt non rarò aliquid, quod examinatum non fuit. Prodeſt fabula veritati firmandæ.

Fabula probat.

[Afflicti olim à Fele Mures, coacti comitia celebrare: in ſeſſione prima propoſuerunt quotidianas jacturas, inſtantia pericula, & Felis crudeles inſidias. Hic matrem, fratrem ille, cognatos ſinguli à Fele inſidiis circumventos; & contra omne fas occiſos querebantur: & ut ſibi meliùs conſulant, conſilium ſalubre perquirunt. Præloquitur Mus ſenior, ætate venerabilis, multarum fugarum Pugil, qui ungues hoſtiles ſæpè evaſerat, aſſeritque nullum aliud eſſe poſſe ad vitanda pericula univerſa remediū, quàm ſi campanula collo Felis inſidiatricis imponatur. Placuit univerſis conſilium, placuit conſulens; futurum erat enim, ut in poſterum dormirent univerſi ſecuri, & hac campanula ſtrepente omnes admonerentur, & poſſent latibula ſua procurare. Comperiū tamen poſteà ſpeculativè probabile fuiſſe conſilium, nec utile aut probabile practicè; ubi enim quæſitum, quiſnam futurus eſſet ille muſculus, qui deberet Feli collare imponere, & appendere trepidantem campanulam, conticuere omnes, intentique ora tenentes vel inviti confeſſi ſunt, aliud eſſe rem ſpeculativè eſſe utilem, aliud utilem eſſe practicè; illudque conſilium eſſe optimum, ſi illa circumſtantia poneretur, ſed ſtando naturali rerum ordini, & Murium communibus viribus, poni non poſſe.] Et quidem edocemur Apologo.

Humana ingenia qualia ſint.

De fœlici invento, & optimo conſilio præſumimus: jam volumus regimen mutare Reipublicæ, habemus enim novas leges, quæ Monarchiam æternam reddant. Contemnimus jam hoſtes, habemus enim machinas deſcriptas in mente, tranſlatas ad linguam, examinatas in convivio, quæ vinci non poſſunt. Iam jam ad conſcientiam tranſimus, habemuſque ſpeculationes, vi quarum aliquis poſſit diteſcere ſine peccato, res ſacras vendere ſine ſimonia, duas habere uxores ſine crimine; & quidem quando philoſophamur hoc modo muſculi ſumus, qui nos-

no-

Digitized by Google

noſtra ſtupiditate diludimus, nec diſcere volumus omnes iſtas ſpeculativas probabilitates nonnullas circumſtantias involvere; quæ ſtando naturali rerum creatarum ordini & Hominum communibus viribus poni non poſſunt; adeoque ſæpè noſtra ſpeculativa conſilia eſſe incõſulta practicè, mentem noſtram dum hujuſmodi delectatur idæis, amentem eſſe, & eum manus adhibet operi, & venit ad praxin, claudicare.

Reſolutiones.

Colligamus igitur omnia, quæ diximus & ad paucas Reſolutiones traducamus. Sit

Prima. *Aliud eſt rem eſſe improbabilem, & aliud rem eſſe impoſſibilem.* Puto hanc ita eſſe evidentem, ut nulla indigeat probatione.

Secunda. *Multæ propoſitiones, quæ ſpeculativè ſunt certæ, vel probabiles, practicè ſunt impoſſibiles.* Patet: quia multæ ſine circumſtantiis, ſine quibus conſiderantur ſpeculativè, non poſſunt ad praxim reduci juxta ea, quæ hucuſq; ediſſerui.

Tertia. *Omnis propoſitio, quæ ſpeculativè eſt certa, vel probabilis, ſi tamen ſit poſſibilis practicè, etiam practicè erit certa vel probabilis.* Patet: quia certitudo, vel probabilitas, quæ eſt in praxi, eſt illa eadem, quæ fuit in ſpeculatione.

Quarta. *Authores, qui dicunt,* Propoſitionem certam vel probabilem ſpeculativè, non eſſe certam vel probabilem practicè, *ſentiunt nobiſcum, malè tamen loquũtur, & impoſſibilitatem practicam, practicã improbabilitatem appellant.* Conſtat evidenter ex dictis.

SECTIO VII.

De ſolennis & ſimplicis voti diſtinctione.

Dixerat Petrus, *Probabile eſt votum ſolenne & ſimplex non diſtingui ſpecie*; & inſtas hanc opinionem eſſe contra Doctorem Angelicum, qui illa ſpecie diſtinguit, contra innumeros Thomiſtas, qui ſuo Præceptori ſubſcribunt. Reſpondet Petrus aſſerendo eſſe verum, quòd Divus Thomas doceat votum ſolenne & ſimplex diſtingui ſpecie, eſſe verum quod idem ab ejus diſcipulis communiùs aſſeratur, illis innumeros authores ſubſcribere, ſed autem omnium & ſingulorum authoritates admittere & omnes pro ſe eſſe, aut ſaltem ne unum quidem contra. Et quia videtur Petrus contradictiones loqui, ad me recurris, & An-non contradicat Petro Angelicus Doctor? interrogas.

An, qui ſpecificam diſtinctionem negant, Doctori Angelico & ejus Scholæ contradicat.

Et ego pro Petro reſpondeo; & veritatem nullo alio modo melius, quàm ejuſdem aſſertum comparando cum Thomiſtico expono. Hæ Propoſitiones, *Probabile eſt votum ſolenne & ſimplex non diſtingui ſpecie; Votum ſolenne & ſimplex diſtinguuntur ſpecie,* è quibus priorem Petrus, & poſteriorem D. Thomas affirmat, non ſunt oppoſitæ; nam aſſertioni Petri, non illa D. Thomæ aſſertio opponitur, ſed hæc, *Probabile non eſt votum ſolenne, & ſimplex non diſtingui ſpecie,* quàm apud D. Thomam non legi, nec hodie ab aliquo prudenti dici poterit.

Quid S. Thomas aiat.

Hinc eſt, quod cum aliqui indifferentiæ humanæ negatores ab Innocentio Decimo tanquam arbitrii liberi inimici, condemnati invidia potiùs quàm ſcientia arderent, multa contra Dominum N. ſtultiſſimè tentaverint, ut malevolentiam oſtenderent; & inter alia tandem hanc opinionem momorderunt. *Probabile eſt omnia peccata contra naturam eſſe ejuſdem ſpeciei;* & centuriam Authorum, qui illa ſpecie diſtinguunt colligentes, putabant ſe poſſe victoriam canere, triumphum inire. Armantur authoritate hominum militarium: epiſtolas ſcriptitant; & multos etiam Principes vexant, ut qui maculati erant etiam innoxium virum obloquutione ſua apud Sereniſſimos Viros macularent. Reſpondit ſedatiſſimo ille animo, ne unum quidem fuiſſe ab invidis allegatum Authorem, qui ſibi contradiceret, nec facilè ne pertium iri; nam huic propoſitioni, *Probabile eſt peccata contra naturam non diſtingui ſpecie,* non opponitur hæc, *Peccata contra naturam diſtinguuntur ſpecie,* ſed hæc, *Probabile non eſt peccata contra naturam non diſtingui ſpecie.* Vnde concludebat, ſiquidem æmuli diligenter Authores perſcrutati, ne unũ quidem repererunt ſibi contradicentem, ſe habere unde crederet, ſuam eſſe omniũ Authorum opinionem; unde rideret invidorum inſcitiam, qui communem ſententiam traducere & mordere ſint auſi; maximè cum ne unum quidem authorem potuerint producere, aſſertioni, quam mordebant, contrarium.

An voluntas ſit libera? An libertas conſiſtat in indifferentia?

An peccata contra naturã diſtinguantur ſpecie?

Cæterùm, quia in hanc materiam ſordidam incidimus, meam ſententiam tene. Si ſtemus ſoli authoritati, ſententia, quæ illa peccata ſpecie diſtinguit, tenenda eſt; eſt enim hodie plurimorum, qui tamen ex majori parte oppoſitam probabilem eſſe pronunciant. Si ſtemus prudentiæ, eadem tenenda eſt: nam inceperunt nonnulli mordere eos, qui contrariam defendunt: & quis ſe vellet prudens dentibus aliorũ exponere; præcipuè, ſi rationibus agere ſciat, injuriis neſciat. Cæterùm ſententia, quæ eadem peccata ſpecie non diſtinguit, ab authoritate eſt probabilis, habet enim pro ſe quadraginta authores vel plures: & à

Quid in hac ſit quæſtione ſentiendum, & dicendum?

à ratione eſt ut minimum probabilis, argumentis enim quibus firmatur, non dantur diſſolutiones evidentes. Sed de hoc uberiùs alibi. Interim hæc Quæſtio non concernit praxim, quia etſi non diſtingui ſpecie hæc peccata dicantur, debent nihilominus in confeſſione explicari ob rationes, quas in noſtra Theologia Fundamentali produco. Libro enim ſecundo de Decalogo Fundam. LVII. qu. 6. artic. 1. nu. 2664. hanc concluſionem ſtatuo. *Peccata contra naturam ſpecie differant, aut non, debent in confeſſione explicari.* Et cur debeant artic. 5. num. 2701. rationibus firmis oſtendo. Reſolutionem hanc Alexander VII. 24. Septembris 1665. Pontificia authoritate confirmavit; vult enim hæc peccata explicari in confeſſione, adeoque hanc propoſitionem condemnat. *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.* Modò enim horum peccatorum differentia in Confeſſione explicetur, quidquid aliàs diſputetur à Theologis Eccleſiaſticā praxim non concernit.

SECTIO VIII.

An actio, quæ facienda non eſt mala, ſit mala, ſi facienda ſit?

SVnt aliqui timidi Scriptores, qui conſulti, An hoc vel illud poſſit fieri, reſpondent, *Non damnarem poſt factum.* Sed Petrus tale ab uno reſponſum excipiens, ſic inquit, *Non poſſes damnare poſt factum, ergo nec ante factum*; hoc eſt, *Non poſſes hanc actionem damnare, ſi eſſet facta; ergo nec poſſes ſi eſſet ipſa facienda*; & interrogat, An prudenter intulerit?

An pecunia numerata ſit numeranda pretioſior?

Reſpondeo caſum, qui controvertitur, eſſe frequentem, & in ſpecie reperiri in Ledeſma & Diana; nam cum ille *ſumm. tom. 2. cap. 33. tract. 8. fol. 475. colum. 2.* dixiſſet ſe poſt factum, non eſſe damnaturū eum, qui pluris faceret pecuniam præſentem quàm futuram; replicavit Diana 1. *part. tract. 8 reſ. 49.* Ergo nec ante factum. Et ut oſtendam conſequentiam fuiſſe omninò legitimam, ſtatuo præteritum & futurum eſſe ſtatus rerum, non ſpecies; nam ejuſdem ſpeciei eſt homo præteritus nunc, cujus fuerat cum eſſet futurus. Quamobrem conſiderandum eſt, An actio in inſtanti, in quo facienda dicitur, ſit interdicta, vel non. Si ſit interdicta eſt damnanda, ſive facta, ſive facienda ſit; nam ſi facta, erit actio mala præterita, & ſi facienda, erit actio mala futura. Si autem nulla lege ſit interdicta, cum eſt futura, cum eſt præſens, imò cum eſt præterita, erit actio non mala; unde concludo Petri illationem fuiſſe bonam.

An actio præterita & futura diſtinguantur ſpecie?

Omnis malitia actuum humanorum à lege.

Hinc patet Dianā prudentiſſimè uſum fuiſſe hac doctrina.

SECTIO IX.

GOrdonius, Richardus, Angelus, & Gerſon, quorum meminit Leſſius, Laurelz, & ego Commentarii in Regulam S. Benedicti *num. 1330.* docent non eſſe peccatum mortale ſemel aut iterum omittere officium Divinum. Et tu ſeveræ doctrinæ inſiſtens, ſic inquis, *Si una die poteſt omitti ſine peccato, ſemper poterit: & ſi non poteſt omitti ſemper, nec poterit omitti una die*; & petis, Vtrum diſcurras bene.

An ab una die ad totam vitā valeat conſequentia.

Reſpondeo dari leges, quæ interdicunt omnes & ſingulos actus talis ſpeciei; alias, quæ non omnes & ſingulos, ſed ſolam frequentiam conſuetudinemq; quam ob rem, ſi lex illa, vi cujus tenemur ad officii lectionem, eſſet concepta his verbis, *Nemo vel una die omittat officium Divinum*, conſequentia illa eſſet omninò bona: ſi autem eſſet his aut ſimilibus, *Nemo habeat omittendi conſuetudinem*, eſſet omninò mala; vi enim hujus legis ſemel, aut iterum omittere poſſes; ſemper non poſſes; vide *nu. 812.* ubi aſſeritur Clericis non eſſe omninò interdictum omnem honeſtum luſum, ſed conſuetudinem ludendi, etiam ſi ludus licitus & honeſtus dicatur; multa enim ſunt venena, quæ peccant ſolo quantitatis exceſſu.

Eſſe poſſunt leges de ſingulis actibus, & eſſe poſſunt de conſuetudine.

Clericis aliquando ludere licet, at quotidie non licet.

Hinc legis, in univerſalem, frequentativam, particularem, & ſingularem orta diviſio. Vniverſalis unam actuum ſpeciem aut indicit aut inhibet; Particularis aliquem actum indeterminatum; Singularis talem in individuo; & denique frequentativa, nec omnes actus interdicit aut præcipit, nec unico actu eſt contenta, ſed frequentiam reſpicit & conſuetudinem. Porrò lege univerſali interdicitur à Deo in Decalogo homicidium, fornicatio, furtum, mendacium, &c. lege univerſali indicitur Sacerdotibus ab Eccleſia quotidie legere Divinum Officium. Lege particulari Confeſſarius ſuo pœnitenti jejunium nullum determinando diem indicit; lege ſingulari, ſi determinet ſicut determinat de facto Eccleſia cum præcipit Quadrageſimam, & tales Vigilias obſervari. Lege frequentativa, ſi jubeatur aliquod bonum opus exerceri, aut talis operis mali exercitium lege ſpeciali prohibeatur. Sic Sodomiam lege univerſali inhibuit Deus; & Pius V. contra Clericos eam exercentes legem rigidam, ſed juſtiſſimam tulit; quam non obligare ſemel, aut iterum peccantes, etiam ubi recepta eſt, tenet Diana *reſolutione 65. pag. 28. 2. par.* à Mattheo Defendi *pag. 679.* citatus.

Lex quadruplex: Vniverſalis. Particularis. Singularis. Frequentativa.

Officium Canonicum indicitur lege Vniverſali.

An Clericus, qui ſemel aut iterum ſodomiam commiſit, incurrat pœnas à Pio V. illatas.

SE-

SECTIO X.

An ex uno relativo ad correlativum conſequentia inferatur?

POſtulas, Quantùm valeant hæ Conſequentiæ, *Conceditur uni relativo, Ergo conceditur alteri correlativo? Petrus poteſt mihi dare; Ergo ego poſſum ab eo recipere? Poſſum juſtè jubere ut faciat; Ergo juſtè poterit obedire?*

Negat eſse bonas Owenus lib. ad Mæcenates 1. Epigram. 45. his verbis,

De eleemoſyna.

Nudus inopſque tuas ſi quis pulſaverit ædes,
Quinte ſtipem miſero qua ratione negas?
Mendicare ſtipem prohibet lex Anglica dicis;
Eſto; tamen miſeris lex dare nulla vetat.

De officio divino.

Aſserit Auſonius Noctinot *in Summa Diana verb. Hora canonica nu.* 56. ubi ait, *Socius habentis privilegium recitandi officium anticipatè, vel cum breviario brevi, ſatisfacit etiam ipſe; quia quod privilegium diſponit de uno correlativo extendi etiam debet ad alterum.* Et citat Portellium *verb. Hora can. nu.* 8. & Dianam *p. 2. tr. 12. reſol.* 35.

De Matrimonio.

Et tu, quia Portellium, Dianam, & Noctinotium magni facis, hos caſus reſolvendos proponis. *Primò*, Petro Sacerdoti licentiam Summus Pontifex dedit ducendi uxorem, & quæris, An quamcumque poſſit? An fœmina, ſi quam voluerit ducere, ſpecialem debeat licentiam petere, ut illi nubat? quia ſicut Sacerdos nequit ſine licentia uxorem ducere, ſic & fœmina ſine licentia nubere Sacerdoti non poteſt. Et, ſi nova licentia dicatur fœminæ neceſsaria non eſse, an hoc dicendum ſit de quacumque? an fortè aliter de ſoluta & aliter de moniali philoſophari debeamus? *Secundò*, Anſelmo Caſimiro, Moguntino Electori conceſſit Pontifex, facultatem diſpenſandi in gradibus conſanguinitatis, non quidem jam divitibus, ſed jam pauperibus; & inquiris, An, ut hæc teneat diſpenſatio, debeat uterque pauper eſse? an verò ſufficiat quod alter ſit pauper? Et quia etiam eidem Principi, ut diſpenſet cum Catholicis conceſſum eſt, requiris, An, ut valeat diſpenſatio, debeat uterque eſse Catholicus? an verò ſatis ſit, ſi ille ſit Catholicus, qui poſtulat diſpenſationem? *Tertiò*, caſum à Portellio propoſitum reſumis, aut ne eadem repetas, alium ſimilem ponis, & inquiris, An, ſi Petro conceſſerit Pontifex, ut quotidie legat officium de Reſurrectione, quicumque poſſit cum eo legere, & ſic obligationi ſuæ ſatisfacere? *Quartò* eumdem caſum alteras, & ais Ioanni morbo graviore laboranti conceſſiſse Prælatum, ut loco Quadrageſimalis officii, quod hodie debebat legere, tantummodò legat officium de Reſurrectione. Et inquiris, An etiam in hoc caſu ſocius poſſit ſuæ obligationi ſatisfacere illud officium collegendo. *Quintò* poſtulas, quid dicendum ſit, ſi officium illud quadrageſimale, longum tædioſumque Prælatus, in pſalmum *Miſerere* commutet? An qui illum cum ægroto recitet, propriæ obligationi, quam habet legendi officium, ſatisfaciat? Et, ut caſum ab Oweno propoſitum etiam examinem, inquiris. *Sextò*, An legem, quæ interdicit ne quis eleemoſynam petat, violet qui eleemoſynam erogat. *Septimò*, An, ſi marito concedatur (à Deo, aut ab Homine; certò aut probabiliter) ne conjugatus ſit, hoc ipſo uxor maneat ſoluta, & alteri nubere poſſit?

De pauperibus.

De Catholicis.

De ægrotis.

De mendicis.

De conjugatis.

Vt dubiis propoſitis ſatisfaciam, explicare oportet, quid ſit obligatio, & impedimentum, de quibus impræſentiarùm agitur. Pronuncio enim dari duas impotentias; intrinſecam & extrinſecam. Cœcus enim non poteſt videre hanc chartam; & hoc ob impotentiam intrinſecam: & tu, qui acuto viſu polles non potes videre aerem, & hoc ob impotentiam extrinſecam: quod enim colore caret, videri non poteſt, & aer nullo colore affectus eſt: ſed & cœcus aerem videre non poteſt, & hoc ob impotentiam duplicem; quia nec cœcus viſivus, nec aer viſibilis eſt. Præter impotentias dantur impedimenta, quorum aliqua abſoluta, & aliqua relativa ſunt: abſoluta dicuntur, quæ unum afficiunt, relativa quæ duos; & exempla illuſtro. Sunt duæ res maculatæ, & dico poſſe ablui alteram altera manente ſordida; Sunt duæ inter ſe res colligatæ, & dico non poſse ſolvi alteram altera manente ligata; nam cùm alterius nexus ſolvitur, utraque manebit ſoluta.

Impotentia duplex, intrinſeca & extrinſeca.

Etiam impedimentum eſt duplex.

Generalis Reſponſio.

Hac doctrina premiſſa videndum, qualenam ſit impedimentum, quod privilegio tollitur; nam ſi ſit relativum, cùm ſolvitur unum extremum, utrumque manebit ſolutum: ſi ſit abſolutum, non valebit conſequentia ex uno homine ad alterum. *Ergo ne diutiùs te morer, reſpondeo.*

Quale ſit impedimentum in Presbytero, ne uxorem ducat?

Ad primum Sacerdotem voto aut præcepto aut etiam utroque impediri, ne uxorem ducat, quod impedimentum non eſt in fœmina, ſed in Sacerdote tantummodò, hæc enim illi nubere nequit, non ob incapacitatem ſuam, ſed ob incapacitatem alterius: quam ob rem aſſero in matrimonio contrahendo inter Presbyterum & ſo-

lutam

lutam fæminam, non dari duas impotentias, ſed unicam, quæ viro eſt intrinſeca, & extrinſeca fœminæ, qua ſublata in illo, nulla in fœmina impotentia manebit. Sicut enim aer, cùm colore inficitur & viſibilis redditur, ſtatim à me videri poterit, quin mihi dentur novi oculi, aut nova potentia viſiva: ſic etiam Sacerdoti; ſi ipſe indulto ſpeciali Pontificis reddatur matrimonii capax (aut ſi liceat ſic loqui, nubilis) ſtatim poterit ſoluta hæc fœmina illi nubere, quin novam nubendi potentiam aut etiam facultatem adquirat.

De matrimonio Presbyteri & Monialis.

Egi hucuſque de fœmina ſoluta, quæ nec matrimonii, nec voti ſolennis vinculo obſtringatur: ſed quid, ſi Presbyter ille ſuæ diſpenſationis virtute, velit in uxorem Monialem ducere? Dicam in matrimonio Martini Lutheri & Catharinæ duas reperiri impotentias, alteram Martino intrinſecam & Catharinæ extrinſecam; quæ naſcebatur ex voto emiſſo à Martino Luthero: alteram Catharinæ intrinſecam & Luthero extrinſecam; quæ naſcebatur à voto emiſſo à Catharina. Et ut rem dilucidem, & nova exempla non producam, afferam de Martino & Catharina ita philoſophandum, ut de cœco & aëre. Da oculos cœco, non videbit aërem. Da aeri colorem, non videbitur à cœco: quia cùm duplex ſit impotentia, duplex debet dari potentia: altera, aeri ut videatur; quæ eſt color; altera cæco ut videat, quæ eſt oculus bene expeditus. Ergo ſimiliter, det Martino ſoli Leo X. licentiam ducendi uxorem, vi autem hujus licentiæ, nec licitè nec validè ducet ſuam Catharinā: det Catharinæ ſoli: & vi hujus licentiæ nec licitè, nec validè Martino nubet: ergo ut conjungi matrimonio poſſint, duplex debet amoveri impotentia, & duplex potentia & facultas concedi; altera Martino, altera Catharinæ. Daretur duplex, ſi diverſis diplomatibus ſingulis ſeorſim concederetur: aut fortè uno & eodem concederetur ut inter Martinum & Catharinam matrimonium validè poſſit iniri.

Impotentia duplex.

De conſanguineorum aut etiam affinium matrimonio.

Ad ſecundum conſanguinitatem eſſe vinculum relativum; nam inter Petrum & Mariam, v.g. non dantur duæ conſanguinitates abſolutæ & independentes, ſed unica, quæ utrumque connectit. Impoſſibile eſt enim ut Petrus ſit cognatus Mariæ, & Maria non ſit Petri cognata. Ergo, ſi concedatur Petro, ut quamcumque cognatam in tertio gradu poſſit ducere; poterit & Mariam: nec hæc nova facultate indigebit. De matrimonio affinium pariformiter philoſophare.

An-ne Anſelmus Caſimirus poterit concedere Petro pauperi & Catholico, ut quamcumque cognatam ducat? An-ne vi hujus privilegii, ſi concedatur, ille poterit ducere Mariam, tametſi ſit dives & Lutherana? Negabis quia in bulla non dicitur, quod Princeps Elector poſſit diſpenſare cū paupere & Catholico, ſed cū pauperibus & Catholicis; ergo opus eſt, ut uterq; ſit pauper & Catholicus, vel aliàs invalida erit diſpenſatio. Sed, ſi benè diſcurris, etiam ego bene diſcurram cùm dicam, conceditur Epiſcopis, ut poſſint uti Breviario ſuæ Eccleſiæ, ergo ſocius Epiſcopi qui recitat cum Epiſcopo, non poterit illo Breviario uti, quia ipſe non eſt Epiſcopus & privilegium Epiſcopis conceditur, non Epiſcopo. Conceditur ægrotis ut comedant carnes; ergo ſi ſolus Antonius ſit æger, non illas comedere poterit, non enim ipſe eſt ægroti, ſed ægrotus; & privilegium non ægroto ſed ægrotis conceſſum eſt.

An ut fruantur licentia debeat uterque eſſe Catholicus & uterq; pauper?

Reſolvo igitur illud Principium, *Quod conceditur uni correlativo, etiam alteri correlativo conceditur*; conſequentias parere; debereque illud vel non admitti, vel ad caſum propoſitum extendi. Materia eſt ſubtilis, & indiget majori luce. Et tamen quidquid ſit de hac ratione, conſuetndo eſt ſecuriſſima legum interpres: cùm igitur Princeps Elector non diſpenſet, niſi & pauper, & Catholicus uterque ſit, hanc eſſe mentem Summi Pontificis diploma concedentis dicendum eſt.

Eſt lex in Republ. N. ut ſoli cives emāt domos; & quia Petrus unam emere vult, ad Principem recurrit, ut poſſit. Affirmo bifariam poſſe reddi capacem emendi illam domum quam vult: primò enim poteſt fieri civis, & ſi ſemel civitate donetur, poterit emere domum ſicut alii; ſecundò poterit à lege illa univerſali excipi per diſpenſationem ſpecialem. Sic ſimiliter in cauſis matrimonialibus philoſophandum eſt. Eſt enim in Republica Chriſtiana lex, ut cognati in quinto gradu poſſint matrimonio conjungi, ut in tertio non poſſint. At Petrus in tertio gradu Leopoldinæ conjunctus petit diſpenſationem, & impetrat, quam bifariam expono. Nam vel Pontifex conceſſit Petro ut virtualiter & moraliter diſteră Leopoldina quinque gradibus: & ſi hoc manente illæſa lege, poterit Petrus illam ducere: vel legem limitavit Pontifex, Petrum & Leopoldinam excipiendo, quod potuit. An-ne poterit concedere Pontifex, ut qui in arbore cognationis diſtant tribus gradibus, diſtent quinque, vel contra? Phyſicè non poteſt: at virtualiter & moraliter Iura

De lege interdicente peregrinis, domos emere.

An poſſit concedere Pōtifex, ut conſanguinei, qui realiter diſtāt tribus gradibus, diſtent quinque moraliter?

An contra: ut mirùm, ut qui multis realiter diſtant, moraliter cognati ſint?

(Pontifi. ia & Civilia) hæc, & alia mul-tò majora poſſunt. Qui cognati non ſunt, quaſi infinitis gradibus diſtant, & tamen per adoptionem ad primum gradum reducuntur: & filius tameſi in primo gradu ſit, ſi exhæredetur & reddatur exfilius, non jam per quinque gradus, ſed per innumerabiles à ſuo Patre amovetur. Quod ipſum in menſuris & ponderibus politicis verificatur. Pono unum aut alterum exemplum, ne multis meum Lectorem gravem. Henricus IV. Galliæ Rex Pariſienſibus Calviniſtis omnem uſum publicum in Regia urbe interdixit; conceſſit tamen ut in pago à ſe deſignando, qui una leuca diſtaret, ſuos conventus & conciones haberent. Rebus omnibus ſedatis & compoſitis Charantonium deſignat. Occlamant Calviniſtæ illud duabus leucis diſtare. At Rex authoritate ſua ſuprema juſſit, ut impoſterum illud nonniſi una diſtaret; vi cujus decreti etiam hodie non niſi unica diſtat, quæ Leuca Regia nominatur. Nec juſtè conqueri Calviniani poterant; quia Leuca, non eſt naturalis, ſed civilis menſura, & in diverſis provinciis ſemper alia, & poteſt decreto publico contrahi vel extendi. Nec fuit primus Henricus, qui locorum mutavit morales & civiles diſtantias; quia civitati Complutenſi in Hiſpania ob ſpeciales conſiderationes conceſſum, ut ſex leucis diſtet à Madrito (quatuor anteà diſtabat) unde hodie tameſi ex M. (Madrito) ad B. (Baraxas) ſint duæ leucæ; ex B. (Baraxis) ad C (Complutum) ſint tres tantùm: nihilominus ex M. (Madrito) ad C (Complutum) per lineam rectam ſunt ſex leucæ: unde vel invito Euclide in triãgulo MBC. una linea aliis duabus ſimul ſumptis eſt major: & qui circuit pauciores leucas conficit, quàm qui progreditur per lineam rectam.

De exhæredo & exfilio.

An poſſit mutare oppidorum diſtantias?

Leuca Regia.



An in triangulo una linea aliis duabus ſimul ſumptis ſit major?

Hæc ſpeculativè ſint dicta: loqueris practicè & inquiris, An de facto poſſit Princeps Elector Anſelmus Caſimirus, in gradibus conſanguinitatis diſpenſare, quando alter tantùm pauper aut Catholicus eſt? Reſpondeo ſtandum communi Theologorum judicio, & eorumdem eſſe diſpenſationes exponere, quorum concedere: cùm ergo dicant Viri docti & experti aliter illud Diploma à Romanis, qui illud conceſſerunt, non intelligi, quàm ſi uterq; pauper, & uterq; Catholicus ſit. Et hæc eſt praxis, quam obſervari jubet in ſuo Conſiſtorio Pragenſi Eminentiſſimus Cardinalis ab Harrach: & juxta eam quotidie, & præcipuè anno 1650. in ſpeciali caſu, non obſtantibus multorum illuſtrium hominum precibus, aut etiam contradictionibus fuit judicatum.

Reſolutio quæſtionis.

Ad tertiam reſpondeo eſſe duas ſententias probabiles: alteram, quæ docet peccare illum mortaliter, qui ſine cauſa loco officii quadrageſimalis recitat officium de Sancto: alteram, quæ docet eumdem ſolùm peccare venialiter. Ergo ſaltem in genere conſtat non poſſe ejuſmodi mutationem fieri ſine ullo peccato. Et hac doctrina præmiſſa dico ſocium poſſe uti Breviario quod ſuo Superiori conceditur. Ecce in re & in Theologia cõſentio Porcelio, Dianæ, & aliis: at in Dialectica diſſentio; pronuncio enim hanc reſolutionem aliàs veram non colligi ex illo Principio, *Quod conceditur uni correlativo, etiam conceditur alteri correlativo*; nam legendi horas obligatio non eſt mutua, neque relativa, unuſquiſq; enim habet obligationem perſonalem & ab altero non dependentem: nam ſicut privilegium non recitandi, quod concederentur Epiſcopo, non extenderetur ad ſocium: ſic etiam privilegium utendi alio Breviario, vel mutandi officium, non debet ad ſocium extendi.

An liceat legere de ſancto die feriali? an de feria die feſto?

Non videtur verum hoc axioma.

Sicut obligatio legendi eſt perſonalis, ita etiã diſpenſatio eſſet perſonalis.

At dices eſſe voluntatem Pontificis cõcedere etiam ſocio hoc privilegium; quia Epiſcopi ſolent cum ſocio recitare. Et reſpondeo hanc objectionem mutare caſum totaliter. Nam ſi verè etiam ſocio hoc privilegium concedit Pontifex, tunc iſte poterit mutare officium non ob privilegium conceſſum Epiſcopo, ſed ob privilegium conceſſum ſibi. Sed hic aliud omnino diverſum inquirimus; nimirùm, an vi privilegii conceſſi Epiſcopo, præſcindendo ab eo, quod ſocio concedatur vel non concedatur, poſſit nihilominùs ſocius uti Breviario Epiſcopi?

Objectio.

Solutio.

Sentio igitur ſocium Epiſcopi, Abbatis ſatisfacere, ſi legat officium divinum, quod Epiſcopus aut Abbas legit, nimirùm quando recitant ſimul. Et hoc ex duobus capitibus omninò diverſis. *Primo* enim videtur Pontifex ſcire & ſupponere Epiſcopos, Abbates, & Perſonas graves, quibus conceduntur privilegia, ſolere recitare cum ſocio, adeòque utrique illam facultatem concedere. Quam ob rem, ſi Pontifex iſtam facultatem concedat, ſive mutare officium ſit veniale, ſive ſit mortale, licebit ſocio legere illud, quod ſuo Superiori conceditur. *Et ſecundo*, quia ſocius tenetur ſe accommodare Superiori, & ideò non mutat officium ſine cauſa, & tollitur caſus per conſequens. Qui enim habet cauſam rationabilem & legitimam, mutare officium poterit ſine peccato. [ſed hæc ſecunda ratio ſupponit eſſe venialem culpam mutare officiũ ſine cauſa: ſi enim eſ-

Reſolutio.

Duæ rationes benè conſideranda.

Quando excuſet rationabilis cauſa?

eſſet mortale, non ſufficeret rationabilis cauſa, ut aliquis excuſari poſſit.] Et quidem hæc eſt ita certa doctrina, ut ſocius qui ſe attemperat ſuo Superiori, nō ſolùm cùm utitur privilegio Superioris ſed etiam cùm ſuperior mutando officium ſine licentia & cauſa peccat venialiter, ille non peccat, quia ſubditus habet cauſam mutandi. Sic ſenſit Diana, olim in Siciliâ conſultus, antequam Caramuelem legeret, ut recenſet *part.7.tract.* 15. *reſ.* 10. ſic etiam ſenſit Caramuel in Belgio, antequā Dianam legeret, ut conſtat ex Commentario in Regulam D. Benedicti, *diſp.*107. *dub.*3.*num.*1371.

Quando Prælatus aut Epiſcopus mutat officium ſine cauſa; ſocius mutat ex cauſa.

Ad quartum eodem modo reſpondeo: puto enim illud qui recitat cum ægroto habere rationabilem mutandi officii cauſam: quam ob rem, ſi mutare officium ſit peccatum mortale, qui cum ægroto recitat debebit iterum ſuas horas legere juxta ordinarias rubricas proprii Breviarii: Et ſi ſit veniale tantummodò, eodem modo de illo, qui recitat cum Epiſcopo philoſophabor. Nam ſicut ſocius nec debet nec poteſt jubere, ut hoc officium Epiſcopus potiùs legat, quàm illud: ſic nec poteſt nec debet ut ægrotus nō utatur privilegio cōceſſo. Ergo, ſi mutare officiū ſit peccatū veniale, ſocius ſatisfacit, & non peccat venialiter mutando officium; habet enim rationabilem cauſam: ſi autem mutare officium ſit peccatū mortale non ſatisfacit ſocius: quia in materia graviter obligatoria rationabilis cauſa non excuſat.

Qui recitat cū ægroto ſolet mutare officium ex cauſa.

Sic ego: & tu, ut rem meliùs & exactiùs intelligas, inquiris, An ſit mortale mutare officium ſine cauſa? Reſpondeo utrumque eſſe probabile, & plauſibiliter poſſe defendi. Vide quæ de hac materia habeo in Commentario ad Reg. D. Benedicti *diſp.*109. *nu.* 1387. & *diſp.*110. *num.* 1399. & *diſp.*111. *num.* 1404.

An poſſit Officium mutari ſine culpa?

Ad quintum reſpondeo pſalmum *Miſerere* non eſſe officium divinum; adeoque ægrotum, cùm legit unum pſalmum, ex diſpenſatione aut commutatione Prælati, non legere officium Divinum, ſed habere licentiam omittendi officium divinum; quam ob rem ſocius qui illum juvat, non ſatisfacit officio divino, ut uberiùs oſtendi in Commentario jam citato *diſp.* 107. *n.* 1367.

Vnus pſalmus non eſt officium divinum.

Ad ſextum dico legem, quæ interdiceret viris pauperibus & indigenis eleemoſynam petere, fore injuſtam, atque ideò non obligaturam. Si tamen tales circumſtantiæ eſſent, quæ illam juſtam redderent videretur obligare univerſos; nimirùm tam petentes quàm dantes. Nam ſi e. gr. Petro viro forti & robuſto, qui abutens piorum hominum liberalitate non vult ſervire aut operari, jubeat Reſpublica ut agat virum ſtrenuum, & operetur, bene jubet: ergo poterit ponere omnia media neceſſaria, ne ignavus ſit: cùm igitur ignavia ex eleemoſynis naſcatur poterit illi jubere ne petat, ne recipiat illas: ergo etiam poterit, ne dentur illi. Quod autem aliquando hominum clementum liberalitas militet contra bonum publicum, teſtis ſum. Nam cùm in Montiſramenſi Collegio (Ciſtercienſe illud eſt, in Galeciâ) Philoſophiæ ſtuderem, Vincentio de Guevarâ Viro clementiſſimo ſuffui; contra quem conqueſti ſubditi, quod juventutem univerſam corrumperet: pueri enim & adoleſcentes, quia ſciebant ſe ad portam Monaſterii alimenta quotidiana habituros, nolebant ſervire, nolebant operari, nolebant quidpiam boni facere. Et quia rogatus non voluit ſuæ miſericordiæ modum ponere, accuſatus in tribunali Regio negare omnem favorem debuit ſanis & robuſtis, qui poſſent opere manuum victitare.

An poſſit interdici eleemoſyna?

Multi abutuntur eleemoſynis

Interdum clementia eſt nociva.

Ad ſeptimum reſpondeo aſſertivè: nam matrimonii vinculum ſimpliciſſimum eſt, & duos conjuges ligat; & ſicut non poteſt intelligi annulum A eſſe concatenatum annulo B, & tamen annulum B eſſe ſolutum ab annulo A. ſic non poterit intelligi Mariam eſſe uxorem Franciſci, & hunc eſſe cœlibem, ſolutum, & nullo vinculo obſtrictum Mariæ. [Nec huc ſpectant obligationes non mutuæ, quia de illis aliter philoſophandum eſt.]

Vinculo fracto, utrumque extremum ſolvitur.

Obligatio duplex: mutua & non mutua

SECTIO XI.

AVdiviſti Petrum ſuam conſcientiam pacantem, & contra vermis morſus diſcurrentem his verbis, *Si peterem hanc licentiam Prælatus concederet, non eſt igitur opus illam petere, quoniam jam illam habeo*, & inquiris, An in hoc diſcurſu aliquid ſit, quod poſſit aut debeat damnari?

De licentia quæ daretur.

Et reſpondeo debere totam conſequentiam negari: non enim à lege me liberat diſpenſatio, quæ daretur, ſed quæ datur; ſicut nec à peccato abſolutio, quæ concederetur, ſed quæ conceditur; nec à debito, condonatio, quæ fieret, ſed quæ fit de facto. An-ne iſtæ conſequentiæ ſunt bonæ? *Si confiterer Pontifici, ipſe me abſolveret à reſervatis caſibus, ergo non debeo illi confiteri, ſed potero cuicumque inferiori. Si confiterer non reſervata Parrocho, me ille abſolveret, ergo jam habeo abſolutionem, ergo poſſum ad Eucbariſtiam,*

Reſolutio.

Similes caſus proponuntur.

quin præmittam confeſſionem, accedere. Si ego à Petro centum aureos jure amicitiæ peterem, ille daret; ergo iſti aurei jam ſunt mei; ergo illos potero ſubripere clanculò. Si irem ad talem domum ibi fragiliter peccarem; ergo etſi non vadam, ſum peccati reus, & aliæ ſimiles? Minimè; nam quæ fierent, non mutant prudentis judicium, ſed quæ facta.

An licentia quæ daretur ſit tacita?

At dicis negatâ hac conſequentiâ tolli licentias tacitas, quæ ab omnibus debent admitti. Et reſpondeo nullum tacitæ licentiæ characterem relucere in diſcurſu propoſito; eſſet enim ſumma rerum confuſio, ſi liceret unicuique Superioris, qui poteſt conſuli, voluntatem per conjecturas & probabilitates rimari. Illum diſcurſum rejicio, hos repono. I. *Si peterem hanc licentiam non ſolùm Prælatus cõcederet, ſed diceret quòd non deberem illam petere, & quod gauderet, ſi Ego confidenter ſine ejus licentiâ aut conſcientiâ id feciſſem: Ergo non eſt opus licentiam poſtulare.* II. *Si peterem hanc licentiam, ut prudenter judico, Prælatus meus concederet; illum adire nequeo, res differri non poteſt: ergo illam licentiam tacitè habeo, & poſſum conſcientiâ ſecurâ procedere.* In iis igitur duobus caſibus licentia implicita habet locum; nimirùm, quando probabiliter judico licentiam eſſe concedendam, & opus dilationem non patitur, & Ego aut non poſſum Prælatum convenire, aut exiſtimo ipſum velle me non petere ab illo in minoribus his rebus licentiam, ſed ſecundum meam prudentiam operari.

Proponuntur duo caſus in quibus valeat.

Eſcobar explicatur.

Hinc patet, quî intelligi debeat Eſcobar, qui in Theologiæ Moralis ex viginti quatuor Societatis Ieſu Doctoribus concinnatæ Tractat. 1. Exam. 1. cap. 12. ſic inquit. *In dubio circa legem eſt ne epikeia locus? minimè, ſed reſervanda ſunt verba legis ut ſonant; quia lex eſt in poſſeſſione. Ex Suario didici.* Non eſt igitur locus Epikeiæ, ſi Superior conſuli poſſit; non eſt locus licentiæ implicitæ, ſi Superior expreſſam licentiam peti velit, & hæc peti & haberi poſſit; erit tamen epikeiæ locus, ſi res differri nequeat, & conſuli Superior non poſſit.

Quando ἐπιείκεια locum habeat, & quando non habeat?

De interpretandi modo.

DIſſolutio unius dubii alterum parturit: didiciſti enim quando interpretativæ licentiæ locus ſit, & inquiris, *Qualis interpretatio fieri debeat?*

Interpretatio duplex:

Dubium ſupponere videtur duplicem eſſe interpretationem: primam, ſi reſpiciat ſubditus voluntatem Prælati, & rimetur quid ille, ſi eſſet præſens concederet? ſecundam, ſi non reſpiciat ſubditus, quid Prælatus faceret, ſed quid deberet?

altera reſpicit factum,

Reſpondeo igitur, eum qui hoc ſyllogiſmo [Abbas abeſt, & periculum in morâ eſt. Si eſſet præſens hanc mihi licentiam concederet. Ergo illa poſſum uti.] ſuam conſcientiam pacaret, habere licentiam interpretativam, & poſſe prudenter procedere.

altera jus & debitum.

Addo eum, qui hoc uteretur ſyllogiſmo: [Periculum in morâ eſt, nec poteſt adiri Prælatus. At ille ſi eſſet præſens, teneretur hanc licentiam concedere. Ergo ſupponere debeo, quod illam conceſſerit. Ergo illâ poſſum uti.] habere licentiam interpretativam & poſſe ſine culpâ procedere.

Occurritur objectioni.

At dicis contra hunc ſecundum caſum, Abbatem, ſi eſſet præſens, licentiam negaturum eſſe. Sed unde id ſcis? Annon in patrem peccas, cùm eum negaturum licentiam quam deberet concedere; ac propterea peccaturum pronuncias? Digniùs quæſo, de Patre tuo opineris: eumque ſemper ſatisfacturum legi divinæ & humanæ confide. At inquies, heri ille ſimilem licentiam negavit Alberico: ergo & mihi modò negaret, ſi eſſet præſens. Fortè non erat caſus ſimilis, ajo: fortè acceſſerant nonnullæ circumſtantiæ, quas ignoras: &, ſi acceſſerant illæ, quid infers? Fortè non es Alberico ſimilis: licentia enim quæ alteri concedi nequit, alteri debet. Progredior. Sit caſus ſimilis: nulla circumſtantia interveniat, quæ cenſuram alteret vel immutet; negavit ſimilem licentiã Abbas Alberico. Sit verum: ſiquidem ſic tu vis, Ergo Abbas peccavit eam licentiam negando. Ergo cùm ſit vir Religioſus, cenſendus eſt celebrare quotidie, ſingulis noctibus cõſcientiam ſuam diſcutere: ſingulis horis canonicis Deum orare veniam, & emendationem proponere vel polliceri. Ergo, quia peccavit heri, cenſendus eſt non peccaturus hodie. Sic jubet diſcurrere regularis ſanctitas, quam tuus profitetur Prælatus: ſic pietas filialis erga Patrem, quam exhibere debes.

Qui debeat filius de patre judicare?

Objectioni alteri ſit ſatis.

Sed eſto non ſis filius, & velle extremo rigore mentem Prælati examinare. Eſto diſcurras ſic. [Semel malus ſemper præſumitur malus. At Abbas heri negavit ejuſmodi licentiam: Ergo ſemper negaturus dicendus eſt.] Et reſpondeo hanc conſequentiam, ſi admittatur, probabili certiorem non eſſe: & illa te ſecuriſſimè poſſe uti (nimirùm, eo ſenſu quo debet axioma illud intelligi) at te uti illa non teneri: quia in probabilibus nemo obſtringitur ad alterã contradictionis partẽ. Stat ergo ex dictis quod debeat modo ſubditus Prælati ſui, aut non ſubditus cujuſcumque

Severius poſſunt peregrini quàm filii judicare.

In probabilibus poſſumus alterutrum facere.

que

que alius mentem interpretari.

Alius caſus proponitur.

An licentia expreſsè negata uti poſſis?

DIces. Sed quid, ſi Deus voluntatem quam haberet Prælatus revelaret? Eſſet-ne locus interpretationi ulteriori? Quid, ſi Deus diceret, Prælatus, ſi eſſet præſens, hanc ipſam licentiam, quam tenetur concedere, negaret? Quid tunc faciendum? Supponere deberes licentiam fuiſſe expreſsè negatam.

Et reſolvitur.

Sed inquiris, An uti poſſis licentia expreſsè à Prælato negata; ſi tamen illam teneretur concedere? Reſpondeo in rebus communibus, & quæ ſine magnis inconvenientibus ſolent intermitti, non poſſe: & contrariam ſententiam, ſi fortè alicujus illa ſit, videri improbabilem & intolerabilem. At verò, ſi ageretur de sũma rerum, & ſalus temporalis aut ſpiritualis proximi ab illa licentia penderet, magna prudentia eſſet opus, deberetque vel invito Prælato, vel quocumque ſuccurri proximo extrema neceſſitate laboranti. Interim quia res eſt omninò difficilis, & paucis verbis expediri non poteſt, illam Sectione ſequenti examinemus, & dubia quæ occurrant, expendamus.

SECTIO XII.

Caſus proponitur.

OCcurriſti Friderico ab aula Epiſcopali egredienti & diſcurrenti ſic, *Talem licentiam petii ab Epiſcopo; at ipſe tenebatur illam concedere & negavit: igitur illam habeo: ſupponam ergo mihi fuiſſe hanc licentiam conceſſam*; tu-que hoc hominis diſcurſu percelleris, & rogas, An negatio licentiæ, quæ deberet concedi, ſit conceſſio virtualis? hoc eſt, An ita ſe habeat ille, cui negatur injuſtè licentia, ac ſi verè & realiter concederetur?

Reſolutio.

Reſpondeo ubique & hîc præcipuè æquivocationem fugiendam, dicendumque ſæpe peti ab hominibus diſpenſationem in materia, in qua priùs diſpenſavit Ius naturæ, ſæpe in materia dubia, ſæpe propter meram urbanitatem; ſed addo etiam peti non rarò propter neceſſitatem. Hac igitur doctrina præmiſſa

Quando Ius naturæ diſpenſat, non poteſt humanum obligare.

Dico primò, *Quotieſcumque res poteſt fieri ſine humana licentia, poterit etiam fieri hac negata; nec poterit Superioris imprudentia aut iniquitas Ius naturale tollere vel limitare.* Dilucido & perſuadeo. Nã, ſi Petrus ſit æger, nec aliter poſſit recuperari quam comedendo carnes, has comedendi privilegio fruitur à Iure naturæ conceſſo; ſuadebimus tamen illi, ut petat à Superiore licentiam, propter humilitatem, propter urbanitatem, ad tollendum ſcandalum, ne aliquis morbi neſcius illum ex voluptate uti carnibus credat; quod ſi in neceſſitate manifeſta (fortè hæc in poſita materia non datur) Superior licentiam non concedat, poterit ille ſe habere licentiam ſupponere, & carnes omninò neceſſarias comedere. Sed quia carnes non eſſe neceſſarias vitæ aut etiam ſalutis conſervationi exiſtimo, aliud exemplum proponatur. Si Franciſcus benignã Religionem ingreſſus, Deo ſanctiùs & ſeveriùs voluerit famulari, poteſt proculdubio ad Religionem ſtrictiorem tranſire; nec hoc abſtractim ſumptum humanitùs impediri poterit. (Conſultò dico *abſtractim ſumptum*; ſcio enim hujuſmodi tranſitus tot eſſe inconvenientibus frequenter expoſitos, ut plerumque impediri poſſint; imò aliquando debeant.) Debebit poſtulare licentiam à ſuo Prælato, & hoc ex duplici capite. Nam & debet vitare ſcandalum, ne defectus ſuus malè intellectus ruinæ ſit cauſa proximo; & debet etiam obedire Eccleſiæ, quæ præcipit hãc licentiam peti, & injuſtè negata tranſeundi poteſtatem indulget. Hic igitur habere locum puto Friderici diſcurſum, poſſet enim ſic dicere, *Petii licentiam ab Epiſcopo tranſeundi ad Ordinem ſtrictiorem, in quo eſſe poſſem melior & ſanctior; hanc ipſe tenebatur concedere, & negavit: ergo habeo illam virtualiter: ergo ſupponere poſſum illam realiter fuiſſe conceſſam.*

An carnes neceſſaria ſint ad vitam conſervandam?

An tranſitus ad aliam Religionem etiam ſtrictiorem, ſit conſulendus?

Prælatum concedere licentiã, rarò aut nunquam teneri.

Dico ſecundò, *Non teneri Prælatum licentiam concedere in caſibus in quibus illam non concedit Ius naturæ*; Addo, *eum, qui licentia Superioris negata præceptum violet, peccaturum*. Rem expono. Supponamus (quod omninò juxta aliquorum opinionem, in eo gradu certitudinis ſupponi debet, in quo ponitur Carthuſianorum abſtinentiam eſſe licitam) carnes non eſſe neceſſarias ad conſervationem ſalutis, ſed ad ſolamen ægroti; hoc poſito dico ægrotum, qui, innixus dictamini Medici ſine Superioris Eccleſiaſtici ſui tacita aut expreſſa licentia, aut fortè contra hujus expreſſam voluntatem, carnes comedat peccaturum mortaliter. Subjungo Superiorem poſse talem quidem concedere licentiam; non teneri; ſed ad exercitium virtutis & mortificationis eum cum onere præcepti relinquere, nec habere ſubditum unde contra licentiæ negationem excipiat, aut ſibi virtualem licentiam conceſſam ſomniet, niſi ad carnium neceſſitatem recurrat, exiſtimet-que (quod rarò poterit) ſibi grave omninò damnum illam abſtinentiam illaturam. Suadenda tamen eſt Superiori benignitas; videtur enim plus poſse concedendo hujuſmodi licentias prodeſse, quàm negando.

An Prælatus poſſit negare ægroto carnes?

Suadendum Prælato, ne ſit moroſus, ſed prudentis Medici ſequatur dictamen.

Hinc patet, quid dicendum ſit de hoc

diſcur-

An ſaltem licentia debeat peti?

diſcurſu, *Si peterem licentiam Superior omninò negaret; at teneretur eam concedere; igitur non eſt neceſſarium eam petere, ſed eſſe conceſſam ſupponere*; nam hic eſt multò perniciosior præcedenti, & omninò à viro prudente condemnandus: ſæpe enim ſibi adulans ſubditus exiſtimat Superiorem licentiam concedere debere, cùm tamen illam Superior concedere non debeat, fortè nec poſſit, ſæpe etiam contingit, quod etiam licentia quæ præſcitur neganda, debeat peti, aut ob vitanda ſcandala, aut ob præceptum Eccleſiæ, ut patet in eo qui vult ad ſtrictiorem Religionem tranſire.

An etiam quando negabitur?

SECTIO XIII.

Quatuor quæſtiones enucleandæ proponuntur.

NE me pluribus oneres, conſequentiâ philoſophandi illectus, hos diſcurſus ſtatis examinandos. PRIMUM. *Suſpenſus audit confeſſiones; at Prælatus tandem ratam hanc actionem habebit; ergo licitè audit confeſſiones ſuſpenſus, & validè pœnitentes abſolvit.* SECUNDUM *Suſpenſus audit confeſſionem; Prælatus videt, tolerat, Ergo approbat; ergo ille audit licitè & validè abſolvit.* TERTIUM: *Populus violat talem legem, Superior eam violari ſcit, punire legirupiones poteſt, & debet, nec tamen facit: Ergo diſpenſat. Ergo aufert illam legem; ergo jam eſt liberum & licitum cuicumque contra eamdem operari.* QUARTUM: *Princeps hanc legem pronunciavit; at videtur nunc de facto velle contrarium: ergo non eſt opus petere licentiam, ut lex illa violetur.*

Reſolvitur prima.
An ratihabitio ſufficiat ad valorem Sacramentalis abſolutionis?

Reſpondeo ad primum eſſe omninò delicatam Confeſſionis materiam, nec poſſe præſentis abſolutionis valorem pendere ab approbatione futura & contingente; nam ſicut non poteſt ſæcularis hodie audire confeſſiones aut miſſam celebrare intuitu Sacerdotalis ordinis, quē recepturus eſt cras, nec hodie uti fœminâ, intuitu matrimonii, quod eſt celebraturus cras ſic nec ſuſpenſus audire confeſſiones poteſt intuitu licentiæ aut abſolutionis futuræ.

Reſolvitur ſecunda.

Reſpondeo ad ſecundum illationem eſſe bonam, & abſolutionem validam; imò & licitam, ſi Superioris illa voluntas, quæ ante abſolutionem haberi ſupponitur, fuit prudenter prævisa. Quod ſi ſuſpenſus ille temerè incepiſſet audire confeſſionem, & tamen ſuperveniens Prælatus tacitè approbaret, peccaſſet ille ſuâ temeritate, at poſteà licitè & validè progrederetur. Conſidera tamen omnia verba minoris, *Prælatus videt & tolerat, Ergo approbat*, ad tollendas æquivocationes conſultò poſita. Ut credas te habere licentiam, non ſufficit, quod temeritatem tuam Prælatus videat; videre enim non eſt approbare aut licentiam concedere: poſſet enim Prælatus videre ſuam legem violari, & ægrè ferre. Non ſufficit quod videat, & de facto toleret, correcturus alibi, & aliàs; non enim tenetur ille ſemper & ubique ſtringere correctionis gladium, & legirupionem invadere. Omnia in Ordine ordinatè fiunt; & habet ſua loca & ſua tempora judicialis authoritas, nec ideò debes credere tibi conſentire Prælatum, quod punitionem in tempus opportunius differat. Opus igitur eſt, ut Prælatus adnuat, ut approbet de facto; aut aliàs confeſſio erit invalida, & ipſa abſolutio ſacrilega. Ergo dicendum eſt hanc conſequentiam, *Prælatus videt, & tolerat: Ergo approbat*, eſſe malam: bonam hanc, *Prælatus videt, tolerat, & approbat, Ergo ille licitè & validè pœnitentem abſolvit.*

Notitia non licentia, nec approbatio eſt.

An ſuperioris tolerantia ad valorem abſolutionis ſufficiat?

Reſolvitur tertia.

Reſpondeo ad tertium me in Moralis Theologiæ *nu.* 1117. hanc eamdem controverſiam examinaſſe; adeòque nunc breviter dicere totum illum diſcurſum eſſe bonum: quia cùm debeam judicare in favorem mei proximi quantum limites prudentiæ permittunt, hîc unum è duobus dicendum eſt; nimirùm, aut peccare Principem crimina tranſglutiendo, & permittendo; aut abſtuliſſe omninò legem, nec poſſe tranſgreſſores argui: Cùm igitur illud prius ſit contra authoritatem Principis, dicendum erit hoc poſterius. Ut Reſolutionem hanc bene intelligas, illum eumdem diſcurſum, quem eſſe bonum aſſerui, recognoſcamus. Major erat. *Populus violat talem legem.* Agit de Populo, de omnibus. Non proponit caſum, in quo unus aut alter legem violet; ſed caſum, in quo paſſim illam ſinguli violent. Non enim ad abrogandam legem ſufficit, quod unus, aut alter illam temerent, & frangant impunè. Erat minor. *Superior eam violari ſcit, punire legirupiones poteſt, & debet, nec tamen facit.* Requiritur in Superiori notitia: niſi enim violari legem ſciat, ſed potiùs illam ab omnibus obſervari ſupponat, non eſt cenſendus diſpenſare: nam diſpenſatio eſt actus voluntatis, quæ ad ignota non fertur. Sed nec ſufficit notitia, ſed requiritur etiam potentia, quoniam, ſi ſubditi legem violant, & illos ſuperior coërcere non poteſt, non eſt cenſendus diſpenſare. Additur etiam illud, *& debet*; multa enim Superior poteſt licitè facere, etiam in correctionis materiâ, quæ non ſemper debet; nam aliquando prudenter pœna vel condonatur

Leges occiduntur per contrarium uſum.

Unde aſtatur ſuperioris voluntatis prudens interpretatio.

Quod pauci legem permutentur violare non ſufficit.
Nemo vult, quæ non ſcit.

Nemo vult, quæ impedire non poteſt.

Multa poſſunt differri.

vel

Abrogatio legis implicita.

Quomodò manutenedtur leges?

Non vult finẽ, qui media non vult.

vel differtur. Poſitis itaque his circumſtantiis bene infertur illa conſequentia, *Ergo diſpenſat*. Dico enim in caſu Superiorem non velle, ut ampliùs populus illam legem obſervet; ergo illam abrogat; non enim tenetur ſubditus illâ lege, quâ illum obſtringere Superior non vult. Probo antecedens. Nam Superior, ſi illam legem obſervari vellet, deberet tranſgreſſores punire, nam ſuppliciis & pœnis obſervantia legum manutenetur. Sed illos non punit: ergo. Patet conſequentia. Qui enim poteſt & non vult media neceſſaria ad finem ponere, non velle finem conſequi cenſendus eſt: ergo ſiquidem ſupplicia ſunt media, ut leges manuteneãtur, & tamen illa poteſt, & non vult adhibere Superior, nolle manutenere legem cenſendus eſt. At nolle legem manutenere, eſt legem abrogare. Ergo in caſu legem abrogare dicendus eſt.

Reſolvitur quarta.

An ad ſatisfaciendum obligationi aliquãdo licentia petenda ſit?

Quid juxta Ciſtertienſium mores dicendũ ſit?

Poteſt & ſolet Prælatus velle, quod tum facias & ſimul licentiam petas.

Ad quartum dico, totum illum diſcurſum frequentiùs eſſe bonum, non ſemper. Dico eſſe bonum; quoniam qui vult aliquid fieri, etiam vult dare omnia, ſine quibus fieri non poteſt. At ſi ſit res interdicta, inter alia neceſſaria etiam requiritur licentia: ergo. Dixi conſultò non ſemper eſſe bonum; puto enim poſſe Superiorem velle quòd hoc omninò facias, nec tamen velle quòd id ipſum facias ſine licentiâ; & tunc claudicaret diſcurſus. Pono exemplum clariſſimum ad mores Religioſorum. Denominantur in Capitulo qui debeant, parare ignem, rigare clauſtra, miſſam tali horâ celebrare, conciones habere, hoſpites comitari; qui ſanè hæc omnia debent facere, non ſolùm ex Superiorum permiſſione, ſed etiam ex præcepto expreſſo (pœnali ut plurimum) & punirentur, ſi intermitterent; & tamen quando debent egredi è choro, ut injunctæ obedientiæ ſatisfaciant, debent etiam licentiam petere. Ergo hæc propoſitio, *Superior vult hoc hodie fieri, quod heri interdixerat*, non ſemper infert hanc, *Ergo illud hodie poſſum facere ſine licentiâ*, fortè enim Superior vult illud fieri à petentibus licentiam, & non ab aliis; fortè etiã & vult illud fieri à te, & vult quod ab eo licentiam petas. Conſiderandi igitur ſũt mores Reipublicæ, in quâ vivitur, & juxta eos in hac materiâ judicandum.

De Ratihabitione.

Scio in Ratihabitionis materiâ eſſe ſingularem Crouſeri ſententiam, quam quia judicare non volo, nec an probabilis videatur dicere, volui tamen alienis verbis utens, qualis aliis fuerit viſa proponere. Auſonius enim Noctinot in Summâ Dianæ, verbo Ratihabitio. num. 1. ſic ait.

An in Sacramentalibus habeant locum Iuris humana Regula?

Humana leges, qua tales non gubernant non ſubditos. Ergo Chriſtus in Sacramentorũ inſtitutione ab humanis legibus non dependit.

An ratihabitio in Sacramento pœnitentia?

Iuris fictio quid poſſit?

EST Regula Iuris, *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*. Quam Crouſers *in reg. D. Franciſci cap. 7. lect.* 22. exiſtimat procedere etiam in ratihabitione probabiliter præſumptâ à Confeſſario ad abſolvenda reſervata; ita quod, ſi aliqua non reſervata abſolvat poteſtate ordinariâ, vel aliter actuali, & aliquod reſervatum ex probabiliter præſumptâ voluntate Superioris, antecedente poſteà ratihabitione auferatur à pœnitente obligatio præſentandi ſe ſuperiori: nec enim neceſſe eſt, talem obligationem tolli per ipſam abſolutionem: quia abſolvuntur venialia, abſq; eo quod tollatur obligatio illa confitendi, quæ nulla eſt: imò id etiam accidit in confeſſione mortalium aliàs confeſſorum. Et tùm abſolutio ſacramentalis ſit etiam actus judicialis, non ei repugnabit veritatem habere à futuro eventu, & validari poſſe videtur per ratihabitionem, ſicut dicitur *Matth.* 16. *Quodcumque ſolveris erit ſolutum*. Nos verò hanc opinionem refutavimus *verb. Confeſſarius. nu.* 6. ubi docuimus, ſolùm ſufficere ratihabitionem de præſenti, vel de præterito, minimè verò de futuro, quia hoc Sacramentum nullo modo pendere poteſt à futuro eventu, & ſi ab initio non fuit validum, non poteſt deinde valorem accipere. Accedit, quod Sacerdos non abſolvit, nec abſolvere poteſt nomine alterius hominis, ſed immediatè nomine & auctoritate Dei: unde nemo poteſt illam ratam habere; quia ut dicitur *in reg. jur.* 9. *Ratum habere quis non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum*. Illa autem Regula quam affert Crouſers, procedit in ordine ad actus, qui licet à principio irriti, poſſunt poſteà per Iuris fictionem revalidari, quales non ſunt ſacramentales, in quibus potiùs illa regula locum habet: *Quod ab initio non valet tractu temporis non convaleſcit*. Sic Coninck *de Sacr. diſp.* 8. *dub.* 4. *à num.* 34. & Diana P. 6. T. 6. *reſol.* 57.] Hucuſque Auſonius.

SECTIO XIV.

Argumentum à majori ad minus.

POſtremo igitur, quia plurimos audis argumentantes à *Majori ad minus, ab Æquali, à Simili, à Paritate rationis*, quantam vim hæ conſequentiæ habeant in moralibus materiis, inquiris.

Reſpondeo primò argumentum, quod ſumitur à majori ad minus, vix aliter habere vires, quàm ſi illud minus ſit pars entitativa majoris; non enim ſunt boni iſti ſyllogiſmi. I. *Plus eſt abſolvere à pœnâ æternâ, quàm à temporali; plus à pecca-*

tis,

tis, quàm à pecuniis: At Confeſſarius poteſt reum à peccatis & æternâ pænâ illis correſpondente abſolvere: ergo etiam à ſententiâ judicis, à morte temporali, & reſtitutione faciendâ. II. *Plus eſt producere gratiam in animâ, quàm oculos in corpore: at ſacramenta novæ legis producunt gratiam in anima: ergo poterunt viſum cæcis reddere.* III. *Plus eſt extrahere ex Purgatorio unam animam, quàm è carcere unũ hominem: miſſa extrahunt è purgatorio animas: ergo è carcere homines.* IV. *Miraculoſior eſt tranſſubſtantiatio euchariſtica, quàm converſio plumbi in argentum, æris in aurum: at paucis verbis poteſt fieri illud prius: ergo & hoc poſterius.* Conſtat igitur, quod non ſemper ſit verum illud commune pronuntiatum, *Qui poteſt majus, poteſt & minus.*

Et aliquando valet: & hoc cũ limitationibus nonnullis.]

Solet tamen eſſe verum, cùm minus pars majoris eſt; ſolet inquam; quia etiã hoc ſenſu poteſt eſſe falſum. Rem expono. Eſt tormentum bellicum viginti pyrii ſulphuris libris oneratum, nec illud aliter exonerare potes, quàm explodendo: ergo adhibe chordam tormentariam ſuccenſam, & breviſſimo tempore totum illud ſulphur pyrium accendes. At quia ego indigeo media parte illius ſulphuris, decem tantùm libras accende. An-ne poteris? Non-ne qui poteſt totum, poteſt & partem: qui poteſt majus, poteſt & minus? Poteſt quidem aliquando, non ſemper; nam qui totam domum diruere poteſt, non poteſt columnas immotis capitellis, nec muros immotis tectis & turribus ſupremis diruere: & ſexcenta alia. Et veniendo ad moralia, Confeſſarius te ab omnibus peccatis abſolvere poteſt, ab uno relictis reliquis non poteſt. Qui baptizat delere originalem culpam & characterem indere ſimul poteſt: at alterum ſeorſim non poteſt. Conſultò, *qui baptizat*: dixi; non enim eſt ipſi liberum in infante, quem baptizat, auferre labem originariam, & characterem vel gratiam non producere. Sed nec adulto, qui baptizatur, eſt liberum recipere gratiam & abſolvi à peccatis, & tamen non recipere characterem. Sed hoc non tollit, quod aliquando (nempe, quando Sacramentum cum fictione recipit) characterem ſine gratia recipiat, propter obicem actualem, qui dicitur *fictio*. Nam ipſi liberum eſt ponere obicem: at verò, quod poſito obice utrumque (characterem & gratiam) & non poſito obice alterum (vel ſolum characterem, vel ſolam gratiam) recipiat, non eſt in recipientis voluntate, vel poteſtate.

Abſolvi ab uno peccato, & non ab alio nemo poteſt.

An, quando, & quomodò poſſint character, & gratia in baptiſmi Sacramẽto ſeparari?

De fictione.

Argumenta à ſimili, à paritate rationis, ab æquali, à fortiori, non habent locum in materia gratiæ, qualis eſt Eleemoſyna, Donatio, Conceſſio; non in rigoroſis, quæ pendet à mera Superioris voluntate. Quod dilucidare volo doctiſſimis Antonii Naldi verbis, qui *Quæſtionibus practicis verb. Caſus. nu.* 3. ſic ait. *Caſuum reſervatio, cùm habeat quandam rationem pænæ, quæ eſt odioſa reſtringi debet; unde in hac materia non ſpectatur paritas rationis ſicut nec in pænis: reſervatio enim magis pendet ex voluntate, quàm ex ratione ipſius reſervantis: ſic lex pænalis non tam pendet ex ratione, quàm ex voluntate legislatoris. Non igitur admittitur in hac materia argumentum à ſimili, ab æquipollentibus, à majori &c. non enim ſequitur* [*Legens librum hæreticum eſt excommunicatus, ergo & audiẽs concionantem hæreticum, quod eſt periculoſius.*]

Ubi paritas locũ habeat, & non habeat.

An in caſuum reſervatione?

An, qui legit, an qui audit hæreticum ſit excommunicatus?

Hinc patet non diſcurrere bene Ioannem de la Cruz *De ſtatu Religionis libro* 1. *cap.* 3. §. *Tertio. Not. mihi. pag.* 21: qui in pœnalibus odioſiſque admittit rationis paritatem, contra doctiores omnes, & præcipuè contra Salas, Portel, Ioannem Valerium, Bonacinam, Sayrum, Suarium, Dianam, quos ſequor *Commentarii in Regulam S. Benedicti num.* 550. & *in Theologia Moralis Tractatu proœmiali, cap.* 8. *Reg. IV. & ſæpe alibi*. Hinc etiam patet non diſcurrere bene aliquos Benedictinos, qui cùm ex unâ parte videant, in profeſſione noſtrâ ſolam obedientiam promitti, & ex alterâ nos teneri & paupertate & caſtitate, dicunt hinc obligationem oriri, quòd qui promittit majus, etiam minus promittere cenſeatur. Dico illos non bene diſcurrere: quoniam hic ſyllogiſmus, [*Qui vovet Deo majus & difficilius, cenſetur etiam vovere & facilius & minus; at gravius maius & difficilius eſt obedire, quàm carere dominio, aut uxore: ergo, qui promiſit Deo obedientiam, cenſendus eſt etiam Deo promiſiſſe paupertatem & caſtitatem*] multis defectibus laborat.

An Benedictini teneantur ſervare paupertatem, & caſtitatem?

An, quia qui promiſit Deo majus, minus etiam promiſiſſe cenſendus ſit?

Et quidem tametſi à meis Magiſtris aliter ſemper doctus fuerim, dico minorem eſſe falſam; non enim videtur valde difficile obedire viro prudenti; nec videntur obligare præcepta hominis delirantis; adeoque non videtur obedientiæ votum eſſe tam difficile, quàm pingitur. De voto paupertatis nihil dico: non enim durum illud reputant nihil habentes & omnia poſſidentes; quid enim ego curo, an dominium ſpectet ad me, an ad communitatem, an ad fundatorem, an ad Principem, an ad Pontificem, an ad Chriſtum, ſi nihil mihi deeſt, & rebus illis quæ di-

An obedientiæ votum ſit difficile?

An votum paupertatis?

cuntur

runtur non meæ, eodem utor modo, ac ſi eſſent propriæ? Porrò paupertas vitæ monaſticæ inſtituendæ valde eſt neceſſaria, non valde difficilis; nam experientia docet majores pati difficultates, qui habent multas divitias, imò qui paucas, quã qui nullas. Tota igitur difficultas ad caſtitatis obſervantiam ſpectar; nec hæc dicenda obedientiã facilior, cùm videamus ob iſtam ſolam cauſam pleroſque apoſtatas à ſuis monaſteriis egreſſos, qoi perſeveraſſent omninò, ſi licuiſſet in ipſis mulierum contubetnio frui.

An caſtitatis?

Sed ponamus eſſe veram minorem, adhuc conſequentia non tenet, quoniam major eſt falſa; vel alias dicam Benedictinum voviſſe Deo jejunia, miſſarum auditiones, pſalterii quotidianam lectionem & ſexcenta alia, quæ faciliùs obſervari poſſent, quàm tres ſubſtantiales virtutes, & ſunt minoris momenti; horum enim omnium obligatio poſſet eodem ratiocinio ſuaderi; nam ſi cenſetur vovere facilius & minus, qui volet difficilius & majus; & ponitur lectio roſarii quotidiana (idem dici poteſt de aliis) eſſe facilior & minor devotã obedientiæ virtute; ſequetur neceſſariò eum, qui vovit ſolennẽ obedientiam, etiam voviſſe roſarii lectionem quotidianam. &c.

Argumentum, quod nimium probat, nihil probat.

Dico igitur hanc rationem eſſe fragilem, & tamen Benedictinos tribus votis teneri; quia fecerunt profeſſionem ſolennem & hæc quibuſcumque verbis exponatur, tria vota ſubſtantialia complectitur.

Cur Benedictini ad tria vota teneantur?

Hanc doctrinam ſummè veram credidit Auſonius Noctinot, qui *in ſummã Dianæ verb. Lex. n.* 47. ſic ait. [Inter alias juris regulas circa legum interpretationes, ſolennis eſt illa, *Quod gratia ſint amplianda & odia reſtringenda*. Vnde in legibus pœnalibus non fit extenſio de caſu in caſum non expreſſum propter paritatem rationis, imò nec ſi in hoc vigeat major ratio. Ita Portellius *add. ad dub. Reg. V. lex. nu.* 13. & alii. Ex quo principio multi caſus decidendi ſunt. ET PRIMÒ ante Bullam Gregorii XV. non erat denunciandus Confeſſarius ſollicitãs in confeſſione puerorum: quia præcedentes Bullæ latæ erant contra ſollicitantes fœminas. SECVNDÒ Clericus abutens fœminâ, aut beſtialitatem committens, non incurrit pœnas Pii V. contra Clericos Sodomitas, quia non eſt propriè ſodomita. Ita Barboſa *collect. tom. 2. libr. 5. tit.* 31. *c.* 40. *n.* 10. TERTIÒ fœmina ſœcularis nubens religioſo profeſſo non incurrit excommunicationem latam. *in Clem. un. de conſang. & affin.* contra moniales profeſſas nubentes, & illas in vxores ducentes, & profeſſos matrimonium ineuntes. Ita Cajetanus *in ſumm. v. excommunicatio, cap.*47. QVARTÒ, docet Sanchez *ſum. tom. 1. libr. 4. cap. 4. n.* 3. cogentes viros Religionem ingredi, non incurrere excommunicationem Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 8. contra cogentes fœminas ingredi monaſteria. QVINTÒ, Religioſus miniſtrans Baptiſmum vel Pœnitentiam ſine licentiâ Parrochi, non incurrit pœnas *Clem. 1. de privilegiis*; latas contra Religioſos miniſtrantes Euchariſtiam, Matrimonium & Extremam Vnctionem. Ita Gloſſa *in Clem. de decim.* aſſerit conſtitutionem, quâ punitur Religioſus fraudans decimas Eccleſiæ, non extendi ad Clericos ſœculares idem facientes. SEXTÒ, Excommunicationem Gregorii XIII. contra ingredientes in monaſteria Monialium prætextu licentiarum, non incurrunt ingredientes ſine prætextu licentiæ. Ita Suarez *de cenſ. diſp.* 22. *ſect.* 6. *num.* 11. & Diana *P. 1. T.* 10. *Reſ.* 26. *& P. 2. T. 17. Reſ.* 66. SEPTIMÒ, lex imponens pœnam privationis vocis intelligenda eſt tantùm de activâ, quæ eſt propriè & principaliter vox, nam paſſiva non eſt vera vox. Ita Palaus *tom. 2. tract. 13. diſp. 6. punct. 6. nu.* 15. contra Leſſium *lib. 2. cap. 34. dub. 29. num.* 105. Ita Diana *P. 5. T. 13. Reſ.* 91. OCTAVÒ *cap. ad hæc, de Iudæis*, in quo prohibetur Chriſtianis famulari & nutrire Iudæos. &c. non eſt extendendum ad Saracenos & paganos. Ità Hurtadus *in 2. 2. diſp. 76. ſect. 3. n.* 81. contra Suarez *de fide diſp. 18. ſect. 6. num.* 6. & Diana *P. 5. tract. 13. Reſol. 11. §. Notandum eſt*. NONÒ, lex quæ interpretari poteſt de obligatione veniali, non eſt extendenda ad mortalem, ut ſupra diximus.] Hæc ille; in qoibus addere poteris, duas illas generoſas Viragines, quæ, ut Neographa celebrant, ſe Pariſiis ad duellum provocarunt, & fortiſſimè pugnaverunt, non incurriſſe excommunicationes contra duellantes à Summis Pontificibus fulminatas, nam hæ ſunt latæ contra viros.

Prodiit Summa Dianæ ſub nomine Auſonii Noctinot, qui ſublata Anagrãmatis confuſione Antoninus Coronius in aliis editionibus fuit.

Paritas rationis non habet locum in pœnalibus; & præcipuè in ſollicitantibus pueros:

abutentibus fœmina:

in fœmina, quæ nubit Religioſo:

cogentibus viris ad religionem:

Religioſis baptizantibus, & audientibus confeſſiones:

ingredientibus monaſteria ſine licentia:

privatione vocis paſſivæ:

famulis Saracenorum:

& legum interpretatione.

An fœminæ in duello pugnantes incidant in excommunicationem?

Hanc etiam doctrinam videtur habuiſſe præ oculis Clariſſimus Vir Arnoldus Rath, qui nos docet conſequentias *à fortiori*, in odioſis omninò negandas, & in favorabilibus poſſe. In concluſionibus editis & propugnatis Ingolſtadii 19. Ianuar. anno 1630. num. 14. ſic inquit. [Pariter ex eiſdem juribus ſimul & tacitâ concedentis voluntate non improbabiliter negatur Principem conceſſâ facultate majores feras perſequendi, (vulgò das hoche roth unnd Schwartz, oder grobe VVildtpradt) etiam facultatem minores feras, puta vulpes, lepores, & ſimiles

An Princeps, qui licentiam Petro majores feras occidendi conceſſit, minores etiam occidendi licentiã conceſſiſſe cenſendus ſit?

inſectandi (vulgò, das lein oder nider VVildtprade) conceſſiſſe præſumi.) Et quidem præſto eſt argumentum à majori ad minus, quoniam majores feras inſectandi licentia rarò & paucisſimis concedi ſolet, cùm tamen pluribus & faciliùs venatio altera permitti ſoleat: præſto etiã eſt illud axioma, *Favores ſunt ampliandi*, & tamen Arnoldus Rath conſequentiam probabiliter negat.

SECTIO XV.

De Identitate rationis.

SED quia argumenta quæ ſumuntur *à paritate rationis*, ſunt ſimilia illis, quæ ab *identitate rationis* deducuntur, doceri vis, quantam etiam iſta virtutem habeant.

Et reſpondeo multa in rationis identitate requiri, quæ non in omnibus ſyllogiſmis, qui ab identitate rationis proceſſiſſe dicuntur, ſolent reperiri. Dico igitur tunc argumentum identitate rationis fundari, cùm rationem ipſam, quã una propoſitio particularis eſt probata & conceſſa, ſupponens alteram particularem probaturus, ab illã particulari procedit. Pono exemplum. Dixeras, *Omnis homo eſt riſibilis, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt riſibilis*. Et ergo aſſumo, *Petrus eſt riſibilis; ergo Chriſtus eſt riſibilis*. Addoq; conſequentiam, tametſi à particulari illatam, eſſe veram; & hoc probari ab identitate rationis. Nam tota ratio, ob quam Petrus eſt riſibilis, in eo ſita eſt, quod ipſe ſit homo, & omnis homo ſit riſibilis; at hæc eadem ratio habet locum in Chriſto, qui ſimiliter homo eſt, ergo Chriſtus etiam eſt riſibilis.

Explicatur quid illa ſit? & quo modo debeamus argumentari?

An Chriſtus riſibilis ſit?

Argumentatio igitur hujuſcemodi, ſi identitas rationis non ſolũ dicitur, ſed eſt; eſt efficaciſsima; at facilior & fortior evaderet, ſi intermiſſo illo particulari à quo deducitur, univerſalis propoſitio potiùs aſſumeretur, ut ſi in caſu propoſito, concedens illud prius conſequens, *Ergo Petrus eſt riſibilis*, invadereris à dicente, *Omnis homo eſt riſibilis, Chriſtus eſt homo, Ergo Chriſtus eſt riſibilis*. Fateat tamen, non eſſe malam nec inſitatam formam, cùm ab abſurdo inferendo per identitatem rationis conſequentiam conceſſam impugnamus. Et pono exemplum in argumento, habito Romæ in Comitiis Generalibus Societatis, quod ſummo exceptum plauſu & applauſu, etiam in Germaniã reſumitur. Aſſerebat propugnans Hominem in Angelum converti poſſe, quia Deus poterat quodlibet in quodlibet ſine ullã limitatione convertere. Et argumentator aſſumpſit. *Si poteſt Deus Hominem in Angelum, & univerſaliter loquendo, quodlibet in quodlibet convertere (id enim aſſeris) etiam Te poterit in quadrageſimam convertere: & haberemus toto anno præſentem quadrageſimam, quæ nobis interdiceret cibos & ipſa comederet.* Conſequentia eſt legitima, utpote rationis identitate fundata, & tamen abſurdiſſimum conſequens. Probantur omnia, Quia dicitur Deus quodlibet ens in quodlibet poſſe convertere; & tamen quadrageſima etiam eſt aliquid.

Deducitur reſpondens ad abſurdum.

An detur potentia obedientialis? An poſſit Deus quodlibet in quodlibet convertere?

Axioma illud univerſale, nec relationes, nec moralitates attingit.

Hinc patet, quî debeat intelligi illud Axioma, *Argumentum quod nimium probat, nihil probat*; non enim eſt inefficax ratio, quæ plus probat, quàm petitur; ſed illa, quæ eadem vi, quam probat, quod petitur, etiam probat aliquod abſurdum, quod non petitur: ratio enim, quæ abſurda etiam probat, non ſupponit vera, nam è veris non poſſunt ſequi abſurda & falſa. Ut rem intelligas præſentem ſyllogiſmum conſidera. *Omnis platanus eſt homo, Omnis homo eſt arbor, Ergo omnis platanus eſt arbor*; & dico conſequens hoc argumento non ſuaderi; quia argumentum quod nimium probat, nihil probat; & hoc nimium probat. Quoniam, ſi nihil eſt in præcedenti ſyllogiſmo, quod culpari queat, etiam nihil omninò erit in iſto. *Omnis Platanus eſt homo; Homo, ſi ſanus ſit, equitat, loquitur, comedit carnes; Ergo omnis Platanus ſi ſana ſit, equitat, loquitur & comedit carnes*; quod eſt abſurdum, & contra communem experientiam.

An nimium probare, ſit nihil probare?

Non ſemper argumentũ, quod plus probat, quàm debet nihil probat.

Ex falſis verã aliquando colligitur.

Dixi argumentum, quod in rationis identitate fundatur eſſe efficaciſſimum. Et ſtatim inquiris, An in materia gratiæ locum habeat?

Quid in materia gratiæ deducendum ſit?

Videretur quod non: quoniam iſte diſcurſus non eſt bonus. (Rex Ioanni, quia fideliter illi triennio militavit, mille donavit aureos. At ego illi etiam triennio fideliter militavi. Ergo & mihi mille aureos donaſſe etiam cenſendus eſt.) Hunc autem diſcurſum procedere ab identitate rationis, ſic ſuadetur. Quia ratio, ob quam Rex donavit Ioanni illos mille aureos, eſt quia triennio fideliter militavit, & non jam ſimilis, ſed eadem ratio in me invenitur. Hoc argumento victi aliqui negant in gratiis locum rationis identitatem poſſe habere.

Ego reſpondeo primò practicè, illam conſequentiam non eſſe bonam. Et in hoc univerſi conveniunt. Unde, ſi hoc argumentum ab identitate procedit, aſſero in materia gratiæ argumenta deduci ab identitate non poſſe.

Reſolutio practica.

Reſ-

Reſolutio ſpeculativa.

Reſpondeo ſecundò ſpeculativè explicando rationem, ob quam illa conſequentia non teneat. Dico enim in illo diſcurſu non jam idemtitatem rationis, ſed diverſitatem rationis inveniri: nam, ut in Epiſtola ad Voluſianum ait S. Auguſtinus, *in talibus tota ratio facti eſt potentia* (voluntas) *facientis*. Vide Ægidium Colum. *pag.* 128. *b.* At Rex mille aureos donare Ioanni voluit, mihi noluit. Ergo non datur rationis idemtitas, ſed diſparitas, & manifeſta diverſitas.

Cur res donentur? cur gratia fiant?

SECTIO XVI.

An à ſuperiori ad inferiora legitimus diſcurſus procedat?

QVæris, *An ex genere ad ſpeciem, ab ſpecie ad individuum valeat argumentatio?* Reſpondeo à minùs univerſalibus ad magis univerſalia valere conſequentias, ſi poſitiones ſint affirmativæ; ab univerſalibus ad minùs univerſalia, ſi negativæ: & hoc eſſe tam clarum ut in dubium reduci non poſſit. Hæ enim ſunt bonæ conſequentiæ, *Petrus eſt homo, ergo eſt animal; eſt animal ergo ſubſtantia;* iſtæ malæ, *Lapis eſt ſubſtantia, ergo & animal; Equus eſt animal, ergo & homo.* Et ut exemplum ponam in negativis; dico has conſequentias eſse malas, *Non eſt Petrus ergo nec homo: Non eſt homo: ergo nec animal: Non eſt animal: ergo nec ſubſtantia;* bonas has, *Non eſt ſubſtantia, ergo nec animal; non eſt animal: ergo nec equus.*

An ab inferioribus ad ſuperiora?

Sed quia ex indiffinita propoſitione argumentantur plurimi, poſtulas, *An, qui indiffinitè aliquam rem in communi concedit, cenſendus ſit omnes ſpecies conceſſiſse?* hoc eſt, An iſte diſcurſus ſit bonus, *Mihi eſt conceſſum jus venandi verbis univerſalibus & indiffinitis; ergo potero quaſcumq; feras, magnas, parvas, laqueo, ſclopeto, aut quocumque alio modo inſequi & venari.* Respondeo, verba ſæpe ſignificare minus quàm ſonāt, ſæpe etiam plus; quoniā à circumſtantiis conſignificantibus ſignificationis extenſionem aut etiam limitationem participant. Quod ſi illa ſignificent quantùm ſonent dicendum omninò eſt, conſequentiam illatam eſse bonam, & illi cui conceditur id quod aſsumitur, etiam omne illud concedi quod infertur.

An indefinita æquivaleant univerſalibus?

An verba ſignificent ſemper quantum ſonant?

An non aliquando plus, aut minus?

Circumſtantiæ adjacentes conſignificant.

Conſiderare ſemper debet qui in ſimilibus caſibus conſulitur illam Regulam LXXXI. Canonici Iuris in 6. à Bonifacio VIII. latam, videlicet, *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.*

Hanc doctrinam concedunt univerſi; & ſpecialiter citatus Rath ſic inquit: *Conceditur Petro ut poſſit venari, & nulla limitatio exprimitur? ergo poteſt quaſcumque feras, majores & minores?* Et dubio ſic propoſito reſpondet dicens: *Non repugnamus, quin ex ſimplici generali, ac indefinita venationis conceſſione, tam minorum quàm majorum ferarum indagatio indulta videatur; tum quod gratia Principis amplam interpretationem recipiat.* l. 3. ff. de conſtit. pecun. *tum quod & aliàs dictum in genere ad ſingulas ſpecies referatur.* l. 1. §. generaliter. ff. de legat. præſt. l. 1. §. hæc verba. ff. quę in fraud. creditor.

Cùm igitur deſignatio unius ſpeciei, tametſi nobiliſſimæ, videri poſſit generis limitatio, tenendum eſt, aliud eſſe rem genericè concedi, aliud concedi ſpeciem nobiliorem; & tamen eſſet idem, ſi à nobiliore ad ignobilius ſubſiſteret argumentatio. Et ne aliunde exempla deſumamus; Si aliud eſt dicere, *Concedo tibi licentiam capiendi quaſcumque feras*, aliud & omninò diverſum, *Concedo tibi capiendi magnas feras;* tenendum iterum eſt, non poſſe parvas capere, qui poteſt magnas, nec valere ſemper argumentum à majori ad minus, ut paulò ante dicebamus, & oſtendebamus.

An à ſpecie nobiliori ad ignobiliores valeat argumentatio?

A toto ad partē ſæpè: à majori ad minus non valet in moralibus argumentatio.

SECTIO XVII.

De retractatione opinionum.

DOceri vis, *An quando unus Author duas ſententias habet diverſis omninò temporibus, videatur priorem, cùm ſtatuit ſecundam, retractare? An ſi retractet, putanda ſit melior poſterior?*

Reſpondeo eſſe res totaliter diverſas, inconſequentiam, retractationemque; illa enim accidit ob memoriæ defectum, hæc ob diligentiorem conſiderationem & maturius examen. Porrò, ſi aliquis author duas oppoſitas in diverſis locis teneat & edoceat ſententias, nec prioris mentionem faciat, cùm poſteriorem tradit, dicendus eſt nihil in re dubia firmiter tenuiſſe aut docuiſſe, ſed hæſitaſſe, & jam unam, jam alteram partem tenuiſſe.

Diſcrimen inter retractationem & inconſequentiam.

Sed quid, ſi priorem ſententiam in loco poſteriore retractet? Videndum, an ipſa retractatio ſit libera: ſolent enim authores jam coacti, jam liberi ſententias priores retractare. Coacti quidem, cùm obſtricti Superiorum mandato, ne difficultates habeant, & tunc videntur non mutare mentem, ſed labium; quia ipſis ad quietē expedit, & malunt ad alienam mentem loqui, quàm ad alienam voluntatem vexari. Quam ob rem retractationes omnes factas alieno imperio, non judico prioribus opinionibus præjudicare; ſed tantam habere authoritatem, quanta infallibilitas ſit imperantis; ipſæ enim authoritatem non à retractante, ſed ab imperante deſumunt. Hinc eſt maximi eſſe ponderis correctiones & retractationes factas ex Eccleſiæ mādato; parvi aut nullius factas imperio Provincialis Abbatiſ-ve, ſi ipſi docti non ſint ſed velint imperitando Do-

Aliàs opiniones liberè: aliàs ex Superiorũ mandato retractantur.

Quanta ſit authoritatis retractatio ab Eccleſia præcepta.

ctoribus, doctiores, ſi non eſſe, videri.

Quanti liberè facta?

Quid autem, ſi liber & ſpontaneus ſola ratione ductus Scriptor alteret priorem ſententiam. Et, ut in ſingulari loquar. Cùm doctiſſimè & humillimè Auguſtinus libros ſcripſerit retractationum, inquiritur,

An ſtandum ſit Retractationibus D. Hieronymi?

An neceſſariò retractationi ſtandum tanquam vera ſententia? Reſpondeo hominum eſſe errare, poſſe-que Doctorem errare, cùm ſcribit; & aſſequi veritatem cùm retractat; poſse contrà, periodum bene ſcriptam, infeliciter & periculosè retractare. Nam Hieronymus multa tranſtulit bene, quæ acceptavit Eccleſia; & aliquos tractavit locos, & Eccleſia has easdem retractationes non admittendo condemnavit aut ſaltem omitti poſſe declaravit. Lorca *tractatu de locis Catholicis diſput. 7. num. 13.* agens de ſecunda tranſlatione ſic inquit. [Si in aliquo loco diſſentit à priori tranſlatione, ita ut diverſus ſenſus aut ſententia ſit, abſque dubio in poſteriori loco defecit; & quod primo loco tranſtulit verè tranſlatum eſt, & ut verum conſervavit illud Eccleſia.]

An retractationibus D. Auguſtini?

Auguſtini Retractationes legi, & puto in ipſis adhuc retractaturum fuiſse aliquas, ſi ipſas ipſe reſcriberet aut recognoſceret. Et ut alios omittam S. Thomas ſoli rationi inſiſtens ſtatuit poſſe Summum Pontificem in voto ſolenni diſpenſare;

An retractationibus D. Thomæ?

poſteà incidit in Caput, *Cùm ad Monaſterium*, & legens ibi, *Quod abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia Caſtitatis ideò eſt annexa regula monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*; non aſſequutus textus animam, priorem retractavit ſententiam;

An poſſit Summus Pontifex in voto ſolenni diſpenſare?

An votum ſimplex, & ſolenne diſtinguantur ſpecie?

ſtatuitq; voti ſolennis perennitatem eſſe de jure divino, nec poſſe Pontificem diſpenſare; debereque dici votum ſolenne & ſimplex diſtingui ſpecie, adeòque in confeſſione debere ſolennitatis circumſtantiam exponi. At nos omnia aliter docti, ejuſdem eſſe infimæ ſpeciei votum ſolenne & ſimplex dicimus, & ſolennitatem eſſe voti accidens, ut etiam cujuſcumque contractus qui vocatur ſolennis.

Solennitas eſt contractuū accidens.

Nec contrarium in Capite *cùm ad Monaſterium* aſſeritur; illam enim periodum bifariam cum noſtra ſententia conciliamus: primò dicentes tantam eſſe votorum ſolennium & ſtatus Religioſi connexionem, ut fieri non poſſit ut in voto aliquo aut aliquibus Pontifex diſpenſet & tamen qui cum diſpenſatur, permaneat Religioſus.

In ſenſu compoſito non poteſt Pontifex in voto ſolenni diſpenſare.

Secundò notantes non poſſe Pontificem in votis concedere diſpenſationem ſine cauſa, at occurrente gravi poſſe. Textus prima expoſitio communis eſt, at ſecunda incepit audiri in Rota & applauſum mereri poſt P. Valentinum,

An ſine gravi cauſa?

qui optimè ſcripſit de paupertate non excludente jus teſtandi & retinendi dominium.

Hinc eſt, quod liberè dicamus D. Thomam habuiſſe noſtram ſententiam, ſed illam poſteà retractaſſe; addamuſque ſtandum primæ reſolutioni, & retractationem rejiciendam.

SECTIO XVIII.

De librorum expurgatione, & correctione.

Eſt valde facilis hac rerum tempeſtate Reſpublica in libris interdicendis & expurgandis, & quia multi hanc diligentiam ægrè ferunt, putantque Authoribus Catholiciſſimis præjudicari, inquiris, An hæc conſequentia ſit bona. *Toſtatus non habet authoritatem, eſt enim author, in quo multa Inquiſitio correxit?*

Correctio aliis ſententiis addit authoritatem.

Et reſpondeo poſt correctionem dari doctrinam deletam, & doctrinam permiſſam; hanc habituram majorem authoritatem quàm anteà; non enim illam intactā correctores relinquerent, ſi dignam correctione putarent. In Toſtato igitur omnia, quæ non ſunt ab Inquiſitione correcta, habent Toſtati & S. Tribunalis authoritatem; illa quæ ſunt correcta habent vim duarum oppoſitarum opinionum; quarum deleta, ſit Toſtati; addita, ſit Inquiſitorum; & illa habebit tantam authoritatem, quantam illi Author dare poſſit; hæc quantam Inquiſitores; & ubi iſti ſint doctiſſimi, maximam ſed qualeſcumque ipſi ſemper opinio correcta in locis ſancti illi tribunali ſubditis eſſet in foro exteriore improbabilis & indefenſabilis, & omninò puniendus, qui contra ibi doceret aut ſcriberet.

Opiniones, quæ in uno loco interdicta, in alio interdum permittuntur.

Conſultò dixi *ibi*, nam tribunalium privatorum ſententiæ, ſicut & Vniverſitatum definitiones *mare*, ut eſt in adagio; *non tranſeunt*; correctiones librorum, ubi non agitur de rebus Fidei, ſe attemperant locis, temporibus, & perſonis: & quia doctrina, quæ in uno loco eſſe nociva, in alio nocere non poteſt & qua una natio abuteretur, alteri non præjudicaret; hinc ſit librorum correctiones eſſe interdum diverſas, & libros in Sicilia interdictos paſſim legi & admitti in Hiſpania.

Aliud damnari.

Cæterùm ſi corrigeretur, aut damnaretur aliqua ſententia Abulenſis ab Eccleſia Catholica, tunc ſtandum omninò correctioni eſſet, nec correcta remaneret probabilis, nec quę poſſet in foro interiosi haberi, ſi declararetur hæretica.

Neutrum Authoris opinioni præjudicat, ſi non ſit pertinax.

Non puto tamen vel ſic Authori aliquid derogatum iri; nam in rebus dubiis fortunæ eſt veritatem attingere, virtutis

al-

alterutram partem ſapienter & acutè tueri; & multa habet Auguſtinus, multa Hieronymus, quæ jam vel Canonibus diſſonant, vel nobis non placent, nec ideò minoris ipſi fiunt; ſummo enim ſe præditum ingenio probat, qui potuit conſequenter errare. Non ignorabat hoc Auſonius Noctinot Theologus Siculus, qui ſummam Antonini Diana edidit, & ut Authorem Opuſque commendaret, ſincerè ſic Lectori præloquitur. *Pleriſque incommodum erat eamdem quæſtionem plunies repeti, quod tamen Authori neceſſarium fuerat, ut ſi qua opinio in priori parte excuſa oppugnata fuiſset, in poſteriore confirmaret; aliquis novis augeret inventis; in aliis judicium priùs ſuſpenſum, determinaret: in aliis demum modificaret, vel ſupervenientibus* (nota bene) *Sacræ Congregationis Oraculis revocaret. Commune eſt hoc omnibus* (hoc etiam connotari volo) *bonarum doctrinarum Scriptoribus. ſuas lucubrationes non ſimul & eodem tempere in lucem edentibus, non ſolùm ob ea, quæ à Veritatis interpretibus manant in dies reſponſa, quibus cervicem flectere neceſſe eſt: ſed ob temporum etiam aliorum-ve accidentium viciſſitudinem noſtrique flexibilitatem ingenii,* [cur homo eſſet, ubi materia eſt certa adamantinus; ubi dubia, pertinax: conſtans, ubi merè probabilis: niſi fortè alterutrum operandi & ſentiendi conſtans & perpetua voluntas, quæ libertas huc uſque debeat (cur non?) moralis conſtantia nuncupari?] *quæ nos pro diverſo temporum ſtatu rapiunt in diverſa.*

Propter declarationes Cardinalium Diana & alii etiã Authores non pauca in ſententiis mutarũt.

Concluſio.

VIdiſti commune eſſe, aut omnibus, aut fere, ſcribere, quæ ab aliis corrigantur, nec ideò minoris faciendos; nam & Apoſtolus aliquid correxit in Petro, etiam in Barnabâ; multa carpſit in Hieronymi ſcriptis Auguſtinus; & in multis jam alter, jam uterque ſanctiſſimis & doctiſſimis Chriſtianis diſplicet; nec ideò, cùm deſeruntur aut impugnantur, aut civiliùs in veram inviti obtorquentur ſententiam, vel minimum eorum æſtimationi & authoritati detrahitur: ſumus enim homines, non Angeli; & hominibus debemus credere tanquam hominibus, qui & errare potuerunt, imò & fallere; tametſi illud priùs de bonis Scriptoribus credi ita debet, ut non tamen feſelliſſe dicantur.

Differunt inter ſe in ſententiis etiam homines ſancti.

Quid ſi eſſent Angeli? Cur & ipſi aliis Angelis, aut etiam Hominibus diſplicere non poſſent? Viginti aut plurium dierum diſputatio illa fuit, in qua de Perſidis, Chaldææ & Iudææ moribus & regimine actum, quam Michael tandem aliquando compoſuit: & tamen habita fuit inter Angelos.

Interdum etiã Angeli.

Daniel, 10, 13.

Ergo, ſiquidem ob oculos poſuimus poſſe duos Magnos Authores in ſuis ſententiis diſſentire, imò opiniones inter ſe adverſas mutuò carpere, quin eorum honori aut authoritati derogetur. *An ſaltem ipſiſmet Opinionibus, aut Magnorum Virorum conſenſus addat certitudinem, aut condemnatio auferat probabilitatem;* videamus.

Alia quæſtio propoſitur.

SECTIO XIX.

DVæ res, non quidem formaliter, ut vulgò creditur, ſed objectivè diverſæ ſunt aſſenſus & diſſenſus, & tamẽ opiniones diverſimodè afficiũt; adeòque in quæſtione preſẽti agã de poſitionibus illuſtriũ hominũ approbatione ſuffultis: in ſequenti de Aſſertis reprobatis. Quæritur ergo, quanti roboris ſint hæ conſequentiæ. I. *Hæc ſententia eſt Auguſtini, ergo eſt omninò vera.* II. *Hæc eſt Gregorii, ergo debet admitti.* III. *Sic habet Hieronymus, ergo oportet ſubſcribere.* IV. *Hoc docet D. Bernardus, ergo debemus diſcere.* V. *Id ſenſit D. Thomas, ergo & aſſentiri debemus.*

An aſſenſus & diſſenſus realiter, an tantũ objectivè diſtinguantur?

Quanti facienda ſit Patrum authoritas?

VIRES primæ & ſecundæ conſequentiæ ſenſerat meus Bernardus, & dum à Carnotenſibus vitâ D. Gregorii calamus D. Auguſtini torqueretur [hoc eſt, unico exemplo ex actibus D. Gregorii, & una periodo ex Operibus S. Auguſtini deſumpta.] mira ſe urbanitate & facilitate expedivit, & qui in ſimilibus procedere debeamus nos docuit. *Poſtulatis,* ait, lib. de præcept. *abſolvè vobis, cur Beatus Gregorius neſcio quem Venantium, habitum Monachalem, quem piè ſuſceperat, impièque rejecerat, non ſolum reſumere non coegit, ſed etiam omnem legitur indulſiſſe communionem Apoſtata perduranti: vel S. Auguſtinus conjugii legi votum quodãmodò ſubjiciat continentiæ, ita ut in libro de Virginitate aſſerere videatur, nec cœlibis quidẽ vitæ propoſitũ copula poſſe præſcribere conjugali, quominùs indiſſolubile maneat etiam quod à continẽtibus, fallente diabolo, fracto ſanctitatis voto, initum fuerat matrimonium.* Et quidem facillimo ſe potuit negotio Bernardus ab hac difficultate expedire; aſſerendo Religioſorum vota D. Auguſtini, aut etiam D. Gregorii temporibus fuiſſe ſimplicia: & ideò impedire potuiſſe, non tamen matrimonium dirimere: addendoque Venantium fuiſſe merè novitium, ideòque voto obſtrictum ad tempus, more Veterum. Novitios enim debere obſtringi voto conſtat ex Regula Divi Bene-

Modus optimus reſpondẽdi Authoritatibus.

Aliud eſt perſonam Scriptoris contemnere: & aliud non admittere ejus authoritatem.

An Religioſorum vota olim fuerint ſolemnia?

An olim Novitii vota emiſerint?

Digitized by Google

nedicti; & hoc votum fuiſſe olim in praxi, conſtat ex diverſis Authoribus, quos in Commentario meo adlego, & à paucis annis exoleviſſe conſtat ex Ceſario, *Dialog.lib.1. cap.15.* qui vixit ſcripſitque ſub annum 1222. Quod ſi Venantius profeſſus fuerit, aſſero votis illum ſimplicibus, ritu veteri obſtrictum, potuiſſe abſolvi. Quod ſi ſolenniter profeſſus, Gregorium fuiſſe Summum Pontificem, & hunc poſſe vota etiam ſolennia diſſolvere cum bono publico aut etiam privato judicet expedire. At Bernardus noluit ſe his difficultatibus, tametſi clariſſimis & probabiliſſimis implicare, ſed faciliorẽ ingrediens viam, ſic ait. *Ad hæc nihil ad præſens certius breviuſque reſpondendum occurrit, niſi quod ita Sancti Antiſtites ſapuerunt; rectène, ipſi viderint*; quod & hodie breviùs omninò diceret, ſi uſus Academico Lexico reſponderet, *Transeat Gregorius, Transeat Auguſtinus*. Sed ne aliquis idem eſſe non ſequi hos Patres, & contemnere, eorumdem rejecit ſententias, perſonas propugnavit & dixit, *Ego in ſenſibus actibuſque Illuſtrium Patrum cautus profectè ſum omninò non aliud æſtimare, quàm quod B. Apoſtolo teſte, quæritur jam inter diſpenſatores, ut videlicet fidelis quis inveniatur. Certus ſum enim, ſive in ſuo abundaverint ſenſu, ſive in Dei ſpiritu* (nota hoc) *ſicut & in cæteris, ita & in his ambos exſtitiſſe fideles; illum in diſpenſando, quod præ manibus erat; iſtum in ſcribendo quod ſenſerat*. Vbi vides, an illos Dei ſpiritu duce proceſſerint Bernardum dubitare, nec tamen dubitare an illis ſubſcribere debeat, certus enim erat ſe non debere neceſſariò ſubſcribere, niſi illi, quem certò ſciret non erraſſe.

An Papa poſſit in votis diſpenſare?

An poſſit dici tranſeant Patres?

Nota bene, Semper ita de Patribus loqui debemus, ut eos lingua, & calamo cenſeamur venerari.

An ſubſcribere reſolutioni dubiæ debeas?

TERTIAM conſequentiam negavit ſemper Auguſtinus. Verba *ex Epiſt.3. tom.2.* dabimus poſteà, nunc unam periodum *ex Epiſt. 19.* in qua Hieronymum ſuum ſic affatur. *Nec te, mi Frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo; prorſus inquam non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apoſtolorum; de quorum ſcriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium eſt.*

D. Auguſtini votum.

QVARTAM QVINTAMQVE negabunt aliqui, etiam utriuſque Doctoris devotiſſimi. Iacobus Merlo Horſtius viginti integros annos in reſtituendo, & illuſtrando S. Bernardo impendit, & tamen illum in Conceptionis materiâ opinione duriore gravat, & deſerit; cum tamen verum ſit Virginem ſine peccato conceptam, Bernardumque nec docuiſſe, nec ſenſiſſe contrarium, ut optimè oſtendit meus Manriquus *in Annalibus Ciſtercienſibus ad Annum 1136. cap.4.* Et Alfonſus de Mendoza profitetur Angelici Doctoris ſcholam, ait tamen *illi non ita inhærebo, ut ſi quando radius veritatis affulgeat aliunde, non debeam poſt eum liberè & expeditè currere*.

Sincera aliorum erga Patres devotio.

An Virgo fuerit ſine labe concepta?

An oppoſitum doceat S. Bernardus?

An poſſimus S. Thomam deſerere?

NEGARET omnes quinque conſequentias præmiſſas & examinatas Auguſtinus, ſi hodie viveret; *Epiſtola* enim *illa 3. tom. 2.* agens de Ambroſio, Hieronymo, & aliis ſic ait. *Neque enim quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum & laudatorũ hominum, veluti Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, ſalva honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis reprobare atque reſpuere, ſi fortè invenerimus, quod aliter ſenſerint, quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis.* Et addit; *Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meos.*

Quo debeamus modo aliorum opiniones relinquere, aut ſectari?

Hinc patet nullum Patrem tantæ eſſe authoritatis, ut lectoribus neceſſitatem inſerat aſſentiendi; id enim librorum Canonicorum proprium eſt; quod ſi me nolueris in ſervitutem redigere, nec Patrum reſolutiones definitionibus Eccleſiæ aut æquare aut præponere, quidquid ſalvâ meâ ſentiendi cœlitus conceſsâ libertate in eorum commendationem doctrinæ dixeris, me habebis avidum devotumque auditorem. Non dicam, *Hæc ſententia eſt Dionyſii, ergo eſt fide tenenda. Eſt Auguſtini, ergo eſt evidens. Eſt Ambroſii, ergo negari nequit.* Dicam tamen illam ſub illud tempus, quo ab hoc vel illo Patre prolata, nec fuiſſe hæreticam, nec ab Eccleſiâ reprobatam, nec à Doctis improbabilem creditam; adeòque debere hodie haberi, ſaltem probabilem, ni detur aliqua recens ratio, ob quam à ſuâ antiquâ probabilitate exciderit; nec rejiciendam temerè, ſed videndum, an detur gravis & urgens ratio, quæ contrarium perſuadeat.

Quid debeamus de Patrũ antiquatis opinionibus dicere?

SECTIO XX.

VIdiſti humanam authoritatem non poſſe facere ut una Aſſertio, quæ ſub ſenſum non cadit, ſit evidenter vera; & inquiris, *an ſaltem poſſit facere, ut evidenter falſa ſit?* quod ut meliùs intelligas, has conſequentias ponis examinandas. I. *Auguſtinus, aut talis alius Pater, hanc opinionem damnat, ergo tolerarĩ non poteſt.* II. *Hæc ſententia eſt ab Inquiſitione, aut etiam à tali Vniverſitate preſcripta, ergo eſt erronea.* III. *Cardinales declararunt contrarium, Ergo hoc affirmari non poteſt.* IV. *Eccleſia interdixit hanc ſententiam, ergo nemo illi poteſt ſubſcribere.*

De ſententiis damnatis, & rejectis.

re. V. *Illam Eccleſia declaravit hæreticã, non ergo poteſt ampliùs tutâ conſcientiâ haberi, aut propugnari.*

Reſolutio.

Recognoſco ſingulas, & qui hominibus puris non dedi authoritatem pronuntiandi, quæ negari non poſſint, ſic nec cõcedam condemnandi, quæ non poſſint concedi. Eſto magnam authoritatem Patres habeant, irreligioſus eſſet, qui renueret, at diſtinguenda ab infallibilitate eſt authoritas, & hæc ſanctitatis opinione intendenda, at fallibilitatis ſuſpicione aut remittenda aut temperanda. Si unam poſitionem Auguſtinus falſam dixerit, certum eſt ſic ſenſiſſe, eamque non fuiſſe illo ævo articulum fidei, nec talem quæ negari non poſſet. Si hæreſeos illam notâ inuſſerit, cautè procedendum omninò, fuit enim quiſque Pater antiquus prudẽs, cautuſque, nec credendus ſibi uni arrogaſſe authoritatem condendi fidei dogma, ſed potiùs communem Eccleſiæ ſententiam pronunciaſſe. Eſſet igitur eo ipſo hujuſcemodi Aſſertio probabiliter hæretica, vel ut alii loquuntur hæreſi proxima, nec deberet defendi quouſque non eſſe hæreticam bene conſtaret. Interim illa opinio quæ cœlos duros adſtruit, ut ethnicam & Sacræ Scripturæ contrariam Sanctiſſimi Patres condemnarunt; non jam pauci, ſed multi. Et tamen, quia noſtrorum avorum ætate fuit à doctiſſimis viris defenſa, & diſcipulis tradita, nemo illam hodie auderet, probabiliter hæreticam appellare. Haberi igitur debet circumſpectio, cùm Opiniones cenſurantur. *Porrò*, cùm impugnamur Patrum & veterum Sanctorum teſtimoniis, urbanitatem requiro; quoniam omninò diſplicent Græci, qui cùm in Florentino Concilio Purgatorium negaviſſent, viderentq; Latinos ſe rationibus & teſtimoniis obruentes, illas ſubterfugerunt, & ad Patrũ authoritates reſponderunt, *Homines erãt, & errarunt.* [Vide diſputationem de Animarum ſubterraneis receptaculis habitam & editam Ingolſtadii ann. 1597. nẽpè §.42.] & conſequenter diſplicent hujus tempeſtatis hæretici, qui eodem auſu Patrum teſtimonia rejiciunt.

Non ſunt infallibilia veterum Patrũ omnia ſcripta.

Quo loco habenda ſint propoſitiones damnata à Patribus?

An Cœli ſint liquidi? An contra fidẽ ſit ſoliditas oppoſita?

Urbaniſſimè loqui debemus de veteribus Patribus.

SECUNDAM non omninò negabo, nec admittam omninò; aliud enim eſt edere Canones & Definitiones fidei, aliud declarare propoſitiones hæreticas, & aliud hæreticos punire. Dico igitur non eſſe Sanctæ Inquiſitionis, nec Almæ Univerſitatis edere Canones & Definitiones Fidei; hoc enim pertinet ad Eccleſiam, unde hæc propoſitio, *Unica eſt cauſa noſtræ juſtificationis*, antequam ab Eccleſiâ definiretur, de fide non fuit; & jam omninò de fide eſt, quoniam definita fuit, tum aliàs, tum clariùs in Tridentinâ Synodo Seſſ. VI. Cap. VII. ubi lego, *Demum* (noſtræ juſtificationis) *unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit.* Si aliquis dicat, *Hæc propoſitio in ſenſu Eccleſiæ falſa eſt.* hæreticus eſt, & ejus aſſertio quia evidenter eſt hæretica, talis poteſt ab Inquiſitione, aut à quâcumque Univerſitate declarari. At qui diceret, *Cauſa formalis noſtræ juſtificationis non eſt unica unitate phyſicâ*, non eſſet evidenter Hæreticus; fortè enim textus Concilii intelligendus eſt de Unitate morali, prout olim defendit Salmanticæ Oviedus me impugnante; nec penes Inquiſitionem aut Academiam eſt infallibiliter decidere utro ſenſu ſit Eccleſia loquuta, hoc enim eſt novam Fidei definitionem facere. Pono aliud exemplum. Negabant Begnardi lumen gloriæ ad beatificam viſionem requiri; unde in Vienneſi Concilio condemnatur hæc eorũdem Aſſertio, *Anima non indiget lumine gloriæ, ipſam elevante ad videndum Deũ.* Lege Matthiam Borrull. *tract.* 2. *diſp.* 20. *ſect.* 5. *num.* 62. Et quidem Sacroſancti Concilii Definitio exponi poteſt duobus modis: vel de lumine intrinſeco, vel de extrinſeco. Ergo non eſt penes Univerſitates, Inquiſitionem, aut Eminentiſſimorum DD. Cardinalium Congregationem aliqua infallibilis authoritas & poteſtas declarandi, quo ſenſu ſit loquutum Concilium: hoc enim debet Eccleſia declarare. Et quamdiu hoc declarat, permittitur Capreolo & *in* 4 *quæſt.* 4. *art.* 3. & aliis aſſerere intrinſecum lumen requiri: & Granado *tract.* 4. *diſp.* 5. *num.* 4. qui citat Medinam, Valentiam & Vaſquezium aſſerere requiri intrinſecum vel extrinſecum. Sola igitur Eccleſia, quia poteſt infallibiles Fidei Definitiones facere, poteſt à ſe factas, ſi obſcuræ aut ambiguæ, infallibiliter determinare & explicare. Ergo ſola Eccleſia poteſt infallibiliter definire, An Concilium bene intelligatur à Granado: &c.

Aliud eſt definire Articulos fidei: aliud judicare utrùm hæc vel illa propoſitio illos rebaret: aliud punire Hæreticos.

De cauſa juſtificationis.

Utrum ſit una? Utrum una unitate morali?

Quid poſſit declarare Univerſitas?

An lumen gloria ad beatificam viſionẽ requiratur?

An requiratur intrinſecum, an ſufficiat extrinſecum?

Quis poſſit verba Concilii infallibiliter declarare?

Eccleſia authoritas.

Poſſet quidem Univerſitas authoritate Politicâ alteram opinionem interdicere, ſi id ad quietem communem conducat. Sed hoc concernit praxim, non certitudinem ſpeculativam. Quid autem, ſi Univerſitas aliquam ſententiam condemnaret? Si eſſet illa unius, multum præjudicaret condemnatio. Sed, ſi à multis Viris doctis defenderetur, & tamen Univerſitas declararet illam eſſe hæreticam: quid tunc haberet? eſſet enim probabiliter hæretica contraria; nam unitas phyſica & moralis contradictoriè opponuntur.

Authoritas Politica Univerſitatum.

Quid præſtet condẽnatio facta ab integra Univerſitate?

Porrò

Quiſnam hæreticos punire poſſit?

Porrò convictum de hæreſi Inquiſitio punire poteſt. [At de hæreſi convictus non eſt qui aſſerit, quæ probabiliter ſunt ſecundùm fidem.] poſſunt etiam id præter Inquiſitionem, tribunalia, quibus id jure, aut privilegio conceſſum eſt.

Quanta authoritatis ſint declarationes Vniverſitatum; quanta S. Inquiſitionis condemnationes?

Condemnationes privatorum tribunaliũ non tranſeunt mare.

Quando integra Vniverſitas, aut S. Inquiſitionis tribunal, unam propoſitionem condemnat, in foro exteriori extrinſecè authoritati totum derogat, in locis eidem tribunali ſubjectis, in quibus nec licet talem propoſitionem defendere nec docere, nec in ſuggeſtu declamare; at in eodem foro exteriore non tanguntur hoc fulmine, qui neque iſtâ lege. Sic videmus Pariſiis olim multas interdictas ſententias, quæ hodie permiſſæ; aliquæ hodie defenſæ plauſibiliter quæ interdictæ Lovanii. Salmanticæ, Compluti, & in omnibus Hiſpaniæ Academiis doctrina Petri Lorcæ gratiam peccatumque in unico inſtanti componentis [ita nimirùm ut qui peccat in illo ipſo inſtanti primo, quo peccatum mortale committit, habeat peccatum quod ante non habebat, habeat gratiam quam ſtatim perditurus eſt; ita, ut qui convertitur in primo contritionis inſtanti habeat peccatum gratiamque hanc incipientem intrinſecè, & illud intrinſecè deſinens] ſine contradictione defenditur; & tamen turbavit aliquos Doctores Lovanienſes & præcipuè D. Ioannem Sehinchelium, boni ingenii Doctorem, ſed qui legebat nullos libros, nec unquam audierat hanc poſſe opinionem defendi; pro laureâ Doctorali in prælium & prælum commiſſa. Quam ob rem debuit novus Doctor, ut eorum ſedaret cõſcientias, promittere ſe nunquam illam iterum defenſurum docturum-ve in Lovanienſis Academiæ Gymnaſiis, aut Collegiis, ſervatâ ſibi libertate eamdem docendi & defendendi extra univerſitatem, ſi placeret. Quæ mihi tamen, ut meam ſententiam etiam hîc proferam, tametſi probabilis credita & ad ingenii oſtentationem aptiſſima; nunquam aut vera viſa, aut ſeriò propoſita placuit. Cæterùm negari non poteſt omninò hujuſcemodi condemnationes augere probabilitatem oppoſitæ, diminuere probabilitatem condemnatæ; præcipuè ſi Vniverſitas aut Inquiſitio non ſolum propugnationem interdicat, ſed etiam aſſertionem condemnet. Vnde cùm Petri Lorcæ ſententia non fuerit à Lovanienſibus condemnata, ſed interdicta ſolùm, quod ſimilis videretur alteri quam olim defendit Michaël Bayus, & Apoſtolica Sedes damnaverat, non eſt dicenda nimiò à ſuâ probabilitate excidiſſe; ſed tamen habere aliquid, quo ſublato maneret multò magis probabilis.

An gratia, & peccatum ſint ſimul in unico inſtanti? Sententia aſſerens placet Hiſpanis Belgis diſplicet.

De augmento & diminutione probabilitatis.

Lorcæ doctrina hac Bayanæ ſimilis non eadẽ.

De declarationibus Eminentiſs. DD. Cardinalium.

Tertiae Conſequentiæ cenſura poſtulat neceſſariò, ut agamus de authoritate Declarationum Eminentiſſimorum Cardinalium; & quia multæ ſolent protrudi, quæ viris prudentiſſimis videntur fictæ vel ſubreptitiæ, & nunquam ab Eminentiſſimis Dominis viſæ, notandum eſt declaraviſſe eoſdemmet Cardinales non eſſe habendam ut authenticam aliquam eorũ reſolutionem, niſi exhibeatur formâ authentica, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Cardinalis Præfecti ac Congregationis Secretarii, ut didici à Diana *part. 5. tract. 3. Reſ. 12.* unde ſi declaratio dubia ſit, conſequentia inficietur eadem debilitate. Cùm igitur Ego ne unam quidem Declarationem viderim ſubſcriptione & ſigillo munitam, ſtando huic ſententiæ, quantam quo ad me fortitudinem Declarationes illæ habeant, aut non habeant, tu videris. Conſultò dixero *quo ad me*; non enim ex eo quod ſigillum Ego & ſubſcriptionem non viderim, ſequitur eas non fuiſſe ſubſcriptas aut ſigillatas: nec ſequitur non debere admitti ut authenticas ab illis, qui ſubſcriptionem & ſigillum viderint. Hoc tamen ſequitur, poſſe & debere Iudicem, ſi altera pars ſe velit aliqua Cardinalium declaratione juvare, poſtulare, ut illam in forma authentica præſentet, jubet enim ipſamet Congregatio, ut aliter non admittatur.

Quid requiratur, ut ſint authenticæ?

Quid Iudices debeant facere, ſi declarationes afferantur?

Vtrum habeant vim legis?

Prima igitur in hac materia opinio docet Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium Declarationes habere vim legis. Ita Salaz. *de leg. tr. 14. diſp. 21. ſect. 12.* qui putat ita illas ſe habere, ac ſi eſſent Reſponſa Pontificis. Et probat; quia Cardinales habent à Sede Apoſtolica authoritatem declarandi, interpretandi & reſpondendi, ut habetur in Sixti V. Bulla, quæ eſt ſeptima in part. 2. Bullarii; & ſuper iſtas Declarationes Pontifex expedit Breve, & Auditor Cameræ monitorum in exſequtionem ipſarum, eaſque Rota ſine ulla controverſia recipit & amplectitur; quæ omnia eſſe declarata ab ipſamet Cardinalium Congregatione Garzia *de beneficiis tom. 1. in præf.* apud Auſonium Noctinot *in Sum. Dianæ, verb. Cardinalis 23.* notavit. Sed hanc Garziæ probationem, quidquid de re ipſa ſit, nemo admitter Dialecticus, quia evidentiſſimum ea committit circulum.

An omnes admittatur à Rota?

An Garzia committat circulum?

An promulgentur?

Secunda opinio, quam habent Verricellus *in quaſt. Moral. tract. 2. quaſt. 6.* Chaſſaing. *tract. 1. par. 1. c. 1. prop. 3.* Petrus Autel. *in vendit. Cenſ. Pariſ.* Machadus *in perf. Confeſſ. libr. 1. p. 3. titul. 1. docum. 5. & titul. 8. docum. 4. & 5.* Sanchez *in ſumm. libr.*

libr.4 cap.54. Trullenc. *libr.1. in bull. cruciata, §.7.cap.2.dub.6.* Ludovicus à Cruce. Villalobos *tom. 1. tract. 2. dub. 7. nu.5.* & Layman. *libr.1. tract.4. cap.7.§.7.num.28.* docêt hujuſcemodi declarationes non habere vim legis: quia, cùm de ratione legis ſit, ut promulgetur, & iſtæ nunquam ſint promulgatæ de mandato Pontificis, vim legis habere non poterunt. Quod ſi dicas non indigere promulgatione, quia non concedunt novum jus, ſed antiquum exponunt; reſpondent perindè omninò eſſe; declarationes enim veteris legis ſunt novæ leges; ſicut declaratio definitionum fidei, ſunt novæ fidei definitiones. Hæc ſententia videtur hodie communis: multi enim Authores licèt illam non tradant, ſæpe in ſuis reſolutionibus ſupponunt. Hoc clariſſimo exemplo perſuadeo. Attende. Quærunt Doctores, *An virtute Bullæ ſanctæ Cruciatæ liceat abſolvere à caſibus in Bulla cœnæ reſervatis, & ab illis, quos ſibi reſervant Epiſcopi?* Negativam declararunt DD. Cardinales, non ſemel, ſed quater. (bis ſub Clemente VIII. iterũ ſub Paulo V. & iterum ſub Vrbano VIII.) At non obſtantibus his declarationibus undeviginti Authores Theologi reſolverunt oppoſitum. Ergo omnes iſti Doctores ſupponebant Cardinalium Declarationes non habere vim legum: ſi enim hanc vim haberent, obligarent: deberent ſuſcipi, non deſeri vel impugnari. Vide P. Benedictum Virginium Alviſet *in Murenulis ſect.4.dub.8.num.6.pag.263.*

An indigeant promulgatione?

Ejuſdem eſt legem condere, & legem authentice declarare.

De caſibus reſervatis.

An poſſit aliquis contra Cardinales reſolvere?

Tertia ſententia viam mediam init, nec omnes Declarationes eſse leges admittit, nec omnes negat, ſed quia diverſimodè ipſæ expediuntur, diverſimodè de illis reſolvit; dicitque habere illas vim legis, ſi hæ tres conditiones occurrant, *Prima*, ut pronuntientur conſulto Romano Pontifice, *Secunda*, ut ſint ſolæ declarationes aut interpretationes, minimè autem diſpenſationes & reſtrictiones; illa enim Congregatio ad declarandum & interpretandũ, non verò videtur ad ampliandum aut reſtringendum fuiſse erecta: *Tertia*, ut exhibeantur in forma authentica, ſigillis & ſubſcriptionibus requiſitis, ut ſub initium adnotavi. Adde & conditionem *Quartam*, ut acceptentur, ubi ipſamet lex Pontificis non obliget non acceptata; non enim ipſis major eſt concedenda authoritas quàm legibus Summi Pontificis. HAEC TERTIA ſententia eſt Orchagraviæ *de ſacram.tract.2.quæſt.40.num.12.* Torreblancæ *pract. jur. Eccl.libr.14.cap.3. num. 19.* quam multi prudentiſſimam judicant, & omninò tenendam. Hæ ſunt opiniones circa Cardinalium Declarationes; Hæ ſunt, inquam, Opiniones, quia quarta, quæ omnes omninò rejicit & contemnit nõ eſt Opinio, ſed Opinatio mera, quæ non debet admitti. Interim hodie apud Gallos obtinet, nam ut D. Benedictus Virginius Alviſet *in Murenulis ſect.4.dub.7 num.75 pag.262.* aſſerit. *In Francia omnes penitus rejiciuntur decreto Senatus Pariſienſis.* Quo fortè animatus veriùs quàm inſtructus Petrus Aurel. *in Vindiciis Cenſur. Pariſ.* ſic audet. *Frivolum eſt,* inquit, *aſſerere, quidquid privilegio Pontificis Maximi, & authoritate Magiſtri Sacri Palatii Romæ exc uditur, verum, irreprehenſibile, infallibile hoc ipſo effici. Credulitate hominum, & Romanæ urbis authoritate ad rudiores illaqueandos abutitur, quiſquis tale delirium ſpargit in vulgus.* Neminem legi, neminem audivi, qui infallibilitatem aut Sacri Palatii Magiſtri Reſolutionibus, aut ſummi Pontificis privilegiis adſereret. Viri docti probabilitate ſunt contenti: & ſi probabilem doctrinam continent, irreprehenſibilem continent, nec eſt cur ſententiæ Romanis adfingantur, à quibus alieniſſimi ſunt.

Quas conditiones requirant?

An declarationes Cardinalium indigeant acceptatione?

An detur opinio, [illegible]

An Magiſtri Sacri Palatii authoritas infallibilis ſit?

At quæris meam ſententiam. Hic ego malo Viros doctiſſimos ſequi, quàm aliis præire. Omnes Viros, quos mihi tam in practicis, quàm in ſpeculativis, Apoſtolica Sedes præfecit, ſuſpicio & veneror: eorumdemque decretis libentiùs obedio, quàm poteſtatem & authoritatem diſcutio. Interim, quia ſic vis; ſequentes Concluſiones ſubſcribo. Sit

Propria mens.

Prima. *Si materia ſit tibi favorabilis, poteris ſtare ſecuriſſimè primæ ſententiæ, & uti quacumque Cardinalium Declaratione, quam in authentico Scriptore reperias.* Nec obeſt, quod Cardinales declaraviſſe dicantur, non velle ſuas declarationes haberi authenticas, niſi ſubſcriptionibus Cardinalis Præfecti & Secretarii Congregationis ſint roboratæ; quia cũ hæc ipſa declaratio non exhibeatur nobis ſubſcriptionibus iſtis ac ſolito ſigillo munita, hæc ipſa convincitur non eſſe authentica: tum quia ſi tanta ſolennitas requireretur, vix unquam illæ prodeſſe poſſent, nam & ego ſæpe Cardinalium declarationes conſului, & multas ſententias defendo, nec tamen tota vita mea vel unicam declarationem vidi ſigillo Congregationis & ſubſcriptionibus, quæ requiri dicuntur, firmatam.

Prima concluſio practica in materia favorabili.

Secunda. *Si materia ſit tibi odioſa ſta ſecunda ſententiæ, nec credas eſſe legem, quouſque conſulto Summo Pontifice intra limites authoritatis Congregationi illi commiſſa obligatorio & authentico modo promulgentur; eo videlicet omninò modo, quo alia*

Secunda de materia odioſa.

leges, quæ creduntur Chriſtianos obligare. Et ratio eſt, quia ſecunda ſententia, aut etiam tertia, quæ videtur fere cum eadem coincidere, habet excellentiſſimos authores, & in praxi ſecuriſſima eſt.

Tertia de Cardinalium ſpeculativa authoritate.

Tertia, *Si conſtet authenticè Cardinales aliquid declaraſſe, & certum ſit limites ſuæ juriſdictionis non exceſſiſſe, & tamen non conſtet Papam ab iis conſultum, eoſque ipſius nomine declarationem promulgare, illa non habebit vim legis, nec authoritatem practicam; ſed habebit ſpeculativam, tantam omninò quantam, ſi ipſi non eſſent Cardinales.*

Laudatur Cardinalis de Lugo.

Patet; quia Eminentiſſimus Dominus Pater Lugo, non eſt hodie doctior, quàm eſſet, ſi non fuiſſet promotus; & fortè Orbi literario expediret, quod vir tantus rebus politicis non implicaretur, ſed totus permitteretur ſcholæ; ergo ſi aliquid declaret, & non *ut quo*, hoc eſt nomine Summi Pontificis, ſed *ut quod*, & nomine proprio, id ab ejus doctrina, & non à pileo cardinalitio ſumet authoritatem; unde quanta fuerit Cardinalium Declarationem evulgantium doctrina, tanta erit authoritas Declarationis evulgatæ.

Poteſt loqui, ut quod, & ut quo.

Reprehenduntur, qui temerè Declarationes rejiciunt.

Errant igitur, qui ſtatim Declarationes rejiciunt; nam quæ non habent vim legis, adhuc habent vim apud doctos, nimirùm conſilii à viris doctis, & prudentibus dati. Quod ſi aliquando, quod Deus avertat, contingeret illos non eſſe doctos, tunc tacerem omninò, nec carperem rejicientes ſpeculativam eorum authoritatem.

De oppoſitis declarationibus.

Sed quid faciendum, ſi dentur oppoſitæ Declarationes? Reſpondeo, vel utramque eſſe authenticam, vel alteram, vel neutram. Si neutra pro libertate ſtandum. Si altera, rejecta non authentica, hæc ipſa eſſet examinanda, & ſi favorabilis poſſet omninò admitti; ſin minùs rejici, ſi habuerit conditiones, quas poſtulat tertia ſententia. Quod ſi utraque authentica ſit, ſtandum opinioni Merollæ *tom. 2. diſput. 4. cap. 4. dub. 12. num.* 175. optimè reſolventis, tunc examinandum, An utraque à Summo Pontifice emanaverit, an tantùm altera, an verò neutra. Nam ſi utraque habet conditiones, quas tertia ſententia requirit, ſtandum poſteriori eſt, ſecunda enim lex abrogat primam: Si ſolùm illas habet altera, illi eſt ſtandum; ſi neutra, ſtari poterit favorabiliori non tanquam legi, ſed tanquam opinioni probabili.

Vtra debeat alteri præponi?

Leges priores à poſterioribus abrogantur.

Vbi breviter nonnihil ſubnotari volo, nimirùm, te ſi velis ſtare priori Declarationi non poſſe conſtare primæ ſententiæ, ſed debere omninò ſecundæ aut tertiæ; quoniam ſi dicas Declarationem omnem habere vim legis, neceſſariò dicturus eris ſecundam illam declarationem ſiquidem habere vim legis debuit, primã abrogaſſe: quod ſi faveat declaratio ſecunda, potes ſubſcribere primæ ſententiæ, & aſſerere eam ſolam tenendam, & oppoſitam ipſa ejuſdem ſecundæ declarationis latione abrogatam.

An judicet de occultis Eccleſia?

QVARTA Conſequentia mala eſt, quia quando Eccleſia unam ſententiam interdicit, & tamen non condemnat, reſpicit actus externos, non internos; nam cùm Eccleſia de occultis non judicet, aut ſaltem probabile ſit, quod de occultis non judicet, cùm aliquam proſcribit ſententiam, ſolùm reſpicit hominem exteriorem, & aſſentiendi interius libertatem non tangit: ut patet in opinione aſſerente Virginem eſſe conceptam in peccato, quã non damnavit, ſed interdixit Eccleſia, & vi hujus interdictionis nemo illam poteſt docere, nemo illam defendere, imò nec aſſertive pronuntiare; at interiùs poterit quidquid velit ſentire, quoniam utrumque ab ipſamet Eccleſia judicatur probabile.

An Deipara ſine culpa concepta ſit? An minus pia ſententia ſit damnata?

Aliud eſt opiniones damnare, aliud omninò diverſum interdicere. Hoc ultimum poteſt Vniverſitas, Epiſcopus, Prælatus, &c.

Sicut probabilem hanc ſententiam Eccleſia ob graves cauſas interdixit, ſic poteſt alias, ſi detur ratio: ſic etiam poteſt una Vniverſitas: ſic unus Epiſcopus; ſic unus Abbas. Non poteſt unus Prælatus jubere Religioſo, ne talem opinionem habeat, bene tamen ne talem doceat: ſic Aquaviva PP. Ieſuitarum Generalis pientiſſimus prudentiſſimuſque inhibuit, ne in Societate doceretur in luxuria dari materiam parvam; at non inhibuit, ut ſibi & Deo unuſquiſque ſentiret quod verum crederet; unde ſemel Pater N. vir doctiſſimus exiſtimans me univerſaliter de omnibus ſubditis aſſerere, quæ de Benedictino Præpoſito (debere nimirùm ſequi ſui Prælati ſententias) voluit ſibi dari rationem, ob quam hoc de foro interiore diceretur; & an cenſerem ſtante lege, quæ inhibet, ne teneatur opinio, quæ docet in materia luxuriæ dari peccata levia commiſſa cum libertate plena, non poſſe fieri, ut quis ſubſcribens adverſariæ ſententiæ committeret peccatum veniale; ſibi enim nimiùm rigida videbatur ſententia illa, quam tamen laudavit poſteà cùm legit totam & ſibi conſonantem reperit.

Homo poteſt jubere, ne talem opinionem doceas, aut profearis: at ſolus Deus (per ſe, vel per ſuum Vicarium) ne talem ſentias.

Salmanticæ ſola PP. Dominicanorum doctrina admiſſa, cætera interdicta.

Impoſuit interdictioni finem Scientiæ media defenſio.

Sic etiam Vniverſitas Salmanticenſis ſub annum trigeſimum proſcripſit omnem opinionem, quæ non eſſet D. Thomæ prout intelligitur à PP. Dominicanis, & hoc tanto rigore ut in actu majore & minore debuerint Patres Societatis propugnare Dominicanorum ſententias, quod me præſente cum tanta doctrinæ oſtentatione præſtiterunt, ut ce-

ei de-

ci debuerint videre, illas ab eiſdem non ignorari, ſed rejici bene examinatas. Et quidem duravit hujus decreti rigor, quouſque anno ſequente P. Borgia Benedictinus, S. Theolog. Doctor & Profeſſor, ſcientiam mediam publicè propugnare fuit auſus, contra quem obmutire aliqui, nullus tamen alta voce clamare voluit.

An abſens in ſcriptis abſolvi poſſit?

Petis obiter, Quid dicendum ſit de abſolutione abſentis; quæ opinio dicitur fuiſſe P. Franciſci Suarii, & in ipſo ab Eccleſia deleta? An hæc opinio ſolummodò interdicta, an etiã condemnata eſt?

Reſolutio.

Reſpondeo ſaltem hoc negari non poſſe uſum illius ſententiæ eſſe illicitum: qui enim hodie abſentem in ſcriptis abſolveret eſſet Pontifici Summo inobediens in re ſummi momenti: & Sacramentum periculis, quæ lege caventur exponeret. Addo etiam negari non poſſe Tribunal ſacramentale eſse ſimillimum Tribunali Politico: Subjungo in Tribunalibus Politicis validè abſentes condemnari & abſolvi. Nego tamen ex his omninò inferri poſse abſolutionem abſenti conceſsam eſse validam: non tamen ſubticebo ſub P. Ludovico Connæo Hiberno, Viro pio & erudito, Pragæ apud Nives S. Theologiæ Profeſsore (jam, ut ſpero, cæli incola) Theſes doctiſſimas defenſas anno 1650. menſe Decembri, quibus additæ ſunt ſeptem Interrogationes, & inter ipſas, *An valida ſit abſolutio directa ad abſentem; poſt Clementis VIII. declarationem?* Tu cogita; & me doce, An ſi valida ſit, non debeat ægrotis abſentibus concedi, cùm eſt periculum in mora, & timetur ne moriãtur antequã Cõfeſsarius adveniat? Interim ſemper conſultius erit manere in communi ſententiâ.

P. Ludovici Connæi inſinuata ſententia.

De hac materia nihil hucuſque tanquam fide tenendum definivit Eccleſia.

Credendi obligatio non naſcitur ex humano præcepto.

Quintam Conſequentiam admitto, pronuncioque hominem non indigere Pontificio præcepto, ut teneatur credere Deo revelanti, ſed ſufficere, ſi ſciat Deum ſic revelaſse: videlicet, aut doctus ab Eccleſiæ definitionibus, aut privata revelatione cœlitùs inſtitutus.

Quid debemus credere?

Quando igitur Eccleſia (Eccleſiæ nomine privatum tribunal non intelligo) aliquam propoſitionem Articulis Fidei adſcribit, illam tenemur credere: quando aliquam hæreſeon tabulis damnatis adjudicat, illam tenemur decredere; quando minori aliqua cenſura aut nota (puta, improbabilitatis, erroris, temeritatis, &c.) aliquam poſitionem inurit, debemus credere eam talem eſse, qualem Eccleſia pronunciavit. Cenſuræ rigorem, ſi id poſtulet aliqua ratio, intendere Vir Catholicus poteſt, remittere verò non poteſt. Sed

An poſſit Eccleſia cenſuras ad fidem orthodoxam reducere?

hic obiter nota, aliquas Cenſuras ſpectare ad quæſtionem facti: nam declarare hanc propoſitionem eſſe veram, illam falſam, hanc eſſe fide tenendam, illam fide damnandam, pertinet ad Eccleſiam. In hoc univerſi conveniunt. At poſſe definire ut dogma Fidei, hanc opinionem eſſe probabilem, hanc non eſſe, hanc eſſe probabiliorem, negant multi: hæc enim factum concernunt, & putant non conceſſiſſe Eccleſiæ Deus infallibilitatem in quæſtione facti. Sed de hoc uberiùs in Apologemate de Probabilitate.

An definire Eccleſia poſſit aliquam opinionem eſſe probabilem?

NOTA.

HÆc omnia alicui videbuntur hypothetica, & quæ forum interius concernant: aut fortè ſpeculativa, & quæ nullo modo reſpiciant praxim. Et hanc ob rem ut poſſim Confeſſarios & Iudices juvare, & utrique tribunali ſervire, mentem non profitebor meam, ſum enim Superiorum & amicorum reverens, & Eminentiſſimos Principes ut Superiores veneror, & ut mihi benigniſſimos Dominos, & ſi ſervatis ſervandis liceat ſic loqui, ut optimos amicos amo, & clauſis oculis ſemper obedio. Interim, quia alii ſentiunt & operantur contrà, unam aut alteram Declarationem adjungo.

Non poſſe Epiſcopum prohibere, ut matrimonia contrahantur domi, declaravit Sacra Congregatio teſte Rebellio *part. 2. libr. 2. q. 7. ſect. 2. num. 11.* apud Auſonium Noctinotium *in Summa verb. Matrimonium. num. 39. pag.* 148 & tamen non obſtante iſta declaratione Synodus Provincialis Colonienſis 2. *c.* 33. & Panormitana celebrata anno M. DC. XV. *part. 2. num.* 22. & ferè omnes Epiſcopi totius Europæ prohibent ea domi celebrari.

An Matrimonia debeant cõtrahi in Eccleſia?

Ante pauculos annos Suecus totam Bavariam populavit, profanavit altaria, & multa alia patravit, quæ magno remedio indigebant. Conſulti ſunt Eminentiſſimi DD. Cardinales: cenſuerunt altaria & Eccleſias debere reconciliari: Theologi, qui erãt in Bavariâ, ſingula perpẽdentes, contra; & ubicumque fuit aliqua opinio probabilis, quæ tranquillitati populi accommodatior cenſeretur, præpoſita de facto fuit Declarationi Cardinalium. Nec putabant Bavari hoc ipſum contra eorumdem aut voluntatem, aut æſtimationem vergere; ipſi enim nec volunt Declarationes ſuas haberi ut Articulos fidei, nec ut veritates evidentes & per ſe notas: ſed ut ſecuriſſimas & tutiſſimas, quas ſequi poſſimus ſine ullo periculo: ad quod proba-

An profanata altaria debeãt reconciliari?

 bi-

bilitas aut probabilioritas ſufficit: & in rebus, quæ juriſdictionem concernunt, Pontificis vices ſuas concedentis authoritas. Quæ tamen, ſicut omnes leges humanæ, ſuas patitur limitationes: ſæpè enim eſt locus epikeiæ, ſæpè diſpenſationi tacitæ vel expreſſæ, ſæpè alicui ſimili conſiderationi. Hæc dixerim, nec laudando, nec reprehendendo ſed referendo; alii judicent, an in tanta neceſsitate conſtituti bene fecerint Bavari?

SECTIO XXI.

Quæſtio exponitur.

PEtis *An tenearis ſtatim collum ſubmittere Bullæ Summi Pontificis ab aliquo Authore citatæ.*

An poſſint Catholici contradicere Summo Pontifici?

Vnum ſupponit titulus, alterum quærit. Supponit authoritatem Papæ ſummam eſſe, nec licere Chriſtiano temerè contradicere; nec ſolere eſſe rationes cur non temerè contradicatur. Interim quia ſæpè legimus apud Authores hoc, aut illud eſſe præceptum aut inhibitum à Summo Pontifice, interrogas, An ſtatim tenemur his Authoribus credere? An peccaret, aut erraret, qui diceret: *Si mihi conſtaret de lege ſeu mente Pontificis, obedirem ſtatim; ſed quia Authores etiam docti, homines ſunt, & errare & decipi ſolent, nolo adquieſcere, quouſq; authenticè probetur, quod ſine ulla probatione affirmatur?* Putaret aliquis meram Scriptorum authoritatem ad plenam probationem ſufficere, non enim caret probatione, qui teſtes doctiſsimos habet.

Omnis Bulla debet ſaltem conditionatè admitti.

An debeat eſſe authentica, ut abſolutè admittatur?

Ut dicatur authentica ſufficiunt duo teſtes oculati:

Reſpondeo primò duobus authoribus, imò hominibus fide dignis, qui legitimè examinati dicant ſe interfuiſſe expeditioni alicujus Diplomatis, credi debere: ſunt enim teſtes oculati, & duo oculati ad plenam probationem ſufficiunt.

non verò auriti.

Reſpondeo ſecundò Authores rarò, aut nunquam eſſe oculatos teſtes: ſcribunt, quæ audiunt, quæ legunt, & hanc ob rem, niſi ſe eſſe teſtes oculatos affirment, auritis accenſeri deberi, & ſi graves ſint, ad probabilitatem eorumdem teſtimonia ſufficere: at aſſentiendi nullam inducere neceſſitatem. Sanè eorumdem teſtimonium ad probabilitatem ſufficere ſic probo. [Ratio gravis ea eſt, quæ viro aut viris doctis videtur gravis (qui enim indocti ſunt, plerumque graviſsimas eas putant eſſe difficultates, quæ ſunt leviſsimæ) At ratio, quæ probat hanc Bullam eſſe authenticam, viſa eſt gravis tali aut etiam tali viro docto: ergo eſt gravis. Probo minorem. Quia illi adſenſum præbuit: quod omninò non faceret, niſi eſſet gravis.] Probo etiam hoc ipſum teſtimonium nullam inducere neceſsitatem: [Quia experientia nos docet multas & Pontificum leges, & Cardinalium Declarationes errore Scriptorũ irrepſiſſe quę nuſquã fuerunt, & liberè hodie rejiciuntur & improbantur: ergo in quæſtione facti, non teneor adquieſcere, antequam inſtruar teſtimonio, quod plenam fidem faciat.]

Quid ſit ratio gravis?

Sufficit, ut adquieſcas.

Non, ut debeas adquieſcere.

Hæc doctrina certiſsima & veriſsima eſt, & exemplis pluribus firmari poterit.

De revalidatione. An fieri debeat coram teſtibus?

Auſonius Noctinotius *in Summa Dianæ verb. Matrimonium. num. 37.* interrogat *An qui coram Parrocho & teſtibus contraxit invalidè* (puta propter aliquod impedimentum) *impetrata poſteà diſpenſatione, aut ſublato impedimento revalidari poſſit ſine eorumdem præſentiâ?* & ſic ait. [Comitolus *lib. 1. qu. 120. num. 3.* docet præſentiam Parrochi & teſtium requiri, etiam quando matrimonium invalidum, ex diſpenſatione Pontificis revalidatur; & ſic declaraſſe Clementem VIII. Sed ego contrarium teneo cum Rebellio *part. 2. libr. 3. punct. 5. & 6.* ſi impedimentum ſit omninò occultum, & ad forum externum deduci non poſsit. Ratio eſt, quia Tridentinum requirit hujuſmodi præſentiam ad exterminanda matrimónia clandeſtina, hoc autem non eſt tale, quia contractum eſt in facie Eccleſiæ, & quidem quoad apparentiam & præſumptionem validè: ergo. Ad declarationem Clementis reſpondeo, de illa non conſtare authenticè. Ita Diana *part. 2. tr. 15. reſ. 5.*] Ecce Dianam & Auſonium, qui ſumma reverentia Pontificum Bullas accipiunt & interpretantur, nihili facere à Comitolo citatam, quouſque ſibi demonſtretur authenticè.

An quãde ceſſat finis Concilii Tridentini, ceſſet ejuſdem Concilii lex?

De abſolutione moribundi.

An, qui non petit abſolutionẽ, abſolvi poſſit?

Et quia Clementis VIII. prudentiſſimi Viri mentio incidit, aliquid addo. Vidit miſerum hominem collabi è fabrica pius Pontifex, & illum abſolvit: & facto ipſo teſtatus fuit ſe hanc opinionem judicaſſe probabilem. Et quidem hanc opinionem ſaltem ab extrinſeco eſſe ſecuram, & rem ita accidiſſe teſtatur Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 8.* & *part. 4. tr. 4. reſol. 92.* & *part. 5. tr. 3. reſ. 56. § Obſervat.* teſtatur Auſonius *in Summa. verb. Confeſſio. nu. 27. pag.* 212. teſtantur multi & quidem ſatis multi, quos ſi è re eſſet, poſſem parvo labore adhibito, nominatim citare, & tamen jam hodie viri graves totam rem negant, dicuntq; de facto hoc Clementis VIII. non conſtare authenticè. Sed hic obiter nota me præſente Clementem X. hunc caſum tanquã fundamentum aſſumpſiſſe, ut ſuam ſentẽtiam de Baptiſmo infantium, de quorum vitâ dubitatur, aſtrueret. Nam, ſi in dubio ille potuit ſub conditione abſolvi, etiam iſti poterunt ſub conditione baptizari.

SE-

SECTIO XXII.

VIdes multas opiniones ab Authoribus magnis improbabiles dici, & inquiris, *An-ne debeamus ſtatim eam rejicere, quam Viri magni improbabilem vocant?*

Indicium de intrinſeca probabilitate.

Vel ſumus Viri docti, vel non. Si primùm, rationes debebimus conſiderare; & non cenſuris unius, aut alterius terreri: nam ſi mille homines mihi dicerent hanc orationem {*Omne A eſt litera. Hic character eſt A. Ergo hic character eſt litera.*} eſſe ſyllogiſmum in *Ferio*: illum in *Darii* dicerem: & mihi potiùs crederem, quàm mille hominibus. Si ſecundum, ad Authores oportebit recurrere; non tamen ad hunc vel ad illum, ſed ad quoſcumque probos, & doctos; unde opinionem improbatam & damnatam ab uno, poterimus tueri & admittere, ſi admittatur, & defendatur ab aliis. Et hoc ipſum exemplis manifeſtis dilucido.

Indicium de extrinſeca.

An circumſtantia nimis aggravantes ſint in confeſſione aperienda.

Suarius *3. part. tom. 4. diſp. 22. ſect. 3.* & alii ſententiam, quæ docet circumſtantias nimis aggravantes poſſe in confeſſione ſileri, improbabilem & nullo pacto tolerandam; & ad praxim non deducendam dicit. Et nihilominùs oppoſita omnium, aut fere eſt; nam illam tenet D. Thomas *in 4. diſt. 16. qu. 3. art. 2. qu. 5.* Durandus *ibid. qu. 4.* & multi antiqui, & recentiores fere. {Et Angelicus Doctor tam clarè, ut teſte Dianâ *part. 5. tr. 2. reſol. 56. §. Quæres nonò*, & Auſonio Noctinotio *in ſumma. verb. Circumſtantia. num. 5.* non poſſit ſincerè adlegari pro contraria ſententia.} Quid ergo reſpondere poterimus objicientibus authoritatem Suarii & aliorum hanc opinionem improbabilitatis, temeritatis, & intolerabilitatis condemnantium? *Falluntur*, inquit jam citatus Auſonius: quem ſequi poterimus nos.

Diſſentiunt Authores.

An actus voluntatis interni ſola retractatione multiplicentur?

Canus *relect. de pœnit. par. 5.* aſſerit, tunc tantum multiplicari actus internos, cum interrumpuntur per actum contrarium. Hanc opinionem Vaſquez *in 3. part. tom. 4 qu. 91. art. 1. dub. 5. num. 10.* improbabilem cenſet; & nihilominus hodie illam multi viri pii & docti tuentur; Cani enim ſententiam habent Salas *in p. 2. tom. 2. tr. 13. diſp. 5. ſect. 8. nu. 85.* Homo-bonus *part. 1. tract. 5. cap. 13. qu. 83.* Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 95.* Auſonius *ubi ſupra. nu. 64.* & alii multi.

An in generali confeſſione peccata alias confeſſa ab aliis nõ confeſſis debeant diſtingui neceſſariò?

Ab ultima confeſſione Antonius unum graviſſimum crimen commiſit, & ne Confeſſario aperiret illius ſceleris tempus, generalem confeſſionem inſtituit; nec expoſuit, An illud ante ultimam, an poſt illam commiſerit? Antonium damnat Turrianus *in Conſ. theol.* putatque in confeſſione generali exponi omninò debere, quæ peccata ſint iterum confeſſa, & quæ non: nam Confeſſarius aliter judicat de illis, & aliter certè de his: & hanc ſententiam ita mordicùs tenet, ut contrariam dicat eſſe improbabilem. At hodie Iuniores hac Turriani, Viri aliàs docti, cenſura non terrêtur, ſed eum temeritatis notâ inurunt, & temerè judicaſſe aſſerunt, ſubſcribentes Bonacinæ *de Sacram. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 7. diff. 4. nu. 5.* Sanchezio, & aliis, nec non Dianæ *par. 3. tr. 4. reſol. 62. & par. 4. tr. 3. reſ. 65.*

Principalis Concluſio.

Stat igitur multos legendos & audiendos, nec ſtatim ad unius hominis ſenſum aliquam ſententiam condemnandam.

SECTIO XXIII.

DOctrinæ ſimilitudo poſtulat, ut poſtquam de cenſura improbabilitatis egimus, nonnihil de gravioribus cenſuris adjungamus.

An & quo modo lædantur boni Authores cum opinio aliqua dicitur improbabilis: an cùm hæretica?

Cùm arguitur aliqua opinio improbabilitatis & temeritatis, agi videtur de ingenio Authoris, non de moribus & religione; & hanc ob rem nonnulli patienter has cenſuras tolerant ſibi conſcii, quod injuſtè lædantur. At vero cùm hæreſeos arguitur opinio, tunc non de ingenio Authoris agitur, ſed de moribus, de fide, de religione: & hîc nemo vult eſſe contentus teſtimonio conſcientiæ ſuæ, ſed vult eſſe probus & orthodoxus apud omnes, & hæreticus nulli videri. Ergo cautiùs acturi ſumus cùm in eas opiniones incidimus, quæ ab aliquibus dicuntur hæreticæ, quã cùm in illas quæ improbabiles. His igitur poſitis interrogas, *Quid omninò facturus ſis, cùm tibi arridet illa contradictionis pars, quæ à pleriſque cenſetur hæretica? An videlicet debeas eſſe ſincerus, & aliorum obloquutiones non curare? an verò quam eſſe catholicam & bonam perſpicis, nihilominùs contra dictamen proprium rejicere, & etiam hæreticam dicere debeas, ne audaciæ, aut ignorantiæ, aut malevolentiæ etiam interdum, Lectorum & Cenſorum te exponas?* Reſpondebo, unum aut alterum exemplum producendo.

Quæſtio proponitur.

An Deus concurrat ad effectus cauſarum ſecundarum.

PRIMÒ enim occurrit illa quæſtio, quæ inquirit, *An cauſæ ſecundæ cum prima concurſu operentur?* Negavit olim hunc concurſũ Manichæus aſſerente Capreolo *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. ad. 1.* Negavit eum Pelagius, qui, ut *Epiſtola ad Cteſiphontem* habet Hieronymus, dicebat, *Deum, collato ſemel libero arbitrio, ulteriùs nobis ad operandum non eſſe neceſſarium.* Eumdemq; ne-

Digitized by Google

negavit Durandus *in 2. diſt. 1. qu. 5. & diſtinct. 37. qu. 1.* ut vel ſic oſtenderet Deum peccatis hominum non cooperari. Et quia Martinus Lutherus concurſum ad formale peccati ſæpè admiſit; ut eum ab hac nota liberarent, in hanc opinionem impulerunt Diſcipuli: ut Camerarius *lib. 1. de grat. & liber. arbitr. cap.* 10. §. 3. & alii Scriptores affirmant.

Cenſura contra negativam.

Hæc ſententia omnibus prioribus ſæculis damnata fuit. Albertus enim Magnus *in 2. diſt. 35. art. 7.* teſtatur eam à multis appellari hæreticam. D. Thomas *in 2. diſt. 37. qu. 2.* eam proximam eſſe duobus Manichæorum erroribus, nempe *eſſe duo prima principia, unum bonorum, & alterum malorum, & Deum non eſſe cauſam univerſalem*. Suarez *diſp. 22. Metaph. ſect. 1. num. 7.* erroneam appellat in fide. Et *libr. 1. de concurſu divino* hæc habet: *Ab omnibus probatis Theologis non ſolùm reprehenditur, ſed etiam ut error in fide rejicitur ſententia Durandi.* Bellarminus *lib. 4. de gratia & libero arbitr. cap. 4.* illam vocat errorem, eamdemque Scripturis, Patribus, & manifeſtæ rationi repugnare pronunciat. Vaſquez *1. 2. diſp. 129. cap. 3. num 8.* illam erroris nomine ab omnibus Scholaſticis jamdiu eſſe rejectam affirmat. Molina eam parum in fide tutam aſſerit. Conimbricenſes, Murcia, & alii; illam periculoſam eſſe putant.

Multi eligunt affirmativam.

Non obſtantibus iſtis cenſuris nonnulli Iuniores Theologi opinionem Durandi recognoverunt, & quia non perceperunt cauſam ſubeſſe ſufficientem ob quam tam rigidè loquuti ſint veteres ſententiam Durandi propugnarunt. Illam defendit Nicolaus Bonetus *lib. 7. Theologiæ cap. 3.* & non ita pridem P. Ludovicus Dola Capuccinus *libro de hac re edito*, in quo teſte Thomâ Coptono *in Phyſicis diſp. 28. ſect. 1. num. 3.* hanc quæſtionem fusè & eruditè tractat, multis ad id Sanctorum Patrum, ac Theologorum congeſtis teſtimoniis. Eam etiam tuetur P. Ioannes Lalemandetius, Minimorum Provincialis, Vir verè doctus *diſp. 4. Phyſic. partitione 4. per totam*. Eam etiam alii.

Sententia media.

P. Hurtadus *diſp. 4. Phyſic. nu. 33.* & Pater Arriaga *diſp. 10. Phyſic. ſect. 1. num. 32.* fatentur nullam ſe reperire implicantiam, & ſententiam Durandi (quidquid de teſtimoniis ſit) nulla firma ratione refelli: & hanc ob rem inierunt viam mediam aſſerentes Deum concurrere cum cauſis ſecundis de facto, at poſſe non concurrere. Et cur, quæſo, non negarunt dari talem concurſum de facto, ſiquidem illum eſſe neceſſarium nullo firmo argumento perſuaderi videbant? *Neuter* (inquit P. Thomas Coptonus ubi ſupra, *diſp. 28. ſect. 3. num. 1.*) *ob authoritatem Theologorum, & cenſuras in contrariam ſententiam latas audet aſſerere*. Res tamen dura eſt, intellectum, quem ſoli Fidei (hoc eſt, Deo) deberet homo captivare, etiam hominibus ob timorem cenſurarum, & obloquutionum debere. [Cæterùm implicantiam quam alii non vident, puto me clarè & manifeſtè videre. Sed de hoc alibi.]

Cur Hurtadus & Arriaga non adhærerunt Durando?

Quæſtionem tollunt, qui dicunt dari Dei concurſum, ſed hunc ab humano realiter non diſtingui. Hanc enim ſententiã Durandus, ut credo, non refelleret.

Secundò ſuccurrit etiam quæſtio illa, quæ poſtulat, *An poſſit eſſe aliqua viſio, cui corruptio repugnet?* quod eſt quærere, *An aliqua creatura eſſe poſſit, quæ ſemel cõdita nequeat adnihilari?*

An omne creatum corruptibile ſit?

Cenſura contra affirmativam.

Vaſquez *1. part. diſp. 182. num. 2.* aſſerere aliquid creatum eſſe immortale, & reſpectu Dei incorruptibile erroris cenſura condemnat; Suarez *libr. 1. de Angelis* & Tannerus *1. part. diſp. 5. qu. 1. dub. 3. nu. 15.* id ipſum eſſe hæreticum ajunt. An non iſtæ cenſuræ poſſent quemcumque hominem prudentem terrere? [Retuli (ait Franciſcus de Oviedo *tract. 1. de Beatitudine. contr. 3. num. 3.*) Arriagam *diſp. 15. Phyſica. ſect. 2. num. 64.* ubi his cenſuris non perterritus aſſeruit non implicare entitatem per ſe ipſam eſſentialiter durantem per certum tempus; v.g. per unam horam, intra quam non poſſit illam Deus corrũpere, ex ſuppoſitione quod illam primò produxerit.] Et quidem cenſuras non curat Arriaga, quia putat ſe rationem habere probabilem: quam ſi examines bene, reperies multo laborare præjudicio, & nullum fundamentum habere.

An poſſit affirmativa admitti?

Hæc igitur ideò adducta ſint, ne te terreat intempeſta cujuſvis Authoris Cenſura, ut ab opinione, quam eſſe veram, aut ſaltem probabilem, recedas: non enim ſunt fulmina, quæ à privatis ingeniis aborta: quouſque enim Eccleſia ipſa unam opinionem condemnet, liberum erit unicuique rationes & fundamenta examinare: eamque partem, quam ratio dictaverit, eligere. Nam ubi aliquam expreſsè condemnavit Eccleſia, religio poſtulat, ut noſtrum ingenium ſubjiciamus in obſequium Fidei, & nolimus Sancto Spiritu doctiores eſſe. [At obiter, cum tibi eſſe generoſo perſuadeo, fateri cogor, ne ſinceritas deſit, cogi ab indoctorum cenſuris, ne mentem meam aperiam in rebus, quas opinor certiſſimas: mentiri enim non volo; & dicere quod ſentio non ſinor.]

Monitum ſcholaſticum.

Notandum.

ARTICVLVS VI. PRACTICVS.

De Conſequentiis Iudicialibus, hoc eſt, de Indiciis, Præſumptionibuſ-que.

Exponitur, quid, & quotuplex Indicium ſit? Qui, & quot ſint loci Iuridici, unde Indicia ſumuntur. Proponuntur, & deciduntur multi in ſpecie caſus, ut per analogiam quicumque alii reſolvi poſſint.

Scripſimus hæc olim folia in Auſtria (nempe, anno 1645.) & Iuri Cæſareo Communi, Cameræque Cæſareæ Spirenſis (in qua graviora totius Germaniæ negotia Suprema autoritate deciduntur) Conſuetudini, & Praxi calamum attemperavimus: ſiquis autem hæc in Hiſpania, Gallia, Italia, &c. legat folia, ad Municipales illa leges, ſi quando neceſſarium fuerit, eadem poterit dilucidare, & elimare.

Ordinis ratio.

EGI Articulo V. de Conſequentiis moralibus, quatenus illæ ad ſpeculationem potiùs, quàm ad praxin ſpectant. Dedi Dialecticam Practicam Articulo IV. nunc progredior ulteriùs, & Conſequentias Iudiciales ſubſcribo: & quia illæ indicio & præſumptione conſtituuntur, tametſi in aliis locis aliqua de Indiciis ſint dicta, nunc uberiùs idem argumentum reſumo.

Syllogiſmi ſcholaſtici, & moralis diſcrimen.

Dialectici Speculativi in Schola ex præmiſſis & concluſione ſyllogiſmum conſtituunt: at Iudices ſunt Dialectici Practici, & in tribunalibus ſuis aſſumunt loco præmiſſarum Teſtimonia aut Indicia, & conſequentiæ loco inferunt præſumptionem. Hinc patet non debere Præſumptionem & Indicia confundi; quoniam in ſyllogiſmo practico, & criminali præcipuè, prænoſcuntur Indicia, & ex illis infertur Præſumptio; quæ ſemper eſt quædam probatio, ſemper Iudicem dirigit, tametſi non ſemper æquè certò & ſecurè. *c. literas de eo quod metus causâ*; & *toto titulo de præſumptionibus*.

Præſumptionũ gradus.

Efficacia Præſumptionum ſuos gradus habet, & ideò bene dividitur in *Temerariam, Minùs probabilem, Æquè probabilem, Probabiliorem & Certam moraliter* quam aliqui *Violentam* appellant: quibus etiam *Neceſſariam* adjunge.

Definitiones Iuriſtarũ quales?

Dum hæc ſcribo, video non ſine cauſa in Iure Civili poni Regulæ loco, *Omnem definitionem periculoſam eſſe*. Et quidem omnis apud Legiſtas periculoſa eſt; quia inter illos etiam Viri doctiſſimi videntur contemnere Logicam. Hæc dixerim propter Corvinum, qui *in Iuris Canonici per aphoriſmos ſtrictim explicati Titul.xxx.* ex Alciato *tract. de Præſumpt. in princ. part. 3. incipit. Veniamus. nu. 1*, hanc definitionem adducit. [Præſumptio eſt probabilis cõjectura ex certo ſigno proveniens: quæ alio non adducto pro veritate habetur.] Quæ definitio nec Temerariæ, nec Certæ moraliter, nec Neceſſariæ convenit: quoniam prima Præſumptio eſt probabili minor, & reliquæ probabili multò fortiores. Demus igitur Definitiones.

Præſumptio ut ſic quid?

Vera deſinitio

Praesvmptio vt sic, eſt *conjectura ex indicio proveniens*. Scio eſſe aliquos, apud quos Præſumptio ſit *conjectura ex certo ſigno* (hoc eſt, *indicio plenè probato*) *proveniens*; ſed quia etiam ex indiciis ſemiplenè probatis præſumptiones emanant, volui delere vocem *certo*.

Præſumptio temeraria.

Praesvmptio temeraria eſt *conjectura* (*cum aſſenſu gravi*, hoc eſt, *certo aut probabili*) *ex indicio levi proveniens*. Indicii levitas eſt duplex; materialis formaliſque: materialis, quæ ſumitur ab ipſa materia, ſi ſecundum ſe dicatur eſſe parvi momenti vel influxus: formalis quæ ſumitur à certitudine, ut ſi materia indicii ſit gravis, dubia tamen, & quæ nondum videatur eſſe minus probabilis. Et his addere poteris tertiam levitatem ex his duabus compoſitam; ut ſi materia motivi ſimul, & levis & dubia ſit.

Præſumptio temeraria vix à Iudicio temerario diſtinguitur; & quia hodie multi in Europa temerarii ſunt Iudices; & multi cum benè judicant, quia ignorantia laborant, ſe putant temerè judicare, aliquid

de

de Iudicio temerario ſubjungo. Dico igitur

Iudicia temeraria interdicta.

PRIMÒ. *Non interdixit Deus privata omnia de actionibus proximi judicia; ſed temeraria tantùm*. Qui enim videt conjugatum cum aliena uxore in eodem lecto dormire, & adulteros judicat, non peccat, quia non judicat temerè, ſed prudentiſſimè; imò temerè judicaret, ſi ideò eos in eodem lecto condormire ſentiret, quia volebant de domus alicujus venditione tractare.

Indicia ſunt practica: & inæqualis efficaciæ.

SECVNDÒ. *Indicia ſunt motiva practica, quæ nos ad aſſentiendum impellunt.* Patet ex ipsâ definitione Indicii.

TERTIÒ. *Sunt inæqualis efficaciæ*: & oſtenditur; quia alia ſunt leviſſima; alia minùs, æquè, vel magis probabilia, & alia graviſſima. Inde ortæ Moralium Syllogiſmorum formæ [videlicet, *Camilli, Placidi*, &c.] quos *Art.* 4. propoſui & illuſtravi.

Temeritatis judicium.

QVARTÒ. *Quicumque ex leviſſimo aliquo motivo aut indicio aſſenſum elicit contra proximum, Iudicii temerarius reus eſt*: impingit enim in illam Regulam, quæ jubet, *Omnem hominem præſumendum eſſe bonum, quamdiu non probetur eſſe malus*: eſt enim in poſſeſſione proximi bona opinio, æſtimatio, & authoritas, quibus ob leviuſculam aliquam ratiunculam ſpoliari non debet. Et hic aſſenſus, qui ex motivo leviſsimo naſcitur, vocatur, *Iudicium temerarium abſolutè*; nam & dantur Iudicia temeraria relativè, de quibus nonnihil ſubſcribo.

Sæpè ratione caret, ſæpè non caret.

QVINTÒ. *Quicumque ex fundamentis leviſſimis probabile judicium efformat: aut ex probabilibus certum & indubitatum, committit crimen temeritatis.* Item contra, *Qui ex motivis certiſſimis & evidentiſſimis format judicium probabile; aut ex probabilibus dubium*. Quam obrem *Ille ſolus Iudex temerarius non eſt, qui talē & tantum aſſenſum elicit, qualem & quantū poſtulant conjectura & indicia.* Et quis iſte? Qui formarum moralium [*Capitis, Fallitis, Placidi, Magiſtri, Paridis, Rapidis*] naturam & efficaciam benè exploratam habeat, & non parturit monſtra, qualia eſſent ſyllogiſmi, in quibus præmiſſæ ſumerentur ab una forma & concluſio ab altera. Pono exemplum.

Iudex non temerarius quiſ?

Ex Græcis profugis habuit quos naufraga navis,
Apparent rari nantes in gurgite vaſto;
Ex illis Euphorbus erat, qui in claſſe ſolebat,
Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu.
Eſt igitur certum quod adhuc Euphorbus in undis
Remigio manuum ſe dirigat Vrbis oras.

Et in hoc ſyllogiſmo propoſitionibus ſingulis conſideratis, ajo, conſequentiam eſſe malam, & totum ſyllogiſmum præſumptionem temerariam involvere, eſt enim monſtrum quoddam Dialecticum, ex oppoſitis naturis compactum, nam major pertinet ad formam *Rapidis*; & ad *Fallitis*, aut etiam *Capitis* concluſio.

Præſumptio probabilis quæ?

PRAESVMPTIO PROBABILIS, eſt *conjectura cum aſſenſu probabili ex ſigno, aut indicio probabili proveniens*. Ejuſmodi conſequentia, aut præſumptio legitimè infertur in *Placidi, Magiſtri & Paridis*: in prima enim formâ eſt conſequentia probabilior: in ſecundâ æquè probabilis; & minùs probabilis in tertiâ.

An quis damnari queat ex præſumptione probabili?

Dicunt Iuriſperiti poſſe aliquem condemnari ex mera præſumptione probabili, ſi non adducat contra rationem, quæ iſtam præſumptionem elidat. Alciatus *tr. de præſumpt. part. 3. cap. veris*; quos, niſi velis eos erroris arguere, (quod ipſum tutiſsimum eſt) non debes ſic intelligere, ut doceant eum poſse damnari, qui probabiliter innocens eſt; ſed præſumptionem probabilem poſſe ſemper elidi; & ſi detur caſus, in quo non poſſit elidi præſumptio, quæ putabatur merè probabilis, eam non jam eſſe merè probabilem, ſed certam. Pono exemplum.

Adulterii præſumptio, & purgatio.

Phyllis vagabatur cum aliis viris, fugiebat ſuum, & volebat honeſta reputari. At dico eſſe probabilem præſumptionem in illam: *ex c. tertio loco de præſumpt.* An condemnabitur? minimè, antequam audiatur. Si non potuerit veriſimilem, & probabilem exhibere rationem, ob quam ſuum deſeruerit, & apud alios viros ſit, adultera judicanda eſt. At, ſi crudelitatem ſui mariti, aut aliam cauſam rationabilem objiciat, & plenè probet *cap. præſentium. 7. qu. 1. cap. ſuper hoc. de renunc.* erit libera: ſi ſemiplenè, aut fortè minùs quàm ſemiplenè, poterit deferri juramentum, non ſemper illi contra quem eſt præſumptio. Videatur *c. illud. de præſumpt. c. item ſæpe. 4. qu. 6. c. ſi duo. 35. qu. 6. c. ex inſinuatione. de procur. c. ſicut conſuetudo. de probat. c. ſi quis. de purg. canon. c. presbyter. 2. qu. 5. c. ſi mala.* & *cap. ſi omnibus. 2. qu. 5.* Conſultò poſui illud *non ſemper*, nam & interdum infamato ſolet hæc clementia favere.

Iuramenti delatio.

Vter ad juramentum admitti debeat?

Præſumptio violenta quid?

Præſumptio violenta, ut ex Venat. in Analyſi Iuris Pontif. colligit Corvinus tit. 30. de præſumpt. pag. 238. *eſt veriſimilis probatio ex multis indiciis, vel uno multùm efficaci & veritati proximo collecta.* Ideo il-

illud *veriſimilis*, nomine enim *veriſimilitudinis* non intelligimus aliud, quàm meram probabilitatem; & præſumptio, quam alii Iuriſperiti *Violentam* appellant: quæ enim ſupra omnem probabilioritatis aleam poſita, eſt certa, & ſecura moraliter. Mihi autem præſumptio violenta illa eſt, quæ tantâ efficaciâ extorquet aſſenſum, ut violentiam pateretur Intellectus humanus, ſi illum negaret: & definitur, *Conjectura cum aſſenſu certo & firmo orto ex indiciis aut ſignis moraliter infallibilibus*. Talis eſt illa præſumptio, quæ reperitur *c.literis*; qui enim nudus cum nuda in eodem lecto reperitur præſumitur fornicatus. [Sic enim *Violenta præſumptionis* Viri magni recipiunt; loquendum cum illis eſt. At non video cur non temeraria potiùs debeat *Violenta* nuncupari; cum enim temerè judicamus, nobis ipſis violentiam inferimus; mens enim ſibi derelicta tantùm inferet (nec plus, nec minus) quantum præmiſſæ expoſtulent. Interim cum multis loquendum eſt.]

Nominis ratio; aut etiam, ſi velis correctio.

An violenta ſufficiat ad cõdemnationem? An eodem modo in civilibus, & in criminalibus?

Præſumptio violenta non ita eſt evidens, ut omnem exceptionem excludat, ſed probandi onus in adverſarium transferr; & tamdiu ſtat, quamdiu contrarium non probatur *c.propoſuiſti de probat.* Putat Corvinus *tit.30. pag.239.* in criminalibus tantummodò facere indicium ad torturã, & non ſufficere ad condemnationem, & probat *ex c.literas.de præſumpt.c.nomine.2. qu.1.c.quia veriſimile.*&c.ſed in his caſibus non de hac moraliter certâ, ſed de probabili præſumptione agebatur.

Violenta eadem ac moraliter univerſalis.

Porrò Violentam non excludere omnẽ omninò exceptionem eſt certum, quoniã ſyllogiſmi, qui hîc fundantur, pertinent ad figuram *Falliſis*, quæ à *Darii* vel *Capitis* multum diſtat; nam hæc propoſitio, *Ferè omnes, qui nudi ſunt in eodem lecto reperti, fuerunt libidinoſi & fornicarii*: vera eſt: & facta in *Fa*; non in *Ca*; in quâ ſi illud *Fere* deleveris, manebit falſa, quod potero hiſtoriis antiquis, & modernis probare.

D. Bernardus condormit nudæ, nec peccat contra caſtitatem.

Guilielmus Abbas S.Theodorici ſcripſit vitam D.Bernardi; & *capite 3.* nonnulla enumerat caſtitatis prodigia; & inter alia hoc lego. [Inſtinctu Dœmonis in lectum dormientis injecta eſt puella nuda. Quam ille ſentiens cum omni pace & ſilentio, partem ei lectuli, quam occupaverat, ceſſit, & in latus alterum ſe convertit, atque dormivit. Miſera verò illa aliquandiu jacuit ſuſtinens & expectans; deinde palpans & ſtimulans. Noviſſimè, cum immobilis ille perſiſteret, illa licet impudentiſſima, erubuit, & horrore ingenti, atque admiratione perfuſa, relicto eo ſurgens aufugit.] Ecce duo adoleſcentes nudi in eodem lecto; in loco ſecreto, horâ intempeſtâ: nec tamen ambo mali: nam tametſi illa ſit laſciva & peccatrix: ille innocens, & caſtus eſt.

Caſus alter.

Sed hoc & alia ſimilia antiqua ſunt: ad annos hos ultimos venio. [Dum Sueci totâ Bavariâ graſſarentur, ingreſſi ſunt propè Monachium quemdam pagum, cujus Parrochus dives dicebatur, & erat. Horâ intempeſtâ intercipiũt principales plateas & irruunt in domos Eccleſiæ. Fugit nudus Sacerdos, & ad domum unius viduæ confugit: init cum illa lectum: ingrediuntur hoſtes: putant eſſe conjuges ruſticos, & ut inveniant Parrochum progrediuntur ulteriùs; & tandem, quia jam ſplendebat aurora, ſe ſubtrahunt.] Ecce ſolus cum ſolâ in eodem lecto, in loco ſeparato & ſecreto, An ideò laſcivi judicandi? Quoad Deum res erat me judice plena periculo, & fortè tutiùs ſe potuit confidere ille Succis, quàm viduæ. Quid ſcio? In foro externo ſtetit pro Parrocho neceſſitas: & præter ſuſpicionem libidinis eumdem videmus ab ingenio laudari.

Nota bene.

Neceſſaria præſumptio.

Præſumptio neceſſaria, adjungi præcedentibus poteſt, quæ eſt argumentum neceſſarium, & non jam moraliter, ſed realiter evidens in re obſcura. Et poteſt multis exemplis illuſtrari. Dubitatur, an tibi Petrus promiſiſſet, aut dediſſet ſuum equum? At illum hodie petit mutuum, & heri locaverat; & hac actione clariſſimè oſtendit equum eſſe non ſuum, ſed tuum; nemo enim aut locat, aut recipit mutuò quæ ſua ſunt. Hoc exemplum rem dilucidat; non illa quæ apud Authores lego. Duos proponunt. Nam ubi Tridentina Synodus non eſt recepta, ſi ſponſi dubitent An habuerint conſenſum de præſenti, aut futuro? copula rem decîdit; nam præſumitur habita cum conſenſu præſenti: *c.15 qui de ſponſ.* Eodem modo de ſponsâ conditionali philoſophantur: nam quæ conditionaliter ſpopondit, ſi poſteà ſe cognoſci permittat, abſolutè reſpondere videtur. *c.de illis. de ſponſ.impub. c.per tuas. de cond. appon.* Vide Alciatum *tract. de præſumpt.* Corvinum *ibid.* Felinum *in cap. quinto* & Baldum *in additione ad ſpecul.* At ego in his exemplis non neceſſariam, ſed violentam præſumptionem reperio; non enim repugnare videtur, etiam ubi Concilium Tridentinum non eſt admiſſum, ſponſos de futuro, aut conditionales commiſceri, cum voluntate expreſſâ non contrahendi matrimonium de facto: quam ob rem, niſi ad fortiora exempla Iuriſperiti recurrant, hæc præſumptio vix erit neceſſaria moraliter, & quæ diſtinguatur à violenta, quæ ad formam *Falliſis* reduci debet.

Nemo locat, aut recipit mutuò quæ ſua ſunt.

Sponſos de futuro aut conditionales poſſe coire ſponte cõtractu ac futuro, aut conditionali poſſibile eſt.

Huc pertinet Regula XXX. Iuris Civilis. *Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit*, ſumpta ex Vlpiano libr. 36. ad Sabinum, & ex leg. 15. de condit & demonſtr.

Loci Iudiciales ex quibus deſumuntur Iudicia.

In indiciis præſumptionibuſq; habetur ratio

MVlti ſunt; ſed producam præcipuos, non enim omnes qui ab aliis ſunt obſervati, placent, nam temeraria indicia potiùs proſcribi, quàm ſcribi deberent. Sumuntur igitur

Perſonæ, Ætatis, Dignitatis, Divitiarum,

Primò, ex perſona. *c. decenter. diſt.* 89. *c. fin.* & huc pertinet ætas, *c. cùm in juventute c. fraternitatis. diſt.* 34. huc dignitas. *cap. abſit.* 11. *quæſt.* 3. huc divitiæ & cæteræ omnes qualitates, quæ perſonas concernunt; quæ enim de ſano juvene & divite præſumi ſolent, non poterunt præſumi de ſene, ægroto, & paupere: quæ de homine vili, non debent præſumi de nobili, niſi aliæ probationes accedant.

Loci,

Secundò ex loco *c. quiſquis.* 17. *quæſt.* 4. *c. literis*. Sed hoc indicium ſecundum ſe conſideratum remiſſum eſt.

Temporis,

Tertiò ex tẽpore. *c. Gonſuldus.* 57. *quæſt.* 1. *c. in omnibus. diſt.* 81. Et hoc parum eſt efficax. Nota tamen circumſtantias loci & temporis eſſe efficaciſsimas ad innocentiam demonſtrandam: nam, ſi Titius accuſetur de homicidio commiſſo Madriti, hora prima, & ipſe probet ſe illa hora fuiſſe Valliſoleti, innocens eſt.

Qualitatis,

Quartò ex qualitate & perſonæ & delicti. *c. ſunt nonnulli. diſt.* 46. *c. hermaphroditus.* 4. *quæſt.* 3.

Silentii,

Quintò ex taciturnitate. *cap. ſit Rector. verſ. princ. diſtinct.* 43. *cap. nonne.* Sed tacere non ſemper confiteri eſt.

Vtilitatis,

Sextò ex utilitate, aliter enim de actionibus utilibus, aliter de nocivis præſumitur. *cap. ipſa pietas.* 23. *quæſt.* 4.

Lachrymarum,

Septimò ex lachrymis. *cap. ſi verum.* 31. *quæſt.* 2. *invitare* 6. *qu.* 1. Et hinc ſumpta argumenta habent locum in viris; non ita in fœminis, quæ obſervante Naſone, *Ad lachrymas oculos erudiere ſuos*.

Fugæ,

Octavò ex fuga; ſicut enim ſe præſentare Iudicibus eſt innocentiæ indicium, ſic etiam illos fugere indicium eſt patrati criminis. *cap. conſtat.* 1. *quæſt.* 1. *c. Sit Rector. verſ. Rectorem. diſtinct.* 43.

Negligentiæ,

Nonò ex negligentia. *c. pervenit. diſt.* 18. *c. ſcribam.*

Familiaritatis,

Decimò ex familiaritate, corrumpunt enim bonos mores colloquia prava. *cap. quorumdam. diſt.* 34. *cap. repellantur. de accuſ. c. clericus. diſt.* 85. *cap. monaſteria. de vita & honeſt. cleric.*

Propinquitatis, &

Vndecimò ex vicinia & diſtantia, non enim remoti ea facere poſſunt, quæ vicini ſolent. *c. ſed & continuò. diſt.* 1. *de pæn.*

Amicitiæ.

Duodecimò ex odio & dilectione: nam captivi potiùs ab amicis, quàm ab inimicis eripiuntur è carcere; & homines non ab amicis ſed ab inimicis occiduntur. *c. ea.* 23. *quæſt.* 4. *c. grave. de præb.*

Hi ſunt Iudiciales loci, ex quibus Præſumptiones ſumuntur, quos breviter placuit perſtringere, ut meus Lector inſtitutus aliqua generali notitia, poſſit multos caſus reſolvere, quos ſequentes Quæſtiones miniſtrabunt.

SECTIO I.

MVltos & mirabiles modos probandi & reprobandi toleravit antiquitas, quæ in noſtris tribunalibus non admittuntur; & quia neſcis, utros (juniores an veteres) accuſare debeas, me conſulis & aliquos caſus proponis.

I.

An probatio per duellum ſit legitima?

In Hiſpania apud Mahometanos admiſſa.

GRanatenſem Reginam Muſa Tribunus militum de adulterio & proditione accuſat: petuntur à Iudicibus teſtes: nullos Actor præter haſtam & gladium, & ad duellum provocat, quemcumque, qui eam defendere vel excuſare audeat. Pyra in foro paratur: armatur Muſa, & adeſt actionis ſuæ veritatem propugnaturus. Supervenit Gazul, haſtam in Muſam dirigit, & in ipſo congreſſu eum ex equo præcipitat, & ſtatim deſcendens eum decapitat. Applaudit Saracenum vulgus, & Reginam innocentem acclamat: miſerabile Muſæ cadaver in rogum projicit, & illam conducit ad palatium. Sic propoſuiſti caſum; & inquiris, An hæc ſententia fuerit definitiva & legitima?

Reſolutio.

Reſpondeo in duello fortunam eſſe variam, incertam, contingentem, nec poſſe ab illius exitu legitimam ſententiam pendere, cùm veritas quæritur, ſecundum quam debemus judicare; non enim repugnat, ut qui partem injuſtam defendit, ſit fortior, aut felicior, & alterum occidat aut proſternat: eſt igitur temeraria hæc ſequela, *Gazul vicit, Ergo Regina eſt innocens*.

Non ſemper veracior eſt fortior.

II.

Lex Caldaria.

CAldaria lex apud Gallecos in Hiſpania (imò etiam apud nationes alias alibi) jubebat, ut ſi communes probationes deeſſent, actor aut etiam aliquando reos, nudum brachium in aquam ferventem induceret, ut vel ſic probaretur cauſæ æquitas, reum & innocentem Deo miraculosè declarante. Legimus Abbatem quemdam Superatenſis Monaſterii,

qua-

quatuor aut plurium falſò teſtimonio convictum, ad Caldariam & Deum appellaſſe; & fervorem aquæ notabili tempore ſuſtinuiſſe, & extraxiſſe brachium ſanum; & ejuſdem prodigii vi fuiſſe actorem & teſtes condemnatos. An temerè?

An temerè in Iudicio proceſſerit?

Reſolutio.

Puto aquam ferventem contracturam nervos, & crematuram carnes etiam brachii innocentis ſuo ingenio naturali relictam. Scio ejus vires compeſci poſſe à Deo, poſſe à Dæmone, poſſe etiam ab Arte. Ergo ſive brachium comburat, ſive non; non eſt integerrima Iudex, nec debet ſententia aliqua definitiva ab hac virtutis ſuſpenſione pendere: *cap. Mennam. c. omnibus, c. conſuluiſti. 2. q. 5. c. ſententiam ſanguinis* niſi fortè in eo caſu, qui ab aliis circumſtantiis eſſe miraculoſus comprobetur: nam ſicut temerarium eſt Deū tentare, & ab illo miracula petere, ubi neceſſaria non ſunt; ſic etiam eſt ſacrilegum non credere Omnipotenti Deo nobis loquenti per miracula.

Deum tentare non debemus.

Deus loquitur per miracula.

III.

An lex frigida in Iudiciis legitima ſit?

SOlebat etiam purgatio & innocentiæ probatio fieri per aquam frigidam: ſi nimirùm in media hyeme ad immerſionem in ſtagnum provocaretur: conſtat enim experientia humanum in aqua frigidiſſima corpus, ſi miraculum abſit, vivere multis horis non poſſe: unde legimus multos Sanctos hoc martyrii genere ſublatos fuiſſe. Hoc judicium recenſet & condemnat Caput, *Ex tuarum. 8. de purg. Canon.*

De Bernardo.

[An-ne Tu Beatiſſime Bernarde adhuc invenis, ut te purgares ab omni ſuſpicione peccati ad legem frigidariam felici ſucceſſu appellaſti? Tu eras actor & reus, tu etiam judex; nec tamen te accuſatum de aliqua ſuſpicione conſenſus, te dimiſiſti, ſed ad purgationem appellaſti. Res eſt privata, & quæ fortè plus Concionatori proſit, quàm Iudici; ſed quæ docere nos poterit, quanta ſint cura & diligentia cogitationes gubernandæ. In D. Bernardi vita, quam ſcripſit Guilielmus Rhemis apud S. Theodoricum Antiſtes [cap. 3. num. 6.] hæc lego. *Cui præcipuè invidens coluber tortuoſus ſpargebat laqueos tentationum, ac variis occurſibus calcaneo ejus inſidiabatur. Cùm enim aliquando curioſiùs aſpiciendo defixos in quandam oculos aliquandiu tenuiſſet, continuò ad ſe reverſus, & de ſemetipſo erubeſcens* [ecce Actorem] *apud ſemetipſum* [ecce Iudicem] *in ſemetipſum* [ecce Reum] *ultor ſeveriſſimus exurſit. Stagna quippè gelidarum aquarum, quod in proximo erat, collo tenus inſilivus, tandiu inibi permanſit, donec penè exanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis, etiam à calore carnalis concupiſcentiæ totus refrigeret: induens illum Caſtitatis affectum, quem induerat* [Iob. 31 a.] *qui dicebat, Pepigi fœdus cum oculis meis: ut ne cogitarem quidem de virgine.* Ergo per Frigidariam Legem Bernardus meus ab omni ſuſpicione libidinis purgatus fuit.]

Privatum conſcientiæ judicium.

IV.

ALii ad ferra candentia appellabant: *c. fin. de præſumpt. c. Mennam. c. conſuluiſti. 2. qu. 5. c. ſententiam ſanguinis. Ne clerici vel Monachi;* & aliquas Sanctas Virgines de adulterio accuſatas, hac via defenſas legimus. An ne temerè creditum igni?

An ſine miraculo ignis ſit non urere?

Huic caſui, ſicut præcedenti reſpondeo. Et ut omittam alia, quæ in libris lego, fateor me olim in domo Monetaria, Madritenſi, vidiſſe quemdam hominem, è genere eorum Circunforaneorum, quos *Salutatores* appellamus, qui nudis pedibus ſupra ardentes carbones & ferra candentia poſitus, non urebatur: vidi & piſtolem, qui manu portabat artocream, primo eductam è furno, quam cæteri vix poterant tangere. Vnde autem originem habebat prodigium? Varia erant vulgi placita, varia etiam hominum prudentum judicia. Erant, qui ſuperſtitioſè hoc & ex implicito aut fere expreſso pacto fieri aſſererent: at hoc non videbatur verum; vigilantiſſimi enim Inquiſitores ſunt, & hoc publicè non tolerarent. Ad naturam & artem nonnulli recurrebant, dicentes, eſſe frigidiſſimas herbas, quarum ſucco vel aqua manus vel pedes madefacti uri non poſſent. Sed tales aquæ & herbæ nominantur, non dantur. Morbi alii meminerunt frigidiſſimi, inertiſſimique, qui inſenſibiles homines reddat: at illi, ſi hoc laborarent morbo, etiam alia accidentia paterentur: & comburi reverà deberent, licèt ſentire dolorem non poſſent. Alii benigniùs recurrere ad miraculum; ſed cur apud ejuſmodi ebrioſos toties ac toties voluerit Deus miracula patrare non video. Et ideò caſum merum propoſui, cujus examen doctioribus viris committo.

An ignis vis ſuperſtitioſè enervatur?

An etiam arte?

An morbo?

An miraculo?

V.

ET quid de ſortilegio dicam? An ſortes licent? An Canonici poſſunt Epiſcopalem dignitatem ſortiri? An Ab-

An ſententia licitè poſſint cõmittere ſortibus?

batialem Monachi? An Apoſtoli potuerunt licitè dicere, *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum accipere ſortem miniſterii hujus & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Iudas, ut abiret in locum ſuum?* An licitè potuerunt dare ſortes? An licitè & prudenter Matthiam cæteris Apoſtolis adnumerare, quod ſors ſuper illum cecciderit? Potuerunt licitè & prudenter, & ex duplici capite. Primò, ſi habebant mandatum divinum: ſecundò, ſi utrumque dignum (aut ſaltem æquè dignum) cenſebant. Et eorumdem exemplo etiam hodie in aliquibus locis, ſuffragia & ſortes ad electionem concurrunt; ſuffragia, ut tres eligantur digniſſimi, è quibus ſors unum diſtinguat, qui cæteris imperaturus ſit. Quibus omnibus conſideratis, *dico primò*: Inter æquè dignos ſortes ſemper licitæ, & interdũ neceſſariæ ſunt: nam cùm inter æquè dignos non habeat quò inclinet prudentia, ne hæreat media, prudenter à ſortibus determinabitur. *Secundò*: Inter dignos, ſi dignitas debeatur digniori, injuſtè ſorti ſtabitur: quod ſi ſequamur communiorem ſententiam, & dicamus poſſe illam conferri minùs digno, niſi pactum aliquod particulare obſit, licitè dabuntur ſortes; ſed alia poſſet via res expediri laudabiliùs. *Tertiò*, inter dignum indignumque non debet ſors diſtinguere, ſed ratio; & ideò iniqua erit electio, ſi admiſſis omnibus (dignis indigniſque) ſortes dentur, & ille ſuper quem ſors ceciderit, in Superiorem eligatur. *Quartò*: In bene gubernata Republica, puniri debet reus, ſi convincatur; puniri actor, ſi calumniator ſit. Sed quid fiet, ubi ſunt omnia momenta obſcura? An Iudex ad ſortes recurret, ut diſcat utrùm debeat ultima ſententia condemnare? Temerè ad ſortes. Quia æquè illæ cadere poſſunt ſuper juſtum, æquè ſuper injuſtum. Ergo ex illis non debet argumentum decidi. Cæterùm quando multi ſunt rei & convicti, & ignoſcitur multitudini, ſolet decimus quiſque condemnari (numerum determinatum pro determinabili pono) & tunc licitè ad ſortes recurritur: nullum enim ex illis reſultare poterit inconveniens, nec innocens periclitari.

Reſolutio.

An inter æquè dignos poſſint ſortes admitti?

An inter inæqualiter dignos?

An in materia criminali ſententia ultima pendeat à ſorte?

Poſſunt & ſolent rei determinari per ſortem.

HINC

patet juſtiſſimè Summos Pontifices probationes quæ olim per aquam, aut ferventem, aut frigidam, per ferrum candens, per duella, & ſortes fieri ſolebant, ſuſtuliſſe: res enim ſummi momenti eſt in cauſis criminalibus, aut etiam civilibus ſententiam definitivam pronunciare, nec debet à tam levibus & contingentibus fundamentis pendere; *c. Monomachia. 2. quæſt. 5. c. 2. & c. fin. de purg. vulg. cap. 8. de purg. canon. c. quæritur. 22. quæſt. 2. c. ſi nulla. 23. quæſt. fin.* unde concluditur ejuſmodi probationes & purgationes, etſi mirabiles effectus habuiſſe dicantur, nec ad ſemiplenam hodie probationem ſufficere, nec debere prudentis & circumſpecti Iudicis animum alterare aut movere *c. 1. 2. quæſt. 1. cap. oves paſtorem. 6. quæſt. 1. cap. ſi quid vero diſt. 86. cap. licet Heli de ſimonia.*

Hujuſmodi probationes ſunt temerariæ.

Iuſtiſſimè ab Eccleſia interdictæ.

Hodie non ſunt curanda.

SECTIO II.

SVpponis indicia, quæ reum probabilius convincant, eſſe ſufficientia ad torturam; ſed quia indiciorum nomine aliqui ſuſpicioſi nihil non intelligere ſolent, quæ & qualia debeant eſſe, inveſtigas.

Iterum quid ſit Indicium?

Reſpondent communiter Iuriſperiti, rem eſſe obſcuram & difficilem, quam non eſt auſus reſolvere Iuſtinianus, quamque Carolus V. indeciſam reliquit, nam P.H.O. art. 24. & 27. verb. So ſol ſollen die renigen den Patnlicher fragt halber werkennen gebüheret ermeſſen *&c.* rẽ totã arbitrio prudentis Iudicis cõmittit. Nos rẽ illuſtraſſe putamus, dicimuſq; inter motiva, qualia omnia indicia ſunt, dari magis & minus; adeoque non ſufficere quodcumque leviſſimum indicium, ſed aliquod omninò requiri propinquum certum, & delictum probabilius inferens, & crimini adhærens. Fridericus Gruner *in illius Iuridica diſputationis Theſi V.* Iulius Clarus *in pract. §. ultimo. quæſt. 64. nu. 14. verſ. cæterùm.* Iod. Damhouderius *in prax. rer. crim. c. 36. num. 30.* quod apud Romano-Germanos confirmat ſanctio Carolina art. 27. Alſ die nachfolgende Articul der einreder allein.

Cur quæſiti non decideriut Imperatores?

Indicia ſunt efficacia inæqualis.

Indicia igitur, quæ ad torturam ſufficientia creduntur ſunt hæc. PRIMVM. Res aliqua Rei in loco delicti reperta; puta pileum, chirothecam, pallium, partem enſis, & alia. Caroli V. Ordinationes *art. 29.* Blanc. *de indiciis n. pen. & ult.*

Sunt gravia, veſtes Rei in loco delicti reperta &c.

SECVNDVM. Nominatio facta à ſocio criminis, ſi ſecundum leges & jura ſit qualificata. Ordinationes Imperatoris Caroli V. *art. 31.* Ioan. Zanger. *cap. 2. num. 47.* Iulius Clarus *in pract. §. ultim. quæſt. 21. num. 4. & ſequentib.*

Accuſatio à Reo.

TERTIVM. Extrajudicialis Rei confeſſio coram duobus teſtibus facta. Ordinationes Caroli V. *art. 32.* Blanc. *de indiciis num. 204.* Gomez *tom. 3. var. reſol. cap. 13. n 8.* Hinc eſt poſſe torqueri illum, qui plenè convincitur dixiſſe ſe occidiſſe hominem,

Extrajudicialis confeſſio.

minem, aut aliud grave ſacinus commiſiſſe.

Minæ.

QVARTVM. Minæ etiam, ſi factæ ab illo, qui creditur crimen commiſiſſe. Vt ſi hodie reperiatur occiſus Fridericus, & plenè probetur illi Antonium heri mortem aut grave damnum minitatum. Ordinationes Caroli V. *art.32.& art.44.* Gandin. *in tract.de malef. rubr. de præſumpt. & indic.nu.23.* Spec. *rubr. de præſumpt. §.ſpecies.num.7.in fin.* Diſſentit Henricus Bocer *in tract.de quaſt.& tort.cap.3. num.24.*, ita etiam Gruner *Theſi* V. qui tamen *Theſi* IX. minas generales non ſufficere ad torturã affirmat: quod Authoribus & legibus probat.

Tranſactio de injuria.

QVINTVM. Pactio aut tranſactio cum offenſo pretio numerato inita. Non enim videtur talis fieri potuiſſe contractus, niſi à reo. Hippol. de Marſ. *in pract. crimin.§. diligenter. num.*187. Menochius *libr.1.de præſumpt.qu.89.nu.*8.

Auxilium.

SEXTVM. Auxilium aut præſidium præſtitum Reo; qui enim Reo ſavet, videtur eſſe complex delicti. Ordinationes Caroli V. *art.*4.

Teſtimonium.

SEPTIMVM. His omnibus modis acrius eſt atteſtatio unius viri probi & boni, de ipſomet facto deponentis. Eædem Ordinationes *art.*23.*&* 30. Zanger *in tr.de qu.& tort.cap.2. num.* 16. Diſſentit Henricus Bocerus *tract.de quaſt.& tort.cap.3.nu.*22.

Dubium incidens.

PETIS, An majora indicia requirantur ad Torturam, quàm ad Inquiſitionem? ET SVBPETIS, Quæ & qualia ad inquiſitionem ſufficiant?

Reſolutio.

Quænam indicia ad capturã ſufficiant?

Ad primum reſpondeo aſſertivè; ad ſecundum, ad inquiſitionem, aut etiam capturam, ſi ſubſit fugæ periculum, unicum indicium ſufficere, modò verum indicium ſit, nec omninò remotum, ſed tale aut tantum, ut eſſe cauſa queat, quæ in opinionem virum ſincerum & prudentem inducat. Blanc. *de indic. nu.*216. Gruner citatus *Theſi* V.

Agitur cauſa Empedoclis.

DVBIVM I. *An Empedocles ambitu æternæ famæ, Æthnæ flammas Vulcanias inſilierit?* Aſſerit Heraclîdes: & ne temerè aſſeruiſſe videatur ſerreã Philoſophi crepidam inter ignes regeſtam oſtendit. At hoc non eſſe ſufficiens indicium cum Laërtio, Timæo, & Keplero pronuntio.

Indicia debent plenè probari.

Primò enim indicium illud deberet plenè & adæquatè probari, & poſteà quantam haberet inferendi vim ad examen reduci. Dico igitur nec indicium probari; nec eſſe ſi plenè probaretur, ſufficiens.

An homines à Luna cadant?

Portò illud non probari plenè, convicit omninò Laërtius, objiciendo illud indiciũ quale quale, à ſolo Heraclîde affirmari, nempè lapſæ fidei homine, qui aſſeruit egiſſe cum viro elapſo ex Luna; adeoque indigno cui credatur.

Indicia poſtquã plenè probentur, debent efficaciter conſequentiam inferre.

Si indicium plenè probaretur, temerè adhuc diceretur Empedocles flammas ſulphureas inſiliiſſe, cum potuerit, non ſe projeciſse, ſed crepidas. Et eſto eum in Æthnâ combuſtum fuiſse demonſtraret authoritati hominis nihil detraheret; cum potuerit projici, vel illabi: quam ob rem totam Keplerus accuſationem, quæ contra Empedoclem in famæ tribunali inſtituitur, meritò calumnioſam exiſtimat; &

Sententia pronunciatur pro Empedocle.

quidquid in medium protruditur fabuloſum & fictum; nam *in notis ad ſomnium Aſtronomicum.num.9.* ait. [Reſpexi ad fabulam, ut exiſtimo, Empedoclis illius apud Diogenem Laërtium, qui cum Æthnam montem adſcendiſſet, ut divinis poſt obitum potiretur honoribus, in ipſos ſe crateras dimiſiſse, ſeque flammis immolaſse vivus fingitur; qui fortaſſis cauſas æterni quæſiturus incendii, cœcaque temeritate progreſsus eò, undè regredi non poterat, fatiſcente ſub veſtigiis cinerum incruſtatâ ſuperficie; ſerâ pœnitudine curioſitatis, nec ullâ famæ hujus cura, lugentem invitus dimiſit animam. Nam affine fatum C. Plinio fuit; qui Veſuviani

Plinii miſera mors.

clade incendii per infeſtos cinerum & pumicum imbres, philoſophãdi cauſa Pompejanum invectus, ſulphureo ſœtore & cineribus oppletis ſpiraculis ſuffocatus eſt.

Homeri mors.

Ariſtotelis mors.

Sic Homerus ænigmate Piſcatorum, Ariſtotelis Euripi reciprocationibus, excruciati vitam in undas abjeciſse, fabuloſis narrationibus feruntur &c.] Vide Laërtiũ *de vita Philoſ.lib.*8.

Agitur cauſa Thamaræ.

DVBIVM II. Mirabilis eſt Thamaræ hiſtoria, quam *Gen.*38. legimus. Nupta fuit Herio primogenito Iudæ, & illo divinitus occiſo etiam Onano, ut excitaret fratris ſemen; hunc ob mollitiem invidam ſimiliter occidit Dominus. Debebatur fratri tertio (nimirùm, Selæ) & quia Iudas hoc matrimonium differebat, ſimulatâ meretricis ſpecie ſe ſocero proſtituit, & concepit. Extorſit ab eo baculum annulum, & armillam pro pretii pignore, & receſſit. Mittit Iudas fornicationis pretium, nec ſcortum comparet. Poſt tres menſes nuntiatur Iudæ nurum ſuam eſſe gravidam, & ille ſedens pro tribunali illam damnavit igni. At illa jam jam tradenda flammis miſit ad Iudam pignora, & ait *De viro cujus hæc ſunt, concepi. Cognoſce, cujus ſit annulus, & armilla, & baculus.* Obſtupuit Iudas, & in ſe ſeductus, *Iuſtior me eſt*, ait, *quia non tradidi eam Sela filio meo*, & ſententiam reſcidit.

Suborientes quæſtiones.

Hac hiſtoria propoſita, quæris *primò*,

Quod-

Digitized by Google

Quodnam fuerit illud primi conjugis crimen, propter quod illum occidit Dominus? *ſecundò* Quodnam fuerit conjugis ſecundi crimen, nam & ipſe divinitùs ſublatus eſt? *tertiò*, An ex hoc loco benè probetur mollitiem eſse mortaliter peccaminoſam? *quartò*, An Thamar peccaverit ſe proſtituendo ſocero? *quintò*, An ipſe eam cognoſcendo? *ſextò*, An illa Iudam convicerit? *ſeptimò*, An debuerit abſolvi? Et *octavò*, An mulier gravida, etſi rea comburi poſſit?

Quæſtionis prima diſſolutio.

Reſpondeo ad primum conſtare ex ſacris literis Herium fuiſse peſſimum, non tamen in eis haberi prævaricationis ſpecies verſ.7. lego. *Fuit quoque Her primogenitus Iudæ, nequam in conſpectu Domini; & ab eo occiſus eſt.*

Diſſolutio ſecunda.

Ad ſecundum reſpondeo ipſummet textum producendo. *Ille ſciens non ſibi naſci filios, introiens ad uxorem fratris ſui, ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur: & idcircò percuſſit eum Dominus.*

Diſſolutio tertia.

Ad tertium reſpondeo negativè; quoniam, etſi mollities non eſset peccatum mortale, adhuc Onanus peccaviſſet; & ratio eſt, quoniam tenebatur reddere debitum uxori, & fratri ſuſcitare filios; peccabat igitur in illam & in hunc, quoties malebat tactibus ſe corrumpere, quàm actum complere conjugalem. Infero non eſſe bonam conſequentiam, quæ ex adulterio deducitur ad ſimplicem fornicationem, quoniam illud, malum meritò eſſet, etſi hæc eſſet licita. Stat igitur mollitiem, fornicationem, & alias quaſcumq; laſcivas ſordes moraliter eſſe peccaminoſas, & hoc ipſum non jam per circumloquia ſolùm, ſed poſſe directè commonſtrari ne enim aliquod dubium remaneret, ſextum Decalogi præceptum Deus per Paulum clariſſimis verbis expoſuit.

An mollities & ſimplex fornicatio ſint peccata?

Diſſolutio quarta.

Ad quartum reſpondeo me non videre cur poſſit aliter excuſari Thamara, quàm ad ignorantiam recurrendo; ſed contra ſtat ipſamet hiſtoria, ſatis enim diſcreta, & cauta fuit, quæ potuit ſimulatione ſua ſocerum incautum implicare: quam ob rem illam peccaviſſe definio, & conſono D. Hieronymo, qui *lib. 1. Comm. in Matth.* exponens illa verba, *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar*, ſic inquit, [*Notandum in Genealogia Salvatoris nullam ſanctam aſſumi mulierũ, ſed eas, quas ſcriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens omnium peccata deleret. Vnde & in conſequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Berſabeé uxor Vriæ.*

Cur in Chriſti genealog. peccatrices fœminæ nominentur?

Diſſolutio quinta.

Ad quintum reſpondeo abſolutè ſimplicem fornicationem ab ipſo mundi initio interdictam fuiſſe ſub peccato mortali. Addo hanc eamdem interdictionem olim à multis fuiſſe inculpabiliter ignoratam; quibus Iudam adſcribam; quia recipiens pignora ſe iniquum faſſus, non tamen fornicationis meminit, ſed matrimonii impediti aut dilati; dixit enim, *Iuſtior me eſt; quia non tradidi eam Sela filio meo.*

Simplicis fornicationis malitia à multis ignorata.

Diſſolutio ſexta.

Ad ſextum (& hoc præcipuè materiam præſentē concernit, reliqua enim omnia majoris claritatis gratia adjacent) dico illa indicia terruiſſe potiùs hominem; quàm conviciſſe; nec videri ex ſe fuiſſe gravia & irrefragabilia; utpotè quæ multis modis elidi poſſent; tametſi negari non poſſit circumſtantiis intendi & reddi nonnihil vehementiora. An-non David cognita Berſabea cautè, curabat ut illam maritus cognoſceret, & adulterii tolleretur ſuſpicio? Ergo ſimili modo potuiſſet Thamara uti miniſterio alicujus ancillæ, ut pignora illa à Iuda haberet fornicationis pretio, vel quod in idem recideret, potuiſſet non uni & ſoli Iudæ ſe proſtituere, & ab alio concipere, adeoque nec videtur convinci eſſe Thamaram quam cognovit Iudas; nec concepiſſe ab ipſo, etſi fuiſſet cognita, maximè cùm rarò contingat uno coitu, & præcipuè perſonarum, quæ non ſe amant intensè, prolem gigni; & tamen duplicem prolem illa habuit. Vt conſtitiſſent omnia liquidò, non erat juſta Thamara; quoniam ſe proſtituere ſocero ſcelus fuit & ipſa videtur ſe excuſare à peccato gravius crimen fatendo. Hinc patet, quid ſit.

Diſſolutio ſeptima.

Ad ſeptimum dicendum; non enim video cur ipſa debuerit abſolvi; adeoque concludo Iudam, vel fuiſſe arbitrum, vel debuiſſe ad tabulas publicas procedere. Si hoc ultimum, abſolvere non potuit lege publica condemnatam: ſi primum, ut ſuam vitaret confuſionem, & ſuis filiis utero geſtis pareeret, potuit revocare ſententiam.

Diſſolutio octava.

Ad ultimum reſpondeo hodie inter Catholicos non permitti, ut gravida ultima damnetur ſententia; ſed provideri, ut ſaltem occidatur poſt partum: hoc enim poſtulat pietas & charitas, non enim debet perire proles illa, quæ innocens eſt: &, ſi mater ſtranguletur, decapitetur, comburatur, proles utero clauſa utramque vitam terreſtrem & cœleſtem amittet. Noto tamen ubi periculum in mora eſt, poſſe hominem certò iturum ad ſtygem occidi jure publico, adeoque quamcumque gravidam, ſi te invadat, nec aliter compeſci poſſit.

An poſſit gravida ultima condemnari ſententia?

SE-

SECTIO III.

Diſputatur de infamia.

QVid dicemus de fama ? Sunt qui puteot ab ea probabile argumentum deduci ; ſunt qui ſufficiens ad torturam ; ſunt qui ex illa ſolam inquiſitionem oriri aſſerant ; ſunt qui eam contemnant. Quidam Doctor Iuriſta:[Dictum unius facile ſequitur multitudo.*cap. cum in juventus.14.extr. de purg. can.*hinc quo vehementior fama eſt, eò ſubinde fallacior;*arg.l.cùm Mater.ff.de inoffic.teſt.l. ult. ff. de hæred.inſtit.* & ad nocendum à malevolis ſparſa; ut plurimùm vana, nec audienda.*l.decurionem.*C.*de pœnis.* Zanger. *in tractatu de quaſt.& tort.cap.* 2.*num.* 82.]

Quanta efficacia inferat conſequentias?

Et Ego puto famam ad torturam nullo modo ſufficere, cùm experientia doceat innocentiſſimos nonnunquam viros à perditiſſimis traduci ; at puto famam ſufficere ad inquiſitionem, quoniam ſic infamatus, aut eſt reus, aut innocens ; ſi reus,nihil perdit Reſpublica, ſi delicta innoteſcant & ſcelerati puniantur ; ſi innocens, hac eidem via conſulitur quem ſententia publica innocentem declarans infamiæ macola liberare poteſt. Accedit, quod ſoleat Author infamiæ adfictæ reperiri, adeoque ſemper laudabiliter quæritur ; calumniatores enim privato & publico bono pernitioſiſſimi,non aliter compeſci ſolent.

An ipſa ad torturā ſufficiat?

An ad inquiſitionem?

Fama à ſuo fundamēto diſtinguitur.

Sed hic obiter nota, famam à famæ fundamento differre : quando enim illa dicitur bene fundata, tunc Iudex non procedit ex merâ famâ, ſed etiam ex famæ fundamento, aut ex alio motivo : & hac poterunt, ut exiſtimo,via diſſentientes Iuriſperitorum opiniones ad concordiam reduci.

Quid bona fama proſit?

SIcut Infamia contra reum militat, ſic bona opinio & fama illum tutatur,& defendit. Audi Ciceronem,qui *pro Sylla* ſic ait. *Omnibus in rebus, quæ majores & graviores ſunt, quid quiſque voluerit, cogitarit, admiſerit, non ex crimine* (ex ipſa re facta) *ſed ex moribus ejus, qui arguitur,eſt ponderandum : neque enim poteſt quiſquam noſtrum ſubitò fingi, neque cujuſquam repente vita mutari, aut natura converti;* quoniam ex pietate ad impietatem,ex morum honeſtate ad ſcelera,& contra,tranſitus inſtantaneus non datur. Confoonat Modeſtinus *in leg.* 3. §. 11. & 12. D. *de re milit.* dicens. *Et is,qui volens transfugere adprehenſus eſt, capite punitur. Sed, ſi ex improviſo, dum iter quis facit, capitur ab hoſtibus, inſpectu vitæ ejus praecedentis actu* (decurſu) *venia ei dabitur*. Aut enim cenſebitur innocens : aut ſiquid culpæ maneat, anteacta laudabiliter vita indulgentiam conſequetur. Arrius Menander *in leg.*5.*D.de re milit.* relatus, *Non omnes deſertores ſimiliter puniendi ſunt, ſed habetur, & ordinis, & ſtipendiorum ratio, & gradus militiæ, vel loci ac muneris deſerti, & anteacta vita.* Adde §.6.*ibid.*

Nulla eſt ex extremo ad extremum inſtantanea mutatio.

Perſonæ inæquales nō debent tractari æqualiter.

Et quidem tātæ efficaciæ eſt argumentum,quod à vita honeſtè & modeſtè acta deſumitur,ut ſæpe contingat detractores, quando majori arte, & fraude in viros probos, & integræ famæ conjurant,honorem proprium, ſiquem habeat,prodigere quin alteris nocere poſſint.

Prioris vitæ piè actæ uō iiia calumnias univerſas eludit.

SECTIO IV.

Proponitur quæſtio.

ALiquid de fuga ſubjicio. Inquirn, *An ſit indiciatus dicendus, qui fugit, cùm inſtituitur inquiſitio?* Et ut reſpondeas, proponis diverſas ſententias.

Opinio prima.

Prima aſſerit hanc conſequentiam, *Fugit, ergo commiſit crimen*, aut eſſe probabilem, aut ſaltem habere vim indicii.

Opinio altera.

Secunda ſub diſtinctione controverſiā decidit: aliud enim eſt fugere ante accuſationem ; aliud poſt accuſationem inſtitutam. Ioannes Thierry *tract. de fug. num:* 2.& 11.Antonius Padilla *in l. transfigere. num.*3.*C.de transfuga.*vide Gail.2. *obſerv.* 109. Ego autem,ſi hanc deberem diſtinctionem admittere, hærerem proculdubio, neſciremque utra fuga vehementiùs culpam ſuadeat. Dici enim poſſet fuga ante accuſationem arrepta, non oriri ex aliqua violentia extrinſeca, ſed ſolùm ex mala conſcientia, adeoque poſſe cenſeri eſſe fundamentum probabile : & poſſet etiam dici contrà, fugam arreptam ante accuſationem non oriri ex timore ſententiæ, cùm crimina non delata & probata nocere non ſoleant. Hoc eſt, quod mihi placuerit ſententia

Hæret in bivio.

Opinio tertia eligitur.

Tertia, quæ aſſerit omnem fugam, ſi non detur alia ejuſdem probabilis cauſa, eſſe indicium criminis. Plot. *ad leg. ſi quando. num.* 883. C. *unde vi.* Fridericus Gruner *Theſi* 6. ſic ait. [Nos non tam fugam,quàm animum fugientis inſpiciendum eſſe arbitramur,*per l. quod ſi fugitivus.§.Item apud Mediolanenſes ff. de ædilit. edict.* cùm & abire loco & aufugere quis poſſit, licèt innocens ſit, & minimè criminis reus ; ex alia nempe cauſa ; puta juſto timore vel ſuſpicione vehementi accuſationis vel inquiſitionis inſtitutæ, aut etiam futuræ inductus, aut ſi quis Iudicis ſævitiam, aut potentiam inimicorum,

Non tam fuga, quàm fugientis animus conſiderandus eſt.

aut

Digitized by Google

aut falſos teſtes veritus, fugæ ſe dedat: qui ſanè veniam mereri debet. Ioannes Zauger. *in tract. de quæſt. & tort. c.* 2. *num.* 87. Erneſtus Cothm. *vol.* 1. *reſp.* 12. *num.* 190. *& ſeqq.*]

Hæc ultima ſententia, quæ non tam fugam ipſam, quàm animum & intentionem fugientium conſiderat, videtur omninò tenenda, quam tam certam & claram judico, ut non facilè ſim crediturus, eſſe hominem, qui ab illa diſcedat: Authores enim, qui pro prima & ſecunda citantur, poterunt ad iſtam reduci. Hanc ipſam confirmant verba Chriſti, dicentis Matth. 10. c. 23. *Cum perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam.* Quod non ſolùm concluſiſſe, ſed & feciſſe Chriſtum S. Athanaſius in Apologia de ſua fuga teſtatur, ait enim. *Ipſum Verbum propter nos homo factum non indignum putavit, cum quæreretur, quemadmodum & nos abſcondere ſe; & cum perſequutionem pateretur, fugere, & inſidias declinare.* Apoſtoli, & eorum diſcipuli etiam in primitiva Eccleſia fugiendo conſuluerunt ſibi. Paulus ad Hebræos 11. g. 37. *Circuiverunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat Mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis & in cavernis terræ.* Et ne aliquis Cenſor hanc fugam vitio verteret, ſubſcribit. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati.* Animoſiſſimus & generoſiſſimus fuit Paulus, fugit tamen; 2. Corinth. 11. g. 13. *Deus & Pater Domini noſtri Ieſu-Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula ſcit, quia non mentior. Damaſci Præpoſitus gentis Aretæ Regis cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum, ut me comprehenderet, & per feneſtram in ſportâ dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus ejus.* Et Athanaſius cujus anteà meminerim, ſæpè in exilium miſſus fuit, ſæpè fugâ voluntariâ violentiam Arianorum prævenit, quatuor menſibus in paterno ſepulchro delituit; quem innumeri Viri ſanctiſſimi imitantur. Igitur vel Chriſtus reus fuit; reus Paulus, rei Apoſtoli, rei Diſcipuli, reus Athanaſius; & hodie plurimi, qui tyrannidem hæreticorum fugiunt, rei ſunt, vel hæc conſequentia, *Fugit, ergo reus eſt*, reticeri debet.

Chriſtus fugâ conſulit ſibi, imò arripit.

Fugerunt ſæpe Apoſtoli.

Fugit Paulus.

Fugit Athanaſius & alii.

SECTIO V.

Proponitur caſus.

IAcet ad Ambram fluvium Brugenſe oppidum, Reverendiſſimo D. Martino Furſtenveldenſi Abbati ſubditum, Viro optimo & mihi amiciſſimo, in quo transverberatus Ferdinandus inducitur, & ait, ſe nullum in toto oppido inimicum habere, ſed fuiſſe ſemper omnium amantem, & à ſingulis etiam amatum. Et nihilominus infortunium narrabat. Se ſub quercu veſpere dormientem transverberatum fuiſſe ajebat, nimirũ ab homine ſibi prorsùs ignoto, quem doloris exceſſu præventus & crepuſculinâ obſcuritate impeditus, cognoſcere bene non potuit, animadvertit tamen eſſe homuncionem craſſum fœmoralibus albis indutum. Die ſequenti invenit quidam ruſticus in loco ipſo, in quo crimen perpetratum eſt, vaginæ contum, quod Iudici Brugenſi tradidit. Antonius interim oppidi ejuſdem incola, poſtridie curat ſuum enſem reparari, vaginamque novam induci; erat autem Antonius homo parvus & craſſus, qualis Ferdinando fuit viſus; & contum, quod repertum fuerat, ad eum ſpectare credebatur. Hæc omnia Iudex Doctoribus diverſis propoſuit, & quia nimirùm ab aliis incitabatur, quid ego in caſu judicarim ſubjicio.

Indicium primum.

Indicium alterum.

Indicium tertium.

Reſolutio.

Cenſui nullum contra Antonium fuiſſe indicium plenè & adæquatè probatum. Magnitudo enim corporis, non convincit, cùm veroſimiliùs ſit dormientem vulneris dolore excitatum turbatumque non benè reſpexiſſe aggreſſorem. Et utut illũ reſpexerit oculis & attentione vigilante, multi ſunt ejuſdem magnitudinis homines; unde Iuriſperiti non admittunt argumentum, quod à veſtigiis aut aliis ſimilibus indiciis ſumitur; videntur enim hujuſmodi argumenta eſſe valdè remota & contingentia, nec ſufficere, ut Iudex dictamen probabilius efformet. [Vide ea quæ *Sec.* 17. dicturus ſum.] Vt nemo eſſet, qui parvus craſſuſque præter Antonium, & diceretur decipi Ferdinandus non potuiſſe, adhuc eſſet remotum hoc indicium, cùm afferatur à parte læsâ, cui in præjudicium tertii credi non poteſt, juxta ea quæ inferiùs dicemus. Dicendum igitur hoc primum indicium vacillare, & tot pati exceptiones, ut ſi plura non concurrant, quæ illud roboreut, vix ad inquiſitionem ſufficiat. Sed quia alia concurrunt, etiam illa accuratè excutiamus.

Indicium à veſtigio deſumptum.

An credendum Actori ſit?

De conto in loco delicti reperto.

Contum Antonianæ vaginæ in loco perpetrati criminis repertum eſt; & ut videbimus hoc eſt ſufficiens judiciũ ad torturam, vi cujus probabilius eſt Antonium illud facinus commiſiſſe. Sic loquebantur in Antonium; ſed rogavi, unde ſcirent illud contum in loco ipſo ſceleris cõmiſſi repertum? unde illud ad Antonium pertinere? Prius illud aſſerebatur ab unico ſolo teſte, qui nec fortè erat omni exceptione major; hoc ultimum in dubium reducebatur à multis, à nemine credebatur

tur infallibile; cùm certum ſit in ejuſdem artificis officina multos enſes ſimiles reperiri. Sed cur ſequenti Antonius die curavit enſis ſui vaginam, & ornamenta alterari? Hoc urget, fateor, & ipſe deberer audiri. Igitur concludendum erat hoc ſecundum eſſe valdè debile indicium; ſi Antonius veroſimiliter vaginæ reparationem excuſaret.

Argumentum deſumptum à mala conſcientia,

Accedebat & tertium, quod Antonius crederetur eſſe malæ conſcientiæ, quod nimium pauperiores affligeret, & olim jam occiderit quempiã ob leviſſimas cauſas. Sed ego eum eſſe malæ conſcientiæ virum, dici video, probari non video, & famam non ſemper veram ſcio, maximè ſi miniſtros maculet, nemo enim Reipublicæ eſt obſtrictus, qui ſi benè obediat, detractores non habeat. Quanti fama facienda ſit, alibi expono. Et quidem illud homicidium antiquum, ex quo volunt argumentum deduci, ejuſmodi fuit, quod potuerit colorari & excuſari, nam aliàs non fuiſſet declararus innocens. Nec allegari poterit Iudices illos fuiſſe ab Antonio ſubornatos, quoniam hoc vergeret in ſummam tribunalis injuriam, & deberet aut taceri, aut probari. Igitur nec hoc etiã indicium probabilius eſt.

à fama.

à patratis criminibus.

Indicia ſe ſolent juvare.

Reſolvendum eſt igitur, dari hîc etiam argumenta & indicia, quorum ſingula non videntur ſufficere, cùm nullum plenè probatum ſit; ſed cum ſe mutuò roborent, & intendant, concedam Antonium capi & examinari omninò poſſe; non tamen aliter torqueri, quàm ſi aliquod ex prioribus indiciis plenè probatum ſit, nam illud ultimum nimis leve eſt, & ſeorſim, tametſi plenè probetur, inſufficiens, ut aliquis tortura condemnetur.

SECTIO VI.

De fuga.

AN-ne eſt hæc bona conſequentia. *Petrus ob homicidium captus, efregit carceres, & aufugit: ergo fatetur crimen; aut ſaltem inſinuat ſufficienter, ut torqueri poſſit?*

An fuga à carcere ſit virtualis confeſſio?

Reſpondeo eſſe aliquas Reſpublicas, quę ſeveriſſimè animadvertunt in eos, qui franguot carceres, & violata cuſtodia fugiunt; in quibus ſi detur lex, quæ ſtatuat pro confeſſo habendum carceris effractorem aut profugũ, idem erit ſi vim carceri inſeras & fugias, ac ſi delictum confitearis: legi enim acceptatæ eſt ſtandum: & in tali caſu ſicut dicimus, *Qui tacet conſentire videtur*, diceremus, *Qui fugit confiteri videtur*. Quod ſi Iuri naturali aut communi conſtemus poſſe puto puniri carceris effractorem ob violatam immunitatem cuſtodiæ; at verò hanc ipſam fugam eſſe indicium delicti ſufficiens ad torturam, ſi dentur rationes probabiles, quæ illam excuſent, non exiſtimo: Ita Ludovicus à Piguer *qu.crim.*1. Gomez *tom.*3.*cap.*10.*nu.*[illegible]. Videntur diſſentire alii *ex l. in eos* 13. *ff.de cuſt.& exhib.reor.l.*1. *in prin.ff. de expil.& effract.l.*38.§ *pen.ff.de pœnis.l.milites.* 13.§.*pen.ff.de re milit.* ſed & ipſi mihi non adverſantur, quia ego non urgeo jura provincialia aut ſpecialia, nec ego de fuga, quæ nullo prætextu probabili excuſari poteſt; hanc enim & non illam, ad torturam ſufficere mihi certum eſt. Et ratio meæ Reſolutionis à quæſtione præcedente deſumitur, quoniam qui fugiens antequam caperetur, potuit timore, qui caderet in virum conſtantem excuſari, poterit etiam excuſari jam captus: ubi enim majus eſt periculum, eſt major ratio fugiendi: quòd ſi non detur ille violentiæ timor, non dabitur ſufficiens excuſatio; adeoque poterit indicatus torqueri.

An profugus torqueri poſſit?

Hic etiam potius fugientis animus, quam fuga, conſiderandus eſt.

SECTIO VII.

De confeſſione ſacramentali.

AVdierat Alſonſi confeſſionem Ambroſius, illumque apud adverſarios traduxit, & homicidium ſub ſigillo ſacramentali exceptum rèvelavit; & vi hujus ſacrilegii Alfonſus appellatur ad Iudices, à quibus conſulor, quantam vim habeat hæc conſequentia. *Ambroſius dicit ſe audiviſſe in confeſſione Alfonſum occidiſſe hominem: Ergo Alfonſus eſt homicida?*

Reſpondet Iuris Regula ſemel malum, ſemper malum in eo genere peccati præſumi: unde cum confeſſarius, qui peccata revelat, mentiatur: mendax in omnibus eſt præſumendus. Ergo vi hujus diſpoſitionis, nec poteſt reus condemnari ad torturam, nec Iudex inquiſitionem inſtituere: ſed debet uoicus & ſolus confeſſarius puniri. *Ex c.*2.*extr.de offic.ordin.c.dilectus ext.de exceſſib.Prælat.c.omnis utriuſq.ſexus. ext.de pœnit.& remiſſ.* Gomez *tom.*1.*c.*13.*num.*9. Maſcard.*de probat.volum.*1.*concluſ.* 337.*nu.*3.*&* 5.

Reſolutio quæſtionis.

Sed petis, Quid facere deberent Iudices, ſi eſſent Hæretici, nec ſacramentalem confeſſionem admitterent: maximè, ſi materialiter hæretici dicantur? Et, ut rem magis urgeas, ponis Mahometanum (ipſi etiam ſuam dicuntur habere confeſſionẽ) alterum Mahometanũ apud Iudices Chriſtianos traducentem, dicentemque, [Hic in excuſſione ſuæ conſcientiæ, hoc eſt, in confeſſione, quam lex noſtra ad abluenda peccata poſtulat, homicidium confeſſus eſt.] Et reſpondeo in caſu reum dicendum fore indiciarum indicio probabilius infe-

Proponitur alia quæſtio,

& reſolvitur.

renſe crimen, ſed non plenè probato: hæc enim confeſſio eſſet ſimilis cuicumq; alii extrajudiciali, ſi ab unico teſte ſuggereretur.

SECTIO VIII.

De confeſſione judiciali in tribunali incompetenti.

CONſequentia & doctrinæ ſimilitudo poſtulare videntur, ut examinetur quanti facienda ſit hæc conſequentia. *Antonius coram Iudice incompetente confeſſus eſt, ergo reus eſt.*

An ad torturā ſufficiat?

Levis eſt, nec talis cujus vi poſſit ille ad torturam damnari *tex. in sup. 4. extr. de Iudic.* vide *legem, Divus. 6. ff. de cuſt. reor. arg. l. sumſimus 22. in princ. C. de agris. & cenſit.*

An ad inquiſitionem?

Cùm autem in d. lege, *Divus*, jubeatur teſtes auditi ex integro, reſolvo hujuſmodi confeſſionem coram incompetente Iudice factam non ſufficere ad torturam, tametſi ad inquiſitionem ſufficiat.

Objectio.

Sed objicis. Confeſſio extrajudicialis, ſi plenè probetur, ſufficit ad torturam, ut conſtat ex *sec. 2. §. Tertium*. Ergo judicialis coram incompetente facta; cum certum ſit cautiùs homines loqui in tribunali etiā incompetente, quàm extrà apud amicos.

Solutio.

At reſpondeo rationem eſſe diſparem, quia in confeſſione extrajudiciali libertatem adeoque ſinceritatem, & in altera violentiam & iniquitatem reperimus, putamuſque poſſe reum ſine tanto detrimento in Tribunali incompetente confiteri.

SECTIO IX.

De confeſſione facta ſub impunitatis ſpe.

COnfeſſus fuerat furtum Petrus ſub ſpe impunitatis, at cùm videat crimen urgeri, & inſtare ſupplicium, confeſſionem retractat, & inquiritur, Quantam vim habeat hæc conſequentia, nimirum. *Spe impunitatis confeſſus eſt, ergo furtum commiſit.*

Reſolvitur quaſtio.

Reſpondeo eſſe leviſſimam; qui enim putat ſe non eſſe puniendum, ſi fateatur, ſolet fateri crimen quod non commiſit, ut citò liberetur à carcere; & ideò exiſtimo confeſſionem hujuſmodi non ſufficere, ut Petrus torturæ tradatur. Franciſcus Perſonal. *de indiciis & tort. nu. 70.* Grammat. *qu. 3. num. 9. & 10.* Gruner. *theſ. 8.* vide Fachin. *lib. 9. cap. 61.* Hinc patet confeſſionem hominis captivi & afflicti, qui non putat ſe aliter manus tyrannicè retinentis poſſe evadere, quàm confitendo, eſſe nullius momenti, nec debere in conſequentiam trahi.

Corollarium.

SECTIO X.

De inimicitia.

VIdes urgeri hanc conſequentiam. *Paulus occiſus eſt, & Aurelius erat inimicus capitalis ipſius, ergo ab Aurelio occiſus eſt*; & quia varia judicia audis, quanti facienda ſit, inquiris.

Quale illud indicium ſit?

Talem eſſe, ut vi illius debeat torqueri Aurelius docuit Speculator. *titul. de præſumpt. §. species. verſ. ſed pone. nu. 7. & 8.* Antonius de Roſall. *de indic. & tort. num. 7.* Hanc autem ſententiam alii meritò abſurdam vocant, ſubſcribentes Friderico Gruner *theſi* IX. Riminaldo *conſil. 88. nu. 7.* Arimin. *in additionib. ad Angelum. verb. quod fama. nu. 50.* & Gabrieli *libr. 7. concl. 18. nu. 2.* Vnde credo hanc conſequentiam inquiſitionem poſtulare, non tamen torturam permittere. Deberet igitur in tali caſu Iudex contra Aurelium etiam nominatim inquirere, illum examinare, & periclitari, an potiora ſuborirentur indicia, non verò via torturæ procedere. Et ratio eſt, quia inimicitia publica & homicidium nō ſunt neceſſariò connexa, immò nec probabiliter, aut verò-ſimiliter; fortè nec leviter, cùm certum ſit Aurelium debuiſſe ſuo furori & odio vim inferre nec Paulū interimere, cùm ſciret ſe ponendum ob oculos univerſorum, foreque omnium inquiſitionum objectum, ſi faceret.

Reſolutio.

SECTIO XI.

De Aſtrologia. An ipſa ad indicium ſufficiat?

SEd quia hac rerum tempeſtate multùm deferunt Aſtrologis & Iudiciariis, quæris quantam vim habeant Conſequentiæ ſequentes; videlicet. I. *Magus dæmoni pacto expreſſo obſtrictus conſulatione ad regulas ſuæ artis prababitu & oraculo accepto, reſpondit Paulum ab Aurelio interemptum: Aurelius igitur reus eſt.* II. *Anus quædam Ægyptia, veroſimiliùs ſaga, conjuratione præmiſſa reſolvit Paulum occiſum ab Octavio.* III. *Euſtachius Tychonis Brabæani diſcipulus, erecto themate aſtrologico, & conſideratis ſyderum ſignificationibus, Aurelium & Octavium liberat, Fridericum accuſat?* Quæris igitur, An aliqua ex his conſequentiis ſit legitima? Et ſi ſit, An ejuſdem virtute poſſit accuſatus torqueri?

Reſolutiones.

Reſpondeo primò nec delationem factam à Mago, nec factam ab Ægyptio aut Aſtrologo eſſe ſufficientem, ut reus torqueri poſſit.

Magorum & Ægyptiarum reſponſis non eſt adhibenda fides.

Reſpondeo ſecundò Iudicem vi delationis hujuſmodi non poſſe inquiſitionem inſtituere contra hominem integræ famæ & opinionis, ſi deſint omninò alia indicia.

cta. Vtrumque colligo Ordinationum Imperialium editarum à Carolo V. articulo 21. & *l. nemo.5.C. de maleſ. & matemath. l item apud Labeonem. §. ſiquis Aſtrologus. ff. de injuriis*. Conſonat Clarus §. *fin. quaſt. 2. num. 3. verſ. & hanc concl.* Catus *in conſiliis criminalibus conſ. 99. num. 1. lib. 1.*

Quid, ſi fidem illis adhibeat Iudex?

Reſpondeo tertiò, Iudicem qui ob indicationem factam à Mago, Ægyptio, aut Mathematico, reum torturæ ſubjecerit, in ſyndicatu teneri. Ita Carolus V. in Ordinationum allegatarum *articulo 21. ſub fin.* Sed quid, ſi non jam ad torturam proceſſerit, ſed meram inquiſitionem inſtituerit? Puto eum inſtituiſſe inquiſitionem reo injuriam, & fidem temerè adhibuiſſe nugivendulis, adeoque putarem etiam ob id ſyndicatu illum teneri. Et quia hæc ſubtilia ſunt, nec nota omnibus, quæ ex legibus decidimus, rationibus dilucidemus.

Magia triplex.

Pimò igitur dari Magiam naturalem, certum omninò eſt. Hujus æmulæ ſunt duæ facultates, quæ naturales volunt nominari & videri, cùm tamen altera vana, & altera ſuperſtitioſa ſit.

Magia naturalis qua ſit?

Magia naturalis ars eſt in ipſa naturæ cognitione fundata, ab experimentis frequentiſſimis hauſta, quæ viſis cauſis prænuntiat eventuros effectus; & hæc eſt licita, impotens tamen, ut actus liberos præteritos aut futuros enuntiet.

An liberos actus prædicat?

Quam ob rem dicendum eſt neminem ſtando Magiæ naturali ſcire quod Paulus occiſus ab Aurelio fuerit. Iudex igitur, qui Mago naturali, in hoc credidit, ſummè fuit temerarius, & Aurelio magnam injuriam intulit, ſive ad torturam, ſive ad inquiſitionem proceſſerit.

Magia vana qua ſit?

Magia vana, eſt temeraria effectuum pronuntiatio facta ab homine, qui naturam cauſarum ignorat, ſed generalibus quibuſdam regulis ductus illuditur. Hæc non debet ſuperſtitioſa dici, bene enim ſtat hanc coli ab homine, qui nolit cum dœmonio paciſci. Hæc multò incertior naturali; ideòq; graviùs peccaret Iudex, ſi contra Aurelium propter Magi vani indicationem procederet.

Magia ſuperſtitioſa, qua ſit?

Et tandem Magia ſuperſtitioſa eſt ars ſacrilega in pacto implicito aut expreſſo conſiſtens, vi cujus tenetur dœmon conſultus dicere veritatem.

Qui eam exerceat, puniendus.

Quod ſi Pauli occiſor hac arte inventus dicatur, *aſſero primò*; hominem, qui hac arte fuit uſus, graviſſimè peccaſſe in Deum & Remp. & debere juxta leges puniri,

Illi, non eſt credendum.

Aſſero ſecundò ſolere mentiri dœmonem, adeòq; ejus reſponſioni nullam fidem præſtandam. Vt dœmon veritatem dixerit, *aſſero tertiò*, non poſſe credi, Mago, homini ſceleſto & ſacrilego; ipſe enim dœmonis verba pro arbitrio & invidia mutare, augere, aut etiam diminuere ſolet,

Quid, ſi credatur?

aſſero quartò, peccare graviter Iudicem contra Deum, cùm Magum hujuſmodi conſulit; & contra proximum, quando ex conſilio dœmonis contra privatam innocentiam & publicas leges procedit.

Quæ & quales ſint Ægyptiæ, vel Cingaræ?

Porrò anus illæ, quæ *Ægyptiæ* vocantur in Hiſpania, & in Germania *Cingaræ*, fœminæ ſunt vagæ & inſtabiles, & populo Chriſtiano pernitioſæ, quas Magiæ naturalis imperitas eſſe certum eſt; hæc enim ſcientia ſublimior & ſubtilior eſt, quàm quæ ab ſtupidis mulierculis haberi poſſit. Non-nunquam ſuperſtitioſæ ſunt, vanæ frequentiùs: ſemper tales, quibus ſine temeritate non credas. Adeòque teſtimonium illarum, ſi ex Magia abortum, nullius momenti eſt; peccaretq; graviter Iudex, ſi ad unius vetulæ divinationem honeſtum hominem torturæ aut inquiſitionī ſubjiceret.

Aſtrologi quales?

Denique Iudiciarii Aſtrologi tales ſunt, quales à me loco aptiori depicti, & quia Tychonis Brahæi in conſultatione meminiſti, & ejuſdem diſcipulum citaſti; volo aliquid de hac materia ſubjungere.

Tycho qualis?

Fuit Tycho nobilis Danus, Aſtronomiæ deditiſſimus, cujus ſi ingenium æquaſſet diligentiam, rem ſyderеam ad perfectionem perduxiſſet. Is igitur Mechanicæ Aſtronomiæ ſoli intentus, dum Planetarum periodos metitur, judiciorum vanitatem contemnit. Obiit ante annos multos, & jacet Pragæ adeòque hodie aut non habet diſcipulos aut decrepitos quod ſi aliquem habeat, is à Tychone doctus ſciet non dari Iudiciariam Aſtrologiam quæ liberos actus prænuntiet;

Aſtrologia Iudiciaria qualis?

noveritque omnia Aſtrologorum præjudicia indigna eſſe, quæ à viro prudente legantur. Quam ob rem Aſtromantiam, non dicam artem ſacrilegam aut dœmoniacam, ſed vanam, temerariam & pernitioſam, perturbatricem hominum; qua ſemel admiſsa arbitrii libertas & Chriſtianæ Religionis puritas periclitatur.

Quales etiam Phyſiognomia, Chiromantia, Onomantia, &c.?

Aſtrologiæ judiciariæ vanitate & errore conjungitur Phyſiognomia, atque Chiromantia, Onomantia, Geomantia; & judicia his artibus innixa & conſequentias ab eis deductas eadem ego doctrinę cōſequentia condemno.

Quid ſit Phyſiognomia?

Eſt igitur Phyſiognomia ars judicandi actiones liberas ex faciei delineatione; & quidem multorum ſententia faciei turpitudo nihil arguit;

An ſit ars certa?

at tamen aliquorum ſententia arguit malum ingenium & incli-

clinationem ut ſic, non autem aliquod in ſpecie delictum. Ioan. Zinger. *tract. de quæſt. & tort. cap. 2. num.* 85. Ioann. Bodinus *lib. 4. de magor. demon. cap. 4. p.* 589. Maſc. *vol. 2. concl.* 831. *num.* 27.

Quid ſit Chiromantia?

Chiromantia eſt altera ars, Phyſiognomiæ vanitate non cedens, quæ palmam manus meditatur, & ex lineis & characteribus eidem inſcriptis judicium format, & tam futura quàm præterita enunciat.

Quid Onomantia?

Onomantia conſiderat vanè nomen proprium, & ex illo ſumit augurium ut ſecreta revelet, quæ quidem artificioſa vanitas, quod captu facilior, ideò perniciosior & communior.

Quid Geomantia?

Geomantia multis modis exponitur & traditur, calculis, lapillis, punctis; ſed tota eſt fortuita & contingens; & probabile fundamentum non habet.

Quid Choromantia?

Eſt & alia divinandi facultas, præcedentibus, ut puto, multò incertior, quæ mores provinciales conſiderat. Hæc igitur Choromantia nominetur, & ſimili etiam cenſura condemnetur; non enim videtur argumentum prudens, quod à patria ad mores aut crimina ſpecialia tranſit.

Temeraria illationes.

His prelibatis dico eſſe temerarias conſequentias iſtas & alias ſimiles. I. *Omnes qui habēt oculos profundos & naſum aduncum ſunt fures; at Petrus profundos habet oculos, aduncum naſum: igitur fur eſt.* II. *Oculi virides luxuriem arguunt: At Franciſcus viridibus oculis eſt præditus; igitur eſt luxuriæ deditus; ergo non eſt dubium quin hoc adulterium commiſerit.* III. *Albericus habet gladium in monte Martis inſcriptum, & in reliquis palmæ montibus varia inſtrumenta militaria* [carnoſitates illas palmæ, quæ ſunt digitorum initia, Chiromantici nominant *Montes*, & Planetis adſcribunt.] *multos igitur homines eſt occiſurus.* IV. *Qui vocatur Petrus eſt ſuo hero infidelis; atqui meus famulus hoc gaudet nomine; ergo ipſe eſt proditor.* [Et hinc patet ſemper eſſe vanam, & interdum non omninò carere ſuperſtitione apud Hiſpanos perſuaſionem vulgarem, quæ cenſet in hac familia, cùm ſalinarium labitur, in illa, cùm culter aciem cœlo obvertit, &c. infortunium manifeſtum protendere: & aliis etiam familiis nobiliſſimis exitiales eſſe, Famulum Petrum, nigrum equum, & canem Hibernum.] V. *Figura illa, quæ vocatur Populus* (*ſive divinatio fiat calculis, ſive lapillis, nodis, punctis, ſive quocumque alio modo*) *eſt affirmativa reſponſio: ego conſulens, An Anſelmus occiderit Franciſcum, habui figuram Populum, Anſelmus igitur homicida eſt.* VI. *Omnes Græci mentiuntur, Cajus eſt græcus, ergo mihi mentitur.* Eas nullo admittunt modo Authores; & in ſpecie primam ſecundamq; rejiciunt Ioann. Zanger, & Ioann. Bodinus citati: & tertiam quintamq; ob eaſdem rationes rejicere debent ob ſuperſtitionem & puerilitatem (à nominibus enim argumenta & indicia practica deducere puerile eſt) quartam damnat Blanc. *num.* 406. ſextamq; Menochius *libr. 1. præſumpt.* 15. *num.* 9. per *l. quod ſi nolit.* 31. §. *qui mancipia.* 21. *ff. de ædilit. edicto.* [De moribus provincialibus, & qualiter ii crimina indicent vide inferiùs ſec. 18. & 20.

Quid ſint montes in manu?

Hiſpanorum ſuperſtitioſa, aut ſaltem vana obſervationes.

Populus in Geomantia quid ſit?

SECTIO. XII.

De reſponſione inconſtante & ſibi contraria

PEtrus ita indicatus erat de homicidio commiſſo, ut examinari quidem poſſet, at torqueri non poſſet (plura enim ad torturam quàm ad inquiſitionem & examen requiri, manifeſtum eſt.) rogatus variè reſpondet, & convincitur etiam mentiri. *Tunc Iudex, Mentitur, & variè reſpondet, igitur reus homicidii eſt.* Et quia tu non omninò virtutem illationis intelligis, an conſequentia bene deducatur inquiris.

Illa interdum oritur ex turbatione.

Reſpondeo ſolere innocentiſſimos viros ita turbari in judicio, ut variè loquantur, & ſæpè ſibi contradicant: adeòque ſic hæſitantem non videri crimen malitioſè celare, ſed innocentiam potiùs ſuam incautè & animo turbato protegere. Cōſentit nobis Fridericus Gruner *Theſi* X. ubi hanc periodum noto. [Rationem adducit Andreas de Iſern, ut illum allegat Blanc. *de indic. num.* 267. quod liceat unicuique contraria ponere propter ſalutem,] ſubintellige liceat civiliter: fide enim tenendum eſt theologicè dicere contraria, ſive mentiri, nemini mortalium licere. Vnde dicendum eſt illum, qui in judicio variè loquitur, niſi reſtrictione aliqua mentali (hanc non facilè admittam) aut circumſtantia aliqua conſignificante (hanc ſolere repetiri non nego) à mendacio excuſetur, à peccato excuſari non poſſe; quoniam omne mendacium divinitùs interdictum eſt: at illum addo ſolere excuſari civiliter, Reſpublica enim ſubſtantiæ accuſationis intenta, mendacia accidentalia non examinat. Vide *l. nemo.* cum *l. ſeq. ff. de except. arg. l.* 1. *ff. de bonis eorum. l. de minor.* 10. §. *plurimum. ff. de quaſt.* Hic, *affert plurimum*, inquit Iuriſconſultus, & quidem ſi plurimum affert, adminiculatur tantummodò; ſi adminiculatur, rem per ſe non conficit, niſi ſubſit Indicium, cui adminiculum afferre queat.

Mentiri non licet. An reſtrictiones liceant?

Omne mendacium eſt peccatum.

SE-

SECTIO XIII.

De reo pavido & perturbato.

EXaminabatur Ambroſius; & Iudex, *Pavet*, inquit, *trepidat, colorem vultus variat, oculos in terram dimittit, inquiſitores ne quidem aſpicere audet: ergo reus eſt.* Et quia tu, ejuſdem Logicæ non audes confidere, An-ne hæc ſit bona conſequentia, requiris. Et ſi ſit bona, quantam ipſa vim habeat? an tam vehementem, ut poſſit Ambroſius torqueri?

Quid ſit aliqualis ſuſpicio.

Reſpondeo hæc ipſa indicia aliqualem ſuſpicionem inducere, non vero tantam, ob quam poſſit Ambroſius torqueri. Clarus §. *fin. quæſt.* 21. *verſ. caterùm ſola tit.* 5. *ſentent.* §. *ult. quæſt.* 21. *n.* 29. Ioannes Zanger. *tract. de quæſt. & tort. cap.* 2. *num.* 102. Porrò *aliqualis ſuſpicionis* nomine, valde tenuem & remiſſam intelligo; quoniam me judice facilius eſt innocentiſſimum & inexpertum virum inopinata accuſatione percelli & turbari, quàm ſceleratum & effrontem hominem, tribunalibus & examini aſſuetum.

SECTIO XIV.

An taciturnitas confeſſio ſit?

ANſelmus de homicidio accuſatus, à Iudice interrogatus tacuit, & intulerunt omnes, *Qui tacet fateri videtur; hic tacet; ergo fatetur crimen.* Hunc tu ſyllogiſmum periculoſum judicas, & qui debeat rejici, vel non rejici, inquiris.

Exponitur Regula Iuris.

Reſpondeo majorem illam quæ aſſumitur, eſſe utriuſque Iuris Regulam, quā ſuo loco illuſtravi; & ipſam ſuas pati diſtinctiones & limitationes. A me illa ſub his verbis admittitur. *Qui tacet in materia ſibi favorabili, aut in odioſa quando tenetur loqui, ipſe conſentire & fateri videtur.* Cùm igitur examen illud in Anſelmi favorem inſtitutum non ſit, ſequitur, ut ex hoc capite fateri cenſendus non ſit. Ergo cùm materia ſit odioſa, ad obligationem recurrendum: nam ſi Anſelmus tacet, cùm loqui debet, virtualiter admittit crimen. Ergo an loqui ipſe debeat, venit examinandum.

Quæſtio reſolvitur.
An reus teneatur reſpondere ſtatim?

Viri prudentiſſimi exiſtimant reum qui tacet, non ſtatim confiteri dicendum: nam tametſi obligationem reſpondendi habeat, non videtur hæc eſſe tam ſtricta, ut obliget reſpondere ſtatim. Blanc. *de indic. & tortur. num.* 223. Dom. Zanger. *de quæſt. cap.* 2. *num.* 39. Et ſcrupuloſior Menochius reum Iudici ſuſpectum, & obſtinatè non reſpondentem, non vult habere pro confeſſo, ſed pro rebelli, qui debeat per cruciatus ad reſpondendum compelli. Ita ipſe *libr.* 1. *præſumpt.* 89. *num. fin.* & *libr.* 6. *præſumpt.* 99 *n.* 6. cui conſonant Marant. *in ſpecul. p.* 6. *tit. de quæſt. num.* 9. quorum, ſi ſemel admittatur ſententia, manebit illud Axioma, *Qui tacet, conſentire videtur*, in omni odioſa materia eſſe negandum.

Nota id bene.

SECTIO XV.

An infamia ſecundum eum ſufficiens?

An, quando de corpore delicti conſtat, torqueri is poſſit, qui crimina ſimilia olim commiſit?

ERat Romæ Froilandus latrociniis & rapinis infamis; & ibi furtum commiſſum fuit; & quia fur ignorabatur, Froilandum totius populi accuſabat ſuſpicio, qui diſcurrebat ſic. *Semel malus, in illo ſaltē genere ſemper præſumitur malus: at Froilandus de furto ſemel & iterum convictus eſt, ergo præſumendus eſt hoc etiam furtum commiſiſſe. Ergo ſubjiciatur torturæ, ut veritatem fateatur.* Et inquiris. *An legitima ſit hæc conſequentia?*

Reſolutio.

Reſpondeo majorem ex Iuris Regula fuiſſe deſumptam; minorem ſupponi eſſe veram; & primam conſequentiam admitti; negari autem ſecundam, quoniam Iuris benignitas diſpoſuit, ne ob præſumptionem nimis levem aliquis reus torqueatur. Et reſolvo, ubi nullum furtum de novo eſt commiſſum, non poſſe ob furta antiqua, ob quæ jam fuit punitus, inquiri, An Froilandus furetur vel non? Quod ſi furtum fuiſſe hodie commiſſum conſtet, nec fur ſciatur, licebit inquirere, An ille qui olim fur fuit, iſtud crimen commiſerit? non tamen licebit illum tortura ſine alio indicio condemnare. Gruner *theſi* XII. ubi hæc aſſerta ponit; quæ poterunt Lectori prodeſſe.

An à vita præterita argumenta fortia deſumantur?

I. Ex vita ante malè acta & converſatione cum facinoroſis, oritur quidem ſuſpicio, & non levis. II. Bene à præteritis ad præſentia concluditur. *l. ſicut.* §. *iiſdem. ff. de accuſat. l. non omnes à barbaris de re milit.* cùm nemo ſubitò mutetur. III. Vita ante malè acta, nonniſi cum aliis adminiculis & præſumptionibus ad quæſtionem imponendam ſufficit. Ita Bartolus & Doctores communiter *in l. de minore.* 10. §. *tormenta.* 3. *ff. de quæſt.* quorum doctrinam illuſtravit Ioannes Zanger. *tract. de quæſt. & tort. c.* 2. *num.* 80. Farin. *in praxi crim. lib.* 1. *tit.* 5. *quæſt.* 47. *num.* 4. Et patet *ex l.* 3. §. *Ejuſdem. ff. de teſtib.* & Carolus V. Imperator in Ordinationum ſuarum *art.* 25. *verſ.* erſtlich ob der Verdacht. An-ne etiam in Sacramento Pœnitentiæ, quod tribunal etiam eſt, pariformiter debet procedi? An-ne vita ante bene acta, & converſatio cum viris religioſis præbebit ſuſpicionem non levem, quod moribundus, qui nullo ſigno confeſſionem petiit, habet peccatorum dolorem, & deſiderat confeſſionem & abſolutionem ſacramentalem?

An moribundus ſenſibus deſtitutus, qui nullo ſigno confeſſionem petiit, poſſit abſolvi?

lem? An-ne levis quæcumque præſumptio, aut ſuſpicio ſufficiet ad abſolutionem concedam ſaltem conditionatè? An-non ſiquidem à præteritis ad futura ſine temeritate concluditur, poſſumus credere hunc velle confiteri ante mortem, qui in ultima confeſſione habuit veram voluntatem recipiendi Sacramenta ante mortem, & qui quotidie ſuum *Pater noſter* recitans, ore etiam abſolutionem petiit ſacramentalem dicens, *Dimitte nobis debita noſtra*, non miraculosè (non enim præſumẽdus à Deo poſtulaſſe prodigia) ſed ſecundum viam ordinariam, hoc eſt, media ſacramentali confeſſione? An-non in tali caſu præter vitam anteactam dantur alia adminicula & indicia ad præſumendum hunc voluiſſe muniri ſacramento ante mortem? An-ne in tali caſu, etiamſi nullum aliud ſignum edat, poterit aut debebit abſolvi? EGO QVIDEM doctrinæ conſequentiam amo, & hanc eamdem difficultatem me reſumpturum, & has ſingulas illationes dijudicaturum polliceor. Modò à parte benigna ſto, & rem inſinuaſſe, & veritatem tetigiſſe ſit ſatis.

Exponitur periodus Orationis Dominicæ.

Poſſe illum ſub conditione abſolvi, eſt hodie valde communis Theologorũ ſententia.

SECTIO XVI.

De argumento à ſociorum pravitate deſumpto.

LEgis in pſalmo 17. ſub med. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris*; & in Poeta vetere. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*: quibus conſonant ea, quæ leguntur *Proverb. 13. & 22. & cap. 3. de ſtatu Monach. l. ediles 25. §. 6. ff. de adilit. edic. 28. qu. 1. c. fr.* quæ dilucidat Math. Stephanus *in notis ad art. 25. num. 6. ord. crim.* Et inquiris quantam vim habeat hæc illatio, Hiſpanicè, *Dime con quien andas, direte quien eres*; Latinè, *Agit cum furibus, igitur & ipſe fur eſt*. An-ne tam fortis ſit, ut vel ideò poſſit quis ad torturam damnari?

Reſolutio.

Reſpondeo meram converſationem, & familiaritatem cum maleficis indicium ad torturam non facere. Sic definivit Carolus V. Imperator *Ordinationum ſuarum art. 25. §.* um vierdten. *juncto art. 27.* Ioan. Zanger. *tract. de qu. & tort. cap. 2. num.* 227. Math. Stephan. *ubi ſupra.* niſi quis opem & auxilium ad delinquentes juvandos, & crimen occultandum præſtiterit, hæc enim eſt prudentiſſima quædam limitatio, quâ idem Cæſar *in ejuſdem libri art.* 40. contraxit Regulam generalem, quam prius poſuerat. Conſonat Matth. Stephan. *in ſuis notis ibid.* Sanè, ſiquis opem tulerit reis, ſuſpectus erit, non verò ſtatim condemnandus, ſed examinandus, aut etiã torturæ ſubjiciendus; quia fortè juvit illos ex miſericordia, aut etiam amore indiſcreto, fortè etiam ex participatione delicti: ſed ſemper manebit indicium eſſe probabilius, & ad torturam ſufficere.

Aliud eſt ſceleratis loqui, & aliud opitulari.

An, qui reo opẽ tulit, damnari poſſit?

SECTIO XVII.

De aliis indiciis.

TRES mihi tradis examinandas conſequentias, Primam, *Loquutus eſt in aurem latroni convicto, ergo & latro, & complex criminis ipſe eſt.* Secundam, *Ioànnes habet formam pedis convenientem veſtigio impreſſo in loco delicti, ergo reus eſt.* Tertiam, *Habet formam pedis diverſam à veſtigio, ergo innocens eſt.*

Garrire in aurem.

An ſit indiciũ ad torturam ſufficiens?

Reſpondeo primam eſſe nullam, nec ſufficere ad torturam; poſſe tamen quandoque ad inquiſitionem ſufficere, præcipuè, ſi cautum ſit, ut nemo reo ſecretè loquatur: Marc. Blanc. *nu.* 232. Maſcard. *de prob. vol. 1. concl.* 80. *num.* 3. Et ratio eſt, quia aliquando homines, quæ coram toto Mundo poſſent, fortè & deberent, in aurẽ ſpirant; unde Martialis lib. 1. Epigram. 73. in Cinnam;

Garris in aurem ſemper omnibus Cinna.
Garris & illud, teſte quod licet turba.
Rides in aurem, quereris, arguis, ploras;
Cantas in aurem, judicas, taces, clamas,
Adeo-ne penitùs ſedit hic tibi morbus,
Vt ſæpè in aurem Cinna Cæſarem laudes.

Veſtigium pedis quale indicium ſit?

Secundam etiam rejiciunt Authores: poſſibile enim eſt eſſe duos, vel plures quorũ pedes eidem poſſint veſtigio cooprari. Conſonat Plot. *ad leg. ſi quando num.* 881. *C. unde vi.* diſſonat Boerius *deciſ.* 166. *num.* 4. qui forſitan poterit pro nobis exponi. Ego tertiam admitterem, quæ tametſi non ſit evidens, tamen non accuſat; & ſi non ſint alia indicia, quàm quæ ſumuntur à veſtigio, & huic non poſſit per Antonii cooprari, hunc crederem, ne examinandum quidem eſſe.

SECTIO XVIII.

An à ſingulorum officiis ad mores ſecura argumenta ſumantur?

DAmhouderus *in prax. crim. c. 36. n.* 17 à ſingulorum hominum officio, & profeſſione præſumptionem deſumit; conſiderat enim in ſingulis inclinationem ad delicta cognata, & inde argumenta deducit; putatque has eſſe bonas conſequentias. *Eſt molitor, ergo eſt fur; Eſt ſartor, ergo raptor; Eſt lanio, ergo ſanguinis alieni cupidus; Eſt muſicus ergo laſcivus; Eſt coquus, ergo ebrioſus*: &c. At tu, An erret Damhouderus inquiris.

An ſaltem probabiliora?

Reſpondet primò S. Gregorius Papa *hom. 24. in Evang.* multas artes cum peccatis probabiliùs connexas, gravem ſuſpicio-

Digitized by Google

ionem ingerere. *Piſcatorem Petrum, Matthaum verò teloneurium ſcimus*, ait, *& poſt converſionem ſuam ad piſcationem Petrus rediit, Matthaus verò ad telonei negotium non rediit; quia aliud eſt victum per piſcationem quarere, aliud autem telonei lucris pecunias augere; ſunt enim pleraque negotia*, (noto iſtud *pleraque*) *qua ſine peccatis exhiberi, aut vix aut nullatenus poſsunt*, (noto etiam iſtud *vix*, iſtud *nullatenus*) *qua ergo ad peccatum implicant, ad hac neceſse eſt, ut poſt converſionem animus non recurrat*.

Reſpondet ſecundò Fridericus Gruner *theſi* XIV. multò benigniùs & juri dicendo accomodatiùs aitque. [*Injuriam ſanè Artium mechanicarum ſectatoribus facit, Dambouderus, ... non enim ſi Lanius pecudum cade vitam tolerat, propterea ſanguinis etiam humani avidus arguetur; nec, ſi ſartor panni reliquum, ubi fortè incogitantia plus popoſcit, quàm opus erat, in ſuos uſus converterat; aut ſi molitor ampliùs, quam per ſtatuta licet, ſubtrahere ſolitus ſit, mox illum ad alia etiam furta animum intendere, jure quis exiſtimabit.*]

At ego argumenta, quę à patriâ, & quæ ab officio deducuntur, ſimilia eſſe pronũtio. Quod à patriæ moribus deſumitur non eſſe probabilius credidi *hoc Art. ſect.* 1. *ſub finem*; non enim mores ita univerſales eſſe poſſunt, quin plurimos ipſi non tangant. Idem de officiis Mechanicorum dico. Quod ſi alicubi certum ſit, plures laniones eſse homicidas, & multò pauciores non eſse, tunc ego hanc conſequentiam admitterem, *Eſt lanio, ergo veroſimiliùs homicida*, & majorem ſcimus eſse falſam, ſunt enim plurimi laniones, & rari ex illis homicidæ.

SECTIO XIX.

De accuſatione moribundi.

Quanti in judicio illa valeat ſit?

Repertus fuit Ioannes in foro ſemimortuus; tot perfoſſus vulneribus, ut ſupervivere non poſset; tamen confeſsus eſt ſacramẽtaliter, & expoſuit quàliter ipſe innocens & nihil mali moliens, aut cogitans, fuerit à Maſcarennio invaſus, & exceptus; & poſt horas pauculas vitam cum morte commutavit. Agitur cauſa coram Iudice, & indicia vergebant in Ambroſium, quem moribundus excuſavit, & nullum erat omninò indicium contra Maſcarennium, quem accuſavit; & interim hæret Iudex, & quî diſcurrere debeat ignorat: ſed interrogat quantam vim habeant ſequentes conſequentiæ. I. *Ioannes in articulo mortis declaravit homicidã eſse Maſcarennium; at incredibile eſt voluiſſe Ioannem ad Infernum deſcendere & crimen falſum Maſcarennio imponere: Maſcarennius igitur judicandus eſt reus.* II. *Idem Ioannes optimè ſuum ipſe aggreſſorem cognovit: at ipſe excuſat Ambroſium: ergo iſte quidquid indicia videantur ſuadere, innocens eſt.*

Reſpondeo nihil concludi ſyllogiſmo priori, nec poſse vi hujus accuſationis Maſcarennium torturæ ſubjici, benè autem examinari. Ratio eſt; quia nec omnes moribundi tam ſancti ſunt, qui nolint fallere; nec tam perſpicaces, qui falli non poſſint. Qui ex improviſo invaditur, illum coram ſe videre ſe putat, quem timet. Vt ut nõ turbetur, multi ſũt homines ſceleratæ conſcientiæ, qui pœnas inferni non curant; adeoque prudens Iudex moribundi confeſſioni, fortè à ſatellitibus extortę, fortè ex errore prolatæ, aut etiam fortè ex malevolentiâ confictæ, parum aut nihil deferat; ſed judicium ſuum Iuſtiniano & aliis Viris magnis ſubjiciat, qui hujuſmodi cõfeſſiones & accuſationes non curant; ut conſtat ex *l.* 3. §. *ſi quis moriens.* 1. *ff. ad S.C. Syllan.* morientes enim ut habet Gloſſa *in cap. literas extr. de praſumpt.* non ſemper dicunt veritatem.

An omnes moribundi habeãt rationem ſua conſcientia.

Porrò, ut turbationem malitiamq; moribundorum arguam aut referam, unum vel alterum caſum ſubjiciam. Vidi olim Madriti lethaliter tranſverberatum hominem ad domum chirurgi conferri à duobus Patribus Dominicanis, & quatuor vel quinque ſatellitibus. Vix erat ſenſuum compos, & in ipſo itinere ejus æternæ ſaluti proſpicientes ſancti illi Patres, ut Dei recordaretur, ut veniam inimico concederet, ut ſibi à Domino concedi poſtularet; & tamen ipſi interpellabantur tertio verbo ſatellitum importunitate, id unum deſiderantium ſcire, quod Religioſorum opinione ſubtieeri deberet. Nomen Rei requirebant Satellites, nec volebant permittere ut confiteretur ſacramentaliter, quin priùs Reipublicæ interroganti reſponderet: & Chirurgus ſua eſſe ante utramque confeſſionem examinare vulnera, & remedium adhibere putabat. Quid cogitaret, obſecro, moribundus ille, in medio poſitus, chirurgi, Religioſorum, Satellitumque mirabilem contentionem audiendo? Confuſum chaos! Deberet procul dubio vociferationibus obtundi, dubitationibus turbari, nec ſcire quid dicere aut tacere deberet. Quid, ſi ex turbatione aliquem in ſpecie accuſaret? Cur deberet ei credi, cum ne vigilantiſſimo homini in cauſa propria teſtificari liceat. *l. nullus.* 10 *ff. de teſt. l. omnibus* 9. *C. eod.* & ipſe fuerit omninò perturbatus? Illum ſub Satellitum tyrannide patientem relin-

Caſus primus.

Caſus alter.

linquamus, veniamus ad alrerum, Ad Titium, Ducis de Lermâ famulum, qui ſemel graviter vulneratus, in plateâ cœpit publicè confiteri, & graviſſima quæque flagitia ſibi imponere, & honeſtiſſimos viros complices incuſare; ſupervenit ſenior quidam Canonicus, qui morituro diſplicuit, quod ſuppreſsâ eum voce ſua ſcelera confiteri juberet, nec complices expreſsè nominare; tunc ille apprehenſis Canonici veſtibus (imò ſi veniam det modeſtia, interceptis annoſi corporis ſecretis partibus) clamare incepit, ſe ab illo ſene vulneratum. Turbatur populus, & quia ſub juſto Deo nemo innocens patitur, vulnerati malevola petulantia detegitur; in carceres ipſe detruditur; curatur diligenter; & poſt paucas hebdomadas ducentis flagellis condemnatur; Firmant hanc doctrinam multæ hiſtoriæ, quæ de ultima ſententia condemnatis in variis provinciis narrantur, ob ſcelera graviora criminoſi in Germania Rotam ſubeunt. Eſt ſupplicium horribile: nam priùs carnifex rota ferrata frangit tibias, crura, brachia, &c. poſteà ægrè cohærentia membra rotæ alii illigat. Et hanc tandem in altum erigit. Vivunt interdum in rota illa infelices duobus diebus. Et quid faciunt? Imitantur-ne S. Andream, qui cruci ſuffixus; & biduum vivus pendens, & nunquam Chriſti fidem prædicare intermittens, ad eum migravit? Sic deberent nam patienter tolerando cruciatus, ſatisfacerent Iuſtitiæ Divinæ & humanæ. At multi ex his, etiam dum agunt animam, blaſphemias in Deum & Sanctos evomũt, calumnias blaterant; vlulantq; perniitioſa mendacia; iter-agentes vocant eiſque jubent nonnulla, quæ cum piarum auriũ offenſione narrarentur. Hanc ob cauſam hodie inter Catholicos antequam ad rotam transferantur, ſtrangulantur, aut capite aut pectore contuſo occiduntur. Quæ uberiùs recenſere volui, ut vel hinc colligi poſſit eſſe multos homines perditiſſimæ converſationis, qui ne quidem in agone ultimo Deum timent, aut homines reverentur; unde meritò emanare potuerit proverbium, quod aſſerit, *Non eſſe omnem morientem alterum S. Ioannem. Evangeliſtam*: inter mortales enim jam non ſufficit, *Moribundus, qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus.*

An moribundo credendum ſit in præjudicium tertii? An in præjudicium ſui ipſius?

Puto igitur non eſſe ſtandum morientis confeſſioni in præjudicium tertii; poſſe tamen nonnunquam in præjudicium ejuſdem morientis. *l. ſi quis in gravi. 3. §. ſi quis moriens ff. ad S.C. Syllan.* Gramm. *deciſ.* 56. *num.* 15. & conſequenter puto hujuſcemodi incriminationem ad inquiſitionem quidem, non verò ad torturam ſufficere, præcipuè cum ſic definierit Imperator Carolus V. *Ordinationum ſuarum art.* 25. *verſ.* zum Sechſten. cujus decreti æquitas ſuaderi poteſt, ex his quę docet Blanc. *in fin. nu.* 393. *ff. de qu.* Farin. *in prax. crimin. lib.* 1. *tit.* 5. *qu.* 46. *num.* 35. Zanger. *de qu. & tort. cap.* 2. *num.* 59. qui addit (& nota hoc obſecro) hanc ſententiam unicam in praxi obſervari. Addo exculpationem factam à vulnerato eſſe innocentiæ optimum argumentum, vi cujus poſſint alia indicia, ſi non omninò tolli, ſaltem ita enervari, aut debilitari, ut ex iis facilè torqueri non poſſit. Iacobus Menochius *lib.* 5. *præſumpt.* 48. *nu.* 7. Carpzovius *prax. crimin. p.* 3. *qu.* 120. *nu.* 58. & 59.

SECTIO. XX.

De poſſeſſione rerum furto ablatarum.

Examini etiam ſubjicis has conſequẽtias. I. *Res furto ablata eſt apud Petrum; ipſe igitur fur eſt.* II. *Ioannes habet claves adulterinas, ergo ad furandum.* III. *Antonius caret patrimonio & officio, & tamen magnos ſumptus facit: ergo rapina victitat.*

De clavibus adulterinis.

De ſumptu exceſſivo.

Poteſt quis habere res furto ablatas, & eſſe furtivas neſcire.

Reſpondeo juxta Regulam Iuris *ignorantiam præſumi, ubi ſcientia non probatur*, adeoq; non ſufficere ad torturam res furtivas reperiri in domo Petri, ut ipſe torqueri jubeatur; potuit enim neſcire illas domi ſuæ eſſe, & ut ſciret potuit procedere bona fide, & eſſe furtivas ignorare. Tunc igitur examinandus & audiendus eſſet Petrus, & ſuſpicio hæc vita ipſius anteacta veniret augenda aut enervanda. *l.* 2. *l. civile* 5. *C. de furtis.* Fr. Zoanett. *ad l.* 4. *C. de edend. nu.* 7. *& §. oblatum. in fin. Inſtit. de oblig. quæ ex delict. l. ancilla.* 12. *in fin. l. eos qui* 14. *C. de furt. l.* 3. *§.* 3. *ibid. quid enim ſi ignarus recepit. ff. de incend. ruin. naufrag.*

Potuit inveniſſe.

Quid ſi rem illam inveniſſe ſe dicat? Difficulter ſe expediet, niſi hanc ipſam inventionem eſſe veræ ſimilem ſuadeat.

An qui rem furto ablatam cuſtodit, torqueri queat?

Cuſtodem rei furto ablatæ ſine alia ſuſpicione torqueri poſſe, ut aut furem indicet, aut ſe furem fateatur docuit Bartolus *in l.* 1. *ff. off. Præſid. per l.* 3. *§.* 2. *in fin. ff. eodem. gloſ. in l. ſi quis domum.* 9. *§. Imperator. ff. locati* Bartolum ſequitur Angelus Aretinus *in prax. verb. etiam veſtem cæleſtem. num.* 17. Plot. *ad l. ſi quando. nu.* 412. *ſub fin.* Maſcard. *volum.* 2. *concl.* 829. *num.* 11. ſed cum aliqua limitatione quæ quidem ſententia nimis rigida videtur Friderico Gruner *theſi* XVII. cum tamen fateatur Iure Moſaico depoſitarium furti ſuſpicionem incurrere, & poſſe appellari ad Iudices, & cogi, ut ſub juramento declaret, an extenderit manũ ſuam ad rem proximi ſui. *Exod.* 20.7.

Ego

Non omnes leges Moſaicæ exciderunt: manent, quæ erant definitivæ.

Ego quidem exiſtimo mediam viam ſecuriſſimam eſſe; & quia materia eſt, quæ non tam leges, quàm æquitatem prudentialem concernit, poſſe Iudicem etiam Chriſtianum obſervare veteris teſtamenti illam legem quæ non eſt ceræmonialis aut præceptiva, ſed definitiva; adeoque ex natura rei vera. Debebit igitur ex officio ſuo Iudex Illum, apud quem eſt res furtiva, examinare; & inquirere, unde illam & qualiter habeat? quod, ſi illam in cuſtodiâ aut depoſito ſe habere expoſuerit, rogare poterit nomen depoſitoris & ſi depoſitarius illud obſtinatè detegere noluerit, poterit ad torturam damnari. Quòd ſi ſincerè dicat ſe bonâ fide à tali, aut tali ex tali motivo recepiſſe, videtur ignorantia criminis debere præſumi, ubi ſcientia non probatur, & ſufficere ut habeatur in Exodi citato capite, ſi hanc maculam aut ſuſpicionem juramento eluat depoſitarius.

An etiam hamatas claves habens?

E clavibus ſumi poteſt indicium, ſi perſona ſit talis, cui ad nihil illæ aliud ſervire poſſint. Nam ſi faberferrarius quis ſit, licitè poterit harpagones, uncinos, & claves qualeſcumque babere, ſine quibus ſeras aperire non poſſet, cum ab his, qui claves perdiderunt, vocatur. Menochius *lib.5. præſumpt.31. num.16.* Zanger *cap.2. nu.68.*

An etiam pauper prodigus & multas pecunias dilapidans?

Si aliquod furtum commiſſum ſit, & ignoretur fur, poſſe examinari pauperem, qui dicitur prodigos ſumptus facere, apud omnes in confeſſo eſt. Quod ſi non oſtendat unde pecunias habeat, etiam torqueri. Quod ipſum facere tenentur Iudices in Germania ex Caroli V. præcepto, qui *Ord. art.43.* id juſſit. Conſonat Math. Stephan *in notis ibid.* Sed inquiris, An ſola hominis paupertini prodigalitas ſufficiēter inferat ſuſpicionem, ut ipſe etiam, ſi non conſtet furtum aliquod eſſe commiſſum, civiliter examinari poſſit? Poſse exiſtimo, ſi detur infamia aut ſcandalum illa enim Rempublicam maculat, id alios ad peccandum inducit.

Ioannis del Caſtillo, celeberrimi apud Hiſpanos furis, furtum & ejus tragœdia.

Vidi Madriti D. Ioannem del Caſtillo in aulâ, vidi etiam in patibulo. In illa fuerat longo tempore cultus & honoratus & in iſto miſerrimus mortalium fuit. Erat ipſe è vilibus parentibus natus, acuti ingenii vir, ſuperbiæ impotens, & alta ambiens. Dedit nomen ſocietati latronum, multa lucratus in campo, audax urbem ingreditur, & conductis è ſociis, quatuor egregiis nebulonibus, quorum alterum Oeconomum, alterum Stabularium, alios nobiles (*Hiſp.* Gentilombres) dixit, domū magnam inſtituit, & aliis famulis admiſſis, Magnus audiit. Ut poſset tolerare numeroſam familiam, interdiu maximos Principes inviſebat, domos etiam Campſorum frequentabat, pecunias exigebat ſub pignore, ſtato tempore ſolvebat, ut vel ſic domos benè cognoſceret, & loca ubi pecuniæ & theſauri recondebantur, obſervaret. Benè ſingulis circumſtantiis perpenſis, noctu cum ſuis quatuor egreſsus, ad ſlaviſsas præviſas penetrabat, & ſuffurando hodie mille, cras bis mille, magno ſplendore victitabat. Omitto cætera; nam & uxorem duxit, ditiſſimam & nobiliſſimam, deceptis matre & aviâ: & alia præſtitit ingenio plena, quæ eſset perlongum recenſere. Tragœdiam ad metam produco, & indicia, quæ maximè Ioannem dejecerunt, enarro. Inceperunt illius gloriæ, & divitiis invidere nonnulli: eum prius prodigalitatis accuſare; & ſubdubitare poſteriùs, undè haberet tot reditus, qui magnificentiæ ſufficerent. Monetur Conſul (*Corregidor* in Hiſpania vocatur, quod ſui muneris ſit reos corrigere) Ioannem viſitat, libros expenſorum & receptorum petit, & unde tantæ divitiæ glomerentur, interrogat. Hæret fur; turbatur, trepidat; & inopinatâ rogatione perculſus vix labia movet. Hoc indicio accuſatus capitur: concipiuntur & famuli etiā uxor, & lectiſsimæ nonnullæ Virgines, quę illi adhærebant. Fatetur Ioannes omnia: innocētes tertiâ die dimittuntur: ſervātur quinque rei. Ex iſtis duo ſuffugiunt; & poſt pauculos dies Ioannem, & hinc inde duos ſocios holoſerico ornatos in medio foro Madritenſi una furca ſuſtinuit, ut ſimul luerent, qui etiam ſimul peccarant. Relinquo affinium confuſionem, uxoris lachrymas, ephœborum miſeriam, confiſcationem omnium rerum: & hoc unicum addo, videlicet, Arithmeticam eſse fidelē Iudicem, & errare non poſse; & condemnare furti eum, qui licet ex queſtu licito parum vel nihil habeat, multum prodigit.

Arithmetica integerrima Index.

SECTIO XXI.

De indiciis, quæ in materia luxuriæ.

SPecialiter rem veneream conſideras, & quantum hæ valeant conſequentiæ perquiris. I. *Tua conjux oſculatur libidinosè Antonium, ipſi igitur proſtituit ſe.* II. *Cloris comprehenſa eſt à contrectationibus ſervire Ferdinando, ergo etiam cum illo commiſcetur.* III. *Solus cum ſolâ in cubiculo inventus eſt, ergo eſt fornicarius.* IV. *Uxor invito marito foris pernoctavit, ergo commiſit adulterium.* V. *Cum viris alienis ſuo contradicente balneum, aut fluvium adiit, ſe inverecundè lavit, ergo caſta non eſt.* VI. *Parrochus, vir fama integra, ab ancillâ accuſatur, quod copulam cum ipsâ* ha-

habueris, ancillæ igitur credendum eſt, VII. *Joannes Calvinus de ſodomia à complice puello accuſatur; igni igitur mandandus eſt*.

An oſcula adulterium evincant?

Primam conſequentiã admittunt multi apud Menochium *lib. 1. præſumpt. 41. nu. 26.* negat Riminald. *conſ. 88. nu. 5.* Blanc. *de indic. nu. 69.* Gruner *theſi* XVIII. ſuamque iſti ſententiam duplici argumento corroborant; primum deſumunt ex lege *quod ait, 23. in princ. ff. de adult.* ſecundum è veterum placito, qui oſcula in quartã amoris linea conſtituerunt, adeoque viderentur eſse indicia remota, nec ſufficientia ad torturam.

Mores & gentes diſtinguenda.

Et quidem Ego in materiâ lubricâ homines & provincias diſtinguerem. In Gallia enim & ferè in toto Belgio oſcula urbanitatis gratiâ recipiuntur, & dantur, adeoque in eiſdem provinciis, quis poſset Argus oſcula urbana, aut etiam jocoſa à libidinoſis diſtinguere? Quî poſset Petronilla convinci, non ex honeſto affectu Antonium, nec ex joco, aut urbanitate, ſed ex merâ libidine oſculis honoraſſe? Nam cum oſcula frequenter ex urbanitate dentur, rarius ex voluptate, ex Iuris Regulâ debet fœmina abſolvi, quia in dubiis, & obſcuris decernimus, quod eſt veroſimilius, & quod plerumque ſolet fieri. At in Hiſpaniâ & Italiâ, ubi oſcula ex urbanitate non dantur, & omnia libidinoſa præſumuntur, fortiùs poſſet argumentum deſumi, nec improbabiliter adulterium ex oſculis laſcivis inferretur. Angliam Hiſpaniæ adſcriberem, ſi OWeno crederem; at puto ipſum non tam patrios mores, quàm carminis leporem reſpexiſſe, cùm ex oſculis non adulterium modò, ſed & contranaturalem copulam probare præſumit, & nomen OS-CVLVM, in partes duas dividens, concludit, aitque, *Quæ dedit os, reliquum non minus illa dabit* Quidquid igitur de Angliâ ſit, quam ſicut Martini Lutheri & Joannis Calvini religione, ſic etiam eorum moribus infectam videmus & dolemus; has ego pro aliis provinciis Poſitiones adjungo.

alii in Hiſpania, & in Italia.

imò etiam Anglia.

Hiſpanarum & Italarum fœminarum ſeveritas.

Prima. In Hiſpania & Italia inter perſonas nobilioris fortunæ tanta eſt converſationis gravitas & ſeveritas, ut ne manus quidem contactus admittatur; ergo in eiſdem provinciis, qui ſe mutuò oſculantur, caſti non ſunt. Cùm igitur fœminarum ingenium ſit, ut videri velint etiam in ipſo actu venereo caſtæ, aut ſaltem invitæ & difficiles; quæ oſculum dedit, videtur animum clariùs expoſuiſſe, quàm quæ invaſa ab amaſio, tanquam quæ vincere nollet pugnans, peccavit contra caſtitâtem. Igitur ab oſculis in eiſdem provinciis fortiſſimum argumentum deſumetur.

Omnium fœminarum ingenium.

Moroſa oſcula.

Secunda. In Gallia utraque (Francica & Belgica) oſcula non moroſa à moroſis diſtinguerem. Et ex prioribus nihil gravius concluderem; at ex poſterioribus remotum aliquod argumentum, non tamen valdè probabile formarem; remotum inquam, & vi cujus dubitare de fœminæ caſtitate inciperem, non tamen tantùm, ut cenſerem eam valdè probabiliter eſſe damnandam. [Vide interim Gothfridum *in notis ad l. 16. C. de donat. ante nupt. titul. 6.*]

Gallarum fœminarum levitas aut ſinceritas.

Contrectationes nimium probant.

Conſequentia ſecunda eſt præcedente multò fortior, & æquè videtur ſtringere in omni provincia vel patria; nullibi enim Luperci habitant, qui luxurioſos tactus, præcipuè partium internarum, ad urbanitatem reducant. Quam ob rem nimis clemens videtur nobis eſſe Gruner, *diſputationis ſæpius citatæ theſi* XVIII. qui aſſerit adulterium ſtuprum-ve præſumptivè non ſatis ex contrectationibus probari poſſe; cùm tamen alii contrà tantam illis authoritatem tribuant, ut adulterium tam præteritum quàm futurum indicare crediderint. Videatur Blanc. *de indiciis num. 69.*

Quid dicendũ ſit de tactibus habitis inter maſculos?

An-ne maſculi convicti de tactibus, ſunt ſtatim dicendi Sodomitæ? Non puto. Suaderem hic gentem à gente, provinciam à provincia diſtingui, aliquæ enim deteſtantur hoc crimen, aliquæ illo laborare dicuntur. Vt omittam regiones cæteras mihi non ita notas, qui in Hiſpania frequenter audiunt confeſſiones, teſtantur inter molles paucos Sodomitas reperiri; quò etiam revelationes ſpectant, è quibus didicimus multos homines propter mollitiem, non tamen multos propter indicibile crimen ad infernum damnatos. Exiſtimo igitur pro hominum diverſitate graviùs aut minùs graviter ex Impudicis tactibus probari infandum ſcelus, nullibi certò & infallibiliter, at probabiliter alicubi, ſi aliæ ſuccedant circumſtantiæ.

De ſolo cum ſola reperto.

Ad aliam conſequentiam tranſis, & Mariolam adulteram proclamas, quòd fuerit ſola cum ſolo Friderico reperta. Sed hoc indicium, ſi metum, leve eſt; ob negotia enim ſæpè contingit fœminam & virum ſolos eſſe. Aliud eſt ex accidente eſſe ſolos, aliud ex conſilio carere teſte, & eſſe in cubiculo firmiter clauſo; tales enim poſſunt circumſtantiæ concurrere, ut illud primum indicium intendatur. Favet noſtræ reſolutioni caput *præterea 27. extr. de teſtib.* cap. *litteris 12. cum cap. ſequenti. extr. de præſumpt.* Conſule Carpzovium

vium

Digitized by Google

vium *prax. crim. part. 3. q. 122. num. 70.*

De balneo & fluvio.

Conſequētia quarta & quinta multa in genere indicare poteſt, nihil in individuo; vidimus enim Bruxellæ quamdam excellentiſſimam Principem, natione Gallam, quæ tametſi conjugata, veſpere ad foſſas iret, & coram omnibus ſe denudaret & lavaret, nec tamen eſſe adulteram unquam audivimus. Fridericus Gruner *Theſi* XVIII. ſic inſit. [Honeſta non eſt quæ ejuſmodi facit: & procedunt quidem ſimilia ad probandam inhoneſtatem turpis libidinis, non autem ad probandam copulam. Maſcard. *de probat. volum. 2. concl.* 983. *num. 9.* cujus argumentum non obſcurum eſt *in leg. vim paſſam. 39. §. mulierem. 4. ff. de adult.* & facit quod in *l. cōſenſū. 8. l. fin. §. inter copulas. C. de repudio. nov. 22. c. 16. nov. 117. c. 8. in fin.* hæc ab adulterio ſeparantur. Quod ſi ex his adulterium certò præſumeretur, non opus fuiſſet in illis novas divortii cauſas conſtituere; ſed bene contineretur ſub generali adulterii nomine.]

De accuſatione ancilla.

Penultimam conſequentiam video ſtatim admitti, præcipuè ſi Parrochus ſit opulentus, & ipſi poſſint ejuſdem infortunio ditari. At ego levem crederem, & ulteriori ſubjiciendum examini.

An ex dicto unius pueri ad torturam veniri poſſit?

Vltimam conſequentiam Fridericus Gruner *theſi* XIX. hac cenſura perſtringit. [In crimine Sodomiæ ex ſolius pueri dicto reum torqueri poſſe, valde durum videtur. Eſt enim teſtis unicus, & non omni exceptione major; planè, ſi quædam alia adhuc ſigna deteſtandi hujus criminis adſint, Iudex ad quæſtionem erit pronior. Vide latiſſimè Thom. Triviſian. *libr. 2. deciſ. 13. & 14.*] cujus ego ſententiæ tanquam veriſſimæ ſubſcribo; & exiſtimo ſolius puelli depoſitionem ad inquiſitionem, non verò ad torturam ſufficere.

Reſolutio benigna hiſtoriis variis confirmata.

Quàm multi calumniatores ſint?

Et quidem, ſi veteres hiſtorias legimus, aut caſus qui noſtro ævo acciderūt, examinamus, magnam calumniarum ſegetem reperiemus, & diſcemus quo debeamus modo de his duabus ultimis ſequelis judicare. Multa poſſem producere, ſed quia hac nocte in Matutinis Athanaſium, Pontificem Alexandrinum, à quādam accuſatum hoſpite vidimus, prodērit paucas lineas exſcribere, & Iudices monere univerſos. *Coacto ad Tyrum Concilio, magnâ ex parte Arianorum Epiſcoporum*, ait Hiſtoriographus, *ſubornarunt mulierculam, quæ accuſaret Athanaſium, quod hoſpitio acceptus, ſibi ſtuprum per vim intuliſſet. Introductus igitur eſt Athanaſius, & una cum eo Timotheus Presbyter, qui ſimulans ſe eſſe Athanaſium, Ego-*

Athanaſius à calumniatoribus accuſatur.

ne, inquit mulier, apud te ſum diverſatus? Ego te violavi? Cui illa petulanter. Tu mihi vim intuliſti. Idque jure-jurando affirmans, Iudicum fidem obteſtabatur, ut tantum flagitium vindicarent. Quâ cognita fraude rejecta eſt mulieris impudentia. Iudex igitur ad unius mulierculæ aut pueri vocem non debet formare aſſertivum dictamen. Fortè qui accuſatur eſt reus, fortè innocens. Verum debeat aſſerere, aliunde Iudex eruet; nam Patres Synedrii Tyrenſis potuerunt vi hujus accuſationis inquirere; at errāſſent graviſſimè, ſi ejuſmodi accuſationis virtute Athanaſium innocentem damnaſſent.

Hinc ante paucos menſes fœminæ, quæ à Parrocho ſe concepiſſe ajebat; & hoc poſt illius mortem: perpetuum ſilentium indixi. Si enim vivum non poſſem, jam mortuum minùs poſſem ad unius mulierculæ vocem condemnare.

Quid amplexus ſignificans?

Addere adhuc volo aliud exemplum, quod dant Canones. Euthymius Presbyter viſus eſt amplexari Iſabellam: & Eutropius hanc eamdem actionem condemnavit. Et quæritur, An Iudex temerarius ſit?

An libidinem arguant?

Videntur aſſerere Canones *cap. Abſit 11. quæſt. 3. cap. in ſcripturis diſt. 96.* quibus Corvinus *in Iuris Canonici per aphoriſmos ſtrictìm explicati titul. 30.* conſonat, & putat Eutropium temerè judicaſſe illud ex libidine ab Euthymio eſſe factum; cùm benedicendi vel ad pœnitentiam exhortandi gratiâ id fecisse præſumptio ſit. At ego neſcio, an Iſabellæ maritus Canoniſtis ſubſcriberet: Ego enim, ut judicium ferrem, qualitatem fœminæ, imò etiam famam ejuſdem Sacerdotis; occaſionem, & mores Patriæ conſiderarem. Si enim aut illa dubiæ authoritatis muliercula; aut locus & ratio tantam familiaritatem argueret; aut ipſe Presbyter non eſſet converſationis illibatæ, ſuſpecta judicarem omnia; & dicerem loqui Pontifices non juxta mores hujus temporis, ſed juxta antiquos & ſuo ævo communes & receptos in Latio: nam etiam hodie de oſculo aliter Galli, aliter Hiſpani debent philoſophari; nam in Frāciā ſalutantibus urbanitatis gratiâ recipitur, aut etiam datur: quod in Hiſpaniâ aut etiam hodie in Italiâ non permittitur. *Hodie* conſultò dixi; olim enim in toto mundo aut fere pacis oſculo ſe excipiebant amici: nam de oſculorum uſu & abuſu Martialis noſter multa habet; multa etiam ſacræ Litteræ: aliqua Divus Benedictus in Regulâ Capite LIII. Vnde Ego hoc argumentum ad mores illius ævi efformo. [Si olim in toto mundo; aut

Mutantur mores tempore; nã olim oſcula urbanitatis gratia ubique terrarum dabantur, & hodie non ubique dātur.

An amplexus Oſculi nomine ſignificetur?

ſere, ſicut in Galliâ & Belgio hodie, urbanitatis & honeſtæ benevolentiæ gratiâ oſcula recipiebantur & dabantur; à fortiori amplexus poterant: maximè cùm Caſſinenſes *oſculi* nomine nonniſi amplexum intelligant. Ergo temerè judicaret ille, qui ſanctos & pios Monachos aut Presbyteros inſimularet de libidine, quod ex more Patriæ & præſcripto Regulæ virum aut fœminam amplexu aut oſculo honorarent.]

Etiam in oſculis ex urbanitate datis eſt periculum.

Porrò ejuſmodi actus excuſat & cohoneſtat conſuetudo & neceſſitas; at D. Benedicto neutra placet; ſic ipſe ait. *Vt ergo nunciatus fuerit hoſpes occurratur ei à Priore, vel à Fratribus cum omni officio charitatis; primitùs orent pariter & ſic ſibi socientur in pace: quod pacis oſculum non priùs offeratur, niſi oratione præmiſſâ propter illuſiones diabolicas.* Et ego in Theologia Regulari *num. 979.* ſic inquã. [Oſculum pacis urbanitas petebat olim, quæ jam in variis provinciis exolevit. Erat civilitas periculis multis obnoxia, quam pietatis Magiſter Benedictus non eſt auſus intermittere, ſed admiſit correctis tamen circumſtantiis. Præmitti voluit orationem: Sciebat enim P. Sanctiſſimus hanc eſſe dæmonis eliminatricem; Dæmon enim qui multa patitur, multa tolerat, multa expectat, nec orationem patitur, nec orantes tolerat, nec lucrum apud eos expectat. Fugit, quos fugare non poteſt. Hîc obiter notari velim, quãti facienda ſit Vrbanitas. Vel non agas cum hominibus, vel ita agas ut nullũ offendas; Mellifluus Doctor ſtuduit habitûs & corporis compoſitioni, ne intuentes offenderet. Fugit hominum commercium S. Benedictus, & deſiderat neſcire ſæcularia. Hoſpites non quærit; venientes tamen hilari animo devotâque libertate recipit, audit verba quæ timet, offert pacis oſculum, quod recuſaret, ſi per patrios mores liceret: nemo enim inurbanus eſſe proximo poteſt. Iniquus, qui negat alteri, quæ illius ſunt; & nonniſi alterius omnia illa ſunt, quæ debentur ex urbanitate. Sed de hoc uberius in parte Politico-Monaſticâ] *Sic Ego ibi.*

Orationis potentia.

Habitus & corporis compoſitio & modeſtia.

SECTIO XXII.

De indiciis, quæ in materia homicidii.

AD homicidia venis; & quia deſideras delere ferinos homines, qui in ſuam ſpeciem ſæviunt, doceri vis quãtam vim habeant ſequentes conſequentiæ. I. *Antonia abortum fecit, abortum ergo procuravit.* II. *Venter Margaretha ſucceſſivè intumeſcebat, & tamen repente ſubſidit; ergo illa erat gravida & abortum procuravit.* III. *Infans mortuus repertus eſt, & Cloris lac in mammis habet: igitur ipſa mater & interemptrix ipſius eſt.* IV. *Antonia uterum furtim geſſit & occultavit, ſola dolosè peperit, infans cõpares mortuus; ab illâ igitur fuiſſe occiſus præſumendus eſt.* V. *Cadaver veniente Petro ſanguinem emiſit; ergo Petrus homicida eſt.* In gratiam tui ſingulas exponemus.

Abortus ſæpè ex morbo fiunt.

Prima mihi conſequentia ſeorſim ſumpta videtur omninò temeraria & indigna, cùm certum ſit abortus ſæpiſſimè ex morbo contra voluntatem contingere, nec debet violentus præſumi, niſi detur concomitans aliqua ratio. Si ſciretur Antoniã Petrumq; prolium tædio, ſcelerarè conjungi, ſemenque extra vas decidere, & contra intentionem prolem illam fuiſſe conceptam; videretur præſumi fœminã, quæ convincitur feciſſe diligentias, ne conciperet, feciſſe etiam aliquas, ut conceptũ extingueret & egereret. Et conſequenter dici poſſet omnem abortum factum à ſolutâ miſeriam ſuam diſſimulante, tametſi naturaliter aliquando contingat, ſemper eſſe ſuſpectum & parentis crudelitatem indicare.

Aliquando ex malitia.

Secundam conſequentiam admittere videntur Cæſarei Senatores *juxta articulum 35. Ordinationum Caroli V.* ſed cum limitatione propoſitâ à Carpzovio *pract. rer. crim. part. 3. q. 122. nu. 20.* Cùm enim ejuſmodi tumor ex morbo contingere poſſit, & per medicinas reſolvi, neceſſariũ omninò eſt ut Judex in hac causâ cautè & pedetentim procedat, nec fœminam torturæ ſubjiciat, niſi aliæ circumſtantiæ concurrant. Maſcard. *de prob. concl. 114. n. 16.* Matth. Steph. *in not. ad art. 35. ord. crimin.* Sed quî Iudex procedet? Primo conſideret perſonam & ingenium puellæ, cujus crimen inſinuabit petulantia, loquacitas, frons procax, greſſus liberior, viſus audax; cujus etiam innocentiam defendet modeſtia, verecundia, taciturnitas, gravitas, & honeſtas. Sic diſcurrere me docuit Imperator Carolus V. *art. 35. verb.* VVodan dieſelbe Dirne ein Perſon iſt dar u man ſich der verdachten That verſchen mag: &c. Secundò committatur honeſtis obſtetricibus, quæ examinent, an ipſa pepererit, aut nõ? *d. art. 35. ibi* ſoll die zwey verſtändige Frawen, &c.

Ventris tumor ſuſpectus.

Conſideranda eſt puellæ qualitas.

An lac nonniſi poſt partum ſit?

Tertia conſequentia per ambages procedit. Ex mammarum lacte puerperium colligit, & ex puerperio infanticidium. Sanè ſola lactis præſentia in mammis non eſt probabile puerperii indicium: experientia enim docet juvenes (non tarò ut

putat

An maſculi lac in mammis habeant?

putat Fridericus Gruner *theſi* XXII. ſed ſemper) habere turgentia ubera, & quæ lacte, ſi comprimantur, exuberent; quod verificatur in maſculis ſub unde-vigeſimum aut vigeſimum annum, in fœminis verò liberiùs Matth. Steph. *in art. 36. Ord. crim.* Hinc eſt quod fœmina, etſi lac habere videatur, torqueri non poſſit, ſed debeat ab obſtetricibus aut aliis peritis viraginibus examinari, an pepererit, ut diſponunt Caroli V. Ordinat. criminales *art. 36. verſ.* Nach dem aber *&c.*

An ex puerperio clandeſtino, infanticidium inferatur.

Hic tamen advertendum eſt ex inſpectione ab Obſtetricibus factâ puerperium, non tamen infanticidium probari; poſſeq; fœminam de puerperio convictam interrogari, an infantem ſervaverit? quæ, ſi illum oſtendere poſſit, omninò liberanda eſt, credendumque duas ſub idem tempus peperiſſe, alteramque occidiſſe infantem, & alteram illum ſervaſſe, adeòque in tali caſu ſervatrice muliere prætermiſsâ ad inquiſitionem interemptricis deveniendum eſſet. Quod ſi illa ſe infantem mortuum peperiſſe teſtetur, non eſt cur ei credatur, maximè ſi ille vulneratus aliquomodo ſit; cùm experientia doceat in tantâ turbatione conſtitutas mulierculas interdum eſſe prolicidas? (Nam Viennæ adhuc imperante Ferdinando II. dum canalis publicus purgaretur, qui ſordes excipit, octodecim infantium ſchelera reperta aulam & urbem perturbarunt.) Sed cur non credendum erit matri? Proles fruſta earum ſunt, illaſque intenſiſſimè diligunt; & quæ rigoroſius à præceptore filiolos haberi non tolerant, an-ne manibus propriis eoſdem necabunt? Res eſt omninò ambigua, in quâ Iudex debet eſſe, nec feſtinus, nec præceps, ſed prudenter ſingula conſiderare.

An credendum ſit puella, quæ infantem mortuum ſe peperiſſe aſſeverat?

An multi abortus procurentur?

Quæ flagitiosè concepit, etiam flagitiosè peperiſſe cenſetur?

Hinc patet quartam conſequentiam contra Antoniam fortiter militare, eamq; tortura damnandam ex criminalibus Caroli V. Ordinationibus *art. 131. verſ* **doch ſo ein Weibsbildt ein lebendige. &c.** cui conſonat reſolutio Iaſonis *in l. cum ea. num. 4. & 5. C. de tranſact.* Matth. Steph. *in dict. artic. 36. Ord. Crimin.* Gruneri *theſi* XXII.

An occiſorum corpora ſanguinem emittant in præſentia occiſoris?

Vltima conſequentia poſtulat, ut reſolvamus, An-ne cadavera verè ſoleant ſanguinem emittere in occiſoris præſentia.

Prior ſententia aſſerit, & exiſtimat homicidii ſufficientiſſimum indicium; ſi occiſi corpus ſanguinem recentem emittat: & probari ſolet exemplis, rationibuſque. Illa colligit Nic. Boer. *deciſ.* 116. *nu.* 1. Ant. Gomez *tom. 3. var. reſol. cap.* 13. Hippol. de Marſil. *in pract. crimin. §. diligenter. nu.* 181. Has Levinus Lemnius *lib. 2. de occultis natura mirac. cap.* 7. Petrus de Apono *in comment. ſuper problem.* Ariſt. *in 7. p. problem. 6. 6. columna. 2. verſ. deinde.* Stando huic opinioni dicendum eſſet, poſſe torqueri illum, ad cujus præſentiam ſanguinem cadaver emitteret: quod non omninò diſplicet Iacobo Menochio *libr. 2. de arbit. jud. qu. caſ.* 270. *nu.* 16. *& ſeqq.*

Reſolutio.

Sed nobis arridet poſterior, noſtramque ſententiam à viris maximis haberi gaudemus: illam enim putamus eſſe Antonii Gomez. *tom. 3. var. reſol. cap.* 13. Matth Stephani *in not. ad art. 33. Ordin. crimin.* Ioannis Zanger. *tract. de ind. & tort. cap. 2. num.* 160. Farin. *in prax. crimin. lib. 1. tit. 5. qu.* 52. *nu.* 136. Maſcard. *de prob. vol. 2. concl.* 867. *num.* 24. Favet textus *legis* 1. *§.* 1. *ff de qu. l. milites*, 8. *§. oportet. Cap. de qu.* 10. Et videtur ita eſſe communis, ut Nicolaus Hemmingius *in admonit. de ſuperſtitionib. magicis vitandis* ſententiam oppoſitam, quaſi temerariam & ſuperſtitioſam rejiciat, putetque opponi Sacræ Paginæ *Deuter.* 6. & *Matth.* 4. Ne Deum tentemus præcipienti.

Quæ cenſura oppoſitæ ſententiæ inuratur?

An Authoribus credendum ſit?

Exempla varia apud Authores lego, & audio, ſed majorem in multis veritatem requiterem; & ne multis te impediam, unam aut alteram experientiam ſubjungam.

Cadavera corã innocentibus ſanguinem interdum emittunt.

Inter alios innumeros infantes puelloſque, quos Chriſti odio Iudæi ſcelerati occiderunt, B. Michaelis meminero, cujus ſanguine illuſtratur Palatinatus Bavarus. Quinta ille poſt martyrium hebdomada coram Pictore, qui eum adumbrabat, nec tamen erat reus, ſanguinem copioſum effudit, aſſerente Radero *Bavaria Sancta volum. 3. pag.* 180.

Madriti in platea S. Ægidii, qua in forum portæ Solis deſcenditur, transverberatum hominem vidi: & tametſi omnes eſſemus, in quos nulla poterat ſuſpicio cadere, ſanguinem ferventem emiſit. Anno 1616.

Aliquando coram homicida non emittunt.

Compluti anno 1621. Olias robuſtus, & fortis adoleſcens miſerrimè transfoſſus, debuit ab homicida inviſi, ne ſuſpicio aliqua ſuboriretur, nec tamen ſanguis alteratus eſt.

Et quia de infanticidiis egimus, mirabilem hiſtoriam adjungo. In Bavaria tertio à Monachio lapide Bruggenſe oppidum Furſtenveldenſi Monaſterio ſubditum ſub annum 1641. habuit pulchram adoleſcentem, quæ à quopiam juvene decepta concepit. Latet hoc infortunium, & nuptiæ deſideratæ ab odiis & ſimultatibus paternis impediuntur. Interim tempus effluit, ipſaque ita ſe eingit & morbum ſimulat, ut nemo ſiniſtram ſuſpicionem habuerit. Parit tandem ſpecioſum puellum, cujus ne lachrymis dete-

ge-

geretur, caput lapide conterit & in ſtrue lignorum inutilium occultat. Die ſequenti ante auroram infantulum in ollam ponit, & in fluvium projicit. Noluit aqua inſolenti huic impietati favere, & poſt paucas horas à nauribus exagitata, ollam, & parvulum in littus ejicit, & oppidum totum perturbat. Subclamat infanticidium ruſtici, Iudicemque (virum doctum prudentemque) admonent, ut ſceleratam matrem quærat, & ultimâ ſententiâ condemnet. Quid ille faceret? Omnia indicia videbantur deeſſe. Secunda illa conſequentia quam poſui, locum non habuit, nemo enim obſervarat, quod intumuerit venter miſerculæ. Tertia eſſet difficilis & periculoſa; eſſet enim abſonum omnes oppidi fœminas examinari & viſitari. At quia Deus non permittit impunè peccata committi, excitavit memoriam duorum, qui ſe eadem die ſummo mane illam juvenem apud fluvium vidiſſe ſanctè teſtati ſunt. Vocatur: conſtanti animo adeſt; intrepidè ad omnia reſpondet; omnia pernegat: & ſibi injuriam inferri manifeſtam proclamat. An-ne audeat infantem accedere, rogavit Iudex; adnuit illa. Ad aulam, ubi ille jacebat, intromittitur: manum juſſa ſuper vulnera ponit, nec ſanguinis ſtilla prorupit. Dicitur ab obſtetrice viſitanda & examinanda, nec timet, quoniam obſtetrices ſolent eſſe paupercula, & muneribus corrumpi poſſunt. At die ſequenti in ſe ſeducta crimen faſſa, veniam poſtulat, & potentiſſimos apud Bavariæ Ducem intercesſores interponit; ſed fruſtra; quia poſt paucas hebdomadas decapitata eſt. Volui hanc hiſtoriam prolixiùs recenſere, quoniam familiam hujus viraginis infœlicis cognoſco, & certiſſima refero; & ut puto etiam inſtruo Lectorem & conſequentias illas præmiſsas novo radio dilucido.

N. B. Indicia interdum levia ingratiâ traſeſit. Illud enim, Fuit apud fluvium, Ergo infantem occidit ut ut leve ſub initium fuerit, accedentibus aliis circumſtãtiis reddi potuit graviſſimũ.

Ventris tumor, aut non tumor nihil infert.

Hinc igitur colligo contra primam ſententiam, ſicut non gravidæ venter ſolet ex morbo intumeſcere, ſic etiam poſse gravidæ ventrem ita comprimi, ut percipi tumor non valeat. Colligo adoleſcentulas, quidquid dicat P. H. O. *art. 35.* non evidenter poſse converſationis externæ honeſtate purgari, cum videamus pientiſſimas & devotiſſimas non eſse ex adamante, ſed ex carne; hæc enim, de qua agimus, omnium judicio honeſtiſſima fuerat, ſed quandoque columna fortiſſima labitur. Colligo, non eſſe nimium confidendum obſtetricibus, ſunt enim fœminæ, quæ ex compaſſione ſæpiùs, & quandoque ex malitia mentiuntur. Colligo tandem fictum & vanum eſſe indicium illud, quod à ſanguine emiſſo à cadavere deſumi ſolet.

Vita honeſtas in hoc genere non præbet argumentum evidens.

Non eſt credendum obſtetricibus.

A ſanguine non poteſt probabile indicium deſumi.

Rident Iuniores hoc indicium, riſerunt veteres; probo ex S. Athanaſii Pontificis Alexandrini hiſtoria, & ex ea aliud etiam indicium in examen produco. *Arſenium quod. Epiſcopum*, inquit Hiſtoriographus, *ab Athanaſio interfectum Arriani provulgarunt: quem dum occultè detinent, manum mortui deferunt in judicium, ub Athanaſio ad uſum Magicæ Artis Arſenio amputatam criminantes. At Arſenius noctu aufugiens, cum ſe in conſpectu totius Conſilii ſtatuiſset, Athanaſii inimicorum impudentiſſimũ ſcelus aperuit. Quod illi nihilominus Magicis Artibus Athanaſii attribuentes vitæ ejus inſidiari non deſiſtebant: quam ob rem in exilium actus, in Galliâ apud Treviros exulavit.* In qua hiſtoriâ plurima reperiuntur, quæ indigent accuratiore examine.

Cauſa Athanaſii examinatur.

Calumniis venatur.

Primò enim Arrianorum judicio, hæc conſequentia, *Arſenii exciſa manus, coram Athanaſio non emittit ſanguinem; ergo Athanaſius non occidit Arſenium, nec illam manum abſcidit*; vana eſt; nam ſi eſſet eorumdem opinione certa, deberet Athanaſius abſolvi.

Indicium Sanguinis non curabãt Arriani.

Secundò hæc conſequentia, *Arſenius non comparet, ergo hæc manus eſt ejus, ergo eſt ab Athanaſio occiſus*: ad eorumdem Arrianorum Dialecticam bona erat; & tamen niſi alia concurrerent indicia, admitti ullo modo non poterat; at malevolentia & odium plurimos defectus in probationibus & cauſis ſupplet.

Illorum Dialectica.

Tertiò hæc conſequentia, *Abſcidit cadaveris manum Athanaſius, ergo eſt Magus*, non eſſet omninò aliena, ſi probaretur antecedens, & nulla alia ſuppeteret cauſa.

Tandem; cùm comparuit Arſenius, omnes videntur eaſdem poſitiones prætermittere, & tamen ſinguli diverſas conſequentias inferre. Aſſumunt omnes. *Athanaſius occidiſſe Arſenium dicebatur; at jam comparuit ipſe Arſenius*: Inferuntq; Catholici, *Ergo vivit Arſenius; & ſi vivit, occiſus non eſt; & ſi non eſt occiſus, nec Athanaſius ejuſmodi homicidii reus eſt*. Et Hæretici contrà. *Comparet Arſenius, qui verè occiſus erat: ergo Athanaſius non homicida modò, ſed & nicromanticus eſt; nemo enim poteſt phantaſma pro Arſenio ſubſtituere, qui Dæmone familiari careat.* Prævaluit tamen ſuffragiorum numero Hæreticorum pars, & Arſenius vel oculis invitis larva dicitur, & Athanaſius condemnatur; ut poſteritas videat, illos iniquos judices abuſos ratione, quæ Athanaſii poterat demonſtrare innocentiam, contra rationem omnem, innocentiam per ſe notam & evidentem condemnaſſe.

Ex iiſdem fundamentis diverſimode diſcurrit Sinceritas & Malevolentia.

SE-

Digitized by Google

SECTIO XXIII.

De homicidio commiſſo cum moderamine inculpatæ tutelæ.

CLodius aggreſſus Milonem interficitur, & Milo capitur. Hic homicidium fatetur, ſed illud jure defenſionis colorat; at Iudex ſic argumentatur. *Subſtantiam homicidii commiſiſti, & injuſtitiam negas; ergo præſumam te injuſtè Clodium occidiſſe, adeoque te torquebo, ut aut præſumptionem purges, aut veritatem fatearis.* Et utrùm Iudex diſcurrat prudenter, inquiris.

An debeat circumſtantia probari?

Aſſerentem partem veriorem exiſtimat Fridericus Gruner *in diſputatione illa Iuridica theſi* XXI. conſonans Boerio *deciſ.* 164. *num.* 15. Grammat. *vol.* 24. *num.* 2. *Conſult. Saxon. p.* 4. *q.* 20 *num.* 8. Lanfranc. ab Orian. *tract. de confeſſionib. num.* 19. Et quia veriorem & probabiliorem aſſerentem affirmat eſſe Gruner, videtur judicare negantem eſſe veram & probabilem. At ego exiſtimo ſententiam, quam Gruner veriorem dicit, eſſe ſolam veram, aliàs enim dicente Milone, ſe quidem occidiſſe Clodium, ſed ob tutelam & defenſionem propriæ vitę, teneretur Iudex adquieſcere; quod falſum eſt; cùm potiùs teneatur non adquieſcere, quouſque exceptio probetur: quod in praxi obſervari meritò præcepit Carolus V. Imperator *in Ordinationum Criminalium quas tulit, art.* 143.

An dentur hic opiniones probabiles?

Conſequentia doctrinæ poſtulat, ut aliter caſus proponatur. Aleis Parrochi famula Herum ſuum de fornicatione ſecum commiſſa accuſat; & Epiſcopus, quia videbat integræ famæ Sacerdotem non debere ad unius mulierculæ verba condemnari, ſic inquit, *Te eſſe fœminam fornicariam dicis, & adſentior. Parrochum complicem arguis, & te potiùs calumniatricem quàm illum peccatorem credo. Ergo ſacrilegæ fornicationis pænas lues, ſeu rem probes, ſeu non. Fateris enim. Et præter has, etiam calumniæ pænas, ſi in hac probatione ſuccumbas.* Et tu, An Epiſcopus proceſſeris bene, requiris. Si illum arguas & dicas, nullum puniri poſſe reum, ſi tam ſeverè accuſatorum cauſa agatur: reſpondebit nullum poſſe eſſe ſecurum innocentem, ſi cuiq; liceat evomere mendacia impunè. Ergo ſiquidem Aleis fornicationem ſacrilegam confitetur, eo puniatur modo ac ſi fugiente Parrocho illa fuiſſet intercepta & crimen faſſa. Poſteà ad probationem procedatur, etſi non probaverit plenè vel ſemiplenè ſecundæ punitioni ſubjaceat. [Interim ne errori locus ſit, conſideret bene Iudex feminæ animum: an accuſet? an deponat evangelicè? an juſſa juridicè teſtimonium ferat? teſtis enim nil tenetur probare: nihil qui evangelicè monet: at tenetur, qui accuſat, aut pęnæ talionis ſubeſſe.]

Caſus idem in alia materia proponitur.

Sæpe vetulæ quæ Presbyteris ſerviunt, ſunt fures; & ſi non permittantur furari, herum calumniis opprimunt.

Monitum obſervatione dignū.

SECTIO XXIV.

De homicidio involuntario.

ANtuerpiæ, Titii filius laborabat febricula, & amicorum ſuaſu decrevit illi neſcio quem ſyrupum præparare. Petit à Pharmacopola, & nomina ſpecierum non retinet, ſed rerum alteratis vocabulis, mortiferam potionem expoſtulat. Pharmacopola conficit, & Titio tradit. Is jubet filiolo ut exhauriat, & ſub colore & intentione curationis occidit. Turbatur populus, & Conſules, qui debeant procedere, inquirunt.

In quo multa veniunt examinanda.

Reſpondeo non eſſe veroſimile infantem ſuum à ſuo parente malitioſè interfectum, ſed hoc ipſum debere nihilominus examinari. Ex Ordinatione igitur criminali Caroli V. artic. 3. interrogandi ſunt, pater qui venenum petiit deditque, & Pharmacopola qui confecit; & videndum an vera & aliàs explorata negent, an in ſua confeſſione vacillent. Quod bene expendit Carpzovius *in pract. rer. crimin. part.* 3. *quæſt.* 122. *num.* 15. & poſteà examinandum, an minæ, aut inimicitiæ inter parentem & pharmacopolam præceſſerint, vi quarum illud homicidium ortum ex vindicta credatur. Conſonò earumdem Ordinationum *art.* 25. & 37.

SECTIO XXV.

De delictorum inſtrumentis.

ARſit Palatium Cæſaris, & quia heri viſus eſt Anſelmus igneas faces parare, interrogas, an hoc ratiocinium ſit bonum, *Anſelmus paravit fomenta, ergo & palatium incendit?*

Examinare debet Iudex, an reverà illa præparaverit, & ex qua cauſa præparaverit?

Reſpondeo omnium ſententia in tali caſu eſſe Anſelmum ſuſpectum, non tamen eſſe reum probabilius, aut torquendum, niſi alia indicia concurrant, ex minis aut inimicitia ſubortis. Opinionem hanc didici à Carolo V. qui *Ordinationum ſuarum criminalium art.* 41. illum jubet examinari, non torqueri. Rem didici à Ioanne Zanger. *tractato de quæſt. & tort. cap.* 2. *num* 69. *&* 190. & Matth. Steph. in *art.* 41. Puto tamen eſſe probabilius indicium, ſi Anſelmus fateatur quidem illa fomenta paraviſſe, nec tamen poſſit oſtendere illa alia de cauſa præparaſſe.

SE-

SECTIO XXVI.

De moneta adulterina.

QVamdiu cupream monetam habuit Hiſpania, falſarios etiam artifices opulentos ſuſtinuit;& quia ſub idem tempus multæ fuerunt expeditæ cauſæ,præcipuas ad examen reducis,& inquiris, An hæ ſint bonæ conſequentiæ, I. *Apud Petrum magnum pondus falſa moneta inventum eſt; ergo ipſe falſarius eſt.* II. *In domo Ambroſia pila & ſigilla monetaria* (Hiſp.*las truxélos*) *inventa ſunt,ergo monetam cudebat Ambroſia.*

An qui habet apud ſe monetam falſam torqueri poſſit?

Tametſi lex Cornelia urgeri poſſet, dicendum eſt primam conſequentiam, non concludere tam certò,ut Petrus poſſit torturæ ſubjici. Ita Iacobus de Belluis *in prax.crim.lib.*1.*cap.*8. *num.*16. Menochius *lib.*2.*caſ.*316.*num.*64.at poſſet examinari, & niſi oſtenderet, unde illam falſæ pecuniæ ſummam habuerit,torqueri.

An qui habet monetam cudendi inſtrumenta?

Sed conſiderata noſtræ ætatis prudentiâ, videtur ex ſolis inſtrumentis poſſe argumentum ſufficiens ad torturam deſumi, nemo enim talia apud ſe inſtrumenta eſſet conſervaturus, niſi in malum finem. Quod ſi quis diceret illa inſtrumenta non eſse ſua, nec à ſe cognoſci, ſed bonâ fide conſervari; deberet audiri & exſpectari ſi fortè ſe purgare poſſet. Videatur Tiberius Decian.*lib.*7.*cap.*20.*nu.*6.

SECTIO XXVII.

De examine ſuperſtitionum.

SVNT multi in examinandis ſuperſtitionibus valdè ſuperſtitioſi, & inquiris,An iſtæ ſint bonæ conſequentiæ. I.*Non laborat die Sabbati, ergo eſt Iudaus.*II. *Non laborat die Veneris,ergo eſt Mahometanus.* III. *Non bibit vinũ, igitur Alcoranũ obſervat.* IV. *A carnibus porcinis abſtinet, erga addictus eſt religioni Moſaica.* V. *Domum introrſum verrit,erga infidelis eſt.* VI. *In aqua probatione defecit, ergo eſt venefica.* VII.*Invertimus peſula & claves, & egredi ex Eccleſia non potuit, igitur ſaga eſt.*VIII. *Voluit alios docere nicromantiam, ergo nicromanticus eſt.* IX.*Minatus eſt faſcinationem, & minæ fuerunt cum effectu conjuncta, ergo maleficus ipſe eſt.* X. *Frequenter agit cum ſuperſtitioſis hominibus, ergo Magus eſt.* XI. *Illa anus habet in ſuo cubiculo multa mortuorum oſſa, & in ipſis ignotos characteres inſcribit, ergo maleficia nundinatur.* XII. *Habet Franciſcus nicromanticos libros, in quibus modus ligandi dæmones traditur, ergo familiari ſpiritu præditus eſt.*

De obſervatione Sabbati.

Ad primam reſpondeo Sabbata olim in Eccleſia primitiva ab omnibus Chriſtianis obſervata; & poſſe hodie obſervari in honorem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ modò debitè id fiat. Non puto eſſe de Iudaiſmo ſuſpectum, qui Sabbata obſervat audiendo miſſam, & neminem ſcandalizando; tametſi prudenter jubeat inquiſitio hos ipſos denuntiari, ut cauſa ob quam obſervant ſabbata, examinetur. Et quidem tametſi hæc devotio ſit laudabilis; ob inconvenientia aliqua,quę ſuboriri ſolent, ſuaderem, ut pius Catholicus Beatiſſimæ Virginis ſolennitatem ſabbatinam miſſæ auditione, precum ſpeciali lectione, jejunio, & manuum labore celebret; & ſic erit ab omni præſumptione ſecurus.

An ad Deiparæ honorem laudabiliter obſervetur?

Quidquid agãt homines intentio judicat omnes.

Ad ſecundam, tertiam, quartam, & quintam dico, omnes qui talia agunt, ſi videantur procedere à conſilio, debere examinari,an fortè motivo aliquo ſpeciali ducantur. Moris enim eſt, ut Ciſtercienſes, quia diem Dominicam ſolenniſſimè celebrant,die Martis recreentur. Studioſi in tota Europa vacant diebus Iovis. Qui artocreas parant, diebus Veneris. Vinum abhorrent multi,à quo alii ex mera devotione abſtinent; ſicut etiam à carne ſuilla, quam multi ob cauſas diverſas nõ edunt. Oportet igitur in materia honoris alieni ſine temeritate procedere.

De purgatione per aquam:&c.

Ad ſextam dico probationem per aquã & omnes ipſi ſimiles eſſe ridiculas. Ridet illas nobiſcum Otho Meland.*in reſol.princip.qu.de ſag.*Ioannes VVier.*libr.*6.*de praſtig. Dæmonum cap.*7. Henric.Bocer. *tract. de qu.& tort.cap.*3.*num.*101.Idem omninò ad ſeptimam argumentationem dico;neutra enim naturali fundamento fulcitur; ex fundamentis enim quæ humanitùs probari poſſint,debet Iudex procedere. Sic omnes Leges jubent; in quas omninò impingeret, ſi juxtà ſcientiam revelatam divinitùs, hauſtam ab Angelo,vel Dœmone,aut adquiſitam propriis oculis judicaret;tenetur enim Iudex ex officio judicare ſecundùm leges, ſecundum allegata & probata, non verò ſecundum privatam ſcientiam. *l.*1.§. *Divus Severus.*17.*ff.de qu.l.militet.*8. §.*oportet.c.eodem.*

An Iudex poſſit juxta allegata judicare quando contrarium ſcit privata ſcientia?

Hic obiter notandum eſt,aliud eſſe,*non poſſe judicem juxtà ſcientiam privatam judicare*, & aliud omninò diverſum, *debere contra ſcientiam privatam non judicare*: nam in Republica benè gubernata datur medium: poterit enim Iudex ab utroque abſtinere: puta,ſi alii judicium permittat, & velit in teſtem vocari.

De incertiarum ſuperſtitioſarum magiſterio.

Octava aliquid plenè convincit,aliquid verò pluſquam verò-ſimiliùs. Conſtat enim Titium ſcandalizaſſe illos, quos voluit habere diſcipulos; & hoc certò:nemo enim negaturus eſt ſcandalum hic fuiſſe datum. Cum autem non videatur verò-

ſimi-

Digitized by Google

ſimile, quòd velit aliquis docere artem, quam ignorat omninò videretur probabile quod ille nicromanticus ſit, qui nicromantiam docturus, auditores inviтat. Sic ſentit & ſentire nos jubet Carolus V. Imperator *in Ordinationum Criminalium articulo* 44. Godelm. *tract. de magia lib. 3. cap.* 10. *num.* 13. {Suaderem tamen in hac materia pedetentim procedi; multi enim putant ſe nicromanticos eſſe, qui artem omninò ignorant; & multi etiam vaniloqui ſunt & deceptores.]

De minis cum effectu conjunctis.

Ad nonam dico minas ſolas ſuſpicionē parere; at minas cum effectu conjunctas, ſi non infallibilem certitudinem, notitiam profectò aliquam majorem probabilitate. Non enim ſcimus evenire ſolere, ut qui veneficus non ſit, minetur præternaturalea miſerias, & iſtæ eveniant, caſualiterque cum illis minis conjungantur. Ergo ſtandum eſt Imperatoris Caroli V. decreto, qui *articulo* 44. *ſuarum Ordinationum* minas cum effectu conjunctas ad torturam condemnat: & quidem prudentiſſimè ut conſtat ex his quæ docet Nicolaus Boer. *deciſ.* 166. Iulius Clarus *lib.* 5. *ſentent.* §. *ult. qu.* 21. *nu.* 27. Matth. Steph. *in notis ad d. ar.* 44 *Ord. crim.*

De improborum conſortio.

Ad decimam reſpondi ſuperiùs, & converſationem præbere ſuſpicandi & præſumendi anſam aſſerui; præcipuè ſi oſtendere non poſſit ſe egiſſe cum illis hominibus ob alias cauſas; juxta illud *Pares cum paribus facillimè congregantur*. Ita Carolus V. *ubi ſupra art.* 44.

De anu, quæ ignotos obturaſſeret oſſibus mortuorum inſeribis.

Vndecima ſententia fortiſſima eſt, nunquam enim ſolent hujuſcemodi res haberi ab aliis mulierculis, quàm ab incantatricibus & dœmonum poteſtati ſubjectis. Dirigor à Carolo V. jam citato. { Noto tamen ingenium mulierculаrum eſſe leve; & aliquas non eſſe veneficas; ſed ſe eſſe putare; alias nec tales eſſe, nec ſe tales putare, ſed velle tales videri.]

De libris Magicis & hæreticis.

Ad ultimam conſequentiam reſpondeo, eſſe examinandum, An-ne illos libros, Franciſcus cum licentiâ legerit aut habuerit? quoniam ſi hanc non habet, Eccleſiæ Inobediens convincitur, & ob hoc ipſum poteſt & debet caſtigari: niſi fortè tales ac tantas rationes alleget, ut videatur, aut liber non eſſe interdictus, aut ipſe implicitâ facultate donatus; ſed hoc vix fieri poterit. Nam librorum hæreticorum lectio aliquandò neceſſaria, implicitè permiſſa præſumitur, ſi ſit periculum in morâ & peti non poſſit licentia: at magicorum & ſuperſtitioſorum lectioni quo fructu aliquis impendetur? pericula inſtantia percipio, nec video interjacentem aliquam utilitatem.

Logica Moralis lib. II.

SECTIO XXVIII.

An ideò mala aliqua doctrina ſit, quod in Ethnicis, aut Hæreticis libris expreſſa?

SOlent Hæretici doctrinam Catholicam exſufflare, quod multa noſtra dogmata in libris Ethnicorum reperiant; & ut ſecuro illos pede poſſis terere, inquiris, An ſint bonæ conſequentiæ, hæ nimirùm, I. *Aſſertio Petri reperitur in Ovidianis Metamorphoſeon libris, ergo rejici debet.* II. *Verba Antonii ſunt expreſſa Calvini, non igitur debent admitti?*

Huoberus, quis, & qualis?

Primam conſequentiam legitimam cenſet Logica Heterodoxa, ſæpè enim hac via Catholicos Hæretici invadunt: & inter ipſos præcipuè Samuel quidam Huoberus, qui ut in Diſputatione Theologica de Subterraneis animarum receptaculis habitâ Ingolſtadii decimâ-ſextâ Aprilis die, anni M.D.XCVII. lego, non fuit alius; quàm Lutheranus prædicans, & tamen non modò Helvetiam ita turbavit, ut quatuor Civitates publicis ſcriptis cum eo contendant, ſed & Saxoniam & VVittenbergenſem Academiam, ſeditione, rixis, & jurgiis complevit; is igitur idcò Purgatoriū, & Limbū utrumq; irridet, quod noſtris articulis ſimilia in ſexto Æneidon Virgilianarum legat; & præcipuè illis verſibus,

An Virgilius depixerit Purgatorium & Limbum?

Ibant obſcuri, ſolâ ſub nocte per umbras,
Perque domos Ditis vacuas & inania regna.

An ſit Purgatorium?

Et iterum.

Hinc exaudiri gemitus. &c.

Et etiam.

Continuò ſontes ultrix accincta flagello.

Et alibi.

Continuò auditæ voces vagitus & ingens.

Et de infantibus.

—— Quos matris ab ubere raptos
Abſtulit atra dies & funere merſit acerbo.

An ſit infernus? Argumentum, quod nimium probat, nihil probat.

Sed contra Huoberum inſurgunt Georgius Cron, & VVolffgangus Sutor citatæ Diſputationis Theſi XXXIII. ajuntque. *Si ideò Purgatorium fabuloſum eſt, quod videatur ab infidelibus agnitum, fabuloſus itidem erit ipſe infernus, damnatorum carcer; nam & hunc & multò quidem lucidius agnoverunt & deſcripſerunt Ethnici: quod itidem de Limbo puerorum & Patrum veteris teſtamenti reſponſum volumus.* At neſcio quid eſset reſponſurus Huoberus; ſcio tamen conſequentiam concedi à *Lucretio*, concedi ab Epicteto, & Seneca. Lucretius ſic.

Illum negat Lucretius.

Cerberus & Furiæ jam verò lucis egenus.
Tartarus, horrificos eructans faucibus æſtus;
Hæc neq; ſunt uſquam, neq; poſsunt eſse profectò.

Illum Ariſtoteles;

Ariſtoteles 2. Poſter. 12. irridere videtur Pythagoricos & infernum. *Quemadmodum ſi tonat,* inquit, *cùm extinguitur ignis, neceſſe eſt ſtridere & ſtrepere, ut Pythagorei dicunt minarum gratiâ, iis qui ſunt in Tartaro.* Sanè his verbis Maurus Tanteccis Doctor Benedictinus in Triumphi Ariſtotelis edito & propugnato Salisburgi anno M.DC.XLI.§.65. probat Ariſtotelem Infernum admiſiſse, & tamen eiſdem eumdem negaſse Infernum, colligor; ideò enim videtur poſuiſse illa verba, *ut Pythagorei dicunt minarum gratiâ*, quod illa ipſe non diceret, ſi dici ſeriò à Pythagoricis putaret. At clariùs omninò Epictetus. *Nullus eſt Orcus*, ait, *nullus Acheron, nullus Cocytus, nullus Pyriphlegeton, ſed omnia ſunt plena Deorum & Geniorum*

Illum Epictetus

& ad Huoberi conſequentiam Seneca ideò infernum negat, quod illum credat à Poetis confictum; ad Marciam enim cap 19. ait. *Illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula eſt. Nullas ſcimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia nec reos.* Sed cur, ſic audes Seneca? Reſpondet, *Luſerunt iſta Poetæ, & variis nos agitavêre terroribus*; & hæc dicendo conſequentiam illam primam, quã examinamus, admittit. Fortè etiam illam aliquandò admittent Lutherani, nam Calviniani jam eſse admittendam prætendunt, aſserente enim Petro Montano in Apologia pro Societate Ieſu, cùm Calvinianus quidam in Gallia Purgatorium acerrimè oppugnaſset, illudque opinione ſua de medio ſuſtuliſset, illum nonnulli adierunt Nobiles, & obnixè rogarunt, ut ſimilem operam navaret deſtruendo Inferno, quam navaſset demoliendo Purgatorio, ut in poſterum non modò ſine metu Purgatorii, ſed etiam abſque formidine inferni vitam jucundam degerent. Et quidem, ſi non ſanctiſſimè, cautiſſimè, hæc enim conſequentia, *Purgatorium fuit decantatum à Virgilio, ergo eſt omninò fabuloſum*, eſt æque bona ac iſta, *Infernum deſcripſit Virgilius, ergo etiam fabuloſus eſt*; adeoque deberet Huoberus, aut utramq; concedere, aut utramque negare. Accedit quod ſi ideò negandum Purgatorium ſit, quod fuerit deſcriptum à Virgilio; etiam negandus eſset Deus, quem ipſe Poeta admiſit, & multis locis celebravit.

Illum Seneca.

Etiam alii.

Huoberi ratio probat etiam negandum eſſe Deum, Nimiũ ergo.

An ſemper mentiuntur Poetæ?

Hinc eſt, quod primam illam conſequentiam illegitimam eſse putemus, ſcimus enim non ſemper Poetas mentiri, ſed ſæpe eſse veraces. Audiendus erit Tertullianus, qui Apologiæ capite ultimo ait. *Omnia adverſus veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt, operantibus æmulationem iſtam ſpiritibus erroris. Ab iis adulteria hujuſmodi ſalutaris diſciplinæ ſuborta, ab iis quædam etiam fabulæ immiſſæ quæ diſſimilitudine fidem infirmarent veritatis, vel etiam, ſi poſſent, evincerent, ut quis ideò putet Chriſtianis non credendum, quia nec Poetis nec Philoſophis.* Et ibidem. *Ridemur Deum prædicantes judicaturum, hoc enim & Poetæ & Philoſophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, quæ eſt ignis arcani ſubterraneus ad pœnam theſaurus, proindè decachinamur, ſic enim & Pyriphlegeton apud mortuos eſt amnis.* Et etiam. *Quis Poetarum, quis Sophiſtarum qui non omninò de Prophetarum fonte potaverit?* Vnde concludendũ eſt omninò ex hoc antecedente, *Virgilius dixit*, nec poſſe veritatem, nec poſſe falſitatem inferri.

Mendacia & veritate naſcuntur.

Sicut Huoberus ſic olim Hæberodoxi contra Catholicos argumentabantur.

AD ALTERAM conſequentiam tranſeo, video illam ſæpe urgeri, at illegitimam eſſe pronuntio, & hoc etiam contra eumdem Huoberum qui Theſi 376. ſic ait. *Origenes citatur à Ieſuitis, pro Purgatorio, & tamen damnatus eſt in Concilio V. tanquam hæreticus*, cui bene in illa diſputatione de ſubterraneis animarum receptaculis reſpondent §. 28. Georgius & VVolffgangus citati. *Damnatus non eſt*, inquiunt, *ob Purgatorii aſſertionem, ſed quod Purgatorium cum Inferno confunderet. A Ieſuitis autem non citatur, niſi quatenus orthodoxè & verè de Purgatorio ſenſit: nam Purgatorium eſſe, quod dixit & ſcripſit Origenes, non eſt hæreticum, ſed catholicum; licèt hæreticum ſit Purgatorium hoc peccatis mortiferis expiandis eſſe deſtinatum; quod vera ſententia falsò adpoſuit Origenes.* Hinc eſt, quod imprudenter agant, qui ideò contrariam opinionem oppugnant; quod ab hæreticis aſſerta; cum certum ſit multa ab ipſis adſumi, quæ ſalva fide negari non poterunt. Deũ dari, eum eſſe veracem, Trinum & Vnũ, Perſonas realiter diſtingui, ſecundam incarnatam eſſe, & multa alia conſtanter docuerunt Lutherus, & Calvinus; an ideò nos negabimus? minimè; non enim omnia, quæ ipſi docuerunt, nobis omninò diſplicent, ſed, quæ contra Eccleſiam orthodoxam tantummodò.

An ſemper Hæretici?

Quid Origenes ſenſerit de Purgatorio?

SECTIO XXIX.

De Revelationibus privatis.

SÆpè contingit in graviſſimis diſputationibus ad privatas Revelationes recurri, & inquiris, quantam vim habeat hæc conſequentia, *Beato N. hoc fuit revelatum, igitur verum eſt?* Conſultò agis de privatis hominum Revelationibus; quoniam, quæ factæ toti Eccleſiæ, & ad Canones ab ea reductæ, fide tenendæ, & cre-

credendæ ſunt, & non debent in diſputationem venire.

Hæreticorum error.

Noſtri ævi hæretici ſumma facilitate, & andacia Revelationes rejiciunt,&, quia inecœpit mihi diſplicere Huoberus, ejus citabo verba, licèt ſciam me ſimilia, aut fortè acriora in Luthero, & aliis Authoribus ejuſdem facinæ legiſſe. Huoberus igitur *in Diſputatione de Purgatorio contra Bellarminum Theſi* 367. ſibi objicit apparitiones Animarum ſubſidium, & ſuffragia à vivorum devotione implorantium, & turbolenta cenſura ſic reſpondet. *Nos de iſtis apparitionibus ſic judicamus: id, quod apparuiſſe viſum eſt, ſive ſe Diabolum, ſive ſe Animam beatam, ſive ſe Animam Purgatorii, ſive ſe Animam condemnatam nominarit, nihil niſi ipſiſſimum fuiſſe diabolum. Hacque omnia, quæ ad Purgatorium pertinebant, ei inſpiraſſe, cui ſuum tradidit thronum, & quem inſtigavit, ut ſe Chriſto totique Evangelio, quam acerrimam anteponeret* ANTIKEIMENON. Supponit Prædicans ſolum diabolum hominibus apparere poſſe, nec poſſe Angelos, nec poſſe Animas; & hoc, quàm falſum ſit, viderint univerſi. At Prædicantis inſolentiam Georgius Cron,& VVolffgangus Sutor *in Diſputatione illa Theologica de ſubterraneis Animarum receptaculis*.§.34.compeſcunt,inquiuntque. *Attendite ergo omnes populi, & inclinate aures veſtras ad verba noſtra. Prædicans Lutheranus, ſeditioſus,& cerebroſus ait, omnes illas apparitiones, de quibus S. Gregorius Magnus, fuiſſe diabolicas illuſiones, & Papæ à dæmone inſpiratas; Gregorius Magnus Vir ſanctiſſimus, doctiſſimus, & ante mille annos in Eccleſia Dei celeberrimus negas. Viri creditis? Nec, vel verbulum addendum eſt; quis enim rabula iſte ad Sanctam Gregorium Magnum?* Sed, & ſolent alii hæretici durius adhuc, & urbanius procedere contra Revelationes, non enim negant poſſe Deum, poſſe Angelos, poſſe Animas hominibus apparere (& hucuſque prudentes) ſed omnes apparitiones falſas credunt (& hic judices) temerarii.

Magnus Gregorius qualis?

Catholicorum, ſententia.

Nos autem dicimus Revelationes verbis, & ſignis fieri; verbis quidem, cùm veritas aliqua à Deo, aut ejus juſſu ab Angelo, aut Anima dicitur; ſignis cum miraculum aliquod in teſtimonium alicujus veritatis patratur. Et quidem in utroque caſu cautè procedendum cenſemus: ne, aut detur circulus vitioſus, aut temerè aliquid credatur. Si aliunde enim conſtet Poſitionem, quæ Revelatione, aut etiam miraculo firmatur, eſſe veram, roborabitur veritatis certitudo authoritate revelantis. Quodſi conſtet aliunde Poſitionem illam eſſe falſam, dicendum eſt, aut non accidiſſe talem Revelationem, aut aliter intelligendam: & conſequenter id, quod miraculum aſſeritur, aut omninò non accidiſſe, aut, ſi accidiſſe certum ſit, proveniſse à cauſis naturalibus, illudque mirum fuiſse, non miraculum; aut tandem, ſi illud accidiſse negari non poſſit, nec ad naturales cauſas probabiliter poſſit reduci, dicendum abſolutè eſt, non fuiſſe in teſtimonium falſitatis patratum, ſed veritatis alius firmandæ intuitu. Hac doctrinâ prævenſus reſpondi in meo Philippo, & Ioanne Bargantio ad Luſitanos dicentes Affonſo primo Regni invaſori apparuiſſe Chriſtum,& coronam, quam injuſtè invaſerat, conceſſiſſe; addentes Ioannem I. nothum regnum juſtè invaſiſſe, excluſis legitimis hæredibus, quoniam ea die natus eſt infans dicens: *Portugal, Portugal, por el Rey Don Juan*: hoc eſt. *Portugallia, Portugallia, ſtato à partibus Regis Domini Ioannis*: ſubdentes aliud per omnia ſimile accidiſſe prodigium in coronatione Antonii Infantis Ludovici filii: hæc, & ſimilia confirmantes novo miraculo, quod Vlyſſipone in acclamatione Ioannis IV. qui per tyrannidem hodie occupat illam coronam, accidiſſe contendunt, voluit enim Archiepiſcopum, qui crucifixo inſtructus, inſano ſimilis, currebat per plateas, ut cives in proditione illa animaret, fuiſſe honoratum amplexu Chriſti Domini, cauſæ juſtitiam declarantis. Et quidem ad hæc omnia, quæ ubera ipſi eloquentia repetunt, ſumma Ego brevitate reſpondeo, Revelationes non firmare mẽdacia, nec miracula falſitates adſtruere; cùm igitur luce meridiana clarius ſit cauſas Affonſi I. Ioannis I. Antonii I. Ioannis IV. & etiam aliorum fuiſſe injuſtas, non eſt, cur miracula illa, aut illas Revelationes credamus.

De apparitione Chriſti facta Affonſo I Luſitanor. Regi.

De infante pro Ioanne I.& Antonio I. loquuto.

De Chriſti amplexu in coronatione Ioannis IV.

Cæterùm, ſi Poſitio dubia certo miraculo, aut certâ Revelatione firmetur, veniet proculdubio admittenda. Quodſi & Poſitio dubia ſit, & etiam dubium ſit miraculum, aut revelatio, nihil omninò certitudinis eſt, recepturæ, maximè cum audiamus nonnunquam oppoſitas Revelationes nomine illuſtrium hominum circumferri, teneamurque in tali caſu neceſſariò dicere, aut alteram, aut fortè utramque falſam. Creſcit eundo fama, & ſæpè contingit verba à pientiſſimis hominibus ſincerè dicta, audiri à pietate indiſcreta, urgerique ad ſenſus mirabiles, & prodigioſos, tranſireque in Revelationes futurorum, cùm tamen nil myſterii contineãt. Quæ omnia ævo noſtro quod ſcatet hypocri-

De miraculis dubiis.

De oppoſitis revelationibus.

Digitized by Google

pocritis, & etiam imprudenter devotis, ſumma ſunt circumſpectione examinanda.

SECTIO XXX.

De Cæſareis legibus & privilegiis.

VT bene mores gubernemus, debemus Iura, & ab eis ortas obligationes accuratè diſtinguere, & præſcire, quid ſibi vendicet Ius naturale, quid Canonicum, ſeu Pontificium, quid Civile. Et inquiris, An hæ ſint admittendæ conſequentiæ. *Hoc præcipitur à Iuſtiniano: ergo eſt præceptum merè civile. Hoc conceditur ab Imperatore, ergo hoc privilegium eſt de Iure Cæſareo?*

An omnis Eccleſiaſtica Immunitas ſit ex Iure Cæſareo?

Reſpondeo primò, multos Authores eſſe, qui cœco modo utramque conſequentiam admittunt, & inter ipſos omnes illos, qui omnem immunitatem Eccleſiaſticam, ad Cæſarum leges, & indulta reducunt, contra quos doctiſſimè diſputat Diana *part.7.tract.1. de immunitate Eccleſ.*

Eadem res poteſt, & ſolet à duobus interdici, vel præcipi.

Reſpondeo ſecundò, neutram conſequentiam eſſe veram; poſſunt enim divinitùs interdicta Iure humano interdici; & divinitùs conceſſa, Iure etiam humano concedi. Et utrumque demonſtro; quoniam homicidia, furtaque naturaliter in Decalogo ſunt interdicta, & nihilominùs etiam interdicuntur civiliter: & facultas colendi verum Deum, & amplectendi veram Religionem à natura conceſſa, etiam humanis privilegiis conceditur.

An ejuſmodi præcepta, & privilegia ſint ſuperflua?

At incuſabis leges illas humanas, quæ divinitùs præcepta præcipiunt; incuſabis privilegia illa humana, quæ divinitùs conceſſa concedunt: ſuperfluas illas, hæc inutilia dicens. Sed parciùs te loqui deſidero. Non ſunt ſuperfluæ, aut inutiles ſanctiones iſtæ humanæ: ſæpè enim contingit præcepta, aut privilegia divina eſſe obſcura, ſæpè multas probabiles expoſitiones pati, & tunc lege humana illuſtrantur. Sæpè leges humanæ addunt pœnam, ut, qui Deum non timent, ſaltem hominum timore compeſcantur; & ad privilegia naturalia veniens, aſſero illa humano privilegio ſæpè dilucidari, ſæpè augeri. Mihi enim Decalogus conceſſit, ut eſſe Catholicus poſſim; humanum Ius, ut præmiis ad fidei obſervantiam adliciar, ut pœnarum terrore ab infidelitate removear, quod nullus me impediat impunè: quæ omnia, & multa alia non haberem vi ſolius legis naturalis.

SECTIO. XXXI.

De analogia Phyſica, & Ethica.

VT finem dubitandi, & inquirendi imponas, rogas ultimò: An hæc ſubſiſtat conſequentia, *Sic reſolvimus quæſtionem naturalem, ergo eodem omninò modo moralem parallelam debemus?* Et videretur omninò bona, quia fundatur in illo principio primò vero, *Vt de naturalibus naturaliter, ſic etiam de moralibus moraliter eſt philoſophandum*: quod ſuo loco diluciдо, & eſſe neceſſariò admittendum demonſtro.

At reſpondeo dari in phyſicis Poſitiones indubitatas, dari probabiles, dari dubias. Quam ob rem, hanc puto eſſe bonam conſequentiam, *In Phyſicis indubitatum eſt Deum eſſe cauſam primam naturalem, ergo in Ethicis indubitatum eſſe debet Deum eſſe cauſam primam moralem, quam ultimum finem appellant.* Puto etiam hanc eſſe bonam, *Probabile eſt Deum poſſe conferre homini gratiam phyſicè infinitam, ergo probabile eſt poſſe conferre infinitam moraliter.* Non tamen bonam judico hanc, *Petrus aſſeruit in phyſicis duas formas diſtinctas puro numero poſſe dari in eodem ſubjecto; ergo tenetur in moralibus ponere duas malitias non aggravantes, ſed conſtituentes peccati ſpeciem, etſi diſtinguantur puro numero poſſe compati in eodem peccato. Ergo tenebitur id in confeſſione explicare.*

De probabilibus opinionibus.

Et ratio conſequentiæ condemnandæ eſt, quia Petrus in phyſicis illam poſitionem admittens, ut merè probabilem, etiam oppoſitam probabilem cenſuit, & eligendo alteram manſit liber, ut, ſi vellet juxta alteram philoſopharetur: unde hac retenta libertate in moralibus, poterit juxta unam, aut alteram liberrimè operari. Et, ut hoc altiùs calleas, has Propoſitiones ſubjungo. I. *Si duæ formæ phyſicæ componi poſſunt, etiam duæ morales.* II. *Si cùm dico duas formas phyſicas diſtinctas puro numero compati poſſe in eodem ſubjecto, non poſſem contrarium aſſerere, deberem neceſſariò dicere duas morales, ſi diſtinguantur puro numero, non poſſe in eodem ſubjecto coexiſtere*: Sed ſubſumam *Atqui licitè poſſum contrarium dicere in Phyſicis; Ergo etiam in Moralibus*

ARTICVLVS VII.

De Probationibus, quæ fiunt per Teſtes.

Quas Iudices, & quas Teſtes Qualitates habere debeant, ut & illi dignè Iuſtitiam adminiſtrent, & hi fide digni cenſeantur?

Vt diſſolvantur argumenta, nonnulla doctrina neceſſaria & curioſa adducuntur, & dilucidantur.

An probatio infallibilis fieri poſſit humanitùs?

ME interpellas & ais fruſtra hanc controverſiam interſeri, nam ut putas, imbecilla eſt, quæcumque fit per hominum dicta probatio. *Omnis homo mendax*. Ergo multi homines ſimul, nihil aliud erunt, quàm multi mendaces. Lapides carent vita, arbores habent: arbores carent ſenſu, animantes habent: bruta carent ratione, homines habent: ſed multi lapides ſimul, non habent vitã, qua carẽt ſinguli: nec multæ arbores ſimul habent ſenſũ, quo carent ſingulæ: nec multa bruta ſimul habẽt rationẽ, qua carent ſingula. Ergo multi homines ſimul non erunt fide digni, ſiquidem ſinguli ſeorſim poſiti, hanc prerogativã non habent.

An teſtium indignitas & infidelitas numero compenſetur?

Hinc Socrates nolebat plus fidei pluribus præbere, quàm uni; nam ſi fide digni, unus ſufficit; ſi indigni fide, omnes ſimul fidem extorquere non poterunt. Vt rem exponeret, hoc utebatur exemplo. Ponebat ob oculos ſpurium tetradrachma, quod nullius eſt pretii in Republica. Et quod ſi duo vel plura eſſent ſimul, nil valerent, quia adhuc eſſent ſpuria. Ideo ſolebat dicere, *Non refert, quàm multi teſtes ſint, ſed quàm graves. Nummus adulterinus, etiam in quovis magno acervo adulterinus eſt*. Hoc inculcabat ille adverſus turbam teſtium, & indocti vulgi judicia. Laertius *lib.2. cap.5.* & Eraſmus *ex illo*. Videtur Socrates legiſſe Moyſem, qui *Exod.23.* dixerat. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum adquieſces ſententia, ut à veritate devies*.

An probatio per Teſtes maneat intra terminos meræ probabilitatis?

Hinc voluerunt nonnulli probationem, quæ per teſtes fit, non excedere terminos probabilitatis: unde Quintilianus *declamat. 19.* auſus fuit dicere, *Multum me, vel vos fallit opinio, Iudices, ſi ullam cauſam ita evidenter deferri in forum poſſe putatis, cui nulla mendacii velamenta contingant*; quod, ſi eſſet verum, ſuaderet eſſe injuſta omnia humana judicia, ſumma judicum iniquitate homines vel vita vel opibus per ſententiam privari:

In omni dubio pro poſſeſſione eſt judicandũ.

quoniam in omni dubio aut probabilitate ſtandum eſt pro poſſeſſore, & ante ſententiam reus vitę & opum poſſeſſor eſt. Quid ergo reſolvemus? Ante reſponſionem juvat aliquas maximas ſcitu dignas præmittere, ut expeditè per ſequentes controverſias tecurras.

SECTIO I.

Quænam Qualitates requirantur, ut legitimè Iudex pronunciet?

Qualis Iudex eſſe debeat?

IVdex, Græcè Κριτης, eſt qui jus dicit, & juſtitiam exercet. Ariſtoteles 1. *Politic.* & S.Thomas *in 2.2.qu.60. art.1.* Si nominis rationem quæras, *Iudex* eſt, quaſi *Ius-dicens*; nam *in epiſt.* Caſſ. ait. *Tamdiu & Iudex dicitur, quamdiu juſtus putatur: quia nomen quod ab æquitate* (Iuſtitia) *ſumitur per ſuperbiam non tenetur*. Vt ſciamus, quales eſſe debeant judices, quibus committi poſſit ut jus proferant, ſequentia protheoremata conſideremus.

An doctus eſſe debeat?

Primum. *Eſſe debet vir doctus: peccatq; mortaliter, qui ſine doctrina ſufficienti Iuſtitiam adminiſtrare præſumit*. Et quàm doctus? Dicebat, & bene Lyſias, Iudices eadem mente præditos eſſe debere, qua Legislatores. Stobæus *ſem. de Magiſtr.* Et quot ſunt hodie ad Senatum per errorem promoti. *Noli quærere fieri Iudex, ne iniquè factis par eſſe non poſſis.* Eccl.7. Et lib. 16. de Civit. Dei Auguſtinus. *Ignorantia Iudicis plerumque eſt calamitas populi*. & Gregor. in Eccl.7. in Gl. *Debet quiſque proprius virtutes perpendere, & pro qualitate virium curam aliorum ſuſcipere, ne dum delectatur loco gloria, fiat ſubditis author ruinæ: & qui gravatur pondere ſuarum,*

velis fieri Iudex alienarum culparum. Durum enim eſt, ut qui neſcit tenere moderamina vita ſua, Iudex fiat aliena. Et in epiſt. Caſſ. *Profeſſionem conſtat eſſe Iuſtitia, legum peritos Iudices ordinare, quia non facilè erroris vitio ſordeſcit, quem doctrina purgavit.* Conſonant hæc latina teſtimonia etiam Græcis. Phocylides.

> Μηδέ ποτε κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς.
>
> *Nunquam judicium facere imperitos viros permitte.*

Ariſtoteles lib. 5. Ethic. cap. 9. dicit cum omnibus, *Si ſciens & perpendens* (volens) *aliquis judicium iniquum interpoſuit, injuſtus habendus eſt*, ſed addit *aliquid*, quod ſine diſcuſſione & examine, aut etiam ſine diſtinctione admitti non debet. Ejus verba ſunt hæc, *Siquis imprudens & ignarus judicium tulit, non facis ex Iure legitime injuriam, nec ſit illud iniquum judicium, quamquam ſit tanquam iniquum.* Vt hunc textum dilucidem ex *lib. Rhet.* alterum interpono. *Litigantis*, inquit Ariſtoteles, *nihil eſt, niſi oſtendere, quia rei eſt, vel non eſt; vel quia facta eſt, aut quia non facta eſt; utrum autem ſit juſta vel injuſta oportet ipſum Iudicem cognoſcere* (& ideò primo in loco eum eſſe doctũ poſtulabamus) *& non diſcere à litigantibus.* Modò alterum Ariſtotelis textum relegamus. Cum dicitur, *Siquis ignarus judicium tulit*; vel agitur de ignorantia juris, vel facti: & ſi de ignorantia facti, vel ideò illud ignorat Iudex, quia debitam in teſtium examine diligentiam & circumſpectionem non adhibuit, vel quia ſine culpa ſua à teſtibus fuit circumventus. Sanè, ſi ſcientiæ expers dignitatem admiſit, temerè ad ſubſellia pervenit: & ſive æquum aut iniquum decernat, ſemper judicabit injuſtè. Si teſtes diligenter examinare noluit, etiam injuſtè ſententiam proferet, ſit ipſa juſta vel injuſta. Cæterùm, ſi ſatis doctus ſit & invigilavit teſtium depoſitionibus, ne error committeretur & tamen eorumdem fuerit circumventus perfidia etſi injuſtum judicet juſtum judicat, ſanctè procedit, neſciens & nolens damnum, ſed non injuriam infert: judicium formaliter iniquum non facit: tametſi illud ſit tanquam iniquum, quoniam eſt iniquum materialiter, & hæc tota judicii iniquitas, quanta eſt, non à Iudice, ſed à teſtium perfidia procedit.

Iudicium iniquum poteſt ferri materialiter & formaliter. Materialiter quidem, quando ſine Iudicis culpa injuſta ſententia profertur; formaliter autem iniquum eſt etiam ſi materialiter ſit juſtum, ſi fortè Iudex, vel non habet competentem ſcientiam, vel non adhibuit diligẽtias, quas debuit.

Secundum. *Eſſe debet Vir fortis, & probus. Non debet munera accipere, ut integritatem in judicio conſervet.* At hodie plurimi ſubornantur, plurimi corrumpuntur. Iſai. 1. *Omnes qui diligunt munera, ſequuntur retributiones; pupillo non judicant, & cauſa vidua non ingreditur ad eos.* & Iſaiæ 5. *Væ, qui judicatis impium pro muneribus & juſtitiam juſti aufertis ab eo!* Et Gregorius in homil. *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitatem.* Et de ſumm. bono. libr. 3. Iſidorus. *Graviùs lacerantur pauperes à pravis Iudicibus, quàm à cruentiſſimis hoſtibus: Nullus enim prædo tam cupidus, quàm Iudex iniquus in ſuis.* & ibid. *Sæpè Iudices pravi, cupiditatis cauſa, aut differunt, aut pervertunt judicium; non ſunt cœpta partium negotia, quouſque marſupia eorum, qui cauſantur, exhauriant.* Et iterum. *Quando judicant, non cauſam ſed dicta conſiderant; & ſicut negligentes ſunt in diſcuſſione cauſarum, ſic in eorum damno ſoliciti ſunt.* Iam olim ſicut hodie erant corrupta tribunalia. Exclamat Ovidius lib. 1. Amor. 10.

An debent eſſe integri vita ſceleriſq; puri?

> *Non bene ſceleſti Iudicis arca patet.*

Sui ævi miſerias his numeris Petronius luget.

> *Ergo judicium nihil eſt niſi publica merces,*
>
> *Atque eques in cauſa qui ſedet, empta probat.*

Terentius in Heaut.

> *Tu es Iudex: ne quid accuſandus ſis, vide.*

& pecunias recepiſſe præcipuè. Cicero act. 6. in Verrem. *Abducuntur nonnunquam Iudices ab inſtitutis ſuis magnitudine pecuniæ.* & 2. in eumd. *Ingentes divitiæ, judiciorũ religionem veritatemque ſolent perfringere. Iudicem inter munera oblata & fidem Officio debitam.* Cicero pro Rabir. Poſt. conſtitutum conſiderat, aitque, *Eſt ſapientia Iudicis in hoc, ut non ſolum, quid poſſit; ſed etiam, quid debeat, ponderet; nec quantum ſibi promiſſum meminerit, ſed etiam quatenus* (lege, *quantum*) *commiſſum ſit.*

Pecunia vis multa interdũ in Republica obtorquet, & confundit judicia.

Tertium. *Non debet agere cauſam propriam in judicio; nec lucrum à ſententia adipiſci.* Et videtur cauſam propriam agere, cùm aliquem, quem nec homo, nec infamia accuſat, condemnat. Ambroſius in 2. ad Corinth. 6. *Iudicis non eſt ſine accuſatore damnare; quia Dominus Iudam, licet fuiſſet fur, cum non eſſet accuſatus, minimè abjecit.* Et tametſi ſit grave ſine accuſatore ad ſententiam venire, gravius & intolerabilius eſt reum accuſare, & poſtea ſententiam proferre. Id interdum contingit magno innocentium damno, & proborum ſcandalo. Vnde inter alias Iuris-prudentiæ leges, hanc Menander tradidit,

> Κατηγορεῖν οὐκ ἔστι καὶ κρίνειν ὁμοῦ.
>
> *Accuſare non licet & judicare ſimul.*

An poſſit Iudex ex officio, cum nulla eſt accuſatio procedere?

Et Gregorius in Moralib. *Iudicare dignè de ſubditis nequeunt qui in ſubditorum cauſa*

ſit

…, qui actuo ſat, in eadem cauſa ſententiam ferre poſſit?

ſis vel odium vel gratiam ſequuntur. Et Iſidorus de ſumm.bon.lib.3. *Qui rectè judicas & præmium inde remunerationis exſpectas* (rem bonam adminiſtrat malè) *& fraudem in Deo perpetras, quia Iuſtitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit.* O mores! ô tempora! Lugeamus cum Cicerone 1. *de Orat.* ſui ævi tribunalia incriminante his verbis. *Plura judicant omnes, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quàm veritate, aut præſcripto, aut Iuris norma aliqua, aut Iudicii formula, aut legibus.*

Quales olim fuerunt apud Romanos Iudices? An multi ſint eorum ſimiles hodie?

Quartum. *Vtramq; audire partem debet* Seneca in Med.

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licèt ſtatuerit, haud æquus eſt.

Nulla ſententia ferri debet, niſi utraque pars priùs audiatur.

Oſtendit ſe eſſe ingenioſum Philoſophum nam æquitatem materialem à formali diſtinguit: non enim ſufficit ut juſtum judicet, ſed requiritur ut ſecundum allegata & probata judicet: unde quoties inaudita altera parte ad ſententiam procedit, ſe exponit manifeſto periculo, & ſive reum abſolvat, ſeu damnet, cœcè, atque ideò iniquè pronunciabit. Audi etiam Luc. Apulejum *in Aſini aurei lib.3.* dicentem, *Non ad inſtar barbaricæ civitatis, vel tyrannicæ impotentiæ damnari debet aliquis inauditus: & in pace tam placida tam dirum ſæculo prodi non debet exemplum.*

Odium & amor indifferentiam præjudicant.

Quintum. *Non debet amore aut odio duci, ſeu ſeduci, ſed omnimodam debet indifferentiam in judicio ſervare.*

Acceptio perſonarum vitium exſecrabile, quod judicia pervertit. Illam Deus condemnat, & præcipit, ut in omni Iudicio fugiatur. Exod. 24. *Æquum Iudicium ſit inter vos, ſive peregrinus ſive civis peccaverit: quia ego ſum Dominus Deus veſter.* At hodie exteri in judiciis ſolent periclitari. Quiſpiam Author Hiſpanus adagia nonnulla ingenioſè contexit & inter alia illud, *La cuerda quiebra por lo mas delgado*; & loco ipſius repoſuit *La cuerda quiebra por lo mas foraſtero.* Quoniam in cauſa, quæ de indigenæ & exteri jure diſceptat, etſi rationes hujus ſint fortes & illius debiles, ſic mores hominum perverſi ſunt, ut ſępè indigena extero pręponatur. Iudices ergo audiant Deum indicentem. *Non perverties judicium advenæ.* Deut. 23. *Quod juſtum eſt judicato: ſive civis ſit ille ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum; ita parvum audieris, ut magnum; nec accipies cujuſcumque perſonam, quia Dei judicium eſt.* Deut. 11. Poſſem multos locos producere, ſed

Corrigitur adagium hiſpanicum.

hæc ſufficere videntur.

An Iudex ſecundum privatam, quam habuerit notitiam, an verò judicare debeat ſecundùm allegata & probata?

Sextum. *Debet non ex privata ſcientia ſed ſecundum adlegata & probata judicare.* Et huc pertinet illud Menandri.

Ἀνεξέταστον μὴ κόλαζε μηδένα.
Inexaminatum ne punias ullum.

Septimum. *In dubiis pro poſſeſſore ſtare debet. Et quia reus in poſſeſſione ſuæ innocentiæ eſt, pro eo judicabit.* Auguſtinus *in ſerm. Domini in monte. Matth. 7.* expreſsè. *Facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim ſcriptum eſt*, A fructibus eorum cognoſcetis eos, *de manifeſtis dictū eſt, quæ nō poſſunt bono modo fieri* (ut fornicatio, adulterium, mendacium) *ſunt quædam facta media* (ut homicidium) *quæ ignoramus, quo animo fiant; quia bono & malo fieri poſſunt, de quibus* (ante debitum examen) *temerarium eſt judicare, maximè, ut condemnemus.* Et iterum ibid. *Duo ſunt, in quibus temerarium judicium cavere debemus: cum incertum eſt, quo animo quod factum ſit; vel incertum eſt, qualis futurus ſit, qui nunc bonus vel malus apparet.*

Standum eſt pro poſſeſſione in omni dubio.

Omnis homo in ſuis operationibus eſſe bonus præſumitur, quamdiu non probetur oppoſitum.

Vbi neutra pars poſſidet, ſtando nudo Iuri naturæ poterat Iudex opinione aliquorum minus probabili opinioni adhærere. At hæc libertas, ſiqua aliquando fuit, die 2. Martii 1679 fuit ſublata ab Innocentio XI. hanc propoſitionem *num.* 2. condemnante. *Probabiliter exiſtimo, Iudicem poſſe judicare, juxta opinionem, etiam minus probabilem.*

Octauum. *Omnis Iudicum poteſtas & authoritas à Deo eſt.* Ergo, ſiquidem nomine Dei pronunciant, ſecundum Dei leges judicare debere indubitatum eſt. Sap. 6 *Audite ergo Reges terræ & intelligite; diſcite Iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra & cogitationes ſcrutabitur, quia cum eſſetis Miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem Iuſtitiæ, nec ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis.* Verba Dei ſunt, *Cum accepero tempus, ego Iuſtitias judicabo*; quæ Melleus Doctor *in quad. epiſt.* eruditè dilucidat dicens. *Quid faciet de injuſtis Iudiciis, qui ipſas quoque Iuſtitias judicabit: qui cuique merita recitabit. Veniet, in quam veniet dies judicii, ubi plus valebunt pura corda, quàm aſtuta verba: conſcientia bona, quā marſupia plena: ibi Iudex non falletur verbis, nec frāgetur donis.* Et omnia hęc cognoſcebant etiam olim Ethnici. Phocylides.

Vnde authoritas Regum, Principum, & Iudicū omniū proveniat?

Ἢν σὺ κακῶς δικάσῃς, σὲ Θεὸς μετέπειτα δικάσει.

Quid requiritur, ut leges humanæ ſint juſtæ?

Si tu malè judicaveris, te Deus deindè judicabit.

Et 3. de Officio Cicero. *Cùm Judici dicenda ſententia eſt, memineris, ſe Deum habere teſtem (immò & Iudicem.)* Vt Judex ſecundùm Deum judicet, oportet ut judicet ſecundùm leges, quæ latæ ſint ſecundùm Deum. Quoniam ſi fortè iniquæ illæ ſint, etiam judicium, quod illis conſonat, iniquum erit. Audiatur Auguſtinum, qui *libr. 9. de Civit. Dei.* ſic ſtatuit. *Omnium legum eſt inanis cenſura, niſi divinæ legis imaginem gerat.*

An Iudex convictum reum poſſit abſolvere?

Nonum. *Convicto de crimine reo, Iudex ſubordinatus alteri veniam dare non poteſt, ſed ſub mortali culpa tenetur eum damnare.* Patet: non enim denominatur, & magno ſtipendio nutritur, ut pronunciet pro libito, ſed ut ſententiam ferat ſecundùm Reipublicæ leges. Lactantius de ira Dei. *Iudex peccatis dare veniam non poteſt, quia voluntati ſervit alienæ: Deus autem poteſt, quia eſt ſuæ diſpenſator, ac Iudex.*

Decimum. *Iudex doctus & prudens, ſi teſtes diligenter examinet, poterit ad veritatis cognitionem venire.*

An humana diligentia ſufficiens, ut veritas exactè inveniatur?

Sanè non probatur crimen accuſatione nec criminis negatione innocentia. *Quis enim nocens eſſe poterit unquam, ſi negare ſuffecerit: & quis innocens eſſe poterit, ſi accuſare ſufficiet?* Amm. Marcell. *lib. 18.* Ergo præter accuſationem & criminis negationem aliquid aliud requiritur, ut Iudex veritatem, quam ſolam debet quærere, inveniat. Iudicum Ægyptiorum Primarius (Ἀρχικριτὴς) ait Ælianus *var. hiſtor. lib. 14. cap. 34.* circa collum imaginem ex ſapphiro gemma confectam geſtabat, quæ vocabatur *Veritas*: ergo verò Iudicem, nõ tam in lapide exſculptam aut expreſſam veritatem circumferre, quàm in animo menteque inſitam infixamque habere velim.

Ægyptiorum mos. Habebant Iudices è collo pēdentem veritatis imaginem.

Duo vel plures teſtes in omnibus circumſtantiis, ſi falſi ſint, convenire non poſſunt.

Hanc veritatem Iudex, quam invenire deſiderat, non aliter poteſt, quàm teſtes examinando, detegere, & tametſi à ſingulis decipi poteſt, à duobus vel pluribus non poterit, ſi ad circumſtantias adjacentes deſcendat. Et ideò ex unius teſtis depoſitione Deus Num. 35. 30. Deuter. 17. 6. & 26. 15. & Matth. 18. 16. neminem condemnari præcepit, juſſitque *ut in ore duorum, vel trium teſtium omne verbum ſtaret*, quem locum Ambroſius dilucidat *Epiſt. 66.*

Auriti ad plenam probationem non ſufficiunt: Oculati igitur debent examinari.

Auriti teſtes, ut ut contemni omninò nequeant, ad probationem plenam, etſi plurimi ſint, non ſufficiunt. Ergo de oculatis agendum eſt, quoniam, ut Plautus *in Truc.* ait,

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quàm auriti decem.

Qui audiunt, audita dicunt; qui vident, planè ſciunt.

Iudex autem, ut oculatos examinet, cùret ut ſit oculatiſſimus; & ut methodum diſcat, legat, relegatque Caput XIII. Danielis, quod hic Ego ad Synopſim reduco.

Quomodo Iudex in teſtium examine debeat procedere, conſtat clariſſimè ex Danielis Iudicio. Illud ad compendium redugitur.

Ioacimus Iudæus dives, & potens, duxit in uxorem Suſannam, Helciæ filiam, egregia forma, & Dei timore præditam. Illo anno populum gubernabant duo πρεσβύτεροι, *ſenes, qui amicitiæ & obſervantiæ gratia Ioacimi domum, hortumque, qui apud illum erat, frequentabant. Cùm autem Suſannam interdum viderent, eam cœperunt ſeorſim concupiſcere; & demum ad hortum ſeu pomarium, unde palam diſceſſerant, clam reverſi, communicatis & collatis mutuò iniquitatis conſiliis ardere, & ad ejus amplexus conari. Latent inter arbuſta, & nil ſimile Suſanna prævidens, deſcendit ad fontem, & dimiſſis pedìſequis (tanta enim erat pudicitia, ut ne ab ancillis quidem nuda volebat conſpici) exſuit veſtes, ut in aquam intraret. Tunc eam aggreſſi apprehendunt ſenes, & ajunt.* Oſtia pomarii clauſa ſunt, neque eſt quiſquam, qui nos videat: nos autem amore tui capti ſumus: qua propter morem geras nobis, copiamq; tui facias; Sin minus, teſtimonium dicemus contra te, quod juvenis tecum fuerit, eamque ob cauſam puellas abs te dimiſeris. *Et quid ad hæc caſta Virago? obſtupuit, ingemuit; & generosè de Dei miſericordia ſentiens ait.* Anguſtiæ me premunt undique; ſi enim hoc fecero, mors (animæ) mihi parata eſt: ſi non fecero, manus veſtras non evadam. Veruntamen mihi melius eſt, (minus malum) hoc flagitio non admiſſo, incidere in manus veſtras, quàm in conſpectu Domini delinquere. *Vociferatur illa, illi etiam clamant, & quoniam eſt provida inveterata iniquitas, feſtinat alter, hortum reſerat, clamores ingeminat, & domum univerſam perturbat. Accurrunt ad hortum domeſtici; &, ut audiverunt ſenes, pudore & admiratione ſuffuſi, non ſciebant, quid reponerent, fidem enim ſenum extorquebat authoritas, tametſi Suſannæ mores tales fuerint, ut fama de illa ne quidem mentiri fuerit auſa. Iubent Senes populum congregari poſtridie, adduci Suſannam. Venit velata. Iubent detegi, ut* pulchritudine ejus ſatiarentur. [*O miſeram tempeſtatem repudiatæ libidinis, contrariis agitatur Æolis concupiſcentia & odio & quam gaudere non poteſt, perdere & adæhilare conatur!*] *Surgunt Senes, & manus ſuper caput innocentis ponentes (juramenti erat formula) accuſationem ſuam entonant*

Nota illud melius; ſumitur enim adverſativè, hoc eſt, minus malum.

Imponere manus ſuper caput erat olim ceremonia jurantis

&

& concinnant his verbis. Deambulantibus nobis in pomario ſolis, hæc cum duabus ancillis ingreſſa eſt; eùmque occluſis pomarii foribus ancillas à ſe dimiſiſſet, juvenis, qui latuerat, ad eam venit, eum ipſaque concubuit. Porrò nos in angulo pomarii eum eſſemus, atque hujuſmodi ſcelus vidiſsemus, ad eos accurrimus. Deprehenſique in coitu, illum comprehendere non potuimus, quòd robuſtior nobis eſset ac foribus apertis effugiſset. Hanc autem comprehenſam, eùm interrogaſsemus, quis eſset ille juvenis? nobis indicare noluit. Horum nos teſtes ſumus. *Vt audivit* συναγωγὴ coetus *ille, ſenibus & Iudicibus populi prabuit fidem, & morte Suſannam condemnavit. Clamavit illa ad Deum, & quia innocentia vox eſt potentiſſima, fuit clementer adjuta, & erepta. Quoniam, cùm ad ſupplicium duceretur, Danieli adhuc puero, & inter eos qui aderant atate minimo adſtitit Sanctus Spiritus, at majori prodigio ſanctam & innocentem liberaret. Se opponit Daniel dicens*. Purus ego ſum ab hujus ſanguine. *Haret populus; & dum reſcire vult quid dicat; pergit Daniel, & ait*. Adeone ſtulti eſtis Iſraelitæ, ut filiam Iſraelis, nō diſquiſita cauſa, nec apertè cognita condemnetis? Revertimini ad judicium, quia falſum iſti contra hanc teſtimonium dixerunt. *Obediit populus Deo in Daniele loquenti: quem fruſtrà deſpiciebant Senes, nam impotens eſt humana perfidia contra Fidem Divinam. Reverſus eſt itaque populus, Seneſque indignabundi obloquebantur, & illum irridentes dicebant*. Adſis huc, & inter nos conſide; nobiſque demonſtra, quòd Deus tibi hoc munus Senile (Senatorium) detulerit. *Ad qua nihil populus, & nil Daniel repoſuit. Tacebant virtualiter ſenes, cùm maximè putabant obſtare; nam prudentum judicio ita ſe habebant, ac ſi omninò obmutuiſſent. Tunc illos Daniel ſeparari pracepit, ut ſeorſim poſſent examinari. Deinde alterum advocans ait*, Inveterate in diebus malis, &c. Hanc ſiquidem vidiſti, dic ſub qua eos arbore congreſsos vidiſti. *Hac inexſpectata interrogatione perculſus haret Senex; & tamen in ſe seductus inquit*, Ὑπὸ σχῖνον. Sub lentiſco. *Cui Daniel*. Rectè. In tuum ipſe caput mentitus es: jam enim Angelus Dei, accepta ab eo ſententia, te medium σχίσει, diſsecabit. *Tunc eo ſemoto, juſſit vocari alterum, & ait*, Semen Chanaan, &c. Nunc ergo dic mihi, ſub quanam arbore eos coeuntes deprehendiſti? *Et ille, quia cogitare poterat, ſimilem interrogationem alteri fuiſſe propoſitam, & quid ille reſpondiſſet, neſciebat, anxius & miſer, quam nominaret, arborem ignorabat. Tamen, ne eum taciturnitas proderet, reſpondit* Ὑπὸ πρῖνον ſub prino. *Cui ſtatim Daniel*. Rectè tù quoque. In tuum caput mentitus es. Iam enim te exſpectat Angelus Dei gladium gerens, ut te πρίσαι diſcindat mediū; voſque ambos exterminet. *Tunc univerſa* συναγωγὴ concio, populi congregatio, *unanimi jubilo exclamavit*, Suſannam innocentem eſse: *benedixitque Deum qui conſervat omnes ſperantes in ſe. Et juxta Moyſeos legem* talionis pœna accuſatores condemnarunt, atque illos interfecerunt. *Et Suſanna cum conjuge & parentibus ſuis gratias immortales egit Domino, quod non permiſerit innocentiam ſuam periclitari. Sed & Daniel gloria & honore coronatus, ab illa apud populum die ſummus fuit*.

Quanta ſit innocentiæ efficacia, & quanta ſit Summi Numinis erga innocentes providentia. Sciebat Philo, qui condemnatus à Caligula, quòd eū noluerit adorare, cum in carcerem truſus nullum amicum reperiret, qui ſe defenderet, ad ſocios ſuos orationem convertens ſic exclamavit, *Bono animo nos eſſe oportet, quibus iratus eſt Cajus, quia neceſſe eſt adeſſe divinum, ubi humanum ceſſet auxilium*. Euſebius lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 8.

Hanc ergo hiſtoriam dignentur conſiderare & ponderare Iudices, nam circumſtantiæ crimen concomitantes ſunt plurimæ, & impoſſibile eſt, ita duos falſos teſtes conſpiraſse, ut in univerſis conveniant. Teſtium diſsenſus falſitatis eſt index, nam Veritas ſemper eſt eadem, & qui ad illam ſe dirigunt, unicam tantum habent viam; & qui Veritatem non curant, poſsunt aberrare millenis. Ergo eadem eſt in teſtimoniis diſcordia & falſitas. Et, ut id ſuadeam ad Chriſti hiſtoriam, quam ſcripſit S. Marcus, recurram. Agens de Paſſione Domini noſtri Ieſu-Chriſti, *cap*. 14. ait. *Multi teſtimonium falſum dicebant adverſus eum*. Et mox. *Quidam ſurgentes falſum teſtimonium ferebant adverſus eum*. &c. Et quidem multis Evangeliſta modis probare potuit eos fuiſse teſtes falſos, qui contra Chriſtum teſtimonium dixerunt. Nam erat Deus, cui nemo ſine mendacio actum pravum adfinget. Erat homo ſupernaturalibus prærogativis fultus, & peccare non poterat. Sed, ſi hanc viam iniiſset S. Marcus, daret doctrinam ſpecialem, quam negarent Ethnici, Iudæi non admitterent, & Neſtoriani aut etiam Arriani reprobarent. Ergo, ut doctrinam generalem præberet, ab illis dotibus, qui Chriſto uni & ſoli conveniunt, noluit argumentum deducere, ſed communem probationem adſumpſit, in qua Ethnicus, Iudæus, Hæreticus, & Catholicus convenire deberent: dixitque. *Et convenientia teſtimonia non erant*, & ſtatim. *Et non erat conveniens teſtimonium illorum*. Quę verba poſsunt ad hanc formam reduci.

Falſi teſtes depoſuerunt contra Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

[N.B.] *Vnde probaverit Evangeliſta eos eſſe falſos teſtes.*

Teſtes, qui in depoſitione non conveniunt ſunt falſi.

At, qui depoſuerunt contra Chriſtum, non conveniebant inter ſe.

Ergo, qui depoſuerant contra Chriſtum, erant teſtes falſi.

Et hic obiter noto, diſtinctionem illam de diſ-

Aliud eſt teſtes in circumſtantia accidentali diſſentire, aliud in ſubſtantiali.

diſſenſu ſubſtantiali & accidentali, ſi bene exponatur, eſſe veram: at aſſero ſæpe non bene exponi: nam hæc ipſa diſtinctio reperitur in omni contractu, & tamen rarò legitimè ſolet exponi. Attende.

Eſſentiale dicitur, quod abeſſe non poteſt ſine corruptione rei, cui eſt eſſentialis. Sic rationalitas, eſt eſſentiali homini, quia deſtruitur homo illa ſublata.

Accidentale dicitur, quod adeſſe aut abeſſe poteſt ſine formali coruptione rei, cui eſt accidentale. Sic motus lapidi eſt, accidentalis, quia nec illum abſens, nec præſens deſtruit aut corrumpit formaliter.

Accidens per multa poſſet, dividi modò per quatuor diſtribuatur: eſt enim vel Subjecti, vel Concreti, vel Contractus, vel Teſtimonii.

Omnia novem prædicamenta ſunt accidentia ſubſtantiæ, quæ eſt illorum ſubjectum.

Quæ ſunt accidentia unius Concreti, pertinent ad eſſentiam alterius. De Gigante. Proceritas eſt accidens hominis, non verò gigantis. Similiter ſtatura puſilla hominis accidens, non pygmæi.

Accidentia Conceeti ſunt quæ extra Conceetum collocantur. Sic Gigas eſt concretum, & pro materiali dicit hominem, & pro formali proceritatem. Sanè proceritas eſt accidens hominis, non gigantis, quia ſine proceritate homo eſſe poteſt, gigas non poteſt. At albedo, nigredo, calor, frigus, extra concretum concipiuntur, & poſsunt adeſſe & abeſse abſque corruptione Gigantis. Sic Pygmæus dicit intrinſecè & non accidentalitee ſtaturam puſillam: Senex, vixiſse multos annos. &c. Hæ Concretorum accidentaliſ formæ non ſunt ſubſtantiales, neque formaliter accidentales, ſed ſunt eſsentiales, nam ſunt de eſsentia Concreti, nec enim Gigas ſine proceritate, nec Pygmæus ſine parva ſtatura, nec Calidus ſine calore, nec Albus ſine albedine. &c. poterit inveniri.

De formis Characteriſticis. Quænam illa ſint?

Vnde quia ſunt formæ hæ inter ſubſtantiales & Accidentales mediæ, *Characteriſtica* ſolent vocari.

Accidens ſubjecti poteſt pertinere ad eſſentiam contractus.

Si Petrus equum nigro indigeat, & nigrũ emat, tunc nigredo in contractu includetur, & licèt ſit Equi accidens, erit de intrinſeca eſsentia contractus. Vnde, qui nigrum vendidiſset, & album poſteà tradidiſset, non eſset dicendus in circumſtantia accidentalis peccaſse: nam illa circumſtantia eſt contractui intrinſeca, & ideò eſt de eſsentia contractus.

Accidentia ſubjecti ſolent pertinere ad eſſentiam præcepti.

Ad contractum reducere præceptum poſsumus. Nam Iudæi, qui jubentur portare pileum flavum, ſi nigrum gerant, violant præceptum quoad eſsentiam, non enim nigredo adjacet rei præceptæ, ſed in illa clauditur. Ergo, quæ ſunt accidentia ſubjecti, ad præcepti eſsentiam poterunt ſpectare.

Accidens ſubjecti poteſt eſſe de eſſentia teſtimonii,

Non aliter de Teſtimonio hodie philoſophabimur. Adulterio, quod imponebatur Suſannæ, locus non erat eſsentialis; eſt enim extra prædicata eſsentialia adulterii; quod hic, aut ibi committatur. Ceterũ locus & aliæ circumſtantiæ quas rogabuntur teſtes, quæcumq; illæ ſint, ſi in ſenſum ordinariè cadant, ſunt de eſſentia teſtimonii. Nam teſtimonii veritas, per teſtium in circumſtantiis convenientiam probatur. Circumſtantiæ, quæ in ſenſum ordinariè non cadunt, intrinſecæ teſtimonio non ſunt. Sed quæ ſunt iſtæ? Quæ maximè inter ſe diſtant, ut nox & dies: mane & veſperum, Martius & Aprilis, &c. Civitas & campus, domus & forum, &c. ſunt teſtimonio intrinſecæ, quæ ab omnibus diſtingui ſolent.

Quæ ſint accidentaria circumſtantia, in quibus inculpabiliter teſtes poſſunt adluctari?

At verò quando agitur de uno quadrante horæ, aut de uno terræ paſſu, ſicut hæ diſtinctiones ſunt extra advertentiam communem, ſic etiam extra teſtimonium conſiderantur. Diſſidium ergo teſtium in his minutiis, ad quas regulariter non reflectimus, falſitatis ſuſpicionem non arguit.

SECTIO II.

Quaſ-nam Qualitates habere debeat Teſtis ut fide dignus ſit, & in Tribunali admittatur?

De Argumentatione. An ſit objectũ Logicæ? Quid & quotuplex ſit?

TAnti faciebat argumentationem Albertus Magnus, ut eam, ſubjectum Logicæ, non autem ſubjecti eſſe partem aſſereret. Ita *lib. de prædic. tr. 1. c. 2.*

Argumentatio eſt ratiocinatio mentis, arguens & convincens per habitudinem noti ad ignotum. Idem *ibid.*

Argumentationum quatuor generibus utitur Plato: Exemplo, Inductione, Ratiocinatione, & Enthymemate. Marſilius Ficinus *in Platon. de Virtute*. Plura alii adducunt: ſed omnia poſſunt ad hæc quatuor reduci.

An indicia vim Teſtium habeant?

Propoſitio ſuadenda, vel Factum, vel Iuſtitiam concernit. Illud probatur Teſtibus, vel indiciis; vel abſolutè teſtibus, quoniam indicia ſunt quædam virtualia teſtimonia, quæ ignotam veritatem recludunt. Hæc autem probatur legibus: & iſtæ Iuriſconſultorum Reſolutionibus dilucidantur. Et ſanè judicium Fori eſſe Argumentationem univerſi aſſeverant. Averroes *lib. 2. Rhetor. cap. 18.* ſic inquit. *Teſtis & Iudex differunt: quia teſtis teſtatur de veritate Concluſionis: & Iudex teſtatur de veritate ſyllogiſmi eam concludentis.* Agit de quæſtione Facti. Nam ſi quæratur, an Clodium occiderit Milo? Concluſio eſt *Occidit*. Teſtis dicit, *Occidi Clodium*

ego.

ego vidi. Et Iudex ſubjicit.

Quod dicunt viri probi, obſtricti juramento, verum eſt.

Sed Clodium fuiſſe à Milone occiſum viri probi & obſtricti juramento teſtantur.

Ergo Clodium fuiſſe à Milone occiſum verum eſt.

Quoniam ut inquit *in Gorg. Plato. Qui teſtes multos & claros in judicio producunt, ſe convincere adverſarium putant*. Quæſtio Iuris etiam per ſyllogiſmum expeditur, ut ſupra expoſui.

De Etymologia vocis Teſtis. Anteſtans, *an verò tanquam* ſuperſtes *dicatur?*

Quidam volunt, quod olim *Teſtis* fuerit *Anteſtis*, hoc eſt, *ante ſtans*; non enim teſtimonium proferre debent, niſi fuerint præſentes, quæ enim nec ante ipſos fuerunt facta, nec dicta, ſcire nequeunt. Alii malunt, quod *Teſtis* olim dictus fuerit *Superſtes*: quia ſupra cauſarum ſtatum profert. *de verb ſignif. for. S. Teſtis.*

Differentia, quæ eſt inter Teſtes & Iudicem; quid ipſi teſtimonio concludant, quid Iudex inferat ex illorum teſtimoniis?

Teſtes veri ſunt utiles, immo neceſſarii in Republica. *Prov.* 14.25. falſi damnantur *Exod.* 20.16. & 23.2. *Deut.* 5.29. *Prov.* 6.19. & 14.5. & 19.5. & 21.28. *Luca* 18.20. Sed quomodò puniri debent? Vide *Deuter.* 19. 16. 10. 5. 9. Qui ſimiles ſint, habes, *Proverb.* 25. 18. Ad rem Origenes. *Si quis ea, quæ vides in proximi ſui delicto, vel indicat; vel in teſtimonium vocatus, non, quæ vera ſunt, dixerit; peccatum, quod commiſit ille, qui celat, ipſe ſuſcipiet; & pœna commiſſi revertitur ad conſcium.* Audi etiam Senecam. *Teſtimonium falſum, ſi quis bis dixiſſe compertus fuerit, eum nulla lex amplius, teſtimonium dare cogat; ſi ter, non amplius teſtimonium dare liceat: &, ſi qui ter deprehēſus fuerit falſum teſtimoniū dediſſe, auſus fuerit dare teſtimonium, quicumque ad Magiſtratum deferat; ſi condemnatus fuerit, morte plectatur.* Nec nimis ſeverè pronunciat, quia *Teſtis falſidicus tribus eſt perſonis obnoxius: primū Deo, quem pejerando contemnit: conſequenter Iudici, quem mentiendo fallit: poſtremò innocenti, quem falſo teſtimonio lædit*. Iſidorus *de ſumm. bon. lib.* 3.

An multi falſi teſtes in Republica inveniātur?

Hodie in mundo magna falſorum Teſtium ſeges: & in regno Neapolitano, & cum agitur de Eccleſiis ſpoliandis præcipuè, tenui conducti pretio, quæ jubentur dicere, teſtimonio confirmant. Sed non eſt in mundo nova Perjuriorum iniquitas quia *omnis homo mendax*; & ideò omni ævo ſceleratorum teſtimonio fuerunt innocentes afflicti. Hæc exempla in Sacra Scriptura reperio. Doeg contra Davidem falſum poſuit, 1. *Sam.* 22.9. *Pſalm.* 35.11. Siba adverſus Miphiboſeth; 2. *Sam.* 16.3. duo teſtes contra Naboth inſurrexerunt, 1. *Reg.* 21.13. Ierias etiam adverſus Hieremiam, *Hierem.* 37.12. Zedechiæ Principes adverſus eumdem Hieremiam. *ibid.* 38.4. duo laſcivi Presbyteri contra Suſannam. *Dan.* 13. 34. duo etiam contra Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum *Matth.* 26. 61. alii contra Stephanum, Actor. 6.11. 13. & contra Paulum. *ib.* 24.9.

Dicebat olim Ovidius 1. Amor. 10.

Non bene conducti vendunt perjuria teſtes.

Et etiamnum falſa teſtimonia venduntur; Sunt Neapoli apud Magnam Curiam, homunciones Advocatis, immo etiā Iudicibꝰ noti, à quibꝰ ſi quā artem profiteantur, inquiras, *Examinamur*, ajunt; nā ſunt parati firmare perjurio, quæ velis. Et non minus exſecrabilis eſt, illorum amicitia, quæ aras prætergreſſa: nec Deum timet, nec homines reveretur. Quoniam non rarò accidit, ut quis ſuo ſocio dicat. *Mea, compater, cauſa periclitatur. Niſi teſtes adhibeam, condemnabor omninò. Unum mihi mutua perjurium, quod ego tibi, ſi occaſio ſuccurrat reſtituam.* Non ſolum in cauſis civilibus, ſed etiam in criminalibus ſe ſacrilegiis Amici adjuvant, damna inimicis inferunt; & de reſtitutione, ne quidem in articulo mortis cogitant. & ſic impœnitentes ad pedes Domini Noſtri Ieſu Chriſti audituri ſententiam æternæ damnationis perveniunt.

An Iudex poſſit teſtem falſum à veraci diſcernere?

Sanè, ſi aperire oculos velit Iudex, vix falli poterit; ſed ſunt, qui volunt decipi, & in tribunalibus mercaturam exercent. Qui ſit Senator integer, in teſte requirat qualitates, quæ inſinuantur hoc Diſticho. Examinari enim debet cujuſcumq; teſtis

De qualitatibus in teſtibus examinandis.

Ætas, Conditio, Sexus, Spes, Fama, Tribunal,
Cum Numero Fortuna, Fides, Deus atq; Voluntas.

De ſingulis aliquid in particulari dicamus.

SUBSECTIO I.

De Ætate.

Dicit conſcientia adultis, ut Heſiodi verbis utar,

Μαρτυρίην ψευδῆ φεύγειν, τὰ δίκαια ἀγορεύειν.

Teſtimonium falſum fuge: ſed vera loquere.

An pueri quinquennes v. gr. poſſint tanquā teſtes admitti?

Et id ipſum innocentia dictat puellis. Audi Iſidorum *lib. de ſumm. bon.* dicentem. *Nihil eſt puero certius, utique quinquennii: Nam & ad eos pervenit, ut intelligat & ad eos quibus fingere valet.* Eſt locus corruptus apud Ioſephum Langium *in Florileg. verb. Teſtis.* & putarem poſſe reſtitui ſic. *Nihil eſt puero certius; utique quinquennis: Nam ad eum pervenit* (ſufficiens mentis lux)

lux) *ut intelligat; non autem* (malitia) *ut fugere valeat*. Interim rem aliter intelligunt Iuriſconſulti, qui ad teſtimonium maturam ætatem requirunt: quoniam, ut inquit *in Oct.* Seneca.

Maturam ætas ſemper in teſte requiritur.

Teneris in animis, haud ſatis clara fides.

Impuberes eſſe teſtes non poſſunt; ſed neq; ſenes, ſi decrepiti ſint.

& in annis teneris fortes animi non reperiuntur. Et eorum inconſtantiam ſemper attendi, conſtat ex Romanæ Eccleſiæ praxi, quæ tametſi permittat ut impuberes Sponſalia contrahant, non tamen tolerat ut mutuo conſenſu diſſolvant. Ita ſtatuitur *in cap. de illis cap. à nobis. de ſponſ. impub.* Et ratio eſt, ne propter fragilitatem & inconſtantiam ætatis ſæpè mutantes conſilium, ſæpe reſiliant & ſæpè Sponſalia contrahant. Sunt verba P. Leandri de Sanctiſſ. Sacramento *tr. 9. de matrim. diſp. 2. qu. 9.* ubi cum Sanchez dicit hanc eſſe omniũ Doctorum ſententiam. Ergo impuberes, quorum fragilitas, & inconſtantia nota, & notata eſt, ut teſtes admitti non poſſunt.

Sicut parva ætas à teſtimonio excluditur ita & nimia: nam ſenes cum ad decrepitam ætatem veniunt repueraſcunt & frequenter delirant. Senes verò, qui ſexageſimum ætatis annum ſuperarunt, ſi tamen nondum ſint decrepiti, ſed habeant uſum rationis liberum, poſſunt quidem admitti, ſed non cogi. *leg. inviti. D. de teſtibus* Senibus adde milites & valetudinarios, qui ſimili privilegio funguntur.

Teſtes privilegiati, qui?

Sed neque ſufficit ut ſint puberes, ſi de rebus antiquis interrogandi ſint: nam ſi agatur de re, quæ ante 60. annos acciderit, adoleſcens deponere poterit, quid audiverit tantùm, quia nihil eum vidiſſe certum eſt.

Hinc patet Doctores apud Cacher. *deciſ. 101. num. 6.* & de Rubeis *Certamin.* V. *pag. 167. num. 198.* in eo qui de immemorabili tempore teſtificatur; ſaltem quintum ſupra quinquageſimum prudentiſſimè poſtulant: nam de hac juvenes re nequeunt teſtificari. Vide *leg. ſi arbiter. D. de probat.* in qua doctiſſima Pauli verba reperies. Vide etiam Dom. de Rubeis Certamine V.

SUBSECTIO II.

De Conditione.

An Conſanguinei contrà vel pro cognatis ſuis perhibere teſtimonium poſſint?

SEmper fidem Teſtis imminuit, & aliquando elidit ſanguinis vinculum. Cicero. *In ferendo teſtimonio quantacumque alicui ſit authoritas, propter conjunctionem affinitatis* (& à fortiori, *conſanguineitatis*) *minor petenda* (cenſenda) *eſt*. Ergo quia inter cognatos, ut in proverbio eſt, *Proximus egomet mihi*; ideò non permittitur, ut aliquis in cauſa propria teſtis aut judex ſit. Et hanc ob rem Ariſtoteles 2. *Rhetor.* ait. *Teſtimonia, alia de ſe ipſo, alia de adverſario, alia de facto, alia de moribus* eſſe ait, prioraque omninò rejici, & poſteriora diſcuti & examinari debere. Interim propter ſanctitatem vitæ & rerum temporalium deſpectum, ut etiam in cauſa propria teſtes ſint, Ciſtercienſibus ab Apoſtolica Sede conceſſum eſt. Non enim videtur veriſimile aſcetas, quorum converſatio in Cœlis eſt, qui caduca deſpiciunt, ut adquirant æterna, velle propter unum agellum ſuas conſcientias onerare & in æternum perire.

An aliquis poſſit eſſe teſtis in ſua cauſa?

Ciſtercienſium privilegium teſtificandi in propriis cauſis.

Simile privilegium conceſſum videtur Cardinalibus, nam deponentes in facto proprio pluſquam ſemiplenam probationem faciunt, ut habet Rota *coram Coccino deciſ. 19. num. 1.* Ita Albanus *de Cardinal. qu. 42. privileg. 11.* Farinac. *p. 2. reſol. 339.* Si ad familiarium favorem teſtimonium perhibeant, magnum robur adjiciunt. Ita Rota *coram eod. Coccin. deciſ. 4. num. 3.* & ex illa Diana *p. 5. tr. 2. reſol. 56. 93.* & Coronius *in ſumm. verb. Cardin. num. 22.*

An ſimile privilegium Cardinalibus conceſſum ſit?

Porrò filii, parentes, conſanguinei intra gradus, per quos defluit inceſtus, non poſſunt ad teſtimonium cogi. Id non habent ex natura rei, ſed ex Legislatorum clementia. *leg. Iulia. D. de teſtib.* Interim in cauſis fidei ab Epiſcopis & Inquiſitoribus ſolent citari & cogi.

Quinam cogi teſtes non poſſint?

Servi repelluntur communiter *ex leg. quoniam liberi. C. de teſtam. & leg. pridem. C. de qu.* & ratio eſt manifeſta: nam ſi ſervus ſit nullus civiliter, teſtis eſſe non poteſt: nam teſtis non poteſt eſſe, qui non ſit aliquis. Aliquos caſus excipit Farinacius *de teſt. qu. 55. inſpect. 2. nu. 165.* qui omnes reduci ad unum poſſunt, quando crimen eſt atrox & exceptum, & teſtes liberi haberi non poſſunt, ut ſcitè notant Maſcardus *de probat. concl. 1358. num. 18.* Diana *p. 7. tr. 7. reſol. 71.* Tu autem, ut hanc exceptionem intelligas, examinare debes, cur ſervi à tribunali repellantur. Si enim tantummodò repellerentur, quia nulli civiliter ſint, in hoc poteſt Reſpublica impedimento diſpenſare, & præſtare quod ad tempus & ad talem actũ aliquid civiliter ſint. Cæterùm, ſi etiam repellantur, ut mendaces & falſi, eos Reipublicæ authoritas veraces & probos non reddet. *Quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos eſſe ſervos?* ait Cicero *in Paradoxis*. Ergo quamdiu non ſit, qui hoc neget & illos eſſe viros graves liberales & probos aſſerat, non erit, qui eos

An & cur ſervi teſtes eſſe nõ poſſint?

An Reſpublica diſpenſare poſſit, ut ſervi validum teſtimonium perhibeant?

ut

ut dicant teſtimonium admittat.

An ſurdus, mutus, & cœcus eſſe teſtes poſſint?

Mutus, ſurdus, & cœcus, non repelluntur, ſi agatur de re quæ in ſenſum cadat non impeditum. Quam ob rem mutus & ſurdus de re viſa, & cœcus de audita poſſunt teſtificari.

An profeſſio talis aut talis Religionis ad teſtes fidem & authoritatem cōducat?

Ad conditionem pertinet, quam quiſq; profitetur, Religio: nec enim inter nos tanta adhibetur Iudæo vel Mahometano fides, quanta Chriſtiano. Et inter Saracenos pluris fit Chriſtiani teſtimonium, quàm Mahometani. Infideles mendacia, quæ vocant *officioſa*, non incriminantur, & officioſis accenſent, quæ pro amico contra inimicum deponuntur. At aliter ſunt inſtructi Chriſtiani. *In Pſalm.* 118. Caſſiodorus. *Sæpe pro malis verum teſtimonium dicimus & de bonis mala dicimus neſcientes; & neceſſe eſt ut verecundiam incurrat, qui ignorans aliquid aſſeverat. Sæpe enim probatur incerta ſuſpicio, quæ viro non convenit Chriſtiano.*

An nobilitas augeat fidem, & approbationem teſtimonii?

Huc etiam pertinet perſonæ dignitas, quæ enim timeri in ignobili debent, in Principe & viro illuſtri ſuſpicione omni carent. Et utinam omnes hodie Senatores Ciceroni ſint ſimiles. Plutarchus. [*Dicente illi Metello*. Plures teſtimonio peremiſti, quàm patrocinio ſervaſti: *reſpondit Cicero*. Nempe, plus eſt mihi Fidei quàm Eloquentiæ.] Et utinam omnes hodie Principes Alfonſum, Hiſpaniarum Regem imitarentur, ſolebat enim dicere. *Tantum valere ad fidem debere ſimplex Principum verbum, quàm privatorum hominum juſjurandum*: turpiſſimum enim eſt fidem fallere, in Regibus verò longe turpius. Panormitanus *de Alfonſi reb. geſt.*

An verba Principum tanquā juramenta accipi debeant?

De amicitia & inimicitia. An teſtium fidem elidant?

Petis, An ſicut amicitia, ſic & inimicitia teſtimonium elidat? Reſpondeo diſtinguendo: nam vel contra inimicum, aut pro illo deponit. Si primum, vires teſtimonium non habet: ſi ſecundum habet efficaciſſimas; fortiſſimè enim probamus, *quando & inimici noſtri ſunt judices*. Inter Neronem Thraſeamq; inimicitiæ acres & difficiles implicabantur. Cum autem quidam Thraſeam de iniquo judicio accuſaſset, eum jactans injuſtam protuliſſe ſententiam, obſtitit Nero exclamans, *Utinam me tam verè Thraſeas diligat, quàm eſt Iudex rectus & æquus*. Hoſti Hoſtis teſtimonium perhibuit de fama periclitanti: nullum enim gravius teſtimonium, quàm inimici pro inimico. Eraſmus *libr. 6. Apophth.*

De perſonæ qualitate.

Conſideranda eſt etiam perſonæ qualitas: nam ſicut quia amaſiam ſine blaſphemia vocat *Deum*, non enim, cum ſic ineptit, loquitur ſeriò, ſed hyperbolicè, ut doctè Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. diſp. 91. ſect. 4. §. 16.* Diana *p. 5. tr. 13. reſol. 20.* Cotonius *in ſumm. verb. Blaſphemia. nu. 4.* notaverunt & Lectores monuerunt:

An ad teſtimonium concurrat?

ſic fidem eidem juramento firmatam aſſerente Platone non violat, omnia enim, quæ amaſiæ dicuntur, non ſunt ſeria. Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐποτοίμος. *Venereum juſjurandum non punitur*. Senſus eſt. *Amantium Iuſjurandum irritum eſſe: nec ad Deos pertinere tanquam* jocoſum. Plato.

Amantium juramenta, qualia?

Hinc juramentum inter amaſios ad nihil obligare aſſerit Cotonius, *verb. juramentum. nu. 34.* & citat Dianam *p. 9. tr. 8. reſol. 9* Fagundez, &c. Et ratio eſt, quia non videntur, ſeriò agere. Sed ego non video, cur non poſſint amaſii aliquem contractum ſeriò inire, & jurejurando firmare. Proderit audire Sanctum Ambroſium, qui *epiſt. 66.* complectitur multa paucis verbis, *Duobus, aut tribus teſtibus*, inquit, *ſtat omne verbum: ſed illis teſtibus, qui ante diem heſternum aut nudiuſtertius, non fuerunt inimici, nec irati nocere cupiant, nec læſi ulciſci ſe velint*. [adde è contrario, *teſtibus, qui ante diem heſternum, aut nudiuſtertius, non fuerunt intimam amicitiam profeſſi, nec amore ultra aras prodeſſe cupiant, nec pro receptis beneficiis velint per ſacrilegia ſatisfacere.*] *Inoffenſus igitur affectus* [*nullis beneficiis aut injuriis devinctus: & ut ſit purè indifferens*] *quæritur: ita tamen, ut Accuſator propius in medium procedat.*

De teſtium patria. An Græcorum teſtimonia in tribunali admitti poſſint?

Etiam huc ſpectat Teſtis patria, ſunt enim aliquæ gentes ſinceræ & ſimplices, aliæ vafræ, & mendaces. Attici inter Græcos ſemper fuerunt à veracitate dilaudati. Hinc orta ſunt proverbia, Ἀττικὸς μάρτυς, *atticus teſtis*: & Ἀττικὴ πίστις, *Attica fides*: nam, cum aliquem commendare volebant, in eo reſidere fidem atticam. Interim Græcorum fides apud Romanos malè audiebat, & neſcio, an Cicero plus deferret Atticis, quàm cæteris, nam in Oratione pro Flacco repudians & elevans Græcorum teſtium fidem ait, *Verum tamen hoc dico de toto genere Græcorum. Tribuo eis literas, & multarum artium diſciplinam: non adimo leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam; deinde, ſiqua ſibi alia ſumunt, non repugno. Teſtimoniorum, religionem, & fidem nunquam iſta natio coluit: totiuſque hujus rei, quæ ſit vis, quæ authoritas, quod pondus, ignorat.*

An etiam Punicorum?

Svbsectio III.

De Sexu.

Cur fœmina Belgicè & Germanicè vocetur Ein fraw?

Dicebat quidam apud Belgas, & Germanos Nomenclatorem linguā Latinam reſpexiſſe, cum fœminam vocavit ein fraw tot enim fraudes cogitat, ut nihil aliud ipſa ſit, quàm *Vivu fraus*. Ioannes Owenus vocis *Vxor*, literam ſecundam diſſolvit, ut ſit *Vcſor*, & in vocem *Orcus* per ἀνάγραμμα tranſeat; nam mala miſero marito conjux, non ſolum incarnatus diabolus, ſed integee infernus eſt. Voces *Donna*, mulier & *Danno*, damnum, etiam ſunt ἀνάγράμματα, ſæpè enim rebus convenire videntur. *Mulier* à molendo dicitur, ait Paſſeratius, quod molatur, & permolatur. Et non ideò, inquam ego, ſed quia maritum ipſa ſuis ineptiis molit, & familiam permolit. Hieronymus *in epiſt. ad Nepotianum* hos verſus lectu dignos proponit.

Vxor ſoluta litera duplici, Vcſor, anagrāma, Orcus. Ital. Dōna anagrāma Danno.

An mulier à molendo dicatur?

Adam, Samſonem, Petrum, Davidem, Salomonem,
Decepit mulier: quis modò tutus erit?

Multi Viri illuſtres fraude mulierum perierunt.

& cognovi Madriti D. Didacum Henao, jam ſenem, qui cœlibem egerat vitam, & ut in propoſito conſervaretur habebat ob oculos in adverſo Muſæi pariete hanc inſcriptionem.

Samſon? David? Salomon?
Dios me libre de mugeres.

Veracitatem neſciunt. Tibul. lib 3. Eleg. 4.

Ah! crudele genus, nec fidum fœmina nomen
Ah! pereat didicit fallere ſiqua virum.

Vult à *fide* & *minuo* vocem deduci, ut idē ſit *fœminam*, quàm *fide diminutam* dicere. Catullus *eleg. 6.*

Dicit: ſed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida ſcribere oportet aqua.

Xenarchus apud Athenæum *lib. 10.* poſuit *vinum* pro *aqua*, inquit enim, *Inſcribe vino, ſiqua jurat fœmina.* Aldus *in adag.* exiſtimat *aqua* & non *vino* dicendum; & probat ex illo Senario

Hominum improborum inſcribe jusjurādum aqua.

Lucianumq; *in Tyran.* Platonem *in Phædr.* & Catullum *loc. cit.* adlegat. Sed non video, cur non potuerit, ut conceptum ingenioſum exprimeret *vinum* pro *aqua* Xenarchus ponere? Hiſpanus, quando aſſerit aliquid ſe clarè dixiſſe, ut oſtendat ſe nulla metaphora uſum fuiſſe, ait *Pan por pan ſe lo dixe*, hoc eſt, *Panem pro pane ipſi dixi*. Interim D. Hieronymus Cancer, ut Germanos ebrietatis notaret, ſic cecinit.

Del Tudeſco mas mobino
Al Eſpañol mas galan
Referiros determino,
Eſpañoles pan por pan,
Tudeſcos vino por vino.

Vide meam Metametricam *pag. 208. b.*

Porrò aliud eſt *ſcribere aqua*. Dat. & aliud *ſcribere vino*. Abl. Ridet Græcos Ovidius, quod in patriam reverſi gloria vana ſeducti, in menſis poſt prandium deſcribeeent *Pergama tota mero*, ut multa & grandia mentirentur de Troja, quæ amaſiæ crederent. Ergo mulierum juramenta, quia falſa, & non ſeriò prolata vino, hoc eſt, digito vino tincto, ſcribamus: & eadem quia inconſtantia, & citò obliteranda in aqua cum Catullo ſcribamus. Ad rem Propertius 2. *eleg. 18.*

Hoc perdit miſeras, hoc perdidit ante puellas.
Quidquid jurarunt, ventus & unda rapit.

Menandee verbis fœminæ aſſentiri non vult.

Illa non ſtant promiſſis.

Ἐςι γὰρ γυνὴ λέγȣσα χρης' ὑπεράλλων φόβος.
Ἐργὸν γυναικὸς ἐκ λόγȣ πίςιν λαβεῖν.

Mulier verbis benigna maximè timenda eſt:
Difficile eſt verbis mulieris dare fidem.

Produnt & nocent, cùm favere videntur.

Huc illud Adagium ſpectat. Γυναικὶ μὴ πίςευε, μὴ δ' ἂν αποθάνῃ. *Mulieri ne credas: ne mortua quidem.*

His præmiſſis graviſſimam quæſtionem excitas, & inquiris, *An fœminis, ſiquidem fraudulentæ, nocivæ, perjuræ, & vindicativæ ſunt, prudenter poſſit dictio teſtimonii indulgeri?*

An eſſe teſtes poſſint fœminæ?

Non conveniunt Authores; non enim omnes æquè ſunt ſeveri erga fœminas. Ius Pontificium, ut plerique omnes Doctores aſſerunt, nullius fœminæ teſtimonium admitti: & probant *ex 33. quæſt. 5. c. 17.* Cæſareum eis favere videtur *leg. 18. D. de teſtam.* Sed & Iure Canonico fœminas teſtificari poſſe contendunt, probantque *ex cap. 2. 15. quæſt. 3.* ubi Pontifex Iura Cæſarea comprobat. Farinacius *quæſt. 59* & alii alia ſcribunt.

An Iura Pontificia & Cæſarea à teſtimonio fœminas excludant?

Profectò tempore S. Auguſtini non perhibebant teſtimonium mulieres: nam *in quæſt. ex utroque Teſtamento* univerſim loquitur, & inter Pontificium & Cæſareum Ius non diſtinguit, & tamen ait. *Mulier, nec docere poteſt, nec teſtis eſſe, nec fidem dicere, nec judicare, quantò magis non poteſt imperare.*

Quid ſieret D. Auguſtini tempore?

Ego

An duarum fœminarum teſtimonia ad plenam probationem ſufficiant?

Ego illis dictionem teſtimonii non nego: ſe tamen ſicut duas ad plenam informationem non ſufficere exiſtimo, ſic nec unam ad informationem ſemiplenam. Citentur, admittantur, audiantur: earum autem depoſitiones omnes exceptione ſuperiores ſomnientur. Subſcribo Antonio Matthæo *titul. de prob. cap.2.* Zingero & Carpz, quos citat & ſequitur D. de Rubeis *Certamin.* XII. *p.372.num.77.* dicens. [Ego dictionem eis non denego. *Sed teſtimoniorum religionem*(ut Tullii verbis,&c.) *& fidem nunquam iſta natio*(iſte ſexus) *coluit: totiuſque hujuſce rei, quæ ſit vis, quæ authoritas, quod pondus ignorant.* Profectò, ne inſcientes quidem verum dicere ſolent: & facta, infectaque narrant; propterea que nemo dixerit, eas omni ſuperiores exceptione. *Farinacius quæſt. 65. nu. 26.* Nullum duarum fœminarum teſtimonio crimen convinci. *Farinacius quæſt. cit. num. 27.* immò nec trium quidem, ſi caput agitur. *Farinac. quæſt. cit. num. 29.*]. Cur enim plena fides poterit adhiberi mulieri, de qua Imperator dixit, *ad omne perjurium promptam eſſe.* Ita *in Auth. de nupt. §. quæ verò.*

Ex Iure Civili Canonicum dilucidatur.

Hæc limitatio & diſtinctio præbet lucem Iuri Canonico: & ſic intelligendus eſt Pontifex, cùm *cap. Forus de verb. ſignif.* dixit. *Teſtes autem conſiderantur, conditione, natura & vita. Conditione, ſi liber, non ſervus; nam ſæpè ſervus timore dominantis teſtimonium ſupprimit veritatis. Natura ſi vir, non fœmina: nam varium & mutabile teſtimonium ſemper fœmina producit. Vita, ſi innocens & integer actu: nam ſi vita bona defuerit, fide carebit; non enim poteſt Iuſtitia cum ſcelerato homine habere commercium.*

Vt promptitudinem, qua mulieres de rebus ignotis & minimè exploratis teſtificantur, Plautus *in Amphit. ſcen.2. act.2.* exponeret, dixit. *Mulier es: audacter juras.*

Fœmina, ut vindictam obtineant, nulla media etiam propudioſa intermittunt.

Aguntur paſſionibus & affectibus fœminæ: &, ſi vel minimam injuriam paſſæ, æſtuant, ut vindictam obtineant. Quædam apud Lupum de Vega.

Venganza pido, venganza.
Soy muger, y la he de hallar.

Et tu horum verborum animam, quæ cōſiſtit in Dialectica, conſiderato. Æſtuans furore occlamat illa.

Vindictam poſtulo, vindictam.
Sum fœmina.
Illam igitur ſum obtentura.

videlicet per fas, aut nefas: vidimus enim aliquas, quia pecuniis non poterant, etiam corporis pretio, vindictam quam ſitiebant emiſſe.

Svbsectio IV.

De Spe, & Metu.

Philippi II. Lemma Heroicum, Nec ſpe, nec metu, admonet Iudices, & Teſtes, quomodo in tribunalibus debeāt procedere?

Minor eſt lucro ſpes: & arceri à Tribunali debent, non ſolùm teſtes, qui ex depoſitione ſua lucrum reportant, ſed & illi, qui ſpe moveri poterunt, ut cōtra veritatem ſtatuant. Spei metum & timorem adjunge: quibus enim minæ intentatæ, carent libertate Civili, & admitti non debent. Heroicum Philippi II. Hiſpaniæ Regis Lemma erat, *Nec ſpe, nec metu:* & monet non ſolùm Principes, & Iudices, ſed etiam Teſtes, quo debeant modo in ferendis teſtimoniis procedere.

Teſtimonia manifeſta in obſcuro adducenda ſunt. Ariſtoteles *2. Eth. 1.* Et iterum, *Teſtimoniis certis in rebus incertis utendum eſt.* Ita *in magn. Moral. libr. 1. cap. 6.* Sed qui lucrum ex teſtimonio adquirunt, aut adquiſituri ſunt, non ſunt certi, nam manifeſtū eſt illos ſæpe decipere. Ergo. *In 1. Rhetor.* dixerat, *Teſtes ſunt duplices; alii antiqui, ut Poetæ* (Hiſtorici,&c.) *alii novi: & horum alii periculi participes, alii expertes.* Ergo, quia qui in periculo ſunt, cum parte periclitante colludent, debent rejici.

Diverſa teſtium genera.

Vt teſtes diſtribuat per claſſes *lib. Rhet. ad Alex. cap. 15.* ſic ſtatuit. *Teſtis aut probabilis, aut improbabilis, aut ambiguus eſt. Si ſuſpectus, demonſtrandum, non gratia, non cruciatu, non lucro aliquo, mendacii quidpiam teſtificaturum,* & ibid. *Teſti, qui contradicit, improbum eum eſſe dicit: & videndum, an ei ſit amicus, aut negotii particeps: aut, ſi contra quem teſtificatur, inimicus aut pauper ſit.*

Doctrina de teſtibus etiam in Iudicibus admitti debet.

Quæ de Teſtibus dicta ad Iudices Patres extendunt. Gregorius in Moral. *Iudicare dignè de ſubditis nequeunt, qui in ſubditorum cauſis vel odium vel gratiam ſequuntur.* Iſidorus de ſumm. bon. libr. 3. *Graviùs lacerantur pauperes à pravis Iudicibus, quàm à cruentiſſimis hoſtibus. Nullus enim prædo tam cupidus in alienis, quàm Iudex iniquus in ſuis.* Petrus Bleſenſis. *Officium Officialium eſt hodie jura confundere, lites ſuſcitare, tranſactiones reſcindere, dilationes innectere, ſupprimere veritatem, fovere mendacium, quæſtum ſequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, verſutias concinnare. &c.* Conſonat Ovidius 1. *Amor. 10.*

Depravati veterum Iudicū mores.

Non bene ſelecti Iudicis arca patet.

Petronius adhuc clariùs.

Ergo Iudicium non eſt niſi publica merces,
Atque eques in cauſa qui probat, empta probat.

Et fert ultimam ſententiam Phocylides.

Si tu malè judicaveris, te deinde Deus bene judicabit.

De minis. An poſſint Iudicum & teſtium ſinceritatem pervertere?

Sicut Spes, ſic & Metus teſtimonium & judicium elidit: nam interdum, qui nec donis Teſtem, nec muneribus Iudicem corrumpere potuit, ad minas confugit, mortemque niſi adquieſcant, intentant. Sed quia fragilitas humana eſt certa, minis expleti debent dicere,

Virgilius Æn. 3.

Dii prohibete minas, Dii talem avertite Caſum.

Quod ſi illæ ſuperveniant, & quid facere debeas, interroges, reſpondebit Iuvenalis. 8.

—— Ambiguæ ſiquando citabere teſtis
Incertaque rei, Phalaris licèt imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro;
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas.

Subsectio V.

De Fama.

Non ſolum Famam, ſed ejus origo bene conſideranda eſt; non enim magni faciendus eſt rumor, qui ab improbis hominibus ſpargitur.

IN omni tribunali Iudex ſupremus Fama eſt. Imitatur Deum & dicit Regibus & Principibus, *Cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo.* Natale ipſius, & originis cauſam conſiderare oportet, ut quanti ſit facienda, diſcamus. Narrant Ethnici Myſtæ, eam eſſe Terræ filiam. Nam cùm bellum ob imperii cupiditatem inter Gigantes, Terræ filios & Iovem fuiſſet excitatum, & illi à Iove paſſim trucidarentur, Terra ſuorum ſanguine filiorum madida occlamabat. *Iuſti fuerunt, ſed victi.* Et eximio dolore percita, cùm ſibi contra hoſtem tam potentem arma deeſſent, illatam ſibi injuriam ulciſci cogitans, coacta utero Famam enixa eſt, quæ per omnes gentes & populos cùm Iovis, tum aliorum ejuſdem farinæ Numinum ſcelera diſſeminare. Ergo attendite (Imperatores, Reges, Principes) vos eſſe ſupremos putatis: nulli in terrarum orbe ſubeſſe dicitis: à nemine poſſe judicari inculcatis. Sed fallimini omninò: nam in Famæ tribunali, & Pontifices Summi, & Imperatores Maximi judicantur: quos vivos nemo fuit auſus tangere: hos poſt fata communis condemnat Cenſura, quam æternam reddunt in ſuis libris Hiſtoriographi, ne ignorent poſteri ſcelera, ſiqua olim Principes commiſerunt. Magna ergo cura & circumſpectione debent Mortales vivere: ne, ſi vindictam corporalem effugiant honore priventur à fama. Ad rē Ovidius.

Scelera Principum, qui ſupremi ſe ſominant Poetarũ calamis & Hiſtoricorum cenſuris ſubſunt.

Omnia ſi pereant, Famam ſervare memento:
Qua ſemel amiſſa poſteà nullus eris.

Infames eſſe teſtes non poſſunt.

Ergo ſi amiſſa Fama nullus fias, nec Teſtis, nec Iudex eſſe poteris. Menander.

Ἀνδρῶν γὰρ φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε.

Virorum autem malorum jus jurandum in aqua ſcribe.

Conſonat Apollodorus dicens.

Qui juramentum à malo viro poſtulat, inſanit.

Hæc verba politicè accipienda ſunt; multa enim theologicè ſunt pejora, quæ non ſunt ita pernitioſa civiliter.

Et quia inſanire Thales noluit, ideò adultero ſciſcitanti, an adulterium eſſet abjuraturus? reſpondit, Non eſt perjurium adulterio pejus. Significare voluit non ſeriò illum de pejerando dubitare, qui adulteriũ auſus fuerat committere. Thaletis dictum recitatur à Laërtio libr. 1. cap. 1. Et ex illo nonnulli colligunt in atrocioribus ſceleribus nil ponderis habere juramentum; qui enim audet propinare venenum, audebit ſe à pœna per perjurium ſubducere. Per crimina perditur fama, & infames ad mendacia ſunt & perjuria proclives, & ideo, ſi in tribunal veniant ut de veritate teſtimonium perhibeant, à partis adverſariæ Patronis repelluntur, & cum Silo confuſi & irriſi decedunt. Sili hiſtoriã recenſet Eraſmus libr. 6. apophth. & hic illam perſtringo. Silus teſtis lædebat Piſonem, cui aderat Craſſus: & quia erat auritus teſtis Silus. *Potuit eſſe, Sole,* inquit Craſſus, *ut ille iratus dixerit.* Et adnuit Silus: & addit Craſſus. *Potuit etiam eſſe, ut tu non rectè intellexeris.* Conceſſit Silus & ſubdit Craſſus, *Potuit denique eſſe, ut hæc, quæ te audiiſſe dicis, numquam audieris.* Ergo erat Silus talis, qui hoc modo potuerit confundi. Eraſmus iterum, *ibidem.* [Carbone pollicente quidpiam & addente juriſjurandum cum exſecrationes populus viciſſim juravit, ſe illi non credere. Probis viris & injuratis habenda eſt fides: levibus, ne juratis quidem.] Et quàm multi Sili & Carbones in tribunalibus ſolent admitti!

Sili hiſtoria explicatur.

Oedipus & Xenocrates injurati ad teſtimonium admiſſi.

Examinare igitur debet Iudex, qualis ſit in populo de Teſtibus ſingulis opinio: an ſint boni nominis & famæ: nam talium ſimplex verbum ad fidem, ſine Sacramento ſufficeret. Vir probus erat OEdipus, & ideò dicebat apud Sophoclem, *Non à me jurato plus acceperis, quàm ſi ſimpliciter promittam.* C. Paſchal. *libr. de virt. & vitiis cap.* 10. Et Xenocrates tantæ fuit apud Athenienſes probitatis, & fidei, ut eùm

nul-

nullius teſtis injurati teſtimonium admitterent, huic tamen ſoli injurato credebāt. Laërtius, & Suidas.

An fama recuperari poſſit?

Quærunt aliqui, An fama ſemel amiſſa poſſit recuperari? Reſpondet Claudius Cæſar; qui precibus amicorum inductus, cuidam appoſitam ob delictum commiſſum notam ademit, dixitque *Litera tamen exſtat*. Sentiebat ergo adhuc deleta culpa prioris infamiæ indelebilia remanere veſtigia.

Subsectio VI.

De Tribunali.

QVæ extra judicium dicuntur, ſi plenè probentur, judiciorum vim habent: ſed, ut probent, in tribunali debent aſſeri, & coram legitimo Iudice deponi.

De Principum & Cardinalium veracitate.

Interim diſtinguenda eſt perſona à perſona: nam, ubi non defertur privato homini, ſemper habetur ratio verborum cujuscumque nobiliſſimi Principis. Antonius Cotonius *in ſumm. verb. Cardinalis. num.* 22. [Multa fides tribuitur fidei ſimplici & extrajudiciali Cardinalium, ſine juramento, quamvis non plenè concludat. Ita Rota *coram Coccino deciſ.4.num.3.*& Diana *part. 5.tract.2.reſol.93.*]

Subsectio VII.

De Numero.

TEſtis unicus non ſufficit in judicio. In ore duorum vel trium ſtat omne verbum. Ob unius teſtis depoſitionem, nemo occidendus eſt. Num. 35. 30. Deut. 16.15.& 17.6. Matth. 18.16.

Quot teſtes ad plenam informationem requirantur?

Si ut minimum requiruntur duo teſtes, qui viſa proferant: quot erunt neceſſarii, ut reus auritorum teſtium depoſitione convincatur? *In Truc.* reſpondet Plautus.

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quàm auriti decem.
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident planè ſciunt.

Sed unicus etſi oculatus plenè non probat. Ergo decem vel plures auriti (immò nec centum) plenam fidem præbere potetunt.

Tu autem contra doctrinam communem ſic argumentaris. Si una ratio dubia Concluſionem demonſtrare non poteſt, nec centum dubiæ poterunt. Et, ſi una eſt apodictica & indubitata, ſola ſufficit. Ergo, ſi unus dubiæ fidei Teſtis ad informationem plenam, nec centum ſufficient. Et, ſi unus integræ fidei ſit, ſolus ſufficiet.

An infidelitas & improbitas teſtium numero poſſit compenſari?

Tuæ opinionis fuit olim Socrates, nam ut ex Laërtii *libr.2.cap.5.* Eraſmus refert, eos, qui multitudini imperitæ fidem habent, ajebat perinde facere, ac ſiquis adulterinum tetradrachmum unum contemnens rejiceret, & acervum à ſimilibus congeſtum probaret, reciperetque. Cui non fideris ſoli, ei nihilo magis fidendum eſt in turba ſimilium. Nec enim refert, quam multi ſint, ſed quàm graves. Nummus adulterinus, etiam in magno acervo, adulterinus eſt, &c.

Teſtes, ſi benè examinentur, non poterunt impunè mentiri.

Sed reſpondeo ſingulos mentiri poſſe: duos, ſi Iudex doctus ſit, & diligentiam convenientem adhibeat, mentiri non poſſe. Nam ſunt tot circumſtantiæ, de quibus poſſunt examinari, ut niſi verum dicant, convenire non poſſint. Exemplum habemus in Daniele, qui nos docet, quo debeamus modo teſtes examinare. Iſidorus *de ſumm. bon. libr.3.* loquitur appoſitiſſimè. *Teſtibus falſis conjunctis, tardè mendacii falſitas reperitur: quòd ſi ſeparati fuerint* (& ſeorſim ſinguli interrogati) *examine Iudicis citò manifeſtantur: nam ſicut in unitate pravorum grandis eſt fortitudo, ſic in ſeparatione major infirmitas.*

De teſtibus affirmativis & negativis. qui dicit, Ego interfui, & talem rem fieri non vidi, affirmativus eſt, non negativus.

Si quæras, quid faciendum, cum eandem rem alii Teſtes aſſerunt, & alii negant? *Certamin.* XII. *pag.*370.D. de Rubeis reſpondebit. [Quamvis in cauſis civilibus majorem fidem habeamus duobus rem affirmantibus, quàm mille negantibus (Farinacius *quæſt.65.num.*100.*&* 101.) in judiciis tamen criminalibus aliter ſe res habet, tametſi crimen negantes affirmantium numerum non æquent (Farinacius *quæſt. cit. num.*157.) Quid quod. &c.] Et ratio diſparitatis, non à Legislatoris arbitrio, ſed à rei natura deſumitur: nam quando agitur de admiſſo crimine, illi ſoli examinantur, qui fuerunt præſentes; & tunc, ſi res bene perpendatur, omnes ſunt teſtes, affirmativi: dicit enim alter. *Adfui, & vidi, quòd Lucius Ferdinandum percuſſerit.* & dicit alius, *Adfui, & vidi, quòd Lucius Ferdinandum non tetigerit*, qui deponendi modus in Civilibus locum non habet.

Si res agitur, quæ poteſt probari per plures, & unus aut alter adhibeatur, & præcipuè, ſi vilis conditionis ſit, eſt accuſator de calumnia ſuſpectus, & teſtes ipſi falſitatis ſuſpicione non carent. Menochius 5. *præſ.*20. Guazzin. *defenſ.33.cap.*14. Quod expreſsè monuerunt veteres Iuriſconſulti: Calliſtratus *leg.* 18.D. *de* [illegible]*tiam. tut.* Vlpianus *leg.*3. D. *de liber. homin. exhib.* Paullus *leg.*2.D. *de popul. act.* Volunt enim in rebus ubi optio detur, eligendum eſſe

ido-

Idoneorum. Conſonant Ciceroni, qui 1. de L.L. ait, *Ex variis ſumendum eſt optimum*. Et hos omnes Authores doctè, ut ſolet ediſſerit D. de Rubeis *Certam.*IX. *p.* 283.*num.*31. & *Certamin.* XII. *pag.* 370. *num.*62.

De Cardinalium condemnatione. Quot teſtes ad illam requirātur?

Sed quid dicemus de proceſſibus contra Cardioales inſtitutis. Cotonius *in ſumma.verb. Cardinalis num.* 25. ſic inquit. [Cardinales quidem Epiſcopi non poſſunt damnari niſi convicti fuerint per 72. teſtes: Presbyteri non niſi per 74. (legi debet, ut puto, per 34.) & Diaconi per 27. *ex cap. Præſul.*2.*quæſt.*4. Ita Lorichius *in theſaur. Theol.verb.Cardin.*§.10. & Diana *part.*5. *tract.*2.*reſ.* 24.] Sed hoc privilegium eſt ad honorem & ad authoritatem Cardinalium; non verò, aliquando ſervatum aut ſervandum ſit, quia Summus Pontifex, qui eſt Cardinalium Iudex, tenetur adminiſtrare juſtitiam, quoties poſtulat Eccleſiæ neceſſitas, & non obſtringitur invitus Canonum diſpoſitione: & ideò ſine Aſſeſſoribus aut aliorum Cardinalium conſilio ſervata Iuris Naturalis conſtitutione poteſt ad ſententiam procedere. Ita Clarus *in praxi crimin.quæſt.*35.*num.*12.

SVBSECTIO VIII.

De Fortuna.

An pauperes teſtes eſſe poſſint?

ESt ditiſſima voluntaria paupertas, animamque omni virtutum genere cōdecorat; at coacta cogit in crimina: unde exclamat Martialis,

—— *O quantum cogit egeſtas!*

Non audet pauperes innocentes Petronius dicere: ſed à paupertate ſcelera aborta minuit; inquit enim,

Quiſque inops peccat, minus eſt reus.

Et ideò pauperes à tribunali arcentur, & teſtimonium dicere non permittuntur.

Τῶν γὰρ πενήτων. &c.

Haud pondus ullum pauperum verbis ineſt.

Impoſſibile moraliter ſumitur pro valde difficile.

Et rationem exhibet Ariſtoteles *libr.*1. *Ethic.*dicens, *Impoſſibile eſt indigentem operari bona*. Agit de impotentia morali, ita ut impoſſibile dicatur, quòd valde difficile. Et *libr.*2.*Politic.*ſubjungit, *Impoſſibile eſt indigentem bene principari, & ſtudio vacare*. Et etiam *libr.*4. *Rhetor.novor.* Cicero. *Duo ſunt, quæ poſſunt ad turpe compendium commovere; inopia, & avaritia*. Et etiam *ad Heren.* extendit hanc doctrinam & ait, *Omnes, qui in paupertate ſunt, malū maleficio, quam officio parare divitias*. Et ideò Ariſtoteles *Rhetoric. ad Alex.cap.*15. monet Iudicem, ut examinet, An Teſtis inimicus aut pauper ſit: nam ſi alterutrum ſit, Veritatis eſſe non volet. *Teſti, qui contradicit, improbum eum eſſe dicat: & videndum, An ſit amicus, an negotii particeps, aut ſi contra quem teſtificatur, inimicus, aut pauper*. Et Imperator Iuſtinianus. *auth. ſancimus de teſtib.* homines viles, & pauperes à teſtimonio excludit dicens, *Bona opinionis eſſe oportere teſtes; & non quoſdam artifices ignobiles, neque viliſſimos neque nimis obſcuros ad teſtimonium procedere*. Ciceroni *de amic.* homines leves, & fallaces iidem ſunt. [Enim verò neque egentes, neque nimis obſcuri, niſi ſi appareat eos honeſtè vivere, integra fide eſſe cenſentur. *&c.* Quid ergo, quando obſcuritas cum egeſtate conveniunt? non modò fides eorum eſt nihil verum etiam audiendi non ſunt. Farinacius. *quæſt.*57.]

An avari arcendi à teſtimonio ſint?

Et quidem cùm agimus de paupertate, hoc nomine etiam avaritiam comprehendimus, juxta illud,

Quis dives? qui nulla cupit: quis pauper? avarus.

ut enim in proverbio eſt, *Semper avarus eget.*

An eodem modo de Iudicibus ſit ſtatuendum?

HÆc doctrina profectò, non ſolùm monet, ne pauperes admittantur in Teſtes, ſed, ne in Iudices & Gubernatores adſumantur: hoc eſt, ne ulla illis conferatur dignitas, in qua poſſint corrumpi & diteſcere. Præclarum exemplum profert Valerins Maximus *libr.*6 *cap.*4. inquit enim. *Scipio Æmilianus, cùm Servius Sulpicius Galba, & Aurelius Cotta Conſules in Senatu contenderent*, Vter adverſus Viriatum in Hiſpaniam mitteretur, *ac magna inter* PP. CC. *diſſenſio eſſet; omnibus, quonam ejus ſententia inclinaretur, expectantibus*; Neutrum, *inquit*, mihi mitti placet: quia alrer nihil habet, & alteri nihil eſt ſatis; *æquè malum licentis imperii magiſtram judicant inopiam, atque avaritiam. Quo dicto, ut neuter in Provinciam mitteretur, obtinuit*. Vide Tiraquellum *de nobilit.cap.*3.Zyp.1.*de judic.*33.

Pulchrum Apophthegma.

De defenſione Civitatum. An pauperibus concredi poſſit?

Hinc eſt non debere pauperibus Civitatum defenſionem concredi. *auth. de defenſ. in princ.* Occurrit pulchra & recens hiſtoria, cujus notitia proderit. Sub annum 1644. cum hoſtilis per Palatinatum inferiorem exercitus diffunderetur, & invincibilem Philippopolim (vulgò, *Philippsburg.*) obſidione ſubjugaſſet, & triumphabundus Franeandaliam veniret; Roſæus, qui Hipparchus erat, & numeroſas copias ſpeciali authoritate gubernabat, cæteros Militiæ Principes his verbis adloquutus eſt. *Ego, ut ſcitis Pyrii ſulphuris odore oblector, & ibo Francandaliam vobi-*

ſcum,

Digitized by Google

De Comite de Rebolledo. Quanta virtute defenderit Palatinatum, & quantis laudibus etiam ab hoſtibus celebraretur?

ſcum, ſi illam obſidere volueritis. At abeo in contrarium conſiliam: non enim illam, uti Philippolim expugnare poterimus. Ibi nobis ſtavit ad victoriam via, atas, ſtatus, qualitas, & quantitas Gubernatoris: hic hac ipſa nos, ut eventus edocebit, trapedient. Ibi Bambergæ erat ſenex, conjugatus, ignobilis, dives. Quia ſenex habebat ſanguinem frigidum, & bellico fervori ineptum: Quia conjugatus, uxoris & filiarum lachrymis, & gemitibus perterrebatur: Quia ignobilis, generoſitatem neſciebat: Quia dives, de ſuis ſalvandis theſauris cogitabat ne fortè ob hoſtibus diriperentur. Ergo ex his conſit nobis de conditione ſibi congrua pepegit, & civitatem tradidit: verùm enim verò Comes de Rebolledo, qui omnes Palatinatus vires intulit Francandaliam, eſt juvenis, eſt cælebs, eſt nobilis, eſt pauper. Quia juvenis, & alacer, fervidus, & ſe in hoſtes præcipitat, ubi datur occaſio: Quia cælebs caret uxoris & filiarum moleſtiis, & nullius lachrymis percellitur aut perturbatur: Quia nobilis eſt vane glorioſus, & putat ſe debere in facinoribus heroicis imitari ſuos avos: Quia eſt pauper, ſi locum perdat, non habebit panem, quo veſcatur. Ergo ſe uſque ad ultimam ſanguinis guttam defendet, & exercitum noſtrum enervabit. Præſtat ergo hanc Civitatem intermittere, & triumphantia vexilla Coloniam verſus promovere, Ius Rheno fluviorum Regi dicere, Civitateſque omnes ipſi adjacentes capere. Dixit: & quia vera dicebat, ſuam ſententiam perſuaſit, unde Francandalia intermiſſa, non armis, ſed ſolo armorum ſtrepitu Wormatiam, Moguntiam, & alias Civitates ſubjugarunt.

Svbsectio IX.

De Fide, ſeu Veracitate:

Regula Iuris Canonici diluendatur.

EX illa Bonifacii VIII. Regula, *Semel malus ſemper præſumitur malus*; datur lux illi ſententiæ, *Qui in uno delinquit, factus eſt omnium* (poſtea cenſebitur in ſingulis) *reus*. Ergo teſtis, qui ſemel perjurus fuit, ſemper eſſe perjurus præſumetur. Hanc doctrinam Seneca judicavit tam firmam, ut teſtem riſurus, qui ſe vidiſſe Claudii Imperatoris animam ad Olympum adſcendere, ut ejus fidem dilueret, dixerit, hunc eumdem eſſe, qui loquutus fuerat homini, qui ex Luna ceciderat; ut ex uno perjurio alterum evidenter oſtenderet. Vnde, ſi Teſtis in alio tribunali judicio aut cauſa pejeraſſe oſtendatur, in hac obeſſe parti adverſæ non poterit.

An qui in una cauſa perjurus fuit, in alia poſſit ad teſtimonium admitti?

Sunt Veracitatis & fidelitatis exempla maxima in Hiſtoria Romana. Vnum propono. Pontius Centurio, captus à Pompei locero Scipione, cum hac ſibi lege ſalus concederetur, ut ſe futurum Pompei militem affirmaret, reſpondit, *Tibi quidem Scipioni gratias ago; ſed mihi injuſta vitæ conditione non eſt opus*. Maluit igitur Pontius mori, quàm vel violatam fidem Cæſari datam frangere, vel Scipionem decipere.

De Pontii veracitate & religione.

Magno conſilio provincialia peccata in Theologiam Moralem invexi, & à Capitalibus diſtinxi, ſunt enim gentes, in quibus tales & talem virtutes eminent, & talia vel talia vitia profundas radices immittunt. Ergo quando de Fide agitur, debemus provinciam à provincia diſtinguere.

De peccatis provincialibus. Debent à capitalibus neceſſariò diſtingui.

Germani fideliſſimi ſunt, & malunt opes perdere quàm famam exponere periculo, & facere, ut aliqui poſſint de ipſorum fidelitate diſputare. Fridericus Dux Auſtriæ, Alberti Imperatoris filius, prælium adverſus Ludovicum Bavarum, quicum de imperio contendebat, commiſſurus, tametſi Marchiones Brãdenburgenſes conſentirent cùm hoſte, promiſſam illis tamen numeravit pecuniam, malens illorum potius fidem accuſari, quàm ſuam. Æneas Sylvius *lib. 3.* Sed & Carolus V. Lutherum, qui cùm Wormatiam venit ſecuritatis publicæ ſibi data conditiones violavit, maluit dimittere, quàm dare occaſionem ut Germani dicent ſe fidem datam temeraſſe.

Debent Principes non ſolùm fidem ſervare, ſed ita etiam procedere ne illam violaſſe juſtè vel injuſtè putentur.

Hiſpanos à fidelitate ita hiſtoriæ commendant, ut multi nos puſillanimitatis inſimulent, quod ſæpe maluerint injurias pati, quàm arma contra ſuos Reges ſumere. At id non ex demiſſione animi, ſed ex Fidei eminentia procedere, illorum bella & victoriæ perſuadent.

De Orientalium populorum infidelitate.

At Orientales populi videntur nihil ſcire de fide, & ſicut mera gubernantur tyrannide, ſic & fidem obſervant, quando non poſſunt ſine detrimento illam violare: ubi enim lucrum importat infidelitas, illam amplectuntur feſtini, ut omnes hiſtoriæ perſuadent.

Syrus, qui fidem ſervit, rara avis in terris, nigroque ſimillima cygno. Hortos colunt operoſiori cura, præter quam nihil in illis boni. Flavius Vopiſcus *in Aurelian.* Cælius *libr. 25. ca. 25.* A. L. & alii Scriptores reperiunt.

.Parthi fidem utilitate metiuntur: nam ſicut nos uſque ad aras amicitiam ſervamus, ſic illi contra, illam colunt, quamdiu ex ipſa lucrum indipiſcuntur. Alexander ab Alexandro *libr. 5. cap. 10.*

Græci omnes malè audiunt paſſim apud Poëtas Latinos, & item apud Ciceronem,

ſoncm, non ſolùm quaſi effœminara & voluptatibus immerſi, ſed etiam quaſi fidei contemptores. Eraſmus *in Adag.* Verba Ciceronis habes ſuperiùs Subſect. 2. §. *Etiam hoc.*

An ſolùm privati homines, an etiam Communitates integræ mentiri poſſint?

Euripides *in Andromacha* Lacones lapſæ fidei incriminatur,

Σπάρτης ἔνοικοι δόλια βουλευτήρια.

Sparta habitatores, doloſus Senatus.

Quibus verbis, non ſolùm univerſos, ſed etiam univerſitatem doli inſimulat. Et Ariſtophanes *in Acharnenſibus.*

Οἷσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις οὔθ' ὅρκος μένει.

Quibus nec ara, nec fides, nec jusjurandum manet.

Cælius *libr. 18. cap. 5. A. L.* & Eraſmus *in Adagiis*. Et univerſim de omnibus Orientalibus populis poteſt occini illud,

Tolle lucrum, nec trunt ara, nec Iuppiter ullus,

Svbsectio X.

An ſervari fides infidelibus debeat?

Quid Infidelium nomine intelligendum ſit?

INfidelium nomine non intelligo Acatholicos, aut Achriſtianos, quia omni Iudæo, Ethnico, Mahometano, fides ſervari debet. Demonſtratur: quia illius, qui cum ago religio (bona, aut mala) non concedit, ut ego licitè mentiri poſſim. Et hanc etiam ob cauſam fides hoſtibus ſervari debet. Ergo *Infidelium* impræſentiarùm nomine, eos debemus intelligere, qui fidem violant. Sanè apud antiquos aliquos in hoc genere errores cum ſcandalo legimus.

An latronibus fides ſervanda ſit?

Latronibus eſſe fidem ſervandam negat nonnemo apud Farinacium *quaſt. 9. num. 4.* Plinius *libr. 8. Epiſt.* ait, *Decipere pro moribus temporum prudentia eſt.* Et Plato *lib. 5. de Republ.* dixerat, *Crebro mendacio & fraude uti imperantes debere ad commodum ſubditorum.* Sed ad horum, & aliorum, qui adduci poſſent, authoritates, reſpondeo eos fuiſſe Ethnicos, & erraviſſe.

An frangenti fidem poſſit ſimiliter fides frangi?

Nec illis favet illa Iuris Canonici Regula. *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* In qua Bonifacius VIII. Pontifex Romanus, ejus Author, non peccat in Theologiam, neque in Iuriſprudentiam; nam cognoſcimus, quid voluit dicere, ſed in Grammaticam, non enim eſt loquutus, ut debuit.

Bonam doctrinam inconcinnis verbis docuit Bonifacius VIII.

Rem expono. Fides mutua uno ſuccollatur contractu, qui vocari poſſet, *Faciam, & facies*, qualis fuit ſalvus paſſus conceſſus Martino Luthero, ut veniret Wormatiam.

De ſalvo paſſu conceſſo Martino Luthero.

Imperator Carolus V. conceſſit, ut non incarceraretur, aut vexaretur, ſob onere, quod in itinere non concionaretur. Martinus acceptavit conditionem, & ſe non eſſe concionaturum compromiſit. Hic non fuerunt duo contractus, ſed unicus: vinciebat duos; Cæſarem, & Lutherum. Vinculum fregit Martinus: ergo rupto vinculo, Imperator non manet ligatus. Ergo non eſt verum, quod Luthero frangenti fidem, poſſit etiam fides frangi. Sed, quòd Lutherus frangens fidem, fecerit, ut non maneret fides, quæ ſibi poſſet aut deberet ſervari.

Reges & Principes nequeunt fidem violare.

Matthæus de N. banditus, v. gr. contrahit cum Curia, & quia nequam eſt, contractum violat: illo contractu Curia non tenetur, quia eſt fractus. Agit de ſecundo contractu: & Curia illum non deberet audire, quia perfidus eſt. At propter hanc, aut illam cauſam, contraxit cum illo. Curia igitur, quæ agit nomine Regis, fidem ſervare debet. At ille non ſervavit. Eſt nebulo, & plus ab illo ſperari non potuit: at Rex eſſe non poteſt infidelis vaſſallo, & fidem ſervare omnino debet, quia eſt Rex. Banditus actionem vilem poteſt & ſolet facere, Rex non poteſt. Ex hac doctrina, quæ in dubium vocari non poteſt, aliqua Scriptorum teſtimonia expendamus.

An ſit contra rationem fidem datã violare?

Hoc certè hominem decet, ut verbis ſuis fidem præſtet, niſi mendaciis veritatem corrumpendo, deſtitutus ratione, eorum albo, qua ratione prædita ſunt, excidere velit. Sic loquitur Imperator Leo *in novell. conſt.* 19. quoniam *grave eſt fidem fallere.* ut habetur *leg. 1. D. de conſt. pecun.* Rugit fortiter Cæſareus Leo, & ejus rugitum ad hanc formam reduco. Animantes, quas creavit Deus, pertinent ad duas claſſes. Rationalium albo inſcribuntur Homines, quoniam ratione utuntur: irrationalium albo Bruta, quoniam ratione carent. Homini, qui contra rationis lumen dictamenque operatur, placet ex Rationalium albo excedere, & albo Irrationalium & Brutorum inſcribi. Sed ratio & naturę lumen dictant, fidẽ eſſe ſervandam. Ergo, qui illam non ſervat, ut ut realiter maneat *Homo* (nam eſſentiæ realiter non mutantur) virtualiter in Brutum convertitur, & claudit aures, ne audiat Prophetæ Regis Monitionem dicentem; *Nolite fieri ſicut Equus & Mulus, quibus non eſt intellectus.* Hæc Imperatoris ratio omnibus poteſt appropriari ſceleribus, omnis enim, qui peccat, non tantum eſt *ignorans*, ut Auguſtinus loquitur, ſed eſt *delirus*, ut ediſſerebat quidam eximius Eccleſiaſtes Hiſpanus: cujus diſcurſum una aut altera linea perſtringam.

Homines ad duas claſſes redigebat quidam eximius Eccleſiaſtes.

Sic ille ad Madritẽſem populum perorabat. [Duæ in Orbe Chriſtiano eſſe debent domus, ære publico erectæ, & authoritate publica conſervatæ: in alia ſint amentium cellulæ, & in alia infidelium & atheorum ergaſtula.

la. Illa à Clementia publica gubernetur: hæc Sanctæ Inquiſitionis Officio (ſic vocant) dirigatur. Cum Homo, quem Deus ratione præditum condidit, Creatori ſuo infidelis, ſciens & volens aliquod committit crimen, ſive grave peccatum, ad Sinceritatis tribunal illico citari debet, & rogari, An credat eſſe in Mundo Deum, qui vivos & mortuos judicaturus ſit? An credat, hunc ipſum ab æterno Deum æternæ beatitudinis in cœlo empyreo gloriam diligentibus ſe: æterni ignis pœnas in ſubterraneis mundi antris contemnentibus ſe præparaſſe? Si non credat, jam judicatus eſt, quia non credit: Ergo infidelis eſt, debetque detrudi in Sanctæ Inquiſitionis ergaſtula. Si credit, & adhuc Deum contemnit, & *breve, quod delectat, æterno, quod cruciat*, anteponit, delirat: à Rationalium albo excidit, nolens intelligere, ut bene agar, factus eſt ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, & ideò debet ad amentium cellulas transferri, & opportunis pœnarum medicinis curari. Conceptus eſt, qui poſſet per integram Concionem dedoceri, & pulchris Patrum veterum teſtimoniis ornari. Sed ego manco in linea.

S. Franciſcus.

Quam veracia Princip um verba eſſe debeant?

Regem monet Iſocrates *Orat.* 2. ut ante omnes Virtutes veracitatem colat, tanroque illam ſtudio proſequatur, & ita in loquendo & agendo procedat, ut major verbis ſuis ſit fides, quàm aliorum jurejurando. Hæc verba ita placuerunt Alphonſo Hiſpaniarum Regi, ut ſua fecerit tantaque voluerit eum ſubditis ſinceritate procedere, ut ejus nuda verba majorem ſemper vim habuerint, quàm privatorum pacta religionis Sacramento firmata. Panormitanus *in dict. & geſt. Alfonſi*.

De ſalvo paſſu. An apud veteres locum habuerit?

Fides publica, quam *Guidaticum* Itali, vulgus *ſalvum-paſſum* appellant, etiam Hæreticis eſt cuſtodita: & ſemper ſunt aſyli in locis refugii conſervati. Crototæ publico latroni, capiti ejus impoſitum perſolvi Auguſtus precium (Hiſp. *la talla*) Dione aſſerente, ne fides violaretur, ſtatuit. Erat illud pretiū illi promiſſū qui ipſum traderet: ſeſe tradidit ipſe Crototas. Et capitis pretium obtinuit. Id narrat Dio: qui etiam deberet addere Edicti literam: nam, ſi mille aureos, Auguſtus ei, qui ſibi Crototam traderet, pollicebatur, Crototam, qui ſe tradiderat, mille debebat donare aureis: at hoc ſoluto pretio illæſa eumdem fide poterat in crucem agere. Cæterùm, ſi præter auri ſummam, etiam omnium criminum impunitatem promittebat Edictum, Crototæ non ſolū capitis pretium debuit ex fide ſolvere, ſed

De Crotota, qui erat, (ut verbo juridico utar) forjudicatus.

etiam parcere. Et illud prius in Sixti V. hiſtoria legitur: nam proſcripto, qui ſe tradiderat, promiſſum pretium dari juſſit, ſed non ideò à ſententia ultima liberavit: non enim in Edicti publici literis promiſerat impunitatem. Tanti publicam fidem etiam num faciunt Saraceni, ut Montis Sinai Monaſterium religiosè tueantur, quod Mahometi primi illorum Caliphæ (Tyrannum voca, aut Imperatorem, ſi volueris) conſervatoriis literis fuerit privilegiatum. Apud Perſas ædes Regiæ refugii gaudent prærogativa, & nullus Cenſor in aſylos, qui in illis ſe continent, audet. Et Petrus de la Valle, ut ipſe narrat in ſuis per Perſidem peregrinationibus, Spanaamenſi palatio vidit profugum, quem Regis ira occidi juſſerat, & tamen manebat ſecurus, malebat enim Abbas (id nomen Regi) æſtum ſui furoris compeſcere, quàm publicam fidem violare. Quod autem Spanaamii in Perſia Abbanti, licèt barbaro, exſecrabile viſum, vidimus (& cum lachrymis recenſemus) Campaniæ: Maſſilottus, in Cathedrali Eccleſia aſylus literis Regiis (*guidatico*) munitus, in nullo Regio tribunali inquiſitus, & à nullo citatus die 10. Martii 1668. in ipſo templo capitur, & ad Eccleſiæ antiquæ locum trahitur & tametſi Diis ſacri (forjudicati) ſi ſemel capti ſint, occidi nequeant, occiditur, & decapitatur: & cum magno regni totius ſcandalo ordine Regio Gubernator Camillus de Simeonibus commiſſum fuiſſe ſacrilegium mentitur; & cum ſecundo ſcandalo defenditur à Collaterali. Vadamus ad Arabiam, aut Perſiam, nam ibi barbari cognoſcunt Iuſtitiam, Fidemque quas ignorant Chriſtiani.

De monte Sinai.

Ex privilegio Mahometi defenditur ab Imperatore Turcarum.

De injuſta & ſacrilega Maſſilotti occiſione.

Sed quia de hoc ſacrilegio, quod Proditionis, & Aſſeſinii circumſtantiæ infamia propudioſa oppleverunt, ſcripſimus ſpeciale ſyntagma, ulterius progrediamur.

Porrò Apollonio fugitivorum Duci Lucullus fidē ſervari voluit, ut in Diodoro legimus. Sciebat enim Lucullus lapſæ fidei hominem non eſſe dignum qui homines gubernaret.

An lapſæ fidei homo poſſit iuriſdictionem exercere?

Et quid, ſi fides non ſit rectè conceſſa? Etiam tunc debet, ſi fuerit conceſſa, ſervari. Immo non ſemel fuiſſe ſervatam *contr. lib. 1. cap. 53. & 54.* Merlinus aſſerit. Sed quando non rectè conceditur? quando ſine utilitate publica; & à fortiori, quando contra publicam utilitatem. Caſus in Regno Neapolitano frequentiſſimè accidit. Prædones, & publici graſſatores viarum, poſtquam ſæviores Turcis plurimos occiderunt, vivos comburerunt, dilaniarunt; poſtquam invaſerunt oppida, & ſunt

domos ruſticas depopulari: poſtquam præpediverunt mercium curſum, & in ipſas civitates ſunt auſi; ſi jam divites ſint & poſſint ex rapinis & furtis commodè agere, indultum poſtulant, & ſubmittunt arma, Dico cum Merlino hujuſmodi hominum monſtris indultum non rectè concedi, ſed debere, ſi ſemel concedatur, ſervari. Perſuadeo non rectè concedi, nam impoſſibile eſt, ut ipſi ſtent promiſſis, & fidem Regiis datam, obſervent. Ut hoc ultimum probem, affero duplici illos laborare impotentia; reali nimirùm & morali. Et cur morali? Sunt viliſſimi homines; bubulci, agaſones, captarii. Si ad priorem conditionem redeant, tota die debent aut campos fodere, aut cuſtodire armenta & pecudes: noctu cœli & pluviæ inclementias ſubire, per nives currere, caſeo & pane contenti, nam ex caroleno, quem dietim lucrantur, non habent unde convivia apparent, & amictum procurent. Ergo moraliter eſt impoſſibile, ut viarum graſſator, qui jam ab illo decem aureos, ab illo centum, ab alio mille rapuit, & pecunias dilapidaſſe dicit, ex vitiorum abyſſu, in quam ſe profundiſſimè immerſit, ad bonã frugem redeat; velit ſudore vultus ſui tenue promereri ſtipendium, & uxorem filiolosq; in frigida culina pane nigro tranquilla mente tolerare. Aut rem non intelligo, aut hoc moraliter impoſſibile eſt. Sed pone in homine indultum conſequuto prudentiam. Dic illum ſeriò reſipuiſſe, & malle pane & aqua veſci & vilibus animalium exuviis, quàm redire ad vomitum & iterum provinciam turbare. Adhuc non rectè admitti in gratiam, dico, nã habet impotentiam phyſicam, quæ, ut liberet fidem, impediat. Hic, hic ſpoliavit plurimos, occidit aliquos, illi, horumque cognati vindictam cogitant, & illi inſidias parant. Erit igitur ſuæ vitæ prodigus, ſi agros arare audeat, aut armenta in prato, aut pecudes in monte cuſtodiat. Oportet, ut multos timeat, quem multi timuerunt. Ergo ut nebulones iſti probi fiant, impoſſibile eſt. *Si dicas*. Manere in Civitate poterunt & pecunia ex rapinis congeſta ſe & ſuam familiam tolerare. Opponam duo: alterum, illorum vitam etiam in civitatibus periclitari. Qui occidit, ſemper & ubique periclitabitur: & hanc ob rem, ſi non hodie, ſaltem cras; ſi nun hic, ſaltem ibi, tandem aliquando occidetur: ergo, ſi arma deponat, præcariò vivet & non habebit horam, locumque ſine anxietate, & mortis inſtantis diſcrimine. Sed demus convenisse cum partibus injuriam paſſis, & demus etiam ab illis veniam & gratiam obtinuiſſe, an-non ſcimus amicitiam reconciliatam (quam vocant Itali) ipſa aperta inimicitia perículoſiorem, aut etiam pernitioſiorem eſſe. Ergo ſemper manet hæc impotentia phyſica, quæ à Regiis Senatoribus ſeriò deberet cogitari & perpendi. Tranſeo ad *alterum*; ajo graſſatores viarum non poſſe corraſiſſe ex latrociniis, unde poſt indulti impetrationem poſſint vivere. Ingreſſi ſunt Campaniam anno elapſo. (1667.) Spoliarunt Virginis ſine labe conceptæ Monaſterium. In argento & auro, facto & cuſſo, habuerunt ſuper quatuor millia ducata: ſtatim obtinuerunt guidaticum, & eadem hebdomade properes Campaniam redierunt. Improperabant illis aliqui prodigalitatem & ipſi non aliter latronem poſſe in Apennino vivere, quàm contribuendo. Nominabant Miniſtros: & tali ſolviſſe mille aureos; tali & tali centenos; aliis jam pauciores, jam plures; tot tamen omnibus, ut vix quidquam ſibi relinqueretur. Et, ne aliquis putet hanc eſſe ſingularem hiſtoriam, de toto regno, de tota Italia, de tota Europa diſſeramus. Quis unquam vidit latronem divitem? Hæc cantilena in toto orbe concinitur: & qui potentem protectorem non habet, capitur & ſuſpenditur. Miniſter potens, paucis non eſt contentus; & ejus famuli, quia ſunt conſortes criminis, etiam munera extorquent: unde patet hos homines in hac vita laborare, periclitari, & furari pro aliis, & in altera cum eiſdem in inferno torqueri. Dicit Auguſtinus, *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*. Et ego qui furati quotidie video, & fieri reſtitutionem non video, de ſalute talium Miniſtrorum deſpero. Sed quia inter malos ſunt etiam multi boni, ab iſtis remedium opportunũ exſpecto.

De Banditis, & graſſatoribus viarum.

An ipſis indultum à Republicã poſſit concedi. Reſpondetur negativè, quia ſunt veniæ incapaces: laborant duplici impoſſibilitate, ut quietè & tranquillè procedant: altera morali, altera phyſica. Et hoc tam certum eſt, ut manibus palpari poſſit.

De amicitia reconciliata. An illi quis fidere poſſit?

An graſſatores viarum ex latrociniis poſſint vivere?

Latrones à Nobilibus & Miniſtris protegãtur sine ordum.

Contra hanc doctrinam, tametſi certam & indubitatam opponunt aliqui dicta & geſta eminentium virorum, quæ debemus exponere & diluere.

Arguunt primò ex Cicerone, qui *Offic. 3.* dixit, *Pirata non eſt ex perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omnium: cum hoc neque fides eſſe debet, nec jusjurandum commune*. Et miror aliquos, etiam doctos, ex his verbis Ciceronem in adverſam iviſſe ſententiam aſſeruiſſe: cum tamen ille meam, quam uberiùs deduxi, paucis comprehendat & dilucidet. Non dicit Cicero fidem piratæ non debere ſervari, nec docet jusjurandum ad piratæ utilitatem à Republica emiſſum, non tenere, ſed aſſerit (& hoc mecum) nec debere ipſi fidem preſtari, nec cum ipſo communi Sacramento vinciri.

An Piratis fides ſervanda ſit?

Ar-

An innocentia ſola ad vitæ ſecuritatem ſufficiat?

Arguunt ſecundò ex Livio *lib.*2.dicente. *Periculoſum eſt in tot humanis erroribus ſola innocentia vivere.* Concedo. Quid autem inferunt? *Ergo fraude juvare debet quis innocentiam, ut vivat.* Nego conſequentiam: & eſſe contra Livium oſtendo. Iuvare innocentiam debet homo, ut in hoc ſæculo periculoſo vivat. Addere igitur aliquid debet, ſiquidem innocentia ſola non ſufficit. Ergo illud, quod addere debet, tale eſſe debet, quod poſſit cum innocentia conſiſtere. Sed fraus, mendacium & perjurium, cum innocentia ſtare nequeunt. Ergo per fraudes mendacia & perjuria defendi non poteſt vita innocens.

An verba promiſſoria poſſint materialiter dici?

Arguunt tertiò ex Ageſilai Lacedæmoniorũ Regis verbis, quæ apud Tymp. *in ſpeculo Princip. ſign.* 68. Plutarchus refert; nam cum urgeretur à quodam, ut promiſſis ſtaret, reſpondit. *Rectè. Si juſtum eſt, quod petis, faciam; ſin minus, nequaquam faciam; non enim promiſi, ſed dixi.* Sed quid inde contra noſtram ſententiam? Cum hoc teſtimonium legi, elevavi ad Deum & Cœlum oculos & exclamavi, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine; dediſti lætitiam in corde meo.* Quoniam diſtinctionem doctiſſimam & opportuniſſimã, quam multis Deus negavit Chriſtianis Doctoribus, Ethnico, viro aliàs probo & vitæ integro, revelavit. Ἐξομολογοῦμαί σοι πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις, *Confiteor tibi Pater, Domine Cæli & Terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus (intelligentibus) & revelaſti ea parvulis (imbecillis.)* Sunt Propoſitiones de ſubjecto non ſupponente & has cognoſcunt univerſi Dialectici, ſunt & aliæ de verbo non ſupponente, aut etiã de prædicato non ſupponente, immo etiã de aliqua circumſtantia non ſupponente, quas non reperio apud Doctores. Hæc *Circulus quadratus eſt albus*, eſt de ſubjecto non ſupponente, quia Circulus quadratus non eſt poſſibilis. Hæc, *Parallelogrammum eſt triangulus rotundus*, eſt de prædicato non ſupponente, quia repugnat ut triangulus rotundus ſit. Ergo iſti termini non ſupponentes, non ſunt entia rationis, quia nec poſſunt concipi, nec intelligi; & nos entia rationis univerſim negamus. Sunt entia linguæ: dici quidem poſſunt, cogitari non poſſunt. Sic & iſta, *Voveo* (hoc eſt, *Ego ſum vovens*) *Deo mendacium*, eſt de verbo non ſupponente: nam licèt *ego*, quod eſt ſubjectum, & in verbo includitur, ſupponat, ut ait Petrus Hiſpanus, vel ut alii loquuntur, ſupponatur, & aliæ voces, *Sum, Vovens, Deus, Mendacium*, ſeorſim ſumptæ ſignificationem habeant, ſimul ſumptæ præſtant, ut verbum *Voveo* non ſupponat: nam ſicut nec Circulus, nec Quadratum repugnat & tamen circulus quadratus repugnat: ſic etiam, tametſi *vovere* & *mendacium* non repugnent, repugnat Deo vovere mendacium. Ergo, qui *Voveo Deo mendacium*, dixerit, loquitur quidem, ſed non vovet. Hinc jam Ageſilaum intelligis. Promiſſio (& præcipuè, ſi ſit Sacramento firmata) habet pro objecto rem licitam & honeſtam: & repugnat, ut valida promiſſio ſit & circa illicita & turpia verſetur. Quæ non eſt promiſſio valida, non eſt promiſſio: Ergo, qui injuſtum ſe facturum ſpondet, nil promittit, ſed dicit; ut oculatiſſimè Rex Lacedæmoniorum ſtatuit.

Pſalm. 4. verſ. 7.

Matthæi 11. 25.
Lucæ 10. 21.

De Propoſitionibus, de Subjecto, Prædicato, & Copula non ſupponentibus.

An dentur Entia rationis? An Entia linguæ tantùm ſint, quæ Rationis vocantur?

An turpia validè promitti poſſint?

Abutitur verbo *pejerare*; illo enim ſignificare vult nõ obſervare juramentum.

Ageſilaum audiviſti: oportet ut modò audias Bedam in homil. 43. (& habetur 22. qu.4.) *Si aliquid fortè nos incautiùs juraſſe contigerit, quod obſervatum in pejorem vergat exitum, liberè illud ſalubriori conſilio mutandum noverimus; ac magis inſtante neceſſitate pejerandum nobis, quàm pro vitando perjurio in aliud crimen gravius eſſe divertendum.* Oportet etiam ut audias Hugonem de S.Victore *libr* 1. *p.*2. *cap.*14. dicentem. *Qui malum ſe facturum jurat, peccat & tunc melius eſt juramentum frangere, quàm implere; ita quod malum caveat quod juravit & nihilominùs culpam agnoſcat in eo, quod malè juravit.* Et ſanè Deus bonorum diſtributor in Orthodoxæ Fidei ignorantia unum Veritatis radium Ageſilao allucere permiſit, quem Bedæ & Hugoni negavit. Sanè, qui rem malam ſe facturum promittit, ſacrilegam blaſphemiam dicit, nihil tamen validè *promittit*, aut *jurat* ſed tantùm *dicit* ea, ſe facturum, quæ ſi eſſent bona, promitteret: ac ideò, quando mutato in bonum conſilio, contrarium præſtat, non *pejerat*, non facit cõtra ea, quæ *juraverat*, ſed contra ea, quæ *dixerat*.

Rex Daniæ latrones ſub verbo ſuo ſecuros advocat & trucidat.

Arguunt quartò & Regis Daniæ hiſtoriam, quam Iunius *in qq. moralib. de virtutib. homoleſiæ. qu.*3. enarrat, confidenter adducunt. Do Hiſtoriographi verba. *Latrones in ſuo regno, ſimulato bello, & data fide impunitatis, omnes convocavit; convocatoſque in ſalutem Reipublicæ ſupplicio affecit.* Sed dico magna illum infamia Regiam coronam maculaſſe, nec ipſum fuiſſe ſolum, quia de Daniæ Regum perfidia Olaus Magnus mirabilia recenſet. Chriſtierni II. meminiſſe ſufficiat. Crudelitatem ipſius execrabilem *in libri VI. præfat.* attingit & à Guſtavo anno 1521. exactum à tota Suecia affirmat. Poſteà *lib.*8.

Digitized by Google

Chriſtierni Daniæ Regis crudelitas.

cap.39. qua arte in Suecia fuerit Rex acclamatus, recenſet. Die 7. Novemb. 1520 regni proceres invitavit ad prandiom, plebem ad epulum: & die ſequenti juſſit crudeliſſimè occidi multos diverſi gradus Principes, multos etiam Nobiles & Officiales, centum & nonaginta quatuor Cives; & hoc (utor libri Editione Italica, quæ prodiit Venetiis anno 1565.) *ſenza hover riſpetto alcuno al giuramento dato, o alle patente, e lettere da lui fatte, e ſigillate, ne riverenza alcuna al tremendo corpo di Chriſto, ne moſſo do miſericordia alcuna.* Iacuerunt inhumata Holmę ante palatium majus inſelicia cadavera, quouſque per tertium diem fuerunt portata extra civitatem & combuſta. In crucem egit Magnum Regis Ioannis Præfectum, Patriæ defenſorem ſtrenuum. Ligari juſſit ſupra tabulam, verenda extrahi cor, & has exciſas partes in faciem illius projiciens & atroces injurias exſpuens, ſe putabat actionem generoſam & digniſſimam laude feciſſe. Hinc Vaſtenum (quam civitatem celebrę reddit S. Brigittæ nativitas) & in Novævallis Monaſterio (vulgò *Nidalen*) S. Mariæ purificãtis die 1521. poſt Divina celebrata Myſteria, Abbatem & ſeptem Monachos, à quibus receptus humaniſſimè fuerat, ligatis manibus ſubmergi in fluvium juſſit & occidi. Etiam nonnullos pueros nobiles (his furor hoſtilis ſolet parcere) Rex qui eſſe pater, & cuſtos ex officio debebat coram ſe occidi juſſit; & ita, dum timeri ab univerſis vult, univerſos commovit, ut excitato tumultu triginta hominum millia, arma ſumpſerint, illum à tota Suecia exegerint: qui tandem non admiſſus à Danis propter ſuam ſœvitiã utriuſque regni coronam perdidit. Claudit Magnum librum octavum dicens, *E ſe jo ſtrivo con più amarezza e dolore, che gli altri; nondimeno più veramente, e più ritenutamente, ne può fare certo teſtimonio, che io a tutte queſte tragedie, con gran mio affanno fui preſente, e con gran dolore vedevo li danni de la mia gente, li quali hora ſono accreſciuti infinitamente, per le empie conſtitutioni & oppreſſioni de' ſudditi, ſono inſuperabili.* Et quidem, ſi tales ſunt Danorum Reges, non eſt cur eorum nobis crudelitatem & perfidiam aliquis ut Regulam morum proponat. Claudo ergo paragraphum hunc cum Guicciardino *libr.1. hiſt.* dicens *Nihil in Principe aut Republica indignius, quàm fidem datam non ſervare.*

Olaus Magnus libr.8. cap.40.

An quia fides frangitur, frãgenti violari fides poſſit?

Arguunt quintò, & dicunt. Latrones ſæpe fidem violarunt: cur igitur illis ſervari debet fides? Ergo promeriti ſunt in ſuæ perfidiæ pœnam, ut illis fides promiſſa non præſtetur. Hæc Objectio reponitur & licèt ſuperiùs fuerit diluta; ſiquidem iterum reſpondere cogimur, Veritatem quam trado, novo radio dilucidabimus.

Reges Dei ſunt imagines.

Multa homo poteſt facere, quæ Deus non poteſt, nam ſicut infirmari, mori, &c. ſic etiam ſe negare & mentiri, non potentia ſed impotentia eſt. Fidem Deo promiſſã ſæpe homo violat, nec inde Deus poteſt occaſionem ſumere, ut homini infidelis ſit. Dei imagines Principes ſunt, & quo Dei virtutes imitentur exactiùs, majorem apud Homines gloriam indipiſcentur. Nec juvat dicere, latrones fidem violant, ergo illis Princeps poteſt eſſe infidelis. Occurrit exemplum nobile in Hiſtoria Romana. Fuerat Cornelius Aſinas, Conſul Romanus à Pœnis ad colloquium admiſſus, & tametſi ſit Protheorema Iuſtitiæ πρέσβυς ꙋ τυπτεγάρ ꙋ̓δε ὑβριζεγάρ. *Legatus nõ cæditur, neq; violatur:* nihilominùs contra Gentium Ius catenis vinctus in carceres deductus erat; & tandem iniqua conditione dimiſſus. Erant in Pœnos Romanorũ animi exacerbati, & meritò injuriam cogitabant ulciſci. Sed poſteà amiſſa apud Siciliam claſſe de pace cum Romanis ineunda conſultabant. Sed quem ipſi Legatum ad Romanos injuſtè offenſos, & juſtè iratos mitterent? Hamilcar mitti noluit, ne ſibi Romæ accideret, quod Cornelio Carthagine. Sed Hano fidem Romanorum conſiderans, legationem admiſit; Romamque confidentiſſimè profectus eſt. Cùm ergo ſuæ legationis rationes liberiùs expoſuiſſet, Tribunus ejus orationem interpellavit dicens, *Vide quibus loquaris; tibi enim accidere etiam poterit, quod Cornelio.* Quam Tribuni inconſultam vocem, eſſe ſacrilegam, & in Deam Vrbium Romam contumelioſam Conſules judicantes, Tribuni temeritatem compeſcuerunt, dixeruntque. *Iſto te metu, Hano, noſtra Civitatis fides liberat.* Illi ergo prudentiſſimi Conſules, ut erant prudentiſſimi, cenſuerunt, non eſſe bonam Conſequentiam, *Roma fuit infidelis Carthago. Ergo poterit Carthagini Roma infidelis eſſe.* Quia Carthaginenſes, qui homines viles erant, fidem publicam violare poſſunt: at Romani, quia ſunt Heroes & Principes, id non poſſunt. Vide Eraſm. *libr.6 apophth.*

Carthaginenſes immunitatem legatis Romanis debitam violant.

An ideò poſſint Romani violare fidem legatis debitã Cartaginenſibus?

Cur Hus & Hieronymus de Praga fuerint combuſti? An ipſis fides fuerit violata?

Arguunt ſextò ex Hiſtoris Eccleſiaſtica. Hus impius Hæreticus, vocatus à Patribus Concilii Conſtantienſis, adfuit. Pertinax in ſua hæreſi 6. Iulii (1415) damnatur: & ejuſdem menſis die 8. exuſtus eſt. Hieronymus Pragenſis Huſita, ad Concilium Conſtantienſe vocatus, pari cum Huſo impietatis ſocio, pœna afficitur

30 Maji (1416.) Verba ſunt Iacobi Gordoni *in Chronico*. Clamant Hæretici, fidem publicam fuiſſe temeratam à Patribus. Sed quam fidem? Cùm ſæcularis Curia de crimine accuſatum citat, impunitatem non concedit: & Hus læſæ Divinæ Majeſtatis reus, venire auſus, quia hæreſim abjurare non voluit, pertinax condemnatur, & juxta legem contra Hæreticos contumaces ſtatutam comburitur: & idem de Hieronymo dicendum eſt.

Sed inſtant, adhuc fuiſſe violatam fidem publicam: nam venerat ſub fide Cæſarea. Dicitur, ſed non probatur. Vt ut Sigiſmundus Imperator ipſi ſalvum-paſſum conceſserit, quid contra Patres? Si à Sigiſmundo ipſe, aut ab ejus Miniſtris, damnatus & occiſus fuiſset, potuiſset conqueri: ſed in cauſa purè Eccleſiaſtica à Patribus, qui nec erant Cæſaris Miniſtri, nec ſubditi, nec ipſi ullas literas ſecuritatis dederant, comburi potuit. Immò & debuit. Et hoc evidenter oſtendo. Inter alios errores Ioannis Huſſi, ille erat Principibus Heterodoxis gratiſſimus, qui ſtatuebat, Epiſcopos & totum Clerum Principi ſæculari ſubeſse: & ut facto etiam id eſse verum perſuaderet, Bohemis Imperatoris literas impetraſse videtur (ſi impetravit) & contempſiſse Patres, ac ſi iſti eſsent Cæſaris ſubditi, & in eum audere non poſsent, quem ſalvum & incolumen Cæſaris reddebat authoritas. Ergo, ut experiretur, falſam ſe doctrinam protrudere, Patreſque exemptos eſse, nec ſubeſſe Majeſtati Cæſareæ, illum damnarunt, & comburi juſserunt.

An Epiſcopi Principibus ſæcularibus ſubditi ſint?

Svbsectio XI.

De Iuramento Teſtium.

Iudex & Teſtes materialiter & formaliter poſſunt conſiderari.

INter alias circumſtantias, quæ ſunt conſignificantes, & teſtimonium roborant aut enervant, ponitur *Deus*: omnis enim Humanæ Veritatis eſt periculoſa cenſura, ſi non accedat Divinæ Veritatis authoritas. Sicut enim Iudicem bifariam poſsumus conſiderare; nimirùm, materialiter, & formaliter, ſic etiam Teſtem. Et quia penitior harum conſiderationum notitia magnam lucem afferre poteſt, & in multarum Quæſtionum deciſione prodeſſe, illam ediſseramus.

Quid alterutter dicat formaliter?

Porrò, quicumque Iudex materialiter conſideratus, non eſt plus, quàm homo privatus, aliis omnibus ſimilis, qui nullam in alios habent poteſtatem & authoritatem. At ipſe, ſi conſideretur pro formali, dicit Principem (Imperatorem, Regem, &c.) cujus vices gerit, & cujus nomine adminiſtrat Iuſtitiam. Et pro formali non dicit Principem materialiter ſumptum: nam & ipſe materialiter & formaliter conſideratur. Iuſtinianus antequam ad Imperium adſumeretur, non habebat, unde jus aliis diceret, & leges ferret: cum, ſicut cæteros, concernebat obediendi neceſſitas; & non niſi temerè mandatis Superiorum obſiſteret. Eligitur, denominatur, coronatur, ut Dei nomine univerſos gubernet; nam verax eſt ille, qui dixit; *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*, Proverb. 8. 15. & iterum Matth. 10. *Qui vos audit, me audit*. Ergo Iuſtinianus, materialiter dicit Hominem purum: formaliter verò (hoc eſt, quà Imperator) dicit Deum, cujus nomine & gratia orbem Chriſtianum dirigit & gubernat. Conſules, Prætores, & alios Miniſtros denominat, & in eorum prudentiam & fidelitatem partem negotiorum exonerat & poteſtatem communicat. Sed quis & qualem? Non communicat illis quà Iuſtinianus poteſtatem privatam; non publicam Non primam: quoniam ad nil ipſa ſerviret; nam illius virtute nihil præſtare poſſent. Non ſecundam; quoniam qua Iuſtinianus (qua homo privatus) non habet authoritatem publicam; & quam non habet, aliis impertiri non poteſt. Supereſt ergo, ut qua Imperator (qua Vicarius Dei in ſæcularibus & temporalibus) communicet illam, quam recepit à Deo. Ergo quemcumq; Iudicem Divina authoritas pro formali conſtituit: unde, ſi hæc deſinat ipſi communicari (quod contingit, quando, aut deponitur, aut expleto tempore Miniſterii defungitur) ipſe deſinet eſſe Iudex: & in privatorum hominum numerum redigetur.

Quid ſit Princeps materialiter & formaliter?

De Iuſtiniano. Qualis ſit quà homo, & qualis quà Imperator conſideratus.

De authoritate delegata. Qualis ea ſit, & unde proveniat?

Sic ſimiliter Teſtis materialiter & formaliter conſiderari debet. Materialiter ſumptus, ſupra humanam conditionem nil habet. Omni eſt homini natura ſimilis: & omnis homo mendax. Fallere, decipere, obludere; immò & mentiri poteſt. Cujus igitur fidelitas cæſpitat, & Veracitas claudicat, teſtimonium erit nullius, aut debilis authoritatis. Ergo, quærendus modus fuit, quo humana firmaretur fragilitas, & corrorobaretur impotentia. Debuit igitur finita Veracitas roborari Divina; ut vel ſic deponerentur dubia, & animi dubitantium ſedarentur. Et ideò ſtatutum, ut Teſtis citatus à Iudice, Deum in Teſtem citaret, & non ſolùm *coram Deo*, ſed *per Deum* loqueretur: nemo enim tam perditæ conſcientiæ præſumitur, ut *coram Deo*, & *per Deum* loquens, rem falſam audeat aſſeverare.

Mendax dicitur à *mentiendo*. Eum enim tantummodo ſignificat, qui poteſt mentiri.

Cur Teſtes adjurentur in Tribunalibus?

Huma-

An juramenta licita ſint?

HVmanam veracitatem, ais, plurimum luſtratam, ſi per Divinam elevaretur, roboraretur, & perficeretur; concedis. In Iuramento, quando à Iudice citatus teſtis, Deum in Teſtem citat, Veracitatem creaturæ finitam & fallibilem ab infinita & infallibili Creatoris Veracitate perfici & elevari, ut indubitatum ſupponis, inquiris tamen, *An juramenta liceant?* Et ratio dubitandi eſt, quia inferior non poteſt Superiorem citare.

Rationes, quæ videntur omnia juramenta interdicere.

Prima Sententia, omnia Iuramenta eſſe illicita aſſerit; & temerè aut etiam ſacrilegè Deum ab hominibus citari in teſtem nam in quacumque bene gubernata Republica puniretur omninò, qui Regem auderet citare. Afferunt pro hac Opinione S. Iacobum, qui *in cap. ſuæ epiſt.* ait. *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare; neque per Cælum, neque per Terram, neque aliud quodcumque juramentum; Sit autem ſermo veſter*, Eſt, eſt, Non, non, *ut non ſub judicio decidatis*. Conſonant Philoſophi, & Poetæ, qui omnia juramenta interdicunt. Phocylides.

Μητ᾽ ἐπιορκήσῃς, μήτ᾽ ἀγνῶς, μήτε ἑκόντι.

Et Periander. Ὅρκῳ μὴ χρῶ. *Iuramento ne utaris*. Quia autem juſta ab injuſtis diſtinguebant nonnulli & tametſi hæc reprobarent, illa licere ajebant, Menander utraque eſſe illicita aſſerit: concinit enim,

Ὅρκον γὰρ φεῦγε, κἂν δικαίως ὀμνύῃς.

Iusjurandum fuge, etſi juſtè juràris.

Iurandi conſuetudo ſemper eſt improbanda.

Iurandi conſuetudinem condemnat Sacra Pagina *Eccl.* 23. dicens. *Iurationi non adſueſcat os tuum; multi enim caſus in illa. Nominatio verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo & in nominibus Sanctorum non admiſcearis, quoniam non eris immunis ab eis.* &c. *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga. Et, ſi fruſtraverit fratrem, delictum illius ſuper ipſum erit: & ſi diſſimulaverit, delinquet dupliciter; & ſi in vacuum juraverit, non juſtificabitur*. &c. & cap. 27. *Sermo crebrò jurantis horrorem incutit, & aures obturabit contentio talium*. Ex his Sacræ Scripturæ verbis collige primò, non omnia à Deo juramenta interdici: nam qui ſolam conſuetudinem vetat unum aut alterum actum, cum fuerit neceſſarius, indulget. Quod & clarè alii loci demonſtrant. Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis*. Et Ierem. 4. *Et jurabis*, Vivit Dominus, *in veritate & in judicio & in juſtitia*. Ergo ſub his ſaltem tribus circumſtantiis jurare licet. Hinc eamdem conſequentiam *lib.* 2. *ſuper Ierem.* [& habetur 22. *qu.* 2.] intulit S. Hieronymus, inquit enim. *Animadvertendum eſt, quod Iusjurandum hos habeat comites, Veritatem, Iudicium, atque Iuſtitiã. Si iſta defuerint; nequaquam juramentum erit, ſed perjurium*. Sub his circumſtantiis Iuramenta eſſe licita Auguſtinus perſuadet: nam *in epiſt. ad Publicolam*. [Et habetur 22. *qu.* 1.] ſic ait. *Vt noveritis verum jurare non eſſe peccatum, invenimus & Apoſtolum Paulum juraſſe*. Et tamen erat in gratia confirmatus & peccare non poterat.

In vacuum jurare, videtur eſſe, jurare ſine cauſa.

De Iuramentis neceſſariis.

An divinitus interdicantur?

Sub quibus circumſtantiis juramenta ſint licita?

Collige ſecundò, non bene argumentari Dianam, cum ait, *Poteſt licitè fieri ſemel, Ergo & ſemper*; nam eſſe poſſunt leges, quæ conſuetudinem condemnent, & de uno aut altero actu non ſint ſolicitæ. Tales ſunt Breviarii Rubricæ opinione Suarezii, qui *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 11. officium mutari pro officio una aut altera vice permittit; at mutari frequenter non tolerat, ſed criminis lethiferi incuſat. Impugnat hanc ſententiam Coronius *in Diana ſumm. verb. Hora Canonica. nu.* 40. his verbis. [Id quod contra Suarez procedit, etiamſi frequenter fiat: nam, ſi licet ſemel, licet etiam frequenter, cum ſingulis diebus adſit novum præceptum, ſicut in diebus Quadrageſimæ ad jejunandum. Ita Diana *p.* 1. *tr.* 12. *reſ.* 3. *& p.* 7. *tr.* 11. *reſ.* 10.] Sed hæc ratio non Suarium modò, ſed & Dianam impugnat: nam ſi quidpiam probat, nunquam mutari officium poſſe, ſuadet: nam ſingulis diebus eſt de tali officio recitando præceptum. Ergo quia præceptum de Officio Divino non conſuetudinem tantùm, ſed ſingulos actus concernit, aliam legem ponamus.

Vox *perjurii* hic latè ſumitur, ut etiam juramentum ſine cauſa emiſſum ſignificet.

An dentur leges conſuetudinem interdicentes?

An mutari officium Divinũ in aliud officiũ ſemel, non autem ſemper liceat?

Videbatur Eccleſiarum Immunitas, quà concernit aſyla, reſtrictione indigere, & ideò Gregorius XIV. Summus Pontifex aliquos caſus excepit, in quibus ſcelerati immunitate Eccleſiæ non deberent gaudere; & inter alios aſyli favorem negat publicarum viarum graſſatoribus, non iis, qui ſemel aut iterum in loco aperto furtum commiſerint, ſed his tantùm, qui conſuetudinem habeant hujuſmodi peccata perpetrandi. Audiunto Antonium Coronium, qui *in ſumm. Dianæ. verb. Immunitas Eccleſiarum. nu.* 31. ſic ſcribit. [Excipiuntur latrones publici & graſſatores viarum intellige *publicarum*, nam nomen *via* denotat viam publicam, Ambroſin. *cap.* 3. *num.* 5. & alii. Et latrocinium ſeu graſſationem multoties iteratam; nam non eſt publicus latro, qui ſemel aut iterũ deprædatus eſt; ſicut nec publica meretrix, quæ ſemel aut bis fornicata; aut publicus uſurarius, qui ſemel tantùm commi-

De Excurſoribus viarum.

An tantùm, qui peccandi conſuetudinem habent, Eccleſiaſtici aſyli privilegio priventur?

Quid publicæ *viæ nomine intelligendũ ſit? Publica meretrix non eſt, qui ſemel aut iterũ ſe proſtituit; ſicut nec publicus uſurarius, qui ſemel aut iterum uſuras recipit.*

mi-

miſit uſurani, *l.quis ſit fugitivus.§.errorem* & *l.ſciendum* §. *illud.ff.de edilit.* & Panormit, *in c.1. de jud. num.*4. Et ita hanc ſententiam tenent communiter Canoniſtæ apud Igneum *in l.*3 §.*ſubvertitur.au.*107. *ff.ad ſyll.*quibus adde Novar.*num.*45.qui ex Suar. & aliis docet *num.* 46. non eſſe privandum immunitate graſſatorem viarum, ſi ſæpius delicta tentaverit,ſed non perfecerit ; quia exceptio intelligi debet de delicto conſummato.&c.]

De Clerico Sodomita. Non privatur beneficio, qui ſemel aut iterum peccat,ſed qui peccãdi in hoc genere habet conſuetudinem.

Addo & aliud exemplum, nempe in propudioſa materia ; auribus enim mundis etiam immunda munda ſunt. Paulus V.omnium dignitatum & beneficiorum privatione ipſo jure incurrenda Clericos Sodomitas condemnat. Sed quos? non qui ſemel aut iterum peccaverint, ſed eos tantùm, qui peccandi ſordeſcunt conſuetudine. Audiri ipſe Coronius poterit,qui *verb.Clericat.num.*18. ſic inquit.[Emanavit Bulla à Pio V. contra Clericos Sodomiam exercentes,afficiens eos pœnis graviſſimis, ut ſuſpenſione ab exercitio ordinum,privatione omnium beneficiorum & dignitatum ipſo jure &c.] & *num.* 20. ſic progreditur. [Clericus propriam Sodomiam bis aut ter committens non incidit in pœnas hujus Bullæ. Ita Doctores communiter contra Velam *de pœnitent.delict.c.*33. Ratio eſt, quia Bulla punit *exercentes* Sodomiam, quod verbum requirit actum continuatum & frequentiam. Nam non dicitur v.gr.mercator, qui bis aut ter artem mercatoriam probat. Ita Diana *p.*2.*tr.*17.*reſol* 65]

Exercere petit actũ frequentationem.

Poſſem alios Caſus & leges & Decreta producere ; ſed hæc pauca, ut Doctrina præcedens medulliùs intelligatur, ut exiſtimo,videbuntur ſufficere.

De juramentis quæ emittũtur per Sanctos. An, & quomodo differant ab iis, quæ emittũtur per Deũ?

Collige tertiò, poſſe & ſolere per Sanctos concipi Iuramenta. Et,ſi interrogas, *An Iuramenta emiſſa per Deum ab illis,quæ emittuntur per Sanctos, diſtinguantur ſpecie?* De Iuramentis, ſicut de Blaſphemiis, eodem modo eſſe philoſophandum reſpondebo. Nam Sanctus Petrus v.gr. bifariam poteſt conſiderari: videlicet, ut homo eſt,& ut ſanctus eſt. Vt homo, eſt nobis ſimilis,& neque contumelia ipſi facta, neque juramentum per eum emiſſum ad primam tabulam & materiam Religionis pertinet, Vt ſanctus, eſt Deo plenus ; & quia dicit formaliter Deum, Blaſphemiæ in Deum & in Sanctos ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei : ita Diana *part.*1.*tract.*7.*reſol.* 50.& *part.*5. *tract.*13.*reſol.*21. Antonius Coronius *in ſumm.verb.Blaſphemia. num.* 3 Fauſtus *de Sacram. Pænit. libr.*4. *quæſt.* 137.Cœleſtinus *in Compend.tract.*1.*cap.*9. *diff.*4. Duvallius *in* 2.2. *tract. de fid.quæſt.*

De Blaſphemiis. An & quomodo differant, quæ in Deum, & quæ in Sanctos emiſſa.

Sancti bifariã poſſunt conſiderari,quà homines, & quà divina gratia prædìti.

9.*art.*2.& idem de Iuramentis; & idem de Perjuriis,quæ *per Deum,*& *per Sanctos* fierent,dicendum eſt.

Prima conſideratio ad Philoſophiam, ſecũda ad Theologiam ſpectat,

Iurandi conſuetudo propter pejerandi periculum meritò condemnatur. Hoc in Iuramentis periculum frequenter nos monent veteres Patres, quorum teſtimoniis hanc doctrinam confirmo. Auguſtinus *Syntagm. de Sermone Domini in monte.* [Et habetur 22. *quæſtion* 1. *capit.* Ita ergo] ſic inquit. *Præcepiſſe Dominum intelligitur, ne juraretur; ne quiſquam ſicut bonum appetat juſjurandum & aſſiduitate jurandi ad perjurium per conſuetudinem dilabatur. Quapropter, qui intelligit, non in bonis ſed in neceſſariis jurationem habendam, refrænat ſe quantum poteſt,ut non ea utatur, niſi neceſſitas cogat: videlicet, cum videt, pigros eſſe homines ad credendum,quod eis utile eſt credere niſi juratione affirmetur.* Idem Sanctus Doctor *in epiſt.ad Publicol.* [& habetur 22.*qu.*1.] *In Novo Teſtamento dictum eſt ne omninò juremus, quod quidem mihi propterea dictũ eſſe videtur, non quia jurare peccatum eſt, ſed quia pejerare immane peccatum eſt, à quo longè nos eſſe voluit, qui omninò,ne juremus,commonuit.* Et iterum *lib. de mendacio* ſic inquit. *Dico vobis, non jurare omninò, ne ſcilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur,de facilitate ad conſuetudinem, de conſuetudine in perjurium decidatur.* Conſonat Auguſtino Chryſoſtomus,nam illud Matthæi, *Dico autem vobis; Non jurare omninò.* dilucidans in hæc verba perorat. *Nemo eſt,qui frequenter juret, quin aliquando non pejeret: ſicut,qui conſuevit multa loqui, aliquando loquitur importuna.* Et rurſus libr.2. ſoliloq. ſic inquit. *Aſſiduitas jurandi perjurii conſuetudinem facit.* Vnde Sanctus Gregorius ſuper illud Matth. *Non pejerabis*, ait. *Non penitus jurare prohibuit, ſed occaſionem perjurii, quod perfectius eſt,evitare docuit.* Dixerat Philo. *Ex frequenti jureiurando perjurium naſcitur.* Et citatur ab Anton.ſerm. de juram.

Sententia Auguſtini de juramento.

Si conſuetudinem jurandi habet,eſt in perjurandi manifeſto periculo.

Ergo dicamus cum Solone, *tantam morum probitatem ineſſe hominibus oportere; ut non opus ſit juramento ligari.* Maximus *ſerm.*33. *Si eſſemus tales, à nullo juramentum poſtulari deberet.* Iſocrates ad Demonic. *Iuramentum tibi oblatum duabus de cauſis ſuſcipe: vel,ut te ipſum turpi ſuſpicione liberes,vel ut amicos ex magnis periculis eripias. Pecuniarum verò gratiâ* (N. B.) *etſi vera dicturus ſis,nullum Deum juraveris;ſin minus, aliis perjurus, aliis avarus videberis.*

An juramentũ emitti gratis poſſit?

Svb-

Svbsectio XII.

Iterum de Iuramento Teſtium. *Cur debeant jurare per Deum?*

Cur, & de quibus rebus debeant Teſtes juramentũ emittere?

CVm omnis homo, & decipi, & decipere poſſit, caret ſecuritate teſtimonium humanum, niſi divina authoritate confirmetur. Adjuratur igitur teſtis, ut (1) coram Deo, quem vocat in ſuæ veracitatis teſtem reſpondeat: ut (2) articulis, de quibus interrogatur, ſatisfaciat; & non per impertinentia divagetur: ut (3) viſa ab auditis diſtinguat, jubetur enim cauſam ſcientiæ explicare: videlicet, quia hæc vidit, illa audivit; & quando fiebant aut dicebant loco & tempore, &c. interfuit.

Quinq; quæſtiones neceſſariæ proponuntur & dilucidantur.

Occurrunt hic nonnulla Dubia, quæ opportunè poterunt explicari. Primvm eſt, *Per quæ Numina debeat homo jurare?* Secvndvm, *An, quando in teſtem citatur Ethnicus, debeat per Deos Gentilitios jusjurandum emittere? An Mauri aut Saraceni juramentum, ſi per Muhometum ſit, admitti poſſit?* Tertivm. *Quanta ſit Iuramenti Religio, & quanti ab ipſiſmet Gẽtilibus habita?* Qvartvm, *An facinoroſi & ſcelerati hominis poſſit juramentum admitti?* Qvintvm, *An Teſtes non jurati admittantur? an quando extra articulos deponunt, non jurati dicendi ſint?*

De Iuramentis Ethnicorum. Erant multa & diverſa. An & cur Oſyris corporis pudendis? De Diis Græcis Latiniſque ſentiebant pro pudroſis criminibus.

VT Dubium primum dirimam, notare debeo, ſicut diverſa Ethnici habebant Numina, ſic etiam diverſa juramenta emittebant.

Ægyptii, & præcipuè Thebani jurabant per Oſyridem in Philis ſitum: ibi enim omnes ejus corporis partes, præter pudendas, ſepultæ erant. Diodorus *libr.1.cap.1.* Sed cur? Quia eos pudebat Deum habere, pudendis præditum. Grandiùs enim de ſuis Diis, quàm Græci & Romani ſentiebant: hi enim ſingulos eſſe voluerunt adulteriis (ut alia ſcelera intermittam) infames: & celebrabant in Numinibus crimina, quæ in hominibus exſecrarentur. Sic de Diis delirabant, & tamen erant ingenioſi & eruditi, poſſentque ad Veritatis pervenire notitiam, ſi vellent. Sunt ipſis confuſioni Americani barbari, qui de ſuis Diis nonniſi glorioſa mentiebantur. Teſtor Ioannem Boterum, *Relation. ſuar. part.4. libr.1. pag.2.* dicentem. [Ma venendo a popoli alquanto più civili, e politi: i Cuzcani, e gli habitatori del Perù confeſſavano un factore dell'univerſo, & un ſupremo Prencipe, e lo chiamavano Viracoca, Viratoca, e Pacacamac, e Patayaria cioè

Quoniam Iuppiter corrupit & ſtupravit multas pellices, apud Senecam conqueritur Iuno.
Ovidius libr. 3. Elegia. *Sed poſtquam ſapiens in munera venit adulter.*
Pontanus. *Vertit amatorẽ fabula nulla Jovem.*
Mantuanus. *Facta ſub inceſti Jovis infelicibus annis.*
Calphurnius. *Per ſydera juro laſcivumq; Jovem.*

Creatore del Cielo e della Terra, e l'adoravano alzando gl'occhi al Cielo, non havevano pero vocabulo coriſpondente al nome di Dio: & ancor hoggi non ſanno dir Dio, ſe non valendoſi del nome Spagnuolo; dalle coſe ſudette procede, che il perſuader loro, che vi ſia un ſupremo Dio, è coſa aſſai facile: mà non già il dar loro à intendere, che non vi ſia altro Dio. Avanzano pero d'intendimento, e d'una certa ombra di religione i Greci, perche ſe ben mettono un ſupremo Dio con un grã numero d'altri Dei, non attribuiſcono però gli adulterii, e le altre ſceleranze deteſtabili al lor Viracoca come i Greci à Giove anzi non gli aſcrivono ſe non coſe grandi, eccelſe, meraviglioſe, onde lo chiamano anche, Vſapna, cioè ammirabile.] Et quidem Americanos non habere aliquod nomen, quo Deum propriè ſignificent, ut hoc monebat Boterus, conſtat ex libris, in quibus orationes & modum confitendi docentur. P. Anguſtinus Vetancurtius Mexicanæ linguæ anno 1673. Inſtitutiones edidit, & *pag.49 b.* præſcribit Confeſſario, ut incipiat interrogare pœnitentem his verbis. *Cuix oticmotla çotilli in motla-tocatz in Dios?* hoc eſt, *Amaſte a tu Dios y Señor?* Vbi, ut conſpicis, *Deus* in utraque lingua (Hiſpana & Indica) vocatur *Dios.*

Viracoca, Viratoca, Pacacamac, & Patayaia Indorum Occidentalium Numinum nomina.

Vſapu, hoc eſt, admirabilis apud Americanos Dei epithetum eſt.

Pœni, ut oſtenderent, jusjurandum ad Fidem & Religionem pertinere, per Deos patrios jurabant, & per ignota & externa Numina emittere vota nolebant. Alexander *libr.5.cap.10.* Dicit Hiſpanus, *Quien bien jura, bien cree.* Cæterùm, non bene jurat, qui paſſim & ſine neceſſitate jurat: interim multi, qui hoc laborant vitio, hoc ſe tuentur Adagio, ut peccatum excuſent. D. Petrus de Toledo, cujus apophthegmata, ſi colligerentur, libro juſto ſufficerent, & cum utilitate legerentur: cùm ſemel à Viro gravi & Eccleſiaſtico moneretur, quod ſcandalizaret milites paſſim jurando, non ſine impatientia reſpondit. *Qui bene jurat, bene credit: & ideò Ego, quia bene credo, bene juro. Iuro per Deum, quia in Deum credo: & jurarem per te, ſi in te crederem: ſed quia non credo in te, per te non juro.* Pœni igitur, ſiquidem in Græcorum, & Romanorum Deos non credebant, nolebant per illos jurare.

De Africanis. Cur per ignotos Deos noluerint jusjurandum emittere?

Iuramentum ſit per Deum, in quem qui jurat, credit.

Qui Ciceronis pro Flacco legerit Orationem, non magni faciet Iuramenta Græcorum: ait enim, *Teſtimoniorum religionem & fidem nunquam hanc nationem coluiſſe, totiuſque hujus rei, quæ ſit vis, quæ authoritas, quod pondus, ignorare.* Vtebantur igitur juramento, ut alios deciperent, non ut ſervarent: habebant tamen, majorum traditione receptos va-

rios

Digitized by Google

rios jurandi modos. Vt per octo Numina (Ignem, Aquam, Terram, Cœlum, Lunam Solem, Phanem & Noctem) Divinam Iuſtitiam teſtarentur, permiſit. Alexander *libr.5.cap.*10. Vt autem per Laperſas (Caſtorem & Pollucem) Sophocles. Alexander *libr.5.cap.*3. Apud Tilphuſium montem ſunt ſub dio Dearum ædes, quas praxidicas, hoc eſt, vindicea vocant. Ad earum aram incolæ juramenta concipiunt, quæ dicunt non poſſe violari. Pauſanias *in Bœoticis*. Per montem quem colebant ut Deum jurare ſolebant Cappadoces. Alexander. Et univerſim Græcis per terram, per fluvios, per fontes ſanctiſſimum jusjurandum fuit. Alexander. In ſpecie autem per Canem, more Ægyptio, jurabat Socrates, quia cùm ille ſit Fidelitatis ſymbolum, per Fidem ipſam ſe jurare putabat, cùm per canem jurabat. Plato *in Phædone*, & Pierius Valerianus *libr.5.*

De octo Numinibus, per quæ antiqui jurabant.

De aliis Ethnicorum Diis in juramento provocatis.

Cur Socrates per Canem juraverit?

Qui ulteriorem Aſiæ regionem incolebant, ſua habuerunt juramenta ſpecialia. Perſæ per Mithram, quo nomine intelligebant Solem. Ejus ſimulachrum effingebatur rictu leonis cum tiara, manu bubula premens cornua. Strabo libr. 15. Perſæ cœlum Iovem putant: colunt Solem, quem Mithram vocant. Statius libr. 1. Thebaid.

Per Solem jurabant Perſæ.

> *Adſit ò memor hoſpitii Iunoniaque arva.*
> *Dexter ames, ſeu te Roſeum* Titana *vocari*
> *Gentis Achemenia ritu, ſeu praſtet* Oſyrim
> *Frugiferum, ſeu Perſei ſub rupibus antri*
> *Indignata ſequi torquentem cornua* Mithram.

Ergo *Titan, Oſyris, Mithra, Sol,* diverſa ſũt nomina, & una res. Per Tanaim & paludem Mœotidem ſolebant jurare Maſſagetæ: Alexander. Scythæ autem per Ventum & Acinacem. Lucianus *in Toxari*.

Titan, Oſyris, Mithra, Sol, ſunt Synonyma & idem prorſus Numen ſignificant.

Romani per Deos in communi, nullius expreſſo nomine aliquando jurabant: in particulari juramenta per Terram, Mare, & ſydera concipiebant. Zuinglius *in theatr.* Numa ut ſummum juramentum per Fidem præſtaretur ſtatuit. Plutarchus *in Numa.* Interim *Per Fidem* Gallicè *Par ma foy*. Hiſpanicè *A fee de hombre de bien, A fee de Caballero.* &c. ſunt juramenta Politica, & conſcientiam non tangunt: ſed tangere potuerunt Numam, qui Fidem eſſe Deam ſomniabat. Veſtales, ſi quando adigi ſacramento contingeret, non niſi per Veſtam, cui erant nuncupatæ, jurabant. Zuinglius *in theatr.*

De Iuramento per Deum tanquam per individuum vagũ.

An Iuramentũ per Fidẽ Theologicum, an purè Philoſophicũ ſit?

Iudæi, quia verum Deum cognoſcunt, per verum juramenta concipiunt: adeoque per Deum Patrum ſuorum Abrahami, Iſaaci, & Iacobi jurare ſolent.

Quomodo jurabant V[illegible]les?

Neſcio, an dicere debeam verum cognoſci à Mauris, Turcis, Perſis, & aliis. Vnum adorant: eſto; Hunc creaviſſe Cœlum & Terram addunt: hucuſque bene. At eum eſſe materialem delirant; quia rerum ſpiritualium cognitionem non habent: & tamen, qui corporeus eſt, Deus non eſt. Mahometum ſuum ſupra humanam conditionem extollunt, Deum ſupparem faciunt: immò habent preces, in quibus eum præponunt: Et ideò inferas, bene canere Hiſpanos,

De Iuram[illegible] Hebræorum. Quale id [illegible] ſit?

De Mahometanis, [illegible] verum Deum cognoſcant?

> *Madre, los diſparates ſon como Frayles,*
> *Porque nunca andan ſolas las necedades.*

Cur ſtul[illegible] ſemper com[illegible] habeant?

Chriſtiani ſunt, qui ſanctè jurant quoties leges divinitùs præſcriptas obſervãt. Exod. 20. *Non adſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui adſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.* Et Deut. 5. *Non uſurpabis nomen Dei tui fruſtra: quia non erit impunitus, qui ſuper re vana nomen Dei adſumpſerit.* Et nomen Dei adſumit fruſtra, qui ſine veritate, & qui ſine neceſſitate: uterque irreverentiam committit, at ille gravem & ſceleris mortalis reã; hic venialem, niſi tantam habeat jurandi conſuetudinẽ, ut in periculo ſit pejerandi. *Iusjurandum eſt teſtificatio de re controverſa. Ita fugito jusjurandum, ut ne ſanctè quidem jures. Ex frequenti jurejurando perjurium naſcitur.* Philo apud Anton. *ſerm. de juram.*

Quid ſit jurare in vanum, vel jurare fruſtra?

Exod. 23. *Per nomen externorum Deorum non jurabitis.* Iacob. 5. *Ante omnia fratres mei nolite jurare, neque per Cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter.* Eſt, eſt, Non, non, *ut non ſub judicio decidatis.* Hinc Pœni, ſicut carpendi ſunt, quòd veri Dei cognitione caruerint, dilaudandi ſunt, quod per vana Græcorum & Latinorum Numina non juraverint.

Iudæi, ſicut & Chriſtiani per Deos alienos jurare nequeũt.

Sed interrogas, an in Hiſpania peccent ruſtici, qui per creaturas jurant? dicunt enim. *Voto al Sol. Iuro por aquella luz, que ſaliò de la bocca del Angel. Por eſte pan, que es la cara de Dios. Por la gallina aſſada.* &c. Reſpondeo per creaturas vera juramenta interdici divinitùs: & ut vera ſint, debet qui jurat, in re, per quam jurat, divinitatem adorare. Cùm autem certum ſit noſtros ruſticos neque in Sole, neque in Flamma, neque in Pane, neque in Gallina aliquam divinitatẽ ponere, dicen-

An, & quando jurare per creaturas peccatũ ſit?

Qualia juramenta à ruſticis in Hiſpania emittantur?

dum eſt illos, cùm ſic loquuntur, nugari & ridere, non jurare: & per conſequens neque peccare.

Voces interdum alterant aut decircinãt qui jurare non volunt. Fiebat id à Græcis & Latinis, & nũc fit ab Hiſpanis & aliis.

Sunt & ſimiles multis, qui ut pectus exonerent, ſucclamant *Voto à Diez, Iuro à Chriſpo*, qui etſi falſi, non pejerant, quoniam non jurant. Et videntur imitari Veteres, qui Deorum nomina omittebant dicendo, *ὐ μὰ τον. vel νη τον.* Qui tamen juramenti eſſent rei, ſi articulo *τον* Deũ ſubintelligerent, puta ſi verbis *ὐ μὰ τὸν*, intelligerent *ὐ μὰ τὸν Δία*, *Non per Iovem.* Apud Pindarum ejuſque Scholiaſtem, ut *Epigramm.* 3. Brodeus recitat, fit juramentũ. *ναὶ μὰ τον ὅρκον*, ac ſi Latinus diceret, *Iuro per juramentum, quod hoc eſt verum*; quod eſt idem, ac *Iuro, quod hoc eſt verum*; niſi eò Pindari fuerit progreſſa cæcitas, ut *ὅρκον*, *Iuramentum*, eſſe Deum putaret.

EX præcedente Quæſtione altera naſcitur. *An Deus jurare poſſit? & ſi poſſit, per quã?*

Apud Virgilium habent Ethnici Dii, res à ſe diſtinctas, per quas jurent. Narrat Iovem dixiſſe,

De Deo. An, & per quem jurare poſſit?

—— *Per Sydera juro*, & agens de ſtygio lacu, ait.

Dii cujus jurare timent, & fallere numen.

Sed errant Ethnici, cùm jubent, ut alia Numina per alia jurent.

Qui dicunt Iuramentum eſſe actum latriæ, agunt de Angelico aut Humano; *homines enim*, ut ad Hebr. 6. ait Apoſtolus, *per majorem ſe jurant, & omni controverſiæ eorum finis ad confirmationem eſt Iuramentum*: non autem agunt de Divino; nam Deus non habet Deum quem latriæ actu adoret. Et ideò oculatiſſimè S. Hieronymus ſuper Matth. & ex eo S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 4 ne creaturæ & creatoris juramentum confunderent, ajunt, *Qui jurat aut veneratur, aut diligit eum per quem Iurat*, nam utrumque in humano, & poſterius in Iuramento Divino reperitur. Sed clariſſ. Hoſtienſis, Archidiaconus, & Godofridus, quibus *Iuramentum eſt aſſertio vel negatio de aliquo Sacræ rei atteſtatione firmata*. Qui addunt, de aliquo licito poſſibili & honeſto, non agunt de aſſertorio: licèt enim nemo poſſit promittere ſe impoſſibilia, illicita, aut inhoneſta facturum, poteſt de crimine illicito & inhoneſto deponere, & depoſitionem ſuam ſacramento firmare.

De differentia aſſertorii & promiſſorii juramenti.

Nos dicimus Iuramentum per infallibilem Dei Veracitatem debere fieri: addimus hanc eſſe rem infinitè ſanctam, & quę ab univerſis debet diligi: & ſubjungimus hanc eſſe Deum. Inferimus, Deum non aliter, quàm per ſe ipſum jurare poſſe. Se juraſſe teſtatur Num. 32. 11. dicens, *Adſcenderunt ex Ægypto à vigenti annis, & ſupra, terram, quam ſub juramento pollicitus ſum Abraham, Iſaac, & Iacob; & noluerunt ſequi me.* Et Deuteron. 1. 35. *Non videbit quiſquam de hominibus generationis hujus peſſima terram bonam, quam ſub juramento pollicitus ſum patribus veſtris.* Et ibid. cap. 26. 3: *Ingreſſus ſum in terram, pro qua juravit Dominus Patribus noſtris, ut daret eam nobis.* Et iterum cap. 27. 3. *ſicut juravit Patribus tuis.* Et etiam cap. 29. 13. *Sicut juravit patribus tuis, Abraham, Iſaac, & Iacob.* Et tandem cap. 30. 20. *Vt habites in terra, pro qua juravit Dominus Patribus tuis*, &c. Deum juraſse teſtatur etiam David pſalm. 109. dicens. *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Et Lucæ cap. 1. g. 68. exclamat Zacharias, *Ius jurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.* Deus igitur jurare poteſt. Sed per quam? Iurat Deus Numer. 14. 20. Ibi. *Dic ergo eis. Vivo, ait Dominus ſicut loquuti eſtis audiente me, ſic faciam vobis.* Ergo Iuramenti formula fuit. *Vivo Ego* [illegible] *Chai ani Ζῶ ἐγὼ* Iurat igitur per vitam ſuam: quæ exiſtendi habet neceſſitatem infinitam. Ergo Iurat per ſe; non enim à Deo diſtinguitur vita Dei. Et tandem cur jurat per ſe? Reſpondet Paulus in Epiſtolæ ad Hebræos capite Sexto. *Abrahæ*, inquit, *promittens Deus (quoniam neminem habuit, per quem juraret majorem) juravit per ſemetipſum*.

Deus per ſe ipſum jurare poteſt tantummodò.

SECVNDVM Dubium non bene ab aliquibus examinatur: & implicatur majoribus difficultatibus, quàm vulgò exiſtimant. Deuter. 23. 15. fertur divinitùs hæc lex. *Per nomen externorum Deorum non jurabis, neque audietur ex ore veſtro.* Ergo Chriſtianus ab Ethnico recipere juramentum non poteſt. Vel enim jubetur Ethnicus jurare per Chriſtũ, vel per Martem: & tamen neutrum faciet utiliter. Ergo. Primò, enim, ſi jurare per Chriſtum cogatur, irridebit Chriſtum & ſe non obſtringi Iuramento ſupponet, non ſecus ac ſi Chriſtianus jurare cogeretur per Martem. Ergo ex tali juramento, nulla in judicio aut contractu poterit ſecuritas ſperari. Secundò, ſi per Martem juret, ſacrilegus & impius eſt; &, qui eum adjuvat, concurret ad iniquitatem. Vt hoc Dubium dirimam, aliud propono.

Iurat Deus per vitam ſuam (hoc eſt, per ſuã eſſentiam.)

An Chriſtianus Ethnicorum acceptare poſſit juramenta?

Inquiro, *An poſſis licitè facere, ut Petrus juramento affirmet poſitionem, quam ipſe veram judicat, & tamen tu ſcis eſſe falſam?* Intra Iuramenti terminos ſe quæſtio continet,

An poſſit aliquis facere ut aliquis juret, quod falſum eſt ſed verum putat?

tinet,nam,ſi agatur de damno tertii, tunc eſſet illud juramentum malum ex alio capite?

An poſſit aliquis concurrere ad materiale peccati?

Negat Azorius *tom.1.libr.10.cap.11.q.2.* Quia præceptum de non committendo crimine, non ſolùm te obligat ad non cõmitendum tale crimen, ſed ad vitandum etiam, nequis ſimile peccatum committat. Ergo peccaret, qui aliquem induceret ad materiale peccati. Nam aliàs ſequerentur (1) te,qui ſcis hodie eſſe vigiliam, poſſe miniſtrare carnes illi, qui hoc neſcit.(2) poſſe amentem inebriare,vel ad mollitiem inducere. (3) poſſe facere ut duo amentes ſe cognoſcant carnaliter &c.

Quale peccatum committat qui proximum ad perjurium induxit?

Videturque S. Auguſtinus hanc Azorii confirmare doctrinam, nam *in decoll. S. Ioannis Baptiſtæ* [Et habetur 22.*quæſt.5.c.* Ille] ſic inquit. *Qui hominem provocat ad jurationem, & ſcit eum falſum juraturum eſſe, vicit* (malitia) *homicidam; quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animam, immò duas animas: videlicet ejus animam, quem jurare provocavit,& ſuam. Scis verum eſſe quod dicis, & falſum quod ille dicit, & jurare compellis. Ecce jurat, ecce prjerat: tu quid inveniſti: immò & tu periiſti,qui de illius morte ſatiari voluiſti.* Et ſibi conſonans *Serm. de perjuriis*[& habetur 22.*quæſt.5.Qui.*] nos monet dicens. *Qui exiget juramentum, multum intereſt,ſi neſcit illum juraturum falſum,an ſcit.Si etiam neſcit,& ideò dicit,Iura mihi: ut fides ei ſit non eſt peccatum: tamen humana tentatio eſt. Si autem ſcit eum feciſſe, & cogit eum jurare, homicida eſt. Ille enim ſe ſuo perjurio interimit: ſed iſte manum interfitientis impreſſit ac preſſit.*

An poſſit induci aliquis ad jurandũ id quod eſt verum, ſi falſum eſſe ipſe exiſtimet?

Aſſerit Hurtadus, *in 2.2.diſp.173.ſect.16.§.199.* & ejus ſententiam probabilem judicat Diana *part.5.tract.7.reſol.14.* Antonius Cotonius *in ſumm.verb. juramentum.num.3.*& alii probantque: Quoniam proximus non inducitur ad actum formaliter malum,cum ipſe non peccet jurando nec ad materialiter malum, quia materia hic & nunc prout juramentum concernit, potiùs eſt bona quàm mala, quia eſt actus Religionis & honoris Divini.Et rem contrà conſiderando, docet idem Author *ſect.18.§.200.* te non poſſe inducere aliquem ad jurandum illud,quod eſt verum, ſi ipſe putat id ipſum eſſe falſum, quoniam, qui hoc modo jurat,contra mentem jurat, & mentitur,& pejerat.

An, & quomodo cum infidelibus contrahere Chriſtiani poſſimus?

Fateor, utramque opinionem videri difficilem & meliùs impugnari poſſe, quàm propugnari. Et ut Quæſtionem principalem decidam, dico

Primò, *Stando opinioni Azorii non licet in judicio aut contractu Ethnici juramentum admittere.* Quia tametſi ipſe putet Martem eſſe Deum, ſcit Iudex Chriſtianus, qui illum citat, aut ille, qui cum ipſo contractum facit, Martem non eſſe Deum, & illum formaliter aut ſaltem materialiter peccare. Sed, ſi eſſet vera hæc opinio, non ſolum eſſent ſacrilegi contractus, qui paſſim inter Chriſtianos & Gentiles in utraque India fiunt; ſed etiam inſtrumenta pacis, & fœderis, quæ ex multorum Theologorum conſilio cum Aſię & Americę Regulis ab Hiſpanis,Luſitanis, Anglis, Hollandis & aliis celebrantur.

Illi, qui laborant ignorantia invincibili, poſſunt à nobis per ſuos Deos adjurari.

Secundò, *Stando Hurtadi de Mendoza opinioni, licet in judicio & contractu Ethnici juramentum admittere, ſi ille invincibiliter errori ſuo adhærere cenſeatur:non aliàs.* Patet: nam ſi ille ſciens & volens, aut ex vincibili ignorantia colit Martem, aut alios Deos peccat mortaliter jurando per illos, & qui ab illo juramentum extorquet ad formale peccati concurrit.Interim *quia ignorantia præſumitur,ubi ſcientia nõ probatur*, in dubio regulariter exigi ab Ethnico Hurtadus juramentum permittet, nam tametſi in genere omnes Theologi ſciant, quænam ſuperabilem ab inſuperabili ſecernant: utra hic & nunc concurrant, eſt judicii difficilis, ad quod homo pervenire non poteſt. Conſultò *regulariter* dixi;nam ſi aliquis in vera Religione inſtrueretur, (quales ſunt illi, qui detinentur in Sacræ Inquiſitionis ergaſtulis)& tamen nollet ſuos errores relinquere,contumax cenſeri deberet, & non poſſet licitè induci ad jurandum per Martem.

Mahometanorum Iuramentum per Deum admitti poteſt.

Tertiò, *Admitti Mauri & Agareni poſſunt ut jurent, Balla*, hoc eſt, *per Deum.* Quia Deum noſtrũ, Cœli & Terræ Creatorem ipſi colunt. Quod autem ipſi non eſſe Trinum dicant, & eſſe Spiritualem & ſupernaturalem ignorent, juramentum nõ tangit. *Quid, ſi tangeret & expreſſè, vel* per Deum non Trinum, *aut* Corporeum Deum *jurare vellent?* Vt tibi reſpondeam, dico

De Iuramento perDeum materialem, aut per Deum nõ Trinum.

Quartò; *Stando Azorii ſententia hujuſmodi juramentum admitti non poſſet.* Et patet ex his, quæ ediſſeruimus §. *Dico primò.* Vt pergam ulteriùs,dico

An poſſit à Chriſtianis ad mitti?

Quintò. *Stando Hurtadi ſententia, ſi ille Maurus, Turca,vel Perſa laboret ignorantia invincibili,* per Deum, *qualem Alcoranus deſcribit, &* per Mahometum *licitè jurare poterit: non aliàs.* Ergo ad id, quod ſine peccato poteſt facere, poterit etiam ſine ſcrupulo peccati induci.

Supereſt, ut qui ab Hurtado ſint, reſpondeant inſtantiis, quæ à parte contra-

An, & quando quis debeat dies Jejunii à communibus diebus diſtinguere?

cia objiciuntur. Anc reſponſionem poſſent dicere, non habere ſempee hominem obligationem aliorum impediendi peccata: ergo neque ignorantias invincibiles, nam hæ peccaminoſæ non ſuut. Et veniendo ad caſus particulares, dico (*ad* 1.) dominum, ſi habeat Oeconomum, non teneri examinare, quinam dies ſint vigiliæ, & qui non; quia hanc curam commiſit Oeconomo, qui jubet emi & parari cibos & dominus comedet carnes, vel piſces, prout diſponat Oeconomus. Ergo & ille cum vadat ad domum alienam, diſcretionem ciborum committit ei, qui ſe invitavit: Ergo non poterit iſte carnes apponere ab Eccleſia interdictas. Cæterùm, ſi majorem ille dominus obligationem habere cenſeatur, laborabit ignorantia vincibili, & ab ipſo Hurtado condemnabitur.

De amentium ebrietate & libidine.

(*Ad* 2.) dicent paſſim in multis conviviis amentes ſine ſcrupulo prudentum inebriari. Cæterum, ſi ex eorum ebrietate aliqua mala ſuboriantur, etiam in ipſis ebrietas impediri debebit. *Addent* per pollutionem injuriam fieri proli, quæ naſceretur; & ideò non poſſe permitti, ut amentes libidinentur. (*Ad* 3.) reſpondebunt eodem modo: & ſuæ reſponſionis fundamenta ex S. Thoma & ejus diſcipulis ſument. Sed ſemper manebunt omnia obſcura, quia hæc ipſa ab Scoto & Patribus Franciſcanis negantur. Et tamen non dicunt Authores licere amentes ad mollitiem aut fornicationem inducere; quia hoc illicitum eſſe ſupponunt, ſed rationem manifeſtam & evidentem non inveniunt. Sed hoc non tollit, quominus Hurtadi ſententia ſit probabilis; ipſi enim ſufficit, ut probabiliter rationes objectas à parte contraria reſolvat.

Etiam Ethnici maximi ſemper fecerunt Iuris jurandi religionem.

Dico ad tertium eximii fuiſſe ponderis juramenti religionem apud nationes, etiã Ethnicas. Summa .n. diligentia debent tractari Divina: & execrabile eſt ſacrilegium, Veracitatem infinitam in teſtem mendacii citare. *Per Regis vitam*, etiam ſi res ſit vera, non poteſt jurare privatus: ergo ſummum ſcelus erit jurare *per Deum*, ſi res ſit falſa.

Demoſthenes contra Ariſt. *Iuſtum ſanctumque juramentum omnibus maximi faciendum eſt*. Vnde Cicero libr. 3. Offic. *Nullum vinculum ad adſtringendam fidem jurejurando Majores arctius eſſe voluerunt. Id indicant Leges in XII. Tabulis; indicant Sacra, indicant Fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides; indicant Notiones, Animadverſioneſque Cenſorum, qui nulla de re diligentiùs, quàm de jurejurando judicabant*. Et quidem Cenſores, cum ſeveriſſimè in perjuros animadvertunt, Deum ſanctè imitantur, qui non perjuria ſolùm, ſed & pejerandi voluntatem graviſſimè punit. Tibullus *lib. 1. eleg. 9.*

Non ſolum perjuria ſed & voluntas pejerandi graviſſimum crimen eſt.

Ah miſer! & ſiquis primo perjuria celat:
Sera tamen tacitus pœna venit pedib⁹.

Et Iuvenalis Satyr. 13.

Sunt, qui in Fortunæ jam caſibus omnia ponant,
Et nullo credant Mundum Rectore moveri,
Natura volvente vices, & lucis & anni
Atque ideò intrepidi quæcumque altaria tangunt. &c.

Tangere altaria eſt jurare.

Nulla ne perjuri capitis, fraudiſq; nefanda
Pœna erit? abreptum crede hunc graviore catena. &c.
Spartano cuidam reſpondit Pythia vates,
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depoſitum retinere, & fraudem jure tueri
Iurando: quærebat enim, quæ Numinis eſſet
Mens; & an hoc illi facinus ſuaderet Apollo?
Reddit ergo metu, non moribus & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramque probavit
Extinctus tota pariter cum prole, domoque
Et quamvis longa deductis gente propinquis.
Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.

Hæc ultima Iuvenalis verba mihi in memoriam revocant auream S. Ioannis Chryſoſtomi ſententiam, qui (ut habetur 22. q. 5. Can. Iuramenti) ſic inquit. *Qui pejerare paratus eſt, antequam juret, jam perjurus eſſe videtur; quia Deus, non* (tantum) *ex operibus judicat, ſed ex cogitationibus, & ex corde*. Iuvenalis igitur Chriſtianiſſimè loquutus fuit: & magna circumſpectione & providentia monet Atheos, qui rident Numina & in corde ſuo dicunt. Ὅρκοις ἄνδρας, ἀστραγάλοις γὰρ παῖδας, *Iure jurando viros, pueros talis decipiendos eſſe.*

An ipſa natura ſine Deo ad regimen Mundi ſufficiat?

At ubi negare volunt Deum, illum eſſe fatentur. Eſto non ſint Dii, quotquot à Græcis & Romanis culti. An ideo nullus erit Deus? Aſſerunt, quia ſola Natura ſufficit, ut lucis & anni vices volvat. Ergo hæc, ut ſufficit minimùm eſt neceſſaria. Et hoc eſt, quam appellamus *Deum*. Audi Senecã qui *lib. de beneſi.* hanc inter Deum

& Na-

& Naturam ab ingratis fictum diſtinctionem elidit: inquit enim. *Quid eſt aliud Natura, quàm Deus & Divina Ratio toti Mundo, partibuſque ejus inſerta? Ergo nihil agis ingratiſſime Mortalium, qui te negas Deo debere, ſed Naturæ: quia nihil Natura ſine Deo eſt, nec Deus ſine Natura; ſed idem eſt uterque, nec diſtat officio.* Qui ergo in perjuriis non timent Romanorum Deos, quia non illi, ſed Natura annorum & dierum periodos volvit; ſi aperiat oculos, hanc, quoquo vocetur nomine, eſſe Deum percipiet; & ſe habere, quem timeat qui ſcelera impunita manere non permittet.

Scitè & Theologis dicitur Deus Natura naturans.

AD quartum dico arceri à teſtimonio infames. Porrò infames inter Viros probos, & ingenuos numerari non debent: cum autem non niſi viri probi & ingenui teſtimonium admittatur; colligitur infames eſſe Teſtes non poſſe. Hanc legem tulit Bonifacius VIII. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Et Alexander Imperator. *Neque famoſis & notatis, & quos ſcelus aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, Dignitatis portæ patebunt.* Teſtis, ut admittatur eſſe debet fide digniſſimus: nec ulla eſt in toto Imperio dignitas, quæ ſit honorificentior, quàm veritatis teſtimonium perhibendi capacitas; Ergo hæc in infamibus reperiri non poterit. Fide digniſſimus eſt, quem omni exceptione ſuperiorem vocamus. Et, ſi quiſnam ſit iſte, inquiras. Eum eſſe dico, qui ſit qualis totus Articulus iſte depingit. D. Dominicus de Rubeis, qui majorem omni exceptione eum dicit, quem nulla lex improbat, nihil maculat. Et oſtendit talem non eſſe partem ipſam ſibi Certamin. V. 71. VI. 31. & 85. & ſeqq. IX. 12. & ſequentib. nec ejus propinquum, familiarem, aut domeſticum. VI. 31. IX. 69. & 72. nec qui malè audiunt, XII. 68. nec artifices viles, & ignobiles *ibid.* nec homines obſcuros, nec egenos & pauperes: niſi conſtet eos honeſtè vivere. *ibid.* Addit civem teſtimonium perhibere non poſſe: nam utilitas ad eum relabitur; puta ſi de paſcuis agatur *Certam.* V. 72. & 73. Nec Actuarius in cauſa VI. 55. nec non citatum. IX. 18. 19. & 100. nec inimicum. VI. 7. & IX. 17. nec de mendacio aut perjurio convictum IX. 34. 107. & 108. & nec auritum, IX. 73. nec qui aſſeverat, quæ certò ſcire non poteſt. IX. 50. Vbi etiam alias adducit cauſas, quæ tametſi minoris conſiderationis ſint, tamen admittuntur à Iudicibus, & conſiderantur.

An & cur infames non poſſint ad juramentũ admitti?

Reg. 87. in 6. Inf... nec ad dignitates promoveri nõ poſſunt.

An dicendi teſtimonium capacitas, dignitas ſit?

Infamia propter crimen incurritur, & eodem Bonifacio aſſerente, *Semel malus ſemper præſumitur malus.* Et cur? Reſpondet Adagium Hiſpanicum. *Quien haze un ceſto, hara ciento.* Futura concernit: ſed Latinum ad præteritum tempus regreditur & ait. *Semel viſum, centies factum.* Ergo, ſi in furto famulum deprehendis, poteris ex Adagio Latino, ſine temeritate dicere, pluries illum furantem eſſe te inſcio: & ex Latino, pluries adhuc niſi expellatur, furaturum eſſe. Hanc Regulam Layman *fol.* 333. *nu.* 8. in ultima editione exponit. Sed uberius P. Coriolanus, Capucinus. *p.* 2. *caſ.* 5. *nu.* 68. *fol.* 295. Ejus ſanè ſententia, quibus aliquid ſecit, dicitur illud ſolere facere. Ita *fol.* 330. §. *ſeptimo.* Et poſteà *à fol.* 363. proponit, & dilucidat Regulam generalem, ut ſciamus an dolus debeat præſumi, aut non præſumi. Et ibi probat, non debere adhiberi fidem teſti, qui vel ſemel perjurus fuit. Vide quæ diximus ſuperius cum de Teſtium fama & opinione diſſeruimus.

Reg. 8. in 6.

Quinam à ferendo teſtimonio arceantur?

D. Dominici de Rubeis Sententia.

Semel malus, ſemper malus præſumitur.

An & cur illi, qui ſemel perjurus fuit, ſemper ſit decredendum?

Cicero *de Divin.* conſonat aitq; *Mendaci homini ne verum quidem dicenti credere ſolemus.* Vnde Ioannes Owenus exclamat.

Credendo falſis, dediſco credere veris.

Iterum *pro C. Rabir.* Cicero. *Qui ſemel à veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quàm ad mendacium perduci conſuevit.* Et iterum. *Vbi quis ſemel pejerarit, ei credi poſtea, etiam ſi per plures Deos juret, non convenit.* Vide D. Dominicum de Rubeis *Certam.* IX. *pag.* 306.

QVinta erat Quæſtio, *An injurati teſtes poſſint admitti & examinari in judicio?* Totius Europæ praxis ſtat à negativa; & utinam tanta ſit Sacramenti religio ut juratis ſine erroris formidine fidem adhibere poſſimus. Nati ſumus in peſſimo ſæculo & noſtri Majores non fuerunt in meliori nati. Semper fuit copioſa ſeges mendaciorum, & ingenioſè cauſam reddit Hiſpanus dicens, *De las mentiras no ſe paga alcabala.* Nam certè, ſi deberent vectigalia ſolvere, qui calumnias important, non tanta illas copia auderent in Principum aulas protrudere.

De non juratis teſtibus.

An eorum depoſitio vim habeat?

De copioſa mẽdaciorum ubertate.

Stando igitur legibus & moribus totius Orbis Chriſtiani teſtes apud Iudicem jurant, parte citata, & ſi adeſſe voluerit, præſente. Ita D. Dominicus de Rubeis Certamin. III. *pag.* 51. *num.* 1. & Certamin. VI. 53. & *ſeqq.* qui citat *leg.* 18. & *auth.* apud eloquentiſs. Rovit. *prag.* 1. *de perſ. maleſic.* & ait Iure Divino à teſtibus exigi te-

Non ſolum teſtes adjurari debent ſed partes, quarum intereſt, debent citari.

Digitized by Google

teſtamentum, ut Doctores à Gail. *obſerv.* 101. *lib.* 1. citati obſervant. Addit Iure Pontificiali nullius teſtimonio, quantumcumque religioſus exiſtat, niſi juratus depoſuerit, in alterius præjudicium credi. *cap.*71. *extrav.de teſtib. cap.*17. 39.*&* 47. eod.Subjungit ex Iure Civili, jurisjurandi religione prius, quàm perhibeant teſtimonium jam dudum arctari præceptum eſſe *leg.*9.*C.de teſtib.*

Xenocrates apud Athenienſes injuratus teſtimonium perhibuit. An Nobiles, Proceresque debeant jurare in Auſtria.

Ab hac generali doctrina Athenienſes excepere Xenocratem, quem ob morum puritatem & ſinceritatem injuratum teſtimonium perhibere juſſerunt. Diogenes *in Xenocr.*& Cicero 1. *ad Attic.*13. In Auſtria & Bavaria ſine juramento corporali Nobiles & Doctores teſtimonium deponere ait Theodor. *in colleg. crim. diſp.*8. *theſ.*2.(Gail.*obſerv.*100.*&* 101.id non vidi) & ſi fieret minimè dilaudarem. Dicebat Rex Alfonſus : *Tantum valere ad fidem debet Principum verbum, quantum privatorum hominum jusjurandum.*Fateor; debet : ſed rurſus Princeps in Mundo eſt, qui operetur,ut debet;qui loquatur,ut debet.

An in foro Eccleſiaſtico credatur Cardinali?

Cardinales in Eccleſia Romana ſunt ſicut Reges & ut tales poſtulant, aſſerentibus Decio *in c. conſtitutus num.* 9. *de appellat.*& aliis, ut ſibi injuratis credatur.Favet praxis Romana teſte ipſo Decio.Conſonant Farinac.*qu.*63*à num.*58. *& tom.*1. *deciſ.*133.*p.*1.*num.*1. & *deciſ.*142.& *deciſ.* 193.*p.*1.*nu.*1.& *tom.*2.*deciſ.*630. Rota in deciſ. coram R. P. D. Damaſceno die 5. Martii,1618.Laudenſis *de Cardinal.q.*56. Quorum doctrinam contrahit & limitat Gotitius, ut injurato Cardinali credendū ſit, ubi non agitur de præjudicio tertii. Quæ limitatio non obeſt,ut Manfredus *de Cardin. deciſ.*158. doctè dixerit credendū eſſe Cardinali teſtanti de facto à Papa vivæ vocis oraculo, quia hoc Papa modo meros favores,qui tertio non præjudicant expedit.

An Cardinali de voluntate Summi Pontificis teſtificanti debeat credi?

Cardinali teſtanti ſuam Sanctitatem tale ſtatutum impoſuiſſe aut confirmaſſe ſine juramento creditur. Ita Rota apud Farinacium *p.*2.*deciſ.*339. Ratio eſt:tum, quia de Cardinalis probitate & veracitate non dubitatur; tum etiam quia ſtatuta publicantur & debent neceſſariò ad Pontificis notitiam venire.

An etiam dicenti ſe eſſe Legatum?

Ob has duas etiam rationes Cardinali ſe eſſe legatum aſſerenti, & ordinariam legati poteſtatem exercenti, etſi literas nullas exhibeat, creditur. Ita Barboſa *collect.in C.tom.*1.*lib.*1.*tit.*15.*num.*5.Diana *p.*5.*tr.*2.*reſ.*31. *in fin.* & alii. Quoniam hodie nil notabile in tota Europa poteſt fieri, quod intra 10.aut 12. dies non ſciatur Romæ, impoſſibile eſt, hominem ad tantam devenire dementiam, ut velit Sūmi Pontificis Legatum agere,quin opportuno Diplomate fuerit inſtructus. Legato dicenti ſe extraordinariam authoritatem exercere poſſe,ſimilis credendum eſt? Erat Coloniæ Cardinalis Legatus, qui nonnulla contulit beneficia in Belgio, dicens ſe habere authoritatem, quam non tenebatur oſtendere: & tamen Conſilium Regium adquieſcere noluit, quoniam Legati authoritas habet terminos à Sede Apoſtolica præſcriptos, quos non poteſt ſine ſpeciali facultate prætergredi.

Ergo quidquid de Regibus & Principibus, & quidquid de Cardinalibus Legatis ſit, excluſis ab omni tribunali & judicio injuratis Teſtibus, quæritur, *An omnia,quæ juratus dicit, habeant vim teſtimonii jurati?*

An teſtis juratus quando loquitur extra articulos, jurejurādo obſtringi à Iudice cēſendus ſit?

Negativè reſpondeo:quando.n.teſtis ad dicendā veritatem ſuper articulis ipſi propoſitis jurejurando obſtringitur;ſi de aliis, quæ ſunt extra articulos, rogaretur, aut ipſe injuſſus recenſeret,ſicut extra articulos, ſic etiam extra Iuramenti obligationē caderent.

Gotofredus *in leg.*9. *C. de teſtib.*Quid verò jurant? de veritate dicenda, non modo ſuper articulis datis, ſed in iis omnibus, quæ ad cauſam faciunt,aliàs eorum teſtimonium nullum.

Sed hic breviter nota, aliqua ita inter ſe eſſe connexa, ut alterum pertineat ad eſſentiam alterius & quando de altero rogatur teſtis, rogati de utroque cenſendus eſt. Pono exemplum. Milo eum inculpatæ tutelæ moderamine, Clodium aggreſſorem occidit. Quæritur, capitur: inſtituitur proceſſus, teſtes examinantur. Interfuit homicidio Cnejus v. gr. Citatur. Rogatur, *An-ne ſciat à Milone occiſum Clodium fuiſſe?* Hic eſt articulus. Reſpondebit-ne Cnejus extra articulum, ſi aggreſſum Clodium fuiſſe? ſi Milonem proceſſiſſe ut invaſū afferat: Dicet Plebs, cujus Tribunus Clodius erat, Cnejū divagari extra articulum:non enim rogabatur, ut exponeret, cur, aut quomodo occiderit? ſed,an occiderit?ſed non divagari,inquam ego; ſed directè ad interrogata reſpondere: nam cum homicidium res indifferens ſit & poſſit benè & malè admitti (nam miles in bello juſto hoſtem licitè occidit: & Iuſtitiæ Miniſter (ſic hodie vocari ſolet Carnifex) quem capite Iudices condemnarunt, juſtè & ſanctè decapitat) nemo accuſatur de licito, ſed de peccaminoſo. Ergo Iudex,cum de homicidio inquirit, non niſi de illicito inquirit. Vnde ſi Cnejus tantum dixiſſet, *Ego Clodium à Milone occidi vidi*, diminutè reſpondiſſet: nec Iudici,nec Tribunali ſatisfeciſſet: & gravem reo intuliſſet injuriam. Quidam junior Doctor ſolet dicere, *Dimidiata Veritas mendacium integrum*

Teſtis totam veritatem tenetur dicere,nā dimidiata veritas judicium deformare ſolet.

grum interdum eſt. Et expreſsè videtur in Cneji depoſitione; nam innocentem dimidiatæ veritatis depoſitione crimine oncrat, quem culpa eximeret, ſi totam rem, ut acciderat, clarè explicaſſet. Videtur Cicero in prima Oratione non ſatis inculpatæ tutelæ circumſtantiam perſuaſiſſe; quoniam Milo fuit exilio damnatus. Dico *in prima Oratione*, nam Milone in exilium abacto ſecundo calamo Declamationem priorem reſcripſit Cicero, & ornatiorem publicavit, quam cum Maſſiliæ in Gallia Milo legeret, exclamaſſe dicitur: *Si ſic oraſſes Cicero, non ego Maſſilia mullos barbatos eſitarem*. Rem uberius Dionyſius *in Roman. Hiſtor.* enarrat.

Epiſcopi tacitus conſenſus non poteſt ſucceſſoribus præjudicare. Demonſtratur clariſſimè, quia nequit præjudicare, etiam ſi expreſsè cōſentiat.

Addam aliud exemplum in Civilibus. Vult probare Vniverſitas Salviæ ſe habere Ius mittendi armenta pecudes & animantes alias ad paſcua Caſtellatii & Perulæ, quæ ad Satrianenſis Epiſcopatus menſam pertinent: & ſuum Ius à ſola poſſeſſione tutatur. Citantur & producuntur teſtes, qui hoc deponant. Et multa illi præter paſcendi actum, qui nudis oculis videri potuit, debent deponere, ut ſuffragentur Salviæ, & Epiſcopatui præjudicent. Potuit enim eſſe, ut pretio illam facultatem ab Epiſcopo habuerint. Potuit eſſe, ut clam & furtim ingreſſi fuerint, & nihil reſciverit Epiſcopus. Vt ut hic ſciverit fortè reclamavit: aut fortè reclamare non potuit. Et ex his circumſtantiis conſenſus implicitus inferri nequit. Eſto inferatur. Quid implicitus conſenſus proderit, ubi Epiſcopus non eſt bonorum dominus nec expreſſo contractu ſuis poteſt ſucceſſoribus præjudicare. *Can. 2. de præſcript.* Summus Pontifex. *Illud ſcire vos credimus, taciturnitatem atque patientiam noſtram putaris poſt me Pontificibus in rebus pauperum præjudicium non facturam.* Quid ſi dicatur Summum Pontificem, quod ipſe negat hic, poſſe ſuis Succeſſoribus præjudicare? At hoc non poteſt dici de Epiſcopis, nam hi Summi Pontificis conſenſu bona Eccleſiæ alienare, & gravare non poſſunt, & ſe tacitè non conſentire, expreſsè Vrbanus VIII. (qui heri erat Summus Pontifex) proteſtatur in Conſtitutione, de qua Fagnanus *in c. cum Eccleſia Sutrina. num. 22. in fin. de can. poſſ. & propriet.* & D. Alexander Aquadia, &c. Audiamus Fabrum, cui Iuriſprudentia debet ſcientiæ gloriam; non enim jam poſt ipſum à voluntate Principis, ſed à ratione & lumine naturæ procedit. Hic enim *in C. tit. de præſc. long. temp. defin. 2.* omnia complectitur & decidit his verbis. *In iis Iuribus, quæ ex ſola quaſi-poſſeſſione adquiruntur, neceſſe eſt intervenire patientiam, & conſequenter ſcientiam illius (N.B) qui tale Ius conſtituere poſſit: nam qui non poſſet expreſſo conſenſu Ius alii concedere, multò minus tacito conſenſu poſſet id facere; ne major ſit vis taciti quàm expreſſi.* Adducitur à D. Dominico de Rubeis *Certamin. V. à nu. 148. pag. 152.*

Svbsectio XIII.

De Teſte Voluntario & Invito.

Teſtes interdū ſine culpa gravantur. Rejeciūtur ſi ultronei; ſi moroſi, compelluntur inviti.

Miſera & ambigua eſt Teſtis conditio: ſi ſit ſpontaneus, habetur ſuſpectus & rejicitur: & ſi ſit moroſus, cogitur & punitur. Seneca in Proverb. *Teſtimonium, qui ferre non vult, in Iudicium trahatur; ſi fert teſtimonium, ferat: ſi non voluerit & neſcire dicat, tres Deos, Iovem, Apollinem & Themidem Iuret revera ſe neſcire: & ſic de Iudicio diſcedat. At qui non comparet, reus ſit damni ſecundū legem ei qui ipſum vocavit. Si verò aliquis Iudicem excitet Teſtem, is dato teſtimonio de hac cauſa Iudicium non ferat.*

Quinam, & in quibus cauſis teſtes cogi non poſſint?

Invitus, ut contra parentes, conſanguineos & affines teſtimonium ferat cogi nō poteſt *leg. 4. D. de teſtib.* Hinc D. Dominicus de Rubeis Certamin. *II. pag 42.* infert reum legitimè interrogatum, non teneri, donec probatum plenè ſit, prodere crimen à ſe admiſſum, ſi inde vel mortis aut inſignis ignominię pœnam ſubire debeat: ſubſcribens Sancio *diſp. 43. num 29.* Immo inde ſuadere poſſet reum Iure non interrogari, vel Tribonianum non ſervaſſe filium bonæ conſequentiæ in digeſtione legum. Qui enim contra parentes & propinquos teſtari me non poſſe Iure cogi, etiam dicere debent me non poſse Iure cogi ut contra me loquar, *quia proximus ipſemet mihi.* Porrò Sancii ſententiam ut probabilem admittit Diana *p. 2. tr. 15. reſ. 27* & *par. 10. tract. 13. reſol. 13.* Eamque *probabiliſſimam vocat* Cotonius *in ſumm. verb. Reus nu. 10.*

Svbsectio XIV.

De Voluntate Iurandi.

Allucinantur, qui putāt Promiſſionem ſine animo promittendi, aut Iuramentum ſine animo jurandi eſſe realiter loquendo poſſibilia.

Qui interrogant, *An Iuramentum aut Promiſsio obliget, ſi emittantur ſine animo promittendi, aut Iurandi?* hujuſmodi promiſſiones, & Iuramenta eſse realiter poſſibilia neceſsariò ſupponunt; & ego ab eis interrogo, quiſpiam poſſit loqui ſine intentione loquendi. Quoniam ſi loqui non poteſt ſine loquen-

quendi intentione, nec taliter poterie loqui ſine inrentione talites loquendi. Ergo quia promiſſio, & Iuramentum ſunt ſosmaliter loquendo tales loquriones, repugnat prorſus, ut quiſpiam verba promiſſoria liberè proferat, ſine animo promittendi, hoc eſt, illa proſerendi: & repugnat ſimiliter, ut juratoria verba lingua pronũciet ſine animo illa pronunciandi, hoc eſt, jurandi.

Repugnat, ut quis verba promiſſoria pronũciet ſine animo pronunciandi: atqui proferre hujuſmodi verba eſt promittere. Repugnat ergo ut quis illa proferat ſine animo promittendi.

Prima noſtræ Reſolutionis pars, quæ Psomiſſionem concernit, aſſeritur à viris doctiſſimis, intes quos Antonius Cotonius *in ſumm. Diana verb. Promiſſio num.3.* ſic ſcribit. [Vaſquez & Pontius, ille *diſp.6. de matrim. cap.3.* hic *lib.2.cap.4.* docent, promiſſionem externam alteri inſinuatam inducese naturalem obligationem ſervandi promiſſum, quam non poteſt tollere ſallax voluntas.]

Ioannis Bargantini & Luſitanorum opinatio

Secunda pars ejuſdem Reſolutionis, quæ concernit Iuramentum, militat contra Ioannis Bargantini & Luſitanorum opinationem, qui contendunt, Iuramentum lingua prolatum cum animo non jurandi (hoc eſt, non proſerendi) coram Deo non eſſe obligatosium. Sic aſſerunt in ſua publica manifeſtatione dicentes, *O Duque por mandado de ſu pay Sereniſſimo, pronuncion as palauras som a boca, mas com o animo proteſtou, que não jurava; & antes de o fazerem, ordenarão ambos hum proteſto por eſcripto, invocando por teſtemunhas mujtos Sanctos, que tinhão por auxiliadores particulares de ſua caſa.* Quæ verba digna Cenſura in noſtra Reſponſione *lib.5.cap.6.pag.166.* juxta editionem sertiam, quæ prodiit Sanctangelii anno 1665. caſtigo. Sed & eandem opinationem nuper Innocẽtius XI. 2. Martii 1679. *nu.*24. & 25. Apoſtolica Authoritate condemnavit; inurit enim excommunicatione dicentes, *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit aut poſſit damnare hominẽ;* &, *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive ſit res levis, ſive gravis.*

Proferre verba juratoria formaliter loquẽdo eſt jurare. Atqui repugnat, ut quis illa proferat ſine animo proferendi. Repugnat igitur, ut eadem proferat ſine animo jurandi.

Oppoſita doctrina, quorumcũque illa ſit, improbabilis eſt, & ab Apoſtolica Sede damnata.

SVBSECTIO XV.

Adnotantur nonnulla.

ADjungamus aliqua, quæ tametſi ad præcedentia capita non pertineant, utilia eſſe poſſint Lectori.

Siquis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, verumtamen ſignaverit, pro eo eſt, atque ſi adhibitus non fuiſſet, inquit Paulus *leg.12.§.4.D. qui poteſt facer. poſſeſſ.*

Et ex hac lege colligit Baldus *in proœm. Digeſt.* Epiſtolam ſi ſubſcriptione careat, nullius eſſe momenti. Et inde D. Dominicus de Rubeis *Certam. VI. pag.* 192. oſtendit Epiſtolam Didaci de Mercado, cùm non fuerit ſubſcripta, contra illum non poſſe produci. Vide *leg.17.C. de fid. inſtr.* & *leg.11.C. qui poteſt impign. hab.* Adde Doctores *in leg. nuda. D. de donat.*

Epiſtola ſine ſubſcriptione nihil probat.

Teſtis vel affirmat, vel negat. Qui præbet teſtimonium de negativa, difficilem Spartham adſumit. Audi D. de Rubeis Certamin. IX. *pag.*290. *num.*49. dicentem. [Pura & ſimplex facti negatio, ideſt, quæ locum & tempus non habet adjunctum, naturali ratione probari non poteſt. *leg.*10. C. *de non numer. pecun.* propterea docent Doctores apud Farinacium *quaeſt.*61. *num.* 205. falſi pœna teneri, qui ſuper hujuſmodi teſtimonium dixerit: ni mavelis dicere cum Claro *in § falſum*, & Boſſio *de defenſ. reor.* eum extra ordinem puniendum: aut cum eodem Boſſio *loc. cit.* & Paciano *libr.1.cap.36.* poſſe Iudicem à pœna abſtinere, eumque tormentis ſubjicere.] Si affirmet, videndum, an certò ſciat. *Leg.* 13.§ 3.D. *de act. empt.* Teſtis, qui aſſeverat, quod certò non ſcit, cum animoſitate deponit, propterea que rejicitur. Farinacius. *quaeſt.*60.

Teſtimonium negativum difficulter probari poteſt.

An teſtis, qui rem non eſſe affirmat puniri debeat?

In multis Crimen & Innocentia differũt quoad Teſtes: & quia reus, antequam convincatus, eſt in innocentiæ poſſeſſione, gravius accuſatori onus, quàm reo incumbit.

Prima differentia eſt inter innocentiam & crimen, quod accuſator criminis probandi cauſa non poſſit producere teſtes ad perpetuam rei memoriam: & tamen probandæ innocentiæ gratia reus poſſit. Ita D. de Rubeis Cert. VIII. 64.

De Teſtibus, qui ad perpetuam rei memoriam producuntur. An à ſolo reo, an verò ab altero produci poſſint?

SVBSECTIO XVI.

De Criminibus atrocibus, & probationis difficilis.

TEſtes omni exceptione ſuperiores in omni gravi probatione exiguntur. Et qui ſunt in hunc gradum veritatis ponendi? Illi, quos nulla lex improbat, nihil maculat. Farinac. *quaeſt.*62. Carpz *quaeſt.*14. Tales in criminalibus cauſis ſunt neceſſarii, & qui laborant aliquo vitio rejiciendi.

Excipiunt ab hac Regula generali Scriptores atrocia crimina ut hæreſis, læſæ majeſtatis, latrocinii. &c. etiam quæ ſunt probationis difficilis, ut aſſaſſinii, adulterii, & ſimilium. Tunc enim putant teſtes notæ ignobilioris ſufficere, ne execrabilia ſcelera impunita remaneant. Farinacius *qu.* 62. Et ego loquar liberè; cauſam exceptionis non capio: putarem enim, ad graviorem infamiam, pœnamque graviorem probationem requiri. An-

An ad graviorem infamiam, pœnam ve requiratur teſtiũ meliorum, & graviorum authoritas?

Digitized by Google

Ante probationem; quia omnes aliorum miſerias non ſentimus, & ob proprias impatienter clamamus, & cum Hiſpano dicimus, *Iuſticia, mas no por mi caſa*, aut etiam, *Alla cuyas rayo*, oportet cauſam in propria perſona proponere, & de propria perſona judicare. Venias ergo huc Clariſſime Iuriſconſulte; Tu tu, cui hæc exceptio perplacet. Habes inimicum Aurelium. Hic te vult perdere, & in hunc finem, ut medium unum falſum teſtimonium adſumit. Sed quale? De electione deliberat, & in ſe ſeductus ſic ait. *Falſis indigeo teſtibus, & viros nobiles & probos non potero pecunia corrumpere: non ergo habere potero niſi obſcuros & viles. Ergo tale illi adfingam crimen, quod poſſit per illos probari. Si illum de homicidio accuſavero, nil obtinere potero, nam teſtes, quos produxero, repudiobuntur. Dicam ergo illum tali die iviſſe ad communionem (notabo diem, in qua hoc ſit verum) rediiſſe ad hortum. poſteà; extraxiſſe ex ore conſecratas ſpecies, projeciſſe in terram, pedibus conculcaſſe. Id meos teſtes vidiſſe, qui fortè pone vepres erant, qui à via publica hortum ſecernunt.* Attende igitur (amice mi) tibi gravius ſcelus imponitur, non minus grave: quia illud per teſtes viles probari poterit; illud non poſſet. Quid diceres, ſi tibi innocenti hoc accideret? Contra teſtes, & contra accuſatorem exciperes, & fulminares. Sed cur, ſi tu dicis, & doces, in atrocioribus criminibus poſse adhiberi fidem teſtibus aliàs à Iure reprobatis. Iam igitur experiris, quid ex tua doctrina infertatur. Perſter illa, & nemo erit in mundo innocens; qui enim innoxium poteſt accuſatione per calumniam traducere, etiam pretio emere poterit pauculos nebulones, qui dicant, jurentque ſe illud ſcelus committi vidiſse, de quo agitur.

Proponitur argumentum ad hominem, ut meliùs veritas intelligatur.

Iam tuo malo es expertus qualiter te tua ſententia perdiderit; modò alios Doctores audi. Hanc tuam ſententiam, quam communem appellant, Æmilius Ferretus *in leg. 3. D. de teſt.* rotundo ore *communem errorem* appellat, nam quò gravior reum manet pœna, eò gravior eſse debet probatio.

Antonius Matthæus *tit. de prob. cap. 2.* rigorem communis ſententiæ remittit, & illum diminuit ex parte: ſed, ſi ſumus rationis compotes, negare non poterimus, rationem, quæcumque adducatur, æquè contra utramque partem militare. Sic ille loquitur. *Temperanda tamen communis doctrina videtur, ut non ſufficiat vel atrox crimen eſſe, vel occultum, niſi etiam laboretur difficultate probationis.* Sed rejiciendam ego dixerim, non temperandam. Certitudo civilis eſt, quam habere debet Iudex antequam reum condemnet: & hæc nonniſi per idoneos & veraces teſtes obtinetur. *leg. 25. C. de probat.* At ſicut atrocitas criminis, de quo agitur in tribunali, non habet vires, ut fœminas in maſculos, pueros in viros, viles in ingenuos, obſcuros in claros, pauperes in divites, ſervoſque in liberos & ingenuos convertat; ſic nec fallaces, mendaces & lapſæ fidei homines poterit in veraces, ſinceros & omni exceptione majores cõvertere. Et ſicut hæc omnia nõ præſtat atrocitas criminis, ſic nec illud præſtare poterit probationũ penuria aut difficultas. Hæc omnia extra teſtium veracitatem conſiderantur; & ideò, cum agitur de informatione plena, teſtium qualitates ſunt ponderandæ, & inde veracitatis quantitas eſt inferenda; quod autem crimen ſit atrox vel non atrox, quod ſit probationis facilis aut difficilis, ſe habet ad teſtium veracitatem & ſinceritatem per accidens.

Inconvenientia graviſſima, quæ prodeunt ex cõmuni doctrina.

Accedit, quòd communis hic error viam calumniis aperiat, & ſceleratis contra innocentes triumphum pateat. Nam Aurelius, qui tibi ſcelus atrox adfinxit, ut ſui nebulones, aliàs à Iure rejecti, ad plenam probationem ſufficiant, modo quia Antonii Matthæi temperamentum audit, tibi crimen difficilis probationis imponet, ut tu, tametſi innocens, parcas propter temperatæ doctrinæ cœcitatem.

ARTICVLVS VIII.

An Fides Publica, quæ in Tribunalibus (adeoque, in Iudice, Reo, Teſtibus, & Actore) requiritur, ab aliqua purè Intellectuali Reſtrictione, aut Occulta compenſatione, dependeat?

Cur addi debuerit hic Articulus?

Nunquam potui auſcultare patienter vel ipſum *Mentalium Reſtrictionum* vocabulum; puto enim illas non ſolum inutiles, ſed & impoſſibiles eſſe demonſtrare clariſſimè. Et hanc ob rem, contra earumdem uſum (qui non niſi abuſus periculoſus eſt, Librum ſcripſi, qui anno M.DC.LXXII. Lugduni ſub hoc Titulo prodiit. HAPLOTES, DE MENTALIBVS RESTRICTIONIBVS DISPVTANS. Placuit hic Labor Univerſis Lectoribus, & quia diſtractis primæ Editionis univerſis exemplis, recudi debuit, ſumpſi ſecundum calamum, illumque ita exornavi & adauxi, ut in tres diverſos Tomos dividi & diſtribui debuerit. Iſtâ ipſe conſignatur Epigraphe. TRISMEGISTVS SCHOLASTICVS, *cujus Partes ſunt tres. Quarum Prima eſt* POLYMNEIA (Multiloquens) *de Reſtrictione Senſibili: ſecunda* SIGALION (Silentium) *de Reſtrictione Inſenſibili: & Tertia* HAPLOTES (Sinceritas) *de Reſtrictione Mentali. Quibus acceſſit* CRITES (Iudex, Arbiter) *de abuſu Mentalium Reſtrictionum in praxi.* Interim, quia hæc de Mentalium Reſtrictionum impoſſibilitate & inutilitate doctrina, eſt ſummè neceſſaria Iudicibus, noſtræ Morali Logicæ placuit hunc Articulum addere, ut nihil omninò deſit Erudito Lectori, quod ad Moralis Dialecticæ penitiorem cognitionem pertineat.

De Reſtrictionibus Mentalibus.

NOTA I. Doctrina de Reſtrictionibus Mentalibus ab Innocentio XI, 2. Martii 1679. *nu.* 26. ſub anathemate condemnata videtur; incriminatur enim hæc Aſſertio; *Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec eſt perjurus.* Et poſteà *nu.* 27. etiam hæc. *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.* Et immediatè poſt *num.* 28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum Reſtrictione Mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

De Occultis Compenſationibus.

NOTA II. Sed & occultæ compenſationes, quæ non minùs pernicioſæ ſunt, quàm ipſæ Reſtrictiones Mentales *num.* 37. condemnantur; excommunicantur enim dicentes. *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.*

Quales ſint, ſi benè conſiderentur, Reſtrictiones Mentales?

MEndacia pura & puta ſunt (amice Lector) quæ vocantur *reſtrictiones mẽtales*: nulla .n. ratione ſuccollantur, & nulla gravi authoritate fulciuntur. Interim quia alibi de fide Civili & humana veracitate diſſerui, & illam nonnulli Recentiores mentalibus Reſtrictionibus obnubilarunt, ut lucem nativam recuperet, has lineas addere operæ pretium fuit.

Verùm ſaltem in pravibus negotiis tolerabiles ſint?

In arenam deſcendit Theodomirus (hũc mihi Adverſarium conſtituo, hominem nondum natum, cui obloqui liberum ſit: nam Doctores, qui de hujuſmodi Reſtrictionibus ſcripſerunt, veneror & ſuſpicio, & ipſis ſæpiſſimè adhæreo, & in præſenti controverſia idem facerem, niſi evidentia, qua puto me illuminari, obſtaret) Igitur Theodomirus, mentalium Reſtrictionum latitudinem contrahens, non licere ait in privatis colloquiis, ubi de lana caprina differitur, amicum verborum æquivocatione illudere, ut indubitatum ſupponit: verùm in cauſa publica, quando agitur de Provinciæ ſalute, & in tribunalibus, quando ex teſtium examine pendet, debere reum, aut vita privari, aut bonis exſui: tunc dictare Prudentiam, ut verbis ad duas luces prolatis reum periclitantem liberemus.

SECTIO I.

An uti contra hoſtes mentali Reſtrictione poſſimus?

An contra hoſtes uti liceat Reſtrictione Mentali? Cleomenis hiſtoria proponitur.

COntra hoſtes poſſe & debere hominem reſtrictionibus mentalibus uti conatur ſuadere Theodomirus ex Plutarcho, qui *in Lacon.* hanc hiſtoriam recenſet. Cleomenes cum Argivis ſeptem dierum pactus inducias, cum reſciret il-

lo s

los tertia nocte indulgere ſomno ſultos induciarũ fiducia, eos aggreditur, multoſque occidens, & alios captivos adducens finem bello impoſuit. Quia autem ſibi incriminabatur violata juris jurandi fides, reſpondit. *De diebus pactas ſum: noctis non ſunt addita in jure jurando*. Et nequis in hanc ipſam acriùs reſponſionem inquireret, *Quidquid mali quis feceris hoſtibus, apud Deos & homines habetur juſtitia præſtantius*. Eſt vocis æquivocatio, quòd *dies*, jam ſignificat civilem, qui à media nocte in mediam excurrit, ut Macrobius *libr. 1. cap. 3.* ediſſerit: jam artificialem, qui ab ortu in occaſum protenditur, & tunc contraponitur *nocti*: unde Pſalres Rex, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*: Plautus in Capt. ſcen. 3. act. 1. *Neque diem decet memorari, neque nocti noctier*. Virgilius Æneid. 6.

Dies nomen æquivocum, & biſariam accipitur.

Pſalm. 18. 2.

Noctes atque dies patet atri janua Ditis.

Et 1. *Georg.* [*Dies* in genit. habet *hujus dies*, vel *die*, vel *dii*.]

Libra dies, ſomnique pares ubi fecerit horas.

Multa alia exempla poſſet Theodomirus adducere, quæ quoniam diverſis adſcribuntur perſonis, & ipſe memoria nomina Authorum non retinet, ne pereant acumina ingenioſæ perfidiæ, ſub fictis nominibus addit.

De maritima Carthaginenſiũ ſtrage.

Carthaginenſes Iſauro Ægyptio, qui magno navium apparatu in ipſos feſtinabat, occurrerunt, & apud Sardiniam ſuperarunt. Ille ſibi Martem adverſarium expertus, pacem & ſalutem poſtulans ad colloquium admittitur. Stabilitur pax: arma ſubmittit Iſaurius ſub onere quod habere deberet mediam navium partem, ut cum ſuis in Ægyptum rediret. Adnuunt Pœni, pactumque juramento confirmant. Serrari per medium jubent Ægyptias naves, ut ſit optioni locus, & Iſaurus aut puppes, aut proras, ſi maluerit, acceipiat. De violato jurejurando texit Iſaurus querimoniam: ſed ſruſtra, tam enim erant media triginta navium pars, quindecim naves integræ, quàm triginta pupes, ſi triginta proras recipere nollet Ægyptius.

An dimidia pars navium ſit illarum dimidiatus numerus? An verò omnes puppes, aut omnes proræ?

Diagora votum de ciborum media parte, Idolo conſecranda.

Diagoras, ob Deos irriſos apud Veteres celeber, cum eſuriret, ad templum Iovis venit, vovitque ſe Numini oblaturum ſemiſſem cibi; ſiquidem in ara reperiret. Ingreſſus fiſcellam reperit, plenam prunis & nucibus, quam nuncuparat Statuæ alius indiſcreta devotio. Omnia devoravit illariter. Et prunorum oſſa, & nucum cortices colligens, votũ perſolvit dicens, *O pater, ò hominum, Divumque æterna Poteſtas, ecce ſemiſſem, quam promiſi*.

Ioannes Petri, pirata Hollandus, cum induciarum tempore oras Americanas infeſtaret, randem ab Hiſpanis apud Braſſilos ſuperatus & captus, cum reus, violatæ fidei ageretur, reſpondit, *Duos eſſe mundos veterem, novumque: inducias pactas fuiſſe de veteri; nec ſuæ gentis unquam fuiſſe mentem inducias ad alterum mundum extendere*.

De Hollandorũ induciis. Verùm ad alterum mundum propagentur?

Colonienſes Principe Archiepiſcopo obſeſſi, & ad ſummas miſerias redacti, cum manutenere ulteriùs rebellionem non poſſent, cum Principe pepigerunt hac lege, ut exercitus Bonnam (civitas eſt, quæ 16,000. paſſibus à Colonia diſtat) rediret: & ipſi unam illi civitatis portam daturi eſſent intra dierum decem ſpatium. Stabiliuntur articuli (ſic vocant) ſubſcribuntur, ſacramento firmantur. Veſpere domum ſuam anxius, ſolicitus, & curarum plenus venit Conſul, & dum apud lentum ignem cogitabundus tempus fallit, ad eũ acceſſit quinquennis parvulus, ejuſdem nepos, & cùm avum mœſtitia oppreſſum videt, ad eum appropiat, oſculatur, amplectitur: & cauſam mœroris interrogat. Senexque, ut pectus exoneraret, non ut puello curas ſuas communicaret, dixit. *Anxius ſum, ò meum corculum, quia Principi unam ſum portam Civitatis pollicitus, & eſt impoſſibile dare*. Tunc parvulus. *Quomodo impoſſibile? Mea avia habet duos boves, mea mater quatuor, cur ipſi, qui Sabbato tres currus lignorum plenos trahunt, non poterunt unam portam ferre?* Vt audiit ſenex, gaudio ſuffuſus ſurgit: lucem in denſiſſimis cogitationum nebulis adlucentem cognoſcit: illo armiſtitii tempore civitatẽ munit collapſum murum reparat, milites auxiliares adquirit, munitiones renovat, & obſidioni alteri generosè ſe præparat. Interim, ne violaſſe fidem diceretur à Principe, die ultima portæ promiſſæ valvas in duobus curribus poſitas miſit Bonnam ad Principem. Addit humaniſſimas literas, quibus affirmat, *Se mittere portam, quam promiſerat*.

De Colonienſiũ cum Principe Electore cõtractu. Portam Civitatis promittunt, & ejus valvas curru impoſitas ad eũ tranſportant.

SECTIO II.

An reus poſſit uti Reſtrictione mentali?

Poſſe reum mentalibus reſtrictionibus ſe juvare Theodomirus multorum Theologorum teſtimoniis oſtendit. Nam Sancius *diſp. 43. num. 29.* aſſerit, quod ſi reus juridicè interrogetur, non teneatur delictum, ex quo ei capitis, triremium, mutilationis, confiſcationis, vel alicujus gravis dedecoris malum immineat, fateri, do-

An, & quando Reus teneatur crimen admiſſum conſiteri? An poſt informationem ſemiplenam?

nec delictum plene probatum ſit. Et ratio eſt, quia unuſquiſque habet jus à natura conceſſum ſe & ſua conſervandi & contra invaſores defendendi; etiam cum invaſorum morte, & rei alienæ diſpendio. Nec eſt dicendus peccare contra obedientiam; quoniam illud præceptum Iudicis non poteſt illum obligare in conſcientia: quod ſic oſtenditur. Non poteſt Petrum Iudex obligare, ut contra parentes aut conſanguineos teſtificetur. *leg.* 4. D. *de teſtib.* Sed Petrus propinquior eſt ſibi, quàm parentibus & conſanguineis. Ergo Petrum Iudex, ut contra ſe teſtimonium perhibeat, obligare non poteſt. Hanc doctrinam probabiliſſimam eſſe cenſet Antonius Cotonius *in Summ. verb. reus num* 10. *pag.* 485. Dianæ *part.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 27. & *part.* 10. *tract.* 13. *reſol* 13. ſubſcribens. Nec juvat dicere, bellum non poſſe eſſe utrinque juſtum: adeoque impoſſibile eſſe, ut Iudex legitimè interroget, & reus non teneatur reſpondere. Quoniam non eſt inconveniens, ut bellum juſtè utrimque geratur, nam ſæpe contingit, quòd in tribunali juſtè utrimque litigetur: puta, ſi utrimque rationes probabiles ſint. Et, Peſantius *diſp. unic. ad quæſt.* 70. in terminis admittit eſſe poſſe caſum, in quo Iudex juſtè interroget, & reus juſtè neget: & probat, nam juſtè reum Iudex trudit in carcerem, & Dominus ſervum detinet; & tamen uterq; juſtè fugere poteſt.

An bellum eſſe poſſit ex utraq; parte juſtum? Quare non?

An poſſit Iudex licitè interrogare, & Reus licitè non reſpondere?

Sancius ut oſtendet ingenium ait oppoſitæ ſententiæ Authores debere dicere reū reſpondere debere in caſu quo dubitet, an legitimè interrogetur: non autem, ſi certus ſit, aut probabiliter cognoſcat, ſe illegitimè interrogari: quod etiam *de teſtib.* docuit Pitigianus *in Pract. cap.* 3. Et probat Sancius, Quoniam, qua die Iudex adſumitur, & promovetur ad Officium adquirit certum jus præcipiendi, à quo non debet exſui per jus dubium ſubditi. Sed Cotonius *loc. cit. num.* 11. ex Diana *part.* 3. *tract.* 5 *reſol.* 106. exiſtimat hanc Opinionem non procedere, quando reo, teſti, aut alii cuicumque perſonæ grave periculum imminet, niſi fortè delictum vergat in pernitiem Reipublicæ. Nam procurandum potiùs eſt, ne v. gr. homo injuſtè occidatur, quàm ut obediatur Iudici: nam homicidia Ius Naturale interdicit, & obedire Iudicibus jura Humana præcipiunt: quæ carent robore, ſi Naturali opponantur. Accedit, quòd omnia jura faveant reo tanquam poſſeſſori ſuæ famæ, & quamdiu eſt in tali poſſeſſione habet jus non reſpondendi, quo ſpoliari non poteſt, niſi certum ſit, quod interrogetur juridicè.

An reſpondere debeat in dubio, ſi ja[illegible] ſit gravis?

Pone reum legitimè interrogatum, non ſolum æquivocando, ſed etiam ſimpliciter aſſerendo falſum in tribunali dixiſſe & pejeraſſe: non teneri adhuc eum ſe retractare, ſed ſatisfacere ſuæ conſcientiæ ſi paratus ſit dicere veritatem ſi iterum interrogetur; & non poſſe ad plus illum obligari à Confeſſario, docet Cotonius *ib.* ex Diana *p.* 2. *tr.* 15. *reſol.* 26.

An reus, qui pejeravit, ſe retractare debeat, niſi iterum interrogetur?

Sed quid ſi hoc ultimum (nempe, debere veritatem fateri ſi iterum interrogetur) ignoret reus? Debere veram doctrinam doceri à Confeſſario docet Azorius: ſed contradicit Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 7. *num* 9. quem ſequuntur Diana & Cotonius *ubi ſupr.* dicendo, ſi reus ſit in bona fide, poſſe licitè in bona etiam fide relinqui: quam ob rem in tali Confeſſarius caſu ſatisfaciet, ſi univerſim moneat pœnitentem ut nullum peccatum committat.

An Confeſſarius debeat reum veritatem docere?

Hanc doctrinam habere locum Sanchez *loc. cit.* & Diana *part.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 103 *in fin.* & alii aſſerunt, non ſolùm, quando reus crimen à ſe perpetratum negavit, ſed etiam quando ob metum tormentorum ſibi falſum crimen impoſuit: niſi tunc forte damnum alii ſequatur. Supponit hæc doctrinæ præcedenti extenſio poſſe ſine mortali reum ad vitanda gravia tormenta, crimen etiam capitale, quod nunquam commiſit, fateri; quia vita non eſt viro prudenti tanti, ut per cruciatus & dolores intolerabiles eam ſervare debeat. Si utatur reſtrictione mentali & æquivocando reſpondeat, etiam ſine mortali poſſe dicta ſua juramento firmare, ut Navarra *libr.* 2. *cap.* 4. *num.* 21. Immò nec peccare venialiter ex Sancio *diſp.* 46. *num.* 16. Diana *part* 3. *tract.* 5. *reſ.* 7. ſtatuit.

An reus ad vitanda tormenta poſſit ſibi crimen capitale, quod nunquam commiſit imponere?

Portellius *in add. ad Iuram. nu.* 16. pronunciat, eum, qui crimen ſolùm materialiter commiſiſſet, ut furtum ob juſtam compenſationem, aut homicidium ob juſtam defenſionem, poſse negare æquivocando, & mentaliter reſtringendo. Portellio adhæret Diana *part.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 66.

De illo, qui crimen pure materiale commiſit.

An id negare poſſit utens Reſtrictione Mentali?

SUBSECTIO III.

An proſint teſtibus Reſtrictiones Mentales.

ETiam in Teſtibus Reſtrictiones Mentales Theodomirus admittit, & varios caſus & Authores adducit.

An auditum à fide digno poſſit quis juramento firmare?

Nam Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 13. aſſerit, eum, qui rem à Viro fide digno audivit, poſſe veram eſſe jurare, ſine ſuſpicione perjurii. Et licèt hanc ipſe doctrinam ad tribunalia non extendat: quod teſtis dare debeat rationem ſui dicti

hoc

hoc Mexia *in l.reg. Tolet.a 3.p.2. nu.32.& 33.*non admittit.

De Inquiſitione. Quando in communi, & quando in particulari poſſit fieri?

Quando conſtat de crimine, puta, ſi conſtet Petrum occiſum fuiſſe, & non conſtat de reo, poteſt Iudex generaliter inquirere, quia Reipublicæ intereſt, ne crimina impunita remaneant. Ita Malderus *in 2.2.tr.6.cap.1.dub.*18.contra Cajetanum *in 2.2.qu 69.art.*2.Cæterùm ut inquirat, An Carolus in particulari illud homicidium perpetraverit, indicia aut fama requiruntur, ut ſtatuunt Canones *in cap. cum oporteat. cap. inquiſitionis & cap. qualiter & quãdo.de accuſ.* Diana *p.2.tr.15. reſ.63.*Cæterùm Cotonius *in ſumm.verb. Iudex. num.3.* Cajetani opinionem rej cit, & tamen *verb. Teſtis num.5.* eam probabilem eſſe ſupponit; inquit enim. [Certè non tenetur reſpondere, ſi Iudex interroget de delicto notorio, ſed cujus auctor ignoratur: quia poteſt ſequi opinionem probabilem Cajetani, quod non interrogat legitimè, quamvis hanc opinionem refutaverimus &c.] Ergo poterit uti reſtrictione mentali & Iudicem æquivocis verbis obludere.

Svbsectio IV.

Proponuntur duodecim caſus, in quibus eſſe licita Mentales Reſtrictiones dicuntur.

Sunt verba. Qui utitur reſtrictione mentali, ut fallat proximum, & non ex alia cauſa, illa utitur.

TRanſit ulteriùs Theodomirus & jubet legi Antonium Cotonium *in ſumm.verb.Iuramentum. num.6.* ex Diana *p 3.tr.6. reſ.30.* duodecim caſus ponit in quibus debeant mentales reſtrictiones admitti. Et ne aliquis ad circumſtantias conſignificantes recurrat, ipſamet Cotonii Concluſionem præmittit,quæ eſt hæc, *Licitum eſt ex juſta cauſa jurando uti amphibologia, proferendo ſcilicet juramentum, quod à circumſtantibus accipitur in ſenſu communi, ipſe verò proferens aliud ſubintelligit.* Ita Sanchez *in ſumm.tom.1.lib.3. cap.6.nu.13.*contra Sylvium *in 2.2.qu.89. art.7.qu.3.concl.5.*& alios. Clauditq;Cotonius hos omnes duodecim caſus dicens. [*Verum in his caſibus animus jurantis non debet eſſe fallere proximum, ſed occultare veritatem, quam manifeſtare non expedit.*]

De Clerico ſoluturo gabellas.

Caſus I. Clericus in porta Civitatis interrogatus, an portet aliquid ex his, quæ ſolvere debent gabellam:puta,ſi portet ſericum: ille, etſi illud portet, jurare poterit ſe non portare ſericum;ſubintelligens, *ſericum,quod ſolvere debeat gabellam.* Ita D.Antoninus *p.2.tit.10.c.1.§.1.*

De debitore ſoluturo pecuniae

Caſus II.Interrogatus in judicio, an debeat centum ſibi mutuata, ſi illa ſecretò reſtituit,poteſt reſpondere, ſe non debere. *Vel*, ſi debet quinquaginta poteſt negare petita, ut petuntur. Ita Naldus. *verb. interrogatus.n.2.*

Quomodo quis poſſit reſpondere rem mutuam poſtulanti?

Caſus III. Sæpè ſolet contingere, ut aliquis à te poſtulet librum, quo vel indigeas, vel timeas reſtituendum non eſſe, jurare poteris illum non habere, ſubintelligendo, *ut illum dones, aut accommodes.* Ita Millardus *tom.2.cap.80.n.2.*

An precibus impulſus poſſit falſũ cum mentali reſtrictione jurare?

Caſus IV. Compulſus à perſona privata importunis precibus, poteris cum æquivocatione jurare. Ita Rodriguez *in ſum.tom.1.c.190 n.7.*

De Interrogationibus communibus. An in illis locũ habeat reſtrictio?

Caſus V. In interrogationibus communibus, *Quid comediſti? quo pergis?quid novi eſt?* &c.jurare poteris te nihil comediſſe,nullò pergere, nil novi habere, ſubintelligendo, *ut tibi debeam dicere.* Ita Rodriguez *loc.cit.c.246.n.4.*

De Confeſſario. An debeat uti reſtrictione mẽtali, ut ſigillũ Confeſſionis obſervet?

Caſus VI.Confeſſarius interrogatus de peccato audito in confeſſione,poteſt jurare ſe illud nõ audiviſſe,hoc eſt,pœnitentẽ nunquam tale peccatum confeſſum eſſe, ſubintelligendo, *ſe non audiviſſe,ut purum hominem.* Et quid,ſi impius interrogator adhuc inſtet & poſtulet, an audiverit ut Deus? jurare ſe illud non audiviſſe poteſt, ſubintelligendo per modum cauſæ principalis. Ita Graſſius *p.1.lib.1.cap.23. num.3.*

De reo. An,& quomodo hujuſmodi reſtrictione juvetur?

Caſus VII. Reus interrogatus de crimine quod occultè commiſit,poteſt jurare ſe non commiſiſſe: ſubintelligendo, *publicè.* Ita Petrus Navarra *de reſtit.libr. 4. c.2.n.379.*

De homicidio commiſſo cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Caſus VIII. Si interrogeris à Iudice, an Ioannem occiderit Petrus, & tamen tu videris Petrum invaſum fuiſse, potes jurare Petrum non patraſſe homicidium, ſubintelligendo, *criminoſum.* Ita Leſſius *libr.2. cap.42.d.9.num.47.*

De falſis ponderibus. Utrùm per reſtrictionem mẽtalem eorum iniquitas emaculetur.

Caſus IX. Si taxa rei probabiliter injuſta ſit, & per illam gravetur venditor, poterit licitè uti falſis ponderibus ut ſe indemnem reddat. Et poſtrà interrogatus à Iudice,An-ne falſis ponderibus uſus fuerit,poterit jurare,ſe non fuiſſe uſum falſis, ſubintelligendo *injuſtè.* Ita Sanchez *in Summ.tom.1.libr.3.cap.5.num.29.*

De Iuramento ultroneo.

Caſus X. Qui neceſſitate aut utilitate compulſus offert ſe ad jurandum, nemine petente,poteſt uti amphibologia; quia habet juſtam cauſam. Ita Sanchez *loc.cit.n. 21.*contra Leſſium *cit.*

De reo conſtituto in loco,ubi ejus confeſſio ad plenam probationem requiritur.

Caſus XI. Reus juridicè interrogatus de delicto,quod ſine ſua confeſſione plenè probari non poteſt, poteſt illud jurejurando negare.

Caſus XII. Poteſt quis jurare ſimplici-

ter

An hujuſmodi reſtrictiones à macula purgat cauſa gravetas?

ter falſum, addendo aliquid mente, ex quo juramentum ſit verum, quoties intervenit juſta cauſa. Iuſta cauſa eſſe poteſt neceſſitas vel utilitas, ad ſalutem corporis, honores, rerum familiarium, vel etiam quando injuſta interrogatio proponitur.

SECTIO V.

Quid Veteres Patres de Reſtrictionibus mentalibus ſenſerint?

An Veteres cognoverint, aut ſi fortè cognoverint, reprobaverint Reſtrictiones Mentales?

IGnota fuit veteribus hæc mentalium Reſtrictionum cavillatio; nam, ſi fortè aliqui illam rimati ſunt, fuerunt repulſi, & nunquam ſunt permiſſi doctrina Reſtrictionum abuti. Sanè Reſtrictionum doctrina bona eſt, ſancta eſt, quamdiu inter ſenſibiles circumſtantias ſe continet: verùm ad actus purè internos protruditur, extra ſuam* collocatur ſphœram, & qui tunc illa utitur, abutitur; omnis enim mentalium Reſtrictionum uſus, eſt abuſus.

S. Ioannes Chryſoſtomus

Audi S. Ioannem Chryſoſtomum, cujus verba 22. *quaſt.* 1. *can. Si aliqua*, leguntur amphibologias rejicientem, & ſinceritatem commendantem. *Si aliqua cauſa fuerit*, inquit, *modicum videtur facere, qui jurat per Deum: qui autem per Evangelium majus aliquid feciſſe videtur: quibus dicendum eſt.* Stulti! propter Deum Scripturæ Sanctę ſunt, non Deus propter Scripturas. *Iuramenti hujuſmodi cauſa eſt.*

An jurare per Deum, & jurare per Evangelium ſint diverſa?

Carolus Paſchaſius.

Placet addere Caroli Paſchaſii verba, quæ *ex libri de Virtutibus & Vitiis capite* 31. deſumo. *Fidei perpetua comes*, inquit, *eſt nivea illa ſimplicitas, de qua ſuprà dixi. Omne ingenium multiplex, ac tortuoſum rectiſſima & ſanctiſſima fides averſatur. Fidelitatem non aliter ſejungimus à Fide, quàm ſicuti effectum à cauſa. Fides nunc in ſecreto mentis habitat: nunc ipſis creditur pectoris vitalibus. Sed Fidelitas in eo, quod* (extrinſecus) *agitur, apparet. Fides eſt rectrix; huic Fidelitas ſuum obſequium præſtat.* Non ſuſpinat contra mendacia aperta Carolus; quia hæc rariùs decipiunt homines, nam apertiùs exorbitant. Invehitur in duplicitatem. Ideò jubet; ut Fidei adhæreat ſimplicitas, ne vir fidelis verbis ſenſu duplici præditis circumveniat. Labyrinthæa loquendi methodus, quæ intricatur ambagibus, & errori eſt obnoxia, in mente ſimplici non habet locum: habet tamen in duplici aut multiplici: quæ enim à recta mente exceſſe cogitur, à tortuoſa recipitur & fovetur. Qui ergo mentalibus Reſtrictionibus utuntur, non ſimpliciter, ſed dupliciter; non rectè, ſed tortuosè loquuntur. Fides à Fidelitate ut cauſa ab effectu, ut intentio ab exſequutione diſtinguitur. Vt enim exſequutionem regit & gubernat intentio, ſic etiam Fidelitatem Fides. Fidelitas apparere debet in actibus: ergo in apparentibus rebus conſiſtit: nam, ſi in mente conſiſteret, extrinſecùs apparere non poſſet. Ergo humana loquutio, ut ſit fidelis, non debet quærere latebras, & æquivocationum caliginem, ſed circumſtantiarum externarum & ſenſibilium claritatem & ſimplicitatem concernere: eſt enim, ut Euripides ait, *ſimplex Veritatis oratio.*

Simplicitas in loquendo ex trinſecùs cenſeri debet.

Quid Fides ſit?

Dixerat idem Paſchaſius paulò antè: (Prima conſilii laus eſt, ut ſit fidele: Fides autem eſt mentis firmitas ſive integritas, qua una dictorum factorumque conſtantia & veritas continetur. Vna fide res hominum ſtant, ſublata corruunt. Ergo veræ, & ſolidæ opes non tam conſiſtunt in iis, quæ vulgò optantur, quàm in hoc venerabili ſanctoque bono Imperio & obſequio ſumma & maxima rerum continetur conſtat. Nec ulla navis, ulla uſpiam domus, ulla Reſpublica, ullum ſub Sole regnum eſt, quod non utraque hac columna nitatur. At utrumque ac præcipuè obſequium, qui eſt alter cardo rerum, prius fide cenſetur, quàm ulla induſtria, dexteritate, peritia. Fides eſt ſumma ſummis rebus firmitas. Et inde humano generi eſt loco ſalutatis numinis. Certè quàm pietati, tam fidei Deus favet. Sapiens Numa, ut Paci, ita Fidei templum ædificavit, & ſolemne inſtituit. Eam poſteà Romana prudentia Iovi Capitolino proximam ſtatuit. Omnes gentes uno conſenſu hanc potiſſimùm maximi faciunt, hanc unicè venerantur, uſque eò ut ejus laudem nemo ſibi eripi velit. Ex ipſis virtutibus nulla ſe talem putat, niſi ipſi fides impensè faveat, quæ ideò dicta quoque eſt Regina virtutum. Illi ipſi, quos conſtans fides offendit, eam tamen venerantur, quam oderunt. Vbicumque fides eſt, ibi omnes virtutes coli neceſſe eſt. Cùm enim fides ſit fundamentum Iuſtitiæ, & Iuſtitiam omnes virtutes comitentur, cujuſcumque pectus fides inſedit, hoc nomine omnes virtutum numeri continentur. Hujus virtutis proprium eſt, ut fiat, id quod dictum, hoc eſt, promiſſum eſt, indeque denominatam volunt. Quapropter cuicumque ſemel data fuerit, huic ſervandam dicimus, etiam hoſti. Quidquid ſecus ſit, ea eſt aut perjurio latebra, aut aperta violatio ſanctiſſimi depoſiti, quæ nullis calliditatis receſſibus (*) nullo excuſationum, nullo falſarum rationum velamine occuli poteſt. Id, quidquid eſt, ipſa infidelitas eſt, ac perpetuis perfidiæ maculis inſpergit autorem ſuum. De-

Fide omnes Communitates conſervantur.

Numa Templũ Fidei dicavit. Quod poſtea populus Romanus apud Iovẽ Capitolinum readificavit.

Fides eſt virtus generalis, qua in ſpecialibus univerſis includitur.

Fides, unde dicatur? A facere, & dicere *deducit etymon.*

*) His verbis ſatis apertè condemnat omnes Reſtrictiones Mentales.

nique

nique quod nſquam bene, & ex hominis dignitate vivitur, torum eſt munus fidel. Si mutuis, utſit, ſe ſe malis homines aſfli&ant, id inde eſt, quòd inclinata & imminuta fides eſt. Vbicumque fides integra habitat, ibi nulli arbitro locus eſt; ibidem juramentum eſt res planè ſupervacanea. De Xenocrate proditum, ejus verbis tam luculentam fidem fuiſſe, ut cùm nullius injurati teſtimonii fides admitteretur, huic tamen uni Athenienſes jusjurandum remiſerint. Ea lingua eſt ſuper omnia juramenta, quam fides commendat. Et verò fidem res ſequitur potiùs quàm ullam verborum furmulam. Nulla res vehementiùs & conſtringit hominum voluntates, nulla plus firmat ac ſtabilit amicitias, nulla vehementiùs Rempublicam continet. Sine fide nulla eſt hominum ſocietas. Hinc enim ſolutio rerum creditarum, hinc præſtatio promiſſarum, quæ ſunt firma mortalitati præſidia. Sed quod vehementer dolendum, circa hoc cæleſte bonum maxima eſt hominum infrequentia. Perpauci admittuntur in hoc ſacrarium, perpauci hanc colunt ſanctamque habent. Id quiſque in re ſua privata, id univerſi experiuntur in publica. Vix uſpiam fides eſt firma, parum abeſt quin ubique ſit fluxa, regnantes cum undique hominum flore circumfuſi per publicum incedant, cùm tot hominum millia imperio regant, vix ullum reperiunt, cujus fide niti poſſint. Vſque eo facilis eſt jactura fidei; uſque eo abroganda & vulneranda fide quotidie diſrumpuntur humanæ vincula ſocietatis. Hinc tot lites, quibus familiæ diu contritæ everſũtur; hinc illæ jacturæ, quæ nullis opibus æſtimari aut penſari poſſunt; hinc illæ clades, quibus humanum genus ſe mutuò conficit. Veræ fidei documentum eſt, frequentibus contumeliis irritari, & atrocibus injuriis vexari, nec tamen convelli. Hinc illa generoſorum pectorum adverſus apertum vitæ periculum contumacia. Hinc immortalia eorum exercituum præconia, qui petire præoptaverunt, antequam loco pellerentur, ne ſcilicet Duci fidem aut Reipublicæ datam turpi ignavia desererent. Hinc illæ hodieque celebratiſſimæ urbes, quæ ſe fidei cauſa exſcindi paſſæ ſunt. Ne illa memorem animoſæ virtutis pleniſſima pectora eorum, qui ne fidem non conſtantiſſimè tutari exiſtimarentur, ſe unà cum conjugibus, chariſque pignoribus in flammas cõjecerunt. Et verò flammis abſumi illa altiſſimorum domicilia animorum potuerunt; ſed fides nullo igne inviolabilis hue intacta rediit. Quoties ipſa ſervorum hominum ſecta fidem præclarè contumacem ut ſcutum impenetrabile, tormentis quæſitiſſimis objecit, potiùs quàm aut dominus proderetur: aut officium deſereretur? At quo prætio ſervos tam liberis, tamque generoſis pectoribus provocatos putas? nimirum una Fidei gloria. Vſque eò hujus virtutis fructus ſunt ſuaves, & expetendi, nec extra ipſam petendi. In toto cenſu fidei nihil eſt eorum, quæ fidei ſimilia imperitorum oculis illudunt. Quidquid eſt mercenarium, quidquid prætio, aut alicujus ſpe commodo paratur, in nullam neque nominis neque laudis communionem à fide admittitur. Illæ potiùs ſunt ſordidorum homuncionum negotiationes. Certa fides illa eſt, quæ præ una ſe omnia, quamlibet chariſſima, vilia habet. Chariſſimi fidei cultores quemcumque in fidem ſemel acceperint, majori quàm ipſos propinquos charitate proſequuntur, eoſque adverſus omnes injurias tuendos conſtanter ſuſcipiunt. Ipſi quandoque ſummi magiſtratus, & honeſtiſsimi homines, quorum magna exitarent in Rempublicam merita, ſervandæ fidei gratia, hoſtibus traditi etiam crudeliſsimis, pia quædam admiratio, quæ illos, in quibus tantum eſſet fidei, ad ſummum faſtigium extulit. Optimus & ſincerimus quiſque ne tenuitate quidem excepta, hoc ſemper curavit unum, ut ſibi eſſet fides. Numa ad ſacrarium Fidei, quod dixi, Flamines bigis curru aurato vehi, eique manu ad digitos uſque involuta, nempe quæ omnem mercedem repudiaret, rem divinam facere juſſit. Vnis illis fidenter, & abſque ulla perfidiæ labe fides denegatur, qui ſe univerſæ mortalitatis apertos hoſtes profitentur. Quippe nulla nec jusjurandi, nec fidei communitas cum illis eſſe poteſt, qui omnem humani generis ſocietatem prius diremerunt. Falsò perfidus quæritur, ſibi nihil eſſe fidum. Domitius Corbulo, cujus eſt nomen inter Romana nomina magnum & honoratum, hoc uno homines contriſtaſſe dicitur, quòd fidei erga Neronem nimis tenax fuit. Hoc unum in viro tanto Tiridates improbavit, quòd tale monſtrum, ut dominum, ferre potuit. Ipſe Corbulo, cum ad mortem à Nerone adactus eſſet, dignum ſe dixit, qui talia pateretur.] Huculque ille.

Xenocrates tã verax fuit ut injuratus teſtimonium perhibere permitteretur.

An pauci homines veraces ſint? Reſpondet aſſertivè, qui dixit, Omnis homo mẽdax.

Omnium litiũ & contentionũ origo.

Potiùs mori, quàm infidelitate fœdari.

Quanta ſit Fidei gloria? Verùm etiam in ſervilibus animis vim nobilem & generoſam habeat?

Tres negationes negant.

Fidei effigies, qualis?

Domitii Corbulonis Apophthegma.

SECTIO VI.

Vera doctrina ſtabilitur.

PEndent omnia à ſignificatione unius vocis, à definitione unius rei. Si enim velint addiſcere Adverſarii, quid ſignificat hæc vox *loquutio*, ſi ſemel loquutionis qui-

Quid importet vox Loquutio formaliter?

quiditatem cognoſcant, omnino mentales Reſtrictiones rejicient.

Communis loquutionis definitio eſt illa, quam Amicus *diſput.15, num.1.* de Angelorum loquutione diſſerturus, ut fundamentum certum & indubitatum adſumit. Eſt autem loquutio, *propria cognitionis manifeſtatio*. Ex hoc ille fundamento *nu.* 31. controverſiam reſolvit, dicens. *Loquutio Angeli formaliter conſiſtit in expreſſione conceptus reflexi formaliter ordinati ad directam alteri manifeſtandam. Declaratur in exemplo loquutionis humanæ, quæ formaliter conſiſtit in expreſſione verbi vocalis, quod eſt quaſi verbum reflexum, quo loquens ſenſibiliter manifeſtat alteri ſuum conceptum internum.* Ergo nihil ad loquutionem humanam formaliter pertinet quod non ſit ſenſibile. Objectum eſt commune vocali & mentali propoſitioni. Si quantum aſſerit aut negat mentalis, tantum omninò aſſerat aut neget vocalis, loquutio erit verax: fallax, ſi aſſerat lingua, quæ negat mens: aut neget lingua, quæ mens aſſeverat.

De loquutione Angelorum. In quo illa cõſiſtit formaliter?

An quod inſenſibile ſit, ſit pars integralis loquutionis humanæ?

Porrò in Ariſtotelis ſententia linea eſt longitudo, & ideò omnes ejus partes ſunt longitudines: quam ob rem, cùm propoſitio vocalis ſit oratio ſignificativa ſenſibiliter, omnes ejus partes & ſyncategoremata, eſſe debent ſignificativa ſenſibiliter: ergo actus purè mentalis non poteſt eſſe pars orationis vocalis, nec ejus vocem aliquam latiori ſignificatione præditam, ad minorem & ſtrictiorem ſignificationem contrahere. *Hanc rationem ex eodem fundamento confirmo.* Loquutio eſt manifeſtatio ſenſibilis propriæ cogitationis. Ergo omnes loquutionis partes erunt partiales quædam ſenſibiles manifeſtationes. Sed actus purè interni non ſunt propriæ cogitationis ſenſibiles manifeſtationes (potiùs enim ad cogitationem manifeſtandam, quàm ad loquutionem manifeſtantem pertinent) Ergo non ſunt partes loquutionis. Ergo non poſſunt voces latiùs ſignificantes reſtringere.

An & cur nutus merè mentales non poſſunt orationem vocalem componere?

Pono exemplum. Recepit à Clodio centum aureos Theodomirus Campaniæ, infra menſem ſolvendos. Elapſo tempore, ſe recepiſſe negat, & ſe bene negare ſacramento confirmat. An-non pejerat? Negat ille, quia cùm lingua dicit, *Non recepi;* mente concipit *Neapoli*; ita, ut totus ſenſus ſit, *Non recepi Neapoli*, quod eſt verum. Sed duo objicio: ALTERUM: ſi hic modus reſtringendi admittatur, fore, ut nullum ſit in mundo mendacium, nullum perjurium, ut enim articulo præcedenti dicebamus, nulla eſt vocalis propoſitio, quæ ſi aliquid addatur, non ſit vera: nam hæc exſecrabilis blaſphemia, *Non eſt Deus* ſi addatur *mortalis*, erit vera. ALTERUM, illam vocalem, *Non recepi*, æquivalere huic, *Non recepi Campania*: nam reſponſionis verba, ſi latiùs pateant per interrogationem contrahuntur & reſtringuntur. Ergo quidquid mente ſe concipere Theodomirus affirmet, ejus lingua ſenſibiliter non aget de Neapoli, ſed Theodomirus ſcit ſe Campaniæ illos centum aureos recepiſſe: ergo mentitur, quia in mente habet, *Recepi Campaniæ*, in lingua *Non recepi Campania*, nam interrogatio præſtat, ut ſubintelligatur *Campania*.

Reſponſionis Reſtrictio non à Conceptibus mentalibus, ſed à ſenſibili interrogatione dejumitur.

Præterea, ſi actus mentis, qui nulla voce externa exprimuntur, poſſent amphibolæ propoſitionis ſignificationem reſtringere, id etiam poſſent, actus illi qui voce mutita proferuntur. Eſt autem mutire ita ſuppreſſa voce loqui, ut alter non intelligat; unde apud Paſſeratium non videtur Gallus aut Hiſpanus interpres vocis rigorem adſequutus: illi enim *mutire* eſt, *parler entre ſes dents*; huic autem *hablar entre dientes*, nam ſi verba audiuntur & intelliguntur, non mutiuntur. Eſt autem *mutire*, Hiſpanicè, *Hablar paſſito; de modo que lo otro no lo oya, o por lo menos no lo entienda*. Hinc oritur *muſſo*, quod Paſſeratio eſt, *ſubmiſſa voce loquor & ſecretè occultèque, quod celatum velim, quaſi murmuro*. Cognita ergò verbi ſignificatione interrogo. An eſſet blaſphemus, qui alta voce diceret, *Non eſt Deus*, & mutiret ſtatim, *mortalis*? An calumniaretur, qui de Petro, viro ingenuo & probo muſſaret, *ſceleratorum hominum*, & poſteà diceret, *hoſtis publicus eſt Petrus*? Affirmativè reſpondebis, opinor; nec tolerabis, ut quis de te grandi voce calumnias proferat & poſtea verba muſſet, quæ ſi alta voce fuiſſent dicta, contumeliam in laudem converterent.

Quæſtio incidens. *An voces mutita reſtringant?*

Quid *mutire* ſit?

Quid *muſſare*?

An hæreſim, blaſphemiam, calumniam voces mutitæ eludant?

His præmiſſis interrogo, *An Paulus, qui Ioannem vidit Neapoli occidi à Clodio, & tamen legitimè à Iudice interrogatus, reſpondet*, Non vidi Ioannem occidi à Clodio, *& mutit* Pariſiis, *verum teſtimonium perhibeat*? Negativè reſpondeo. Nam reſponſio eſt loquutio & loquutio eſſe debet audibilis: ſed verba non audibilia, non intelligibilia, non ſunt pars loquutionis. Ergo nec reſponſionis. Ergo illud *Pariſiis* ad reſponſionem non pertinet. Ergo illam non reſtringit. Manet igitur mendax reſponſio; & ſi accedat jusjurandum, ſacrilega. Porrò mutita verba virtualiter eſſe non dicta, mihi certum videtur; Immò & Plauto, qui apud Paſſeratium inclamat. *Sile, cela, occulta, tege, tace, muſſa.* Ergo ut rem tegas, celes, & occultes, ſilere, ta-

Verba ſuppreſſa voce dicta orationem claram voce prolatam non reſtringunt.

tacere aut muſſare,perinde eſt. Ergo,qui muſſat,ita ſe habet, ac ſi nihil omninò diceret.

Argumentum a fortiori.

Propius ad loquutionem accedit mutitio externa,quàm purè interna cogitatio. Sed mutitio externa non eſt pars loquutionis humanæ. Ergo nec purè interna cogitatio. Ergo ſiquidem illa non poteſt latiorem vocum alia voce dictarum ſignificationem contrahere & reſtringere; hæc à fortiori id præſtare non poterit.

Sanè illa limitatio, quam cum multis Theodomirus proponit,aſſerens Mentales Reſtrictiones non eſſe licitas in privatis colloquiis, ſed tantùm debere admitti in tribunalibus, & in negotiis gravibus,cum neceſſitas urget, aut utilitas poſtulat, putatem enim ego, ſi Veritati eſſent gradus, & una propoſitio alia eſſet verior,pro privatis colloquiis minùs veras ſufficere; at pro rebus gravioribus (quales ſunt, quæ in tribunalibus geruntur) veriores omninò requiri. Interim oſtendo hanc diſtinctionem, aut limitationem à Theodomiro exhibitam non eſſe veram. Et ſic arguo. Propoſitio quæ privatim dicta eſt falſa, etiam ſi publicè & in tribunali dicatur, erit falſa: & ſi in tribunali publico dicta per mentalem Reſtrictionem verax redditur, etiam eadem Reſtrictio præſtare poterit, ut ſit vera in colloquio privato. Ergo diſcrimen illud inter colloquium privatum & depoſitionem publicam, quæ in tribunali fit, apud eruditos locum habere nequit: nam ſi mens vocum ſignificationem reſtringit, utrobique reſtringit: & ſi in altero loco non poteſt reſtringere, neq; in altero reſtringet.

An, ſi in veritate eſſent gradus, oppoſitum deberet dici? nempe veriora verba in tribunalibus, quam in privatis colloquiis requiri.

Ab eo quod res eſt,vel non eſt, non autem ab eo quod publicè vel privatè dicatur, Propoſitio dicitur vera vel falſa.

Sed contra arguis. Circumſtantiæ ſenſibiles conſignificantes non ſunt partes loquutionis & tamen illam reſtringunt. Ergo etſi actus purè intellectualis non ſit pars loquutionis, illam poterit reſtringere & contrahere. Probas antecedens. Quoniam quando Religioſus confitetur,veſtes non ſunt partes confeſſionis.

Reſpondeo negando antecedens, & ad probationem dico Religioſi veſtes eſſe confeſſionis ejus partem: & clarè oſtendo. Si Religioſus, quod Deus avertat, tetigerit fœminam,ſacrilegium committet,& tametſi fornicatio & ſacrilegium ſint peccata diverſa, ſatisfaciet, ſi in confeſſione dicat, *Cognovi fœminam*, nam veſtes dicunt. *Et hæc cognitio fœminæ fuit ſacrilega*. Loquuntur ergo confeſſario & veſtes & pœnitens: non autem loqui poſſunt actus purè mentales, non enim ſenſibiles ſunt. Ergo neque reſtringere.

Veſtes reſtringunt, quia ſenſibiles ſunt, & actus purè mentales orationem reſtringerent, ſi ſenſibiles eſſent

Et quia caſu mentionem fecimus Sacramentalis confeſſionis, interrogo, An pœnitens in explicanda ſua conſcientia poſſit uti Reſtrictionibus Mentalibus. Si enim in Sacramentali tribunali illis uti non poteſt, nec in forenſi poterit. Et, ſi in hoc poteſt, etiam in illo poterit.Immò à fortiori: nam majorem de actibus internis poteſt & debet Confeſſarius, quàm Curiæ judex. Sanè ſi Mentales Reſtrictiones in aliis negotiis admittantur, non video, cur in Sacramentali confeſſione admitti non debeant? Ergo bene confitebitur perjurus, ſi dicat *Pretuli mendacium* & ſubintelligat, *cum juramento*: bene parricida, ſi dicat, *occidi hominem*, & ſubintelligat,*qui erat meus pater*: bene adulter, ſi dicat, *Cognovi fœminam*, & ſubintelligat, *conjugatam*. Stat igitur mentales Reſtrictiones non poſſe in tribunali Sacramentalis Confeſſionis admitti. Ergo nec poterunt in tribunalibus Civilibus, aut Eccleſiaſticis.

An,& cur Pœnitentis non poſſit uti Reſtrictione mentali in Sacramento Pœnitentiæ?

SECTIO VII.

Occurrit Hiſtoriis, quæ in Sect. I. narrabantur & oſtenditur Fidem hoſtibus eſſe ſervandam.

Reſpondeo Cleomenem fuiſſe uſum Reſtrictione Mentali, nam vocem *dies*, quam Argivi de civili intellexerant, ipſe intelligere voluit de artificiali, æquivocam vocis ſignificationem actu purè mentali, reſtringendo. Hoc certum, & indubitatum eſt:at etiam æquè eſt certum, fractæ fidei, & perjurii ab omnibus incriminatum fuiſſe, ejuſque infamiam perennaturam apud homines,quamdiu fidelitas & ſinceritas in orbe terrarum colantur. Ob violatam fidem divinitùs punitus eſt; nam & civitate, quæ jam jam loquebatur (Hiſp.*parlamenteaba*) fruſtratus eſt: & à fœminis victus & repulſus, qui enim noluerat fidem ſervare ut vir, ſed violare ut fœmina, ut pugnaret cum fœminis, & ab illis ſuperaretur & repelleretur, quod obtinuit,promerebatur. Hiſtoriam recenſet Plutarchus *in Laconicis*. Nam fœminæ, quarum vel conjuges, vel parentes, vel fratres fuerant Cleomenis trucidati perfidia, in iras actæ, ut ſuos ulciſcantur, tumultuant: & arreptis armis,quæ in Deorum templis conſervabantur,in muliebris inconſtantiæ hominem, conſtantia & generoſitate irruunt, quoſcumq; obvios occidunt, tanta ferocitate,ut Cleomenes cũ paucis ſe à morte fugiendo eripuerit. Sed tantæ confuſionis ignominiam non tolerans, inſanire incipit, & ſe pugione fodere, quouſque vivere deſiit. Debuit ergo

Cleomenes verà abutitur reſtrictione mentali, & ideo ſic permittente ſũmo Numine à mulierculis victus confuſuſque ut ignominia impatiens ſibi mortem conſciſceret.

Cleomenes ſic paciſcitur cum hoſtibus, ut eos non deciperet, ſed eodem verba ſenſu ſumeret, quo ab illis ſumebantur. Hanc Hiſtoriam uberiùs propoſitam, & dilucidatam in noſtro Κρίτῃ art.7. ſect.6. pag. 49. reperies.

Fides Punica. Nulla erat in illo contractu æquivocatio; nam media navium pars, quæ petebatur, erat ut navigarent, & naves ſciſſæ navigare non poſſunt.

Idem dicito de Carthaginenſibus, nam fidem violarunt Ægyptiis, & non poſſunt Mentali Reſtrictione excuſari: nam illud verbum *Media pars*, non manebat æquivocum, ita ut vel quindecim integras aut triginta diviſarum ſemiſſes ſignificaret: nam per conſignificantem circumſtantiam fuerat contractum. Mediam navium partem Iſaurus, ut in Ægyptum reverteretur, poſtulabat. Naves ergo, quæ poſſent ſulcare maria, & ad Nilum redire. At puppes ſolæ aut proræ ſolæ, id non poterant. Ergo nunquam fuit actum niſi de integris navibus. Ergo etſi mentales admitterentur Reſtrictiones, juvare non poſſent Carthaginenſes, qui voluerunt perfidè in re clara & determinata æquivocationem invenire.

Vt id evidentiùs intelligas, oportet ſcire res ipſas phyſicas & manu palpabiles, quæ realiter dividi poſſunt, eſſe interdum moraliter & virtualiter indiviſibiles. Et idrò ſi dividendæ ſint, venduntur integræ, & pretium illarum dividitur. Pono exemplum. Obiit Florius & decem ſacciperia, & in ſingulis mille ſcuta reliquit. Duos habebat filios, qui debebant pecuniam relictam dividere. Sed quomodo? Poterat alteruter ſumere quinque ſacciperia; & erat expedita diviſio. Sed quia pecunia, quæ in ſingulis ſacciperiis continebatur, realiter, & moraliter dividi poterat, ſi ex ſingulis loculis alter ſumeret quinquentenos, relinqueret quingentenos alteri, & in idem ſupputatio recideret. Sed, dum hæc diviſio celebratur, moritur Cælius, qui ſuis filiis unum tantum equum reliquit. Realiter in partes poſſet dividi, ſi occideretur: ſed quo id fructu? Ergo civiliter eſt indiviſibilis: & debet vendi, & pretium dividi. Sic etiam navis ut comburantur ejus ligna, realiter eſt diviſibilis; at verò ut maria ſulcet, eſt indiviſibilis. Et eſſet caſus ſimilis ſi ex triginta equis Carthaginenſes Iſauro mediam partem ut proficiſcerentur, promitteret, & tamen juberet illos per medium dividi & triginta ſemicadavera daret Iſauro. Cum petebatur equorum media pars, bene intelligebant Pœni, quid Ægyptii rogabant, Sciebant igitur illos non petere triginta ſemicorpora, ſed quindecim equos vivos. Annuunt. Ergo concedunt, quod poſtulabant. Ergo eſt ſublata omnis æquivocatio. Serò ergo ad mentales Reſtrictiones, etiam ſi eſſent veræ, recurreretur:

De diviſibilitate.
Sæpe contingit, ut quæ realiter diviſibilia ſunt, ſint moraliter & civiliter indiviſibilia.

Ponitur exemplum in equis.

Diagoras irriſus mentales Reſtrictiones ex ponit.

Hiſtoria Diagoræ, ad irriſionem Iovis pergit: & dum non agit ſeriò & tamen mentali utitur Reſtrictione, doctrinam de hujuſmodi Reſtrictionibus ridet.

Addo Ioannem Petri hominem privatum, non poſſe in contractu publico, in quo Hiſpani & Hollandi nullã inveniunt, amphibologiam comminiſci. Servant Hollandi ubique terrarum, aut marium etiam fideliſſimè inducias, nec debet privata unius mercatoris avaritia totam nationem dedecorare.

De Hiſpanorũ, & Hollandorũ induciis. Orbẽ novum ab antiquo non diſtinguunt.

Colonienſes perfidiæ excuſari non poterunt; non enim de materiali porta cum ſuo Principe pacti, ſed de additu libero; ut videlicet haberet ille unam in muro portam, quam milite muniret, ut haberet aditum liberum in Civitatem, quoties aut ingredi placeret, aut militum copias immittere.

Porta vocabulum æquivocũ eſt, nam vel ſignificat aditũ vel valvas. At ceſſabat æquivocatio in Colonienſium contractu; in illo enim non de valvis ſed de aditu fuerat tractatum.

SECTIO VIII.

Rationes Sectione II. poſita diluuntur. An reus uti poſſit Reſtrictione Mentali.

Tranſcendentalia attributa, aut circumſtantiæ non ſemper expreſsè ponuntur, quia ſemper intelligi debent. Tribunalia erecta ſunt, ut in illis Iudices ſecundum adlegata & probata decernant. Ergo, quæ probari non poſſunt, ad ea non pertinent; quia ut ſcitè *libell. de præcept. & diſpenſ.* ait Bernardus, *Quod probari non poteſt, mihi infectum eſt.* Ecce hæc duo prædicata *factum*, *& infectum*, Doctori Melleo non ſunt oppoſita: nam in ſenſu diverſo ſumuntur, quod enim realiter factum eſt, ſi non poſſit probari, civiliter infectum eſt. Ergo quando Iudex Civilis, de homicidio patrato Reum examinat & interrogat dicens, *Occidiſti-ne Ioannem?* illud *occidiſti* à duplici adverbio *peccaminosè*, & *convincibiliter*, quæ Tribunal conſignificat, reſtringitur & limitatur, ita ut ſenſus ſit, *Occidiſti-ne peccaminosè, & ita ut probari poſſit, Ioannem.* Et quia hæc duo adverbia, conſignificata à tribunali, copulativè ſubintelliguntur, & hoc ſine ulla Reſtrictione mentali, ideò reſponſio per eadem adverbia, quæ ſubintelliguntur, contrahitur; unde ſi Ioannem ſine crimine occidiſti; vel ſi cum crimine illum occidiſti ſecretò, potes reſpondere rotundè *Non occidi.* Hæc propoſitio per interrogationem reſtricta & determinata, eſt vera: ergo juramentum, quo firmetur, non erit perjurium.

De Tranſcendentalibus attributis. Cur non ſemper in oratione exprimantur?

Quæ probari non poſſunt civiliter non facta ſunt.

Tribunal à loquitur, & Iudicum verba reſtringant. Ergo reus, at Iudicis verois per tribunal reſtrictis reſpondeat, non indiget reſtrictione mentali.

Hæc veritas clariùs conſpicitur in Sacra-

cramentali tribunali. Habet jus Confeſſarius interrogandi de peccatis mortalib⁹ nondum confeſſis, & tunc pœnitens habet obligationem reſpondendi: quia tenetur omnia mortalia, quæ nondum eſt confeſſus, explicare. Mortalia ritè confeſſa & venialia etſi non ſint confeſſa, dicere in confeſſione non tenetur. Ergo quando te interrogat Confeſſarius, & ait, *commiſiſti-ne furtum?* Tribunal ipſum conſignificat ſyncategoremata adjacentia, videlicet *grave, & quod non fuiſti confeſſus.* Vnde, ſi furtum, quod commiſiſti, fuit leve, aut ſi grave, jam fuit per Sacramentalē pœnitentiam apud alium Confeſſarium expiatum, poteris abſolutè dicere, *Non commiſi.*

Tribunal Pœnitentia etiam verba Confeſſarii reſtringit.

Vt argumenta Sectionis ſecundæ diſſolvamus, oportet nonnulla præmittere.

Quando Reus juſtè interrogetur, & reſpondere teneatur?

Reus poſt informationem ſemiplenam poteſt legitimè interrogari & in communi ſententia tenetur reſpondere & veritatem dicere, etiam contra ſe ſine fuco Reſtrictionis Mentalis. Vt autem reſpondendi obligationem incurrat, certò & non tantū probabiliter debet ſcire, quod legitimè interrogetur. Vt autem id certò ſciat, debet ei teſtium depoſitio notificari. Aldrete *de Relig. diſc. lib. 2. cap. 4. nu. 7.* Miranda *tom. 2. qu. 19. art. 13. concl. 1.* donec enim teſtium depoſitionem videat, non tenetur ſuæ famæ, quam juſtè poſſidet, præjudicare. Si quæras, an-ne hæc doctrina habeat locum in cauſis Regularium? affirmativè reſpondebunt adlegati Authores: & Ioſephus à S. Maria *in Tribun. Relig. tract. 4. cap. 17. S. 3.* negativè. Et ego te facilè expediam diſtinguendo: vel enim diſſeritur de culpis ſeu negligentiis Regularibus, quæ publicè expiantur in capitulo, quæ honorem non maculant, & ſunt univerſis communes; vel diſſeritur de peccato mortali, de quo agitur in ſcriptis cum depoſitione teſtium, ſervata Iuris ſolennitate. Si agatur de negligentiis Regularibus etiamſi erret ſuperior & innocenti pœnam Regularem imponat ob negligentiam, quam nunquam commiſit, ſubditus debet habere patientiam & injunctam pœnitentiam, ſi non ut pœnam, ſaltem ut pœnalitatem cum ſumma humilitate acceptare: nam ſuperior poteſt, & interdum debet, ſuos ſubditos mortificare & licèt diligentiſſimi ſint, ut humilientur pœnitentias imponere. Cæterùm ſi agatur de peccato mortali; quod, ſi probetur, reddit Religioſum infamem, & in carcerem trudit, & gravem pœnitentiam requirit, debet ſuperior cum magna prudentia procedere, & in examine teſtium & rei, Iuris Canonici diſpoſitionem obſervare. At moris eſt, ut quando teſtium depoſitiones reo notificantur, non notificentur teſtium nomina, ſi Religioſi ſint, cum quibus debeat pacificè convivere: & hoc ſic fit ob publicam Monaſterii tranquillitatem. Cæterùm ſi ſæculares ſint, aut ſaltem ejuſdem Monaſterii aut Congregationis Religioſi non ſint, etiam nomina communicantur, Sed in hoc conſulendæ ſunt ſingulorum ordinum conſtitutiones, quæ debent omninò ſervari. Nec aliud ut puto docet Diana *p. 3. tr. 5. reſ. 91.*

An, & quando Religioſus debeat pœnitentiam ob culpam quam non commiſit, admittere?

An, & cur in publicatione depoſitionum, teſtium nomina apud Religioſos ſupprimantur?

Hic opportunè quæri poteſt, *Cur poſt informationem ſemiplenam Iudex poſſit & debeat Reum & alios Teſtes examinare: & hi teneantur veritatem fateri?*

Cur reus in tali caſu teneatur reſpondere, & in altero non teneatur?

Poſita ſola accuſatione & negatione Rei, ſunt omnia in tribunali paria: quia ſicut accuſatio per Rei negationem, ſic hujus negatio per accuſationem eliditur, & manent omnia, ac ſi nil eſſet factum: nam, ſi accuſare ſufficeret, quis eſſet reus?

An Teſtis unicus, ſi verax ſit, reprobari poſſit?

Quando cauſa ad probationem ſemiplenam pervenit, & unus Teſtis fide dignus contra Reum depoſuit; hic Teſtis eſt innocens, & probate non tenetur, quæ dicit, aliàs enim daretur proceſſus in infinitum; nam Ariſtoteles *in Rhet. ad Alex.* aſſerit, *juramentum eſſe cum Divina veneratione dictio, probationis expers.* Et ſi Reus ſanctè jurantem Teſtem mentiri aſſerat, eſt innocentiæ & veritati injurius, & ad reſtitutionem tenetur. Alexander *cap. 15.* apud Langium. *Teſti, qui contradicit, improbum eum eſſe dicit; & videndum, an ei ſit amicus, aut negotii particeps; aut ſit contra quem teſtificatur, inimicus; aut pauper.* Imponit itaque Teſti, quem reprobat Reus, crimen falſi: &, ſi ille verax ſit, injuſtè eum mendacem & perjurum affirmat.

De ſecundo Teſte. Quo debeat modo reſpondere?

De Teſte ſecundo ſic diſcurro. Si crimen verè à reo commiſſum ſit, & hoc ſecundus Teſtis etiam ſcit, duobus modis poterit reſpondere. Vel enim ſe non adfuiſſe, & ideò ſe nihil ſcire teſtificatur: vel aſſerit ſe quidem adfuiſſe & vidiſſe contrarium: alterutrum dicat, eſt perjurus & mendax. Si primum dicat, peccat contra Rempublicam & Teſtem priorem omiſſivè: nam illa à ſcelerato eſt invaſa & juvari debet: & Teſtis prior, qui probus eſt, & à Reo improbitatis arguitur, eſt in neceſſitate, & adſiſtentiam à Teſte ſecundo requirit. Origenes *ſuper Levit.* opportunè. *Siquis ea, quæ videt in proximi ſui delicto, vel non indicat; vel in teſtimonium vocatus, non quæ vera ſunt, dixerit, peccatum quod commiſit ille, qui celat* (Reus) *ipſe ſuſcipiet; & pœna commiſſi revertitur ad*

conſcium. Ergo à fortiori hoc decurrit, ſi poſterior Teſtis, non jam deponat, ſe non adfuiſſe, ſe nihil vidiſſe, ſe nihil ſcire, ſed poſitivè affirmet, ſe adfuiſſe quidem, & vidiſſe contiarium: tunc enim cum Reo contra Rempublicam, & Teſtem primum conſpirat, ut illa contra invaſorem (omnes enim ſcelerati criminibus ſuis iovadunt Rempublicam) non defendatur: & hic, licèt probus & verax, improbitatis & perjurii accuſetur.

An Iudex, ſi diligentiam adhibeat, poſſit veracem teſtem à mendaci diſtinguere?

Hinc patet debere Iudicem ex officio procedere: nam, ſi prior Teſtis aſſerit, & Reus negat, alter neceſſariò peccat in tribunalis majeſtatem, alter eſt perjurus & improbus, alter innocens. Ergo tenetur probum contra improbum, innocentem contra nocentem tueri: & quia tunc utet innoxius ſit aut noxius nondum ſcit, tenetur adhibere media, ut reſciat: & nulla alia ſuccurrunt, quàm teſtes alios examinare. Et in examine, ſicut curare debet Iudex, ne Teſtes admittantur, qui non ſint probi & boni: ſic etiam, ne ab extrinſeco illos maneat periculum, ſi veritatem faſſi fuerint.

An quiſnam Iudex eſt, qui poſſit noſcere

Tua juſſa, abi tutè verbum non reſpondeas?

ait Terentius *Phor*. 1. 5. Et hodie contra divites & inſolentes fruſtra informationes ſumuntur: nam ubi Teſtes, ne comparere quidem audeot, Veritas cognoſci noo poteſt.

De Opinione Sancii. An probabilis ſit?

Sed quia in illius Sect. II. §. *Poſſe*. Sancii ſententia proponebatur, ſub diſtinctione loquar, dicamque illam aut eſſe probabilem aut improbabilem. Sanè ſi improbabilis ſit, ſtat communis ſententia, quæ non ſolùm concedit, ſed & præcipit, ut reus à Iudice examinetur. Et tunc Confeſſarius tenetur monere reum ut fateatur etſi ex confeſſione ſequatur, quod ultima ſit ſententia condemnandus. Et, ſi ille fateatur crimen & condemnetur capite, non ideò Confeſſarius irregularitatem incurret, ut bene docet Cornejus *diſp*. 11. *dub*. 1. *qu*. 4. Diana *p*. 4. *tr*. 2. *reſ*. 99. Cotonius *verb. Irregularitas. n*. 55. & *verb. reus. n*. 10. Cæterùm, ſi illa Sancii ſententia probabilis ſit, poterit Iudex reum interrogare, ſed reus non tenebitur contra ſe reſpondere. Et Confeſſarius debebit reum inſtruere & explicare quod non tenetur reſpondere. Quia agit officium Patris & Magiſtri & debet reum tanquam filium ſpiritualem & diſcipulum conſilio juvare quantum poteſt. Volui loqui ſub diſtinctione, quia Sancii opinio, quam *probabiliſſimam* vocat Cotonius & nonnulli probabilem judicant, non videtur firmo ratiocinio ſuccollari. Nam illa ratio, non poteſt Iudex cogere teſtem ut contra parentes & cognaros teſtificetur, ergo nec reum ut contra ſeipſum, admiſſo antecedenti nimium probat: primò enim probat ne quidem Iudicem habere jus citandi & interrogandi reum: quia cognatos nec citare nec interrogare debet, cum tamen qui Sancii opinionem ſequuntur, admittant Iudicem poſſe quidem citare, ſed reū non teneri reſpondere. Secundo, ne quidem poſt informationem plenam poſſe cogere reum, ut reſpondeat, quoniam ne quidem poſt informationem plenam tenentur reſpondere filii aut cognati. Si inſtes illud antecedens negari non poſſe, quia expreſsè continetur *in leg*. 4. *D. de teſtib*. reſpondebo illam propoſitionem *Nemo cogi poteſt, ut contra parentes & conſanguineos teſtimonium perhibeat*, non eſſe veram ex natura rei & ſumendo argumentū à contrario dicam, poteſt homo cogi, ut contra ſemetipſum veritatem fateatur: ergo etiam poterit ut contra parentes & cōſanguineos teſtimonium deponat. Quam ob rem cum illa propoſitio non habeat à jure Naturæ quod ſit vera, habebit à Iure Cæſareo: & nihil poterit per rationem paritatem inferre. Quæ enim ita alicui conceduntur ut potuerint non concedi, non ſunt cenſenda conceſſa alii, etſi à rationis paritate aut à fortiori argumentum ſormetur: ut in hoc ſyllogiſmo videre eſt.

De Confeſſario, & reo.

Quomodo illū iſtū debeat inſtruere An, ſi jubeat ut fateatur, & propter hoc ultima ſententia reus condemnetur, incurrat irregularitatem?

An Sancii opinio probabiliſſima firmetur?

Quod teſtis non teneatur contra parentes deponere non eſt juris naturæ veritas, ſed Iuris privilegium humani.

Petrus in ſuo teſtamento legavit Antonio mille aureos propter obſequia ſibi praſtita.

Sed Ioannes majora obſequia Petro praſtitit, quàm Antonius.

Ergo tametſi Ioannis non meminerit, cenſeri debet Petrus legaſſe Ioanni mille, aut etiam plures aureos.

A rebus, quæ à libera voluntate depēdent, non poſſunt à rationis paritate, aut etiam à fortiori argumenta deſumi.

Conſequentia non valet, quia major eſt libera & in rebus quæ hoc vel illo modo poſſunt fieri, *ſtat pro ratione voluntas*, quia Petrus favere Antonio voluit, Ioanni non voluit. Et rationum, quas habuit, ut hoc faceret, non debet nobis rationem reddere. Ergo eodem modo de ſyllogiſmo hoc eſt judicandum.

Iuſtinianus juſſit ne quis contra parentes & cognatos teſtificari cogeretur: & hoc propter vinculum ſanguinis:

Sed homo propinquior eſt ſibi ipſi, quàm parentibus cognatiſq;

Ergo cenſendus eſt Iuſtinianus juſſiſſe, ne quis contra ſe ipſum teſtificari cogeretur.

Conſequentia oon ſtat: cum quia, ſi ſtaret, multa includit, quæ non admittit Sancius: tum quia, major eſt libera & potuit aliter poni,

poni, & ideò à rationis paritate, aut à fortiori nullam conſequentiam deducit.

Bellum ex utraque parte juſtum eſſe poteſt, & ſolet.

Porrò bellum poſſe eſſe juſtum ex utraque parte mihi certum eſt; cùm quia poſſent eſſe utrimque rationes probabiles in eodem genere & uterq; Rex poterit ſuum jus probabile manutenere: præcipuè, ſi neuter poſſideat; tum quia poſſent eſſe rationes certæ in diverſis generibus, puta ſi alter Rex intulerit injuriam, & alter non velit ſolvere pecunias quas debet. Cæterùm rationes, quæ in illo §. *Poſſe reum in fin.* ponuntur ſunt elumbes. Nil valet illa.

Cur rei protrudantur in carceres?

Iudex reum tradit juſtè in carcerem:
Et tamen reus juſtè poteſt fugere.

Quia Iudex non trudit reum in carcerem, ut voluntarius maneat, ſed ut detineatur vel invitus. Nam, ſi Reſpublica præciperet lege pœnali, puta centum aureorum, ne reus abeat à carcere, teneretur obedire reus; &, ſi violaret legem ad mulctam ſolvendam poſſet cogi. Et, ſi id ipſum juberet lege Morali, & populus acceptaret talem legem, tunc ſinguli deberent obedire.

De mandato Superioris probabili.

Si dubium ſe teneat ex parte juriſdictionis, uno modo: & ſi ſe teneat ex parte præcepti, alio modo philoſophandum eſt.

In §. *Sancius*, agitur de Iure dubio: & difficultatem non reperio; vel enim dubium eſt, An ipſe qui præcipit, ſit verus Iudex, & tunc ille pacificam poſſeſſionem non habet, & ideò nemo illi tenetur obedire. Vel dubium eſt de juſtitia præcepti, & tunc ſtatur à Iudice, qui eſt in poſſeſſione: niſi enim ſubditi non in dubiis tantùm ſed in probabilibus obedire teneantur, eſſet ſemper in perpetua turbatione Reſpublica: quando enim talem aut talem ſuperiorem admiſerunt ſubditi, promiſerunt ipſi tantam & talem obedientiam; quanta, & qualis neceſſaria eſt ut bene gubernet. At niſi promittant illi obedire in dubiis & in probabilibus, ille utiliter gubernare non poterit, ergo promiſerunt obedire in dubiis & in probabilibus. Accedit, quod promiſerint obedire in rebus licitis & honeſtis, & accedente prudentis ſuperioris præcepto tollatur dubium. At quod vel probabiliter vel certò licitè poteſt fieri, eſt licitum honeſtumque: ergo tenetur obedire ſubditus. Dixi Superioris prudentis authoritatem dubium tollere, & hoc ipſum oſtendo. Dubia enim propoſitio eſt quæ caret gravi fundamento: at Superioris prudentis authoritas eſt fundamentum grave. Ergo, quæ priùs erat dubia, ſuperveniente prudentis Superioris præcepto in probabilem tranſit.

An probabilia ſint prudentis Superioris præcepta?

Subjiciebatur, eſſe juris naturæ ne innocens occidatur: concedo. Addebatur eſſe Iuris humani, ut Iudici obediatur nego. Nam licèt humani Iuris ſit, quod iſte vel ille ſit Superior: ſi tamen Petrus ſit Superior, Iuris naturæ eſt, quòd ſubditi obediant Superiori legitimo.

An obedire ſuperiori, humani an verò divini juris ſit?

An in materia probabili ſubditus teneatur obedire?

Tandem illud Axioma *Favendum eſt reo*, eſt juris naturæ, non jam probabile, ſed certum. Sed aliud eſt jubere, quod reus reſpondeat; & aliud, quod reus decapitetur. Vtrobique tenetur ſubditus obedire in materia probabili: ergo licèt probabile in aliquo caſu ſit, quod non tenetur reſpondere, juſſus tenebitur, nam non eſt probabile ſed certò falſum quod ſubditus poteſt in materia probabili non obedire. At, ſi Iudex ob rationes probabiles reum jubeat aut bonis quæ pacificè poſſidet, aut vita privari, ſuæ poteſtatis limites evidenter excedit: & ideò ejus mandatum non eſt probabiliter juſtum, ſed certò injuſtum: quoniam in omni dubio aut probabilitate, *beatus, qui poſſidet*.

An qui mentitur, teneatur ſuum crimen fateri?

Tranſeo ad §. *Pone reum*, & doctrinam illam admitto, ſi in damnum tertii nō vergat, quia inter mentiri & æquivocare, ſi in ſenſu falſo ejus depoſitio intelligitur, nullam ego differentiam invenio: & qui in tertii damnum eſt mentitus, tenetur palinodiam canere, & ſe falſum dixiſſe fateri.

Eodem modo doctrinam in §. *Sed quid*, poſitam, in caſu, quo non agatur de damno tertii, admitto.

An tortura ſit medium ſufficiens ad detegendam veritatem?

Vt finem imponamus Sectioni denique totum § *Hanc doctrinam* recognoſcamus. Porrò torturam non eſſe medium aptum ad revelandam veritatem, multi ſentiunt. Illuſtriſs. D. Petrus Varais, Regius Conſiliarius Neapoli, narrabat, ſe triginta annorum ſpatio in tribunalibus judicaſſe, & multos tortura damnaviſſe: ſed ne unam quidem mulierem vi torturæ faſſam, & nō paucos cruciatuum horrore fateri, quæ Deus ſcit, an commiſerint. Ergo-ne fortiores ſunt fœminæ viris? Id non dico: ſed eſſe ſemper contumaces ſtatuo. Clariſſimus D. Dominicus de Rubeis in ſuis Certaminibus contra torturæ abuſum fortiſſimè & doctiſſimè loquitur. Sic etiam alii, quibus (ſiquidem accedit ſuffragium Theologorum dicentium vero Chriſtiano qui ſcit animas eſſe immortales, non ſtare vitam tanti ut propter illam debeat intolerabiles cruciatus pati.) ſuſpecta eſt de falſitate omnis confeſſio per torturam extorta. Profectò Theologorum Aſſertio olim cum Medicis ventilabatur; inquirebatur enim, an ægrotus, qui niſi ferrari crus aut brachium permittat, eſt neceſſariò moriturus, teneatur illos cruciatus pati, an verò poſſit dicere, Volo diſſolvi & eſſe cum Chriſto? Non teneri cum tam gravi onere & dolore hanc vitā

An reus poſſit fateri crimen capitale, quod non commiſit, ne tortura dolores patiatur?

An ægrotus lethali morbo laborās poſſit medicinā reſpuere quæ cū magnis cruciatibus conjuncta ſit?

ca-

caducam conſervare docent. Hanc doctrinam alii ad pudorem extendunt, docentque fœminam, quæ in partibus verendis morbum patiatur, teneri quidem permittere ut obſtetrices, aut aliæ fœminæ artis chirurgicæ peritæ ſe inſpiciant, non autem debere tolerare, ut illas partes aut tangant, aut adſpiciant Medici: & hoc ob duas cauſas, cùm ob indecentiam, quam plus quàm mortem odio habent; tum ob voluptatem, & turpes motus quæ regulariter in tali curatione inſurgunt, quos nequidem mortis metu tenetur aliquis liberè admittere. Ita Turrianus *in ſumm. part. 1. cap. 263. dub. 5. concl. 11.* Diana *part. 5. tract. 3.* [*Non tenetur* dico, & non *Non poteſt*: quoniam, ſi ſalutem intendat, & illi præter intentionem motus accidant, non imputabuntur ægrotæ.] Expedita controverſia cum Medicis inceperunt ex eodem fundamento Theologi agere cum Iuris peritis: & aſſeruerunt, ei, qui crimen capitale ſecretò admiſerit, Iuſtitiæ deſiderio ſe prodere, ut pœnam in hac potiùs vita, quàm in altera luat. Ita Sancius *diſp. 46. num. 13.* quam ſententiam meritò limitat Diana *part. 3. tract. 5. reſol. 7. §. Notandum*; nam, ſi perſona talis ſit, aut crimen tale, ut ex publicatione ſcandalum veriùs, quàm ædificatio ſperetur, reus occultus non ſe poterit prodere. Damnatum ut fame pereat, cibos clam oblatos poſſe reſpuere & Iuſtitiæ curſum vitæ propriæ anteferre docet Maldetus, *in 2. 2. tr. 3. cap. 1. dub. 19.* cui adhæret Diana *pa. 5. tr. 4 reſ. 41.* Coronius *in ſumm. verb. Occidere. nu. 37.* contra Fabrum *in 4. diſt. 15. p 3. diſp. 52. cap. 21. num. 46.* & alios. Et in omnibus his nullam ego difficultatem reperio, ſed quia adhuc ulterius progrediuntur Theologi, & docent licere innocenti ſibi falſum crimen imponere, etſi capite plectendus ſit, ſi id faciat, ne torturæ intolerabiles dolores patiatur. Relege totum paragraphum. *Hanc doctrinam*. Et me audi: dico enim primò, Petrus, qui eſt innocens, & tamen ſibi crimen adfinger, mentitur. Ergo peccat. Secundò, Mentiri Reipublicæ; etiam præſcindendo à juramento, eſt mortale. Ergo Petrus peccat mortaliter. Tertiò, Reus, nonniſi juratus auditur, ergo Petrus pejerat, & ſacrilegium committit. Ergo quidquid ſit de homicidio, peccat Petrus mortaliter in mendacio & perjurio. Nec eſt, cur ad æquivocationem, & mentalem reſtrictionem recurrat, quia non poteſt eſſe æquivoca reſponſio, quando ab interrogatione contrahitur & determinatur. Dico quartò, ſi Petrus cruciatuum horrore hoc ſemel mendacium & ſacrilegium commiſerit, non tenebitur ſe retractare, etſi capite plectendus ſit: & ratio eſt eadem, quam adducebamus; Quia non eſt tanti vita, ut ob illius conſervationem debeat Petrus dolores immenſos tolerare. Quintò. Confeſſarius non poteſt cogere Petrum, ut ſe retractet: ſed debet illum inſtruere; ut, ſi iterum examinetur, verum reſpondeat. Sanè reum, qui negavit crimen, quod reverà commiſerat, & fuit perjurus, non tenetur ſe retractare, nec ad id eum Confeſſarius poteſt cogere, quia factum, infectũ fieri nequit: ſed debet eum monere, ut ſi iterũ interrogetur, non mentiatur aut pejeret. Ita Sanchez *in ſumm. tom 1. libr. 3. cap. 7. num. 9.* Diana *part. 2. tract. 15. reſ. 16.* Coronius *in ſumm. verb. reus. num. 12.* & alii, quorum prudentem & doctam reſponſionem habere in eo locum, qui cruciatuum horrore ſibi crimen impoſuit, clarè oſtendo. Quoniam, ſi ad retractationem teneretur; maximè, vel quia perjurus fuerat, vel quia ex non retractatione eum eſſe morte damnandum ſequeretur. At neutrum urget: ergo, qui ob horrorem torturæ ſibi crimen affinxit, ad reſtractationem non tenetur. Quoad priorem partem probatur antecedens. Quia mendacium & perjurium jam perpetratum eſt, & non fit per retractationem ne ſit commiſſum, quia, ut dicebamus, factum, infectum fieri nequit. Ergo in hoc ille, qui negavit crimen commiſſum, & ille qui faſſus fuit non commiſſum, conveniunt. Trãſeamus ad poſteriorem ejuſdem antecedentis partem; & eam probemus. Sic arguo. Hæc non-retractatio duos effectus habet, nam Petrum à torturæ cruciatibus liberat, & ſubjicit mortis ſententiæ. Petrum non velle mori, certum eſt: nam, ſi poſſet torturam & mortem evadere, ſe cenſeret felicem. Quid ergo vult? Non pati dolores horribiles; & ad hunc effectum (ut illos non patiatur) adſumit illam non-retractationem ut medium, hũc effectum intendit & à mortis damnatione præſcindit: quæ ſi accidat, Petro contra intentionem eſt.

In paragrapho, *Portellius*. Concluſio vera ponitur, ſed ex falſis fundamentis infertur. Qui homicidium ob defenſionem vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ patravit, non commiſit crimen. Interrogat Iudex, *An homicidium commiſeris?* & hæc verba tametſi videantur generalia, & æquè de homicidio licito & illicito (honeſto & criminoſo) poſſe intelligi, à loci conſignificante circumſtantia reſtringuntur, ita ut hæc Iudicis verba, *Commiſiſtine hoc homicidium?* per conſignificantes circumſtantias reſtricta æquivaleant his,

Com-

An fœmina partibus verendis laborans, teneatur permittere, ut à Chirurgo curetur?

An poſſit, qui crimen capitale commiſit ſe tribunali prodere, ut ultima ſententia condemnetur?

De damnato ut moriatur inedia.

An aliquis innocens ſibi poſſit falſum crimen imponere, ne patiatur torturæ cruciatus?

An qui mentitus ſit, ſe retractare teneatur?

De Confeſſario. Quomodo ſe gerere debeat erga reum, qui verum crimen negavit, vel ſibi falſum impoſuit?

Factum infectum fieri non nequit.

Huc pertinet doctrina, quã in noſtra Theologia Præterintentionali explicatius & uberius dilucido.

Iudex quando interrogat de homicidio, nonniſi de criminoſo interrogat.

Commiſiſti-ne homicidium criminosè? & tu reſpondes *Non*. Et unde, quæſo, vel ad quid, ad mentales Reſtrictiones recurreres.

Illud quod dicitur de furto materialiter commiſſo ob juſtam compenſationem, vetum eſt & eidem fundamento inſiſtit: at ego tametſi juſtam compenſationem in inſula nulli ſubjecta Principi, & nullis legibus gubernata poſſe admitti concedam: poſſe ſibi aliquem adminiſtrare privatim juſtitiã in provincia, in quâ omnes in leges publicas compromiſerunt, & jure naturali ceſſerunt, crediturus non ſum: nam aliàs teſtem falſum & ſubornatum reum, reus injuſtè damnandus, juſtè occideret. Ergo occulta compenſatio eſſe juſta non poteſt. Hanc doctrinam, quæ ſemper mihi certa viſa eſt nuper (quam Innocentius XI. 2. Martii 1679. *num* 37. Apoſtolica authoritate firmat, & oppoſitam aſſerentes condemnat. Et hic obiter nota contrariæ opinionis authores tot ſuam doctrinam limitationibus reſtringere, ut fere impoſſibile ſit, ut caſus accidat, in quo illi occultam compenſationem eſſe tutam in conſcientia concedant: & tamen frequentiſſimè video fraudes & extorſiones compenſationis titulo colorari: unde, etſi eſſet probabilis, quia illa abutuntur plurimi, & nomen occultæ compenſationis recipiunt, & de limitationibus non ſunt ſoliciti, ad obviandum huic malo, deberet à ſuis Authoribus omitti.

An occulta cõpenſatio ſit licita?

Etiamſi probabilis eſſet, propter eos, qui illa abutuntur, deberet neceſſariò interdici.

PRo hujus Sectionis coronide inquiris, *An reus, qui poſtquam fuit plenè convictus* (quo in caſu ſecundum omnes veritatem fateri tenetur. Diana *part. 2. tract. 15. reſol. 27. in fin.*) *veritatem negaverit, teneatur ſe retractare, ne Iudex, Accuſator teſteſque infamiam apud vulgus incurrant?*

De reo convicto, An negativus poſſit mori? an neceſſariò debeat veritatem fateri?

Negat Cotonius *in ſumma verb. Reus num. 12.* & ut ſuam coboret ſententiam ait. [Neque enim timendum eſt, ne aliqua inde Iudici, teſtibus, vel accuſatori ſequatur infamia, quaſi injuſtè damnatus ſit: nam notum eſt apud omnes reos in conſtantiæ ſpecimen negare ſolitos delicta etiam in tormentis, neque hoc taciturnitas evacuat præſumptionem Iuris, quæ ſtat pro Iudice & teſtibus. Reginaldus *tom. 2. libr. 4. cap. 7. ſect. 7. nu.* 145. Sanchez *in ſumm. tom. 1. libr. 3. cap. 7. num. 9.* Diana *part. 2. tract. 15. reſol. 26.* & *part. 3. tract. 5. reſol.* 103. contra Bañez *in* 2. 2. *quæſt 69. art. 2.*]

Sed oppoſita ſententia, quam tenet Bañez, vera eſt: nam duo contradictoria Cotonius evidenter involvit: quoniam aut dicendum reum poſt informationem plenam non teneri veritatem fateri, quod doctrina communis & paſſim recepta non admittit: aut eum, qui poſt informationem plenam (immò poſt ſemiplenam) falſum reſponderit, debere ſe retractare & veritatem fateri. Quod ſic perſuadeo. Eadem ratio, quæ probat debere reum poſt informationem plenam veritatem fateri, etiam perſuadet, debere, ſi falſum reſponderit, ſe retractare. Ergo fortis, aut debilis. Si eſt fortis, utrumque perſuadet, & ſi eſt debilis, neutrum. Ratio erat. Quia reus crimen commiſſum poſt ſemiplenam informationem negando, quidquid ſit de Iudice, tacitè aſſerit accuſatorem eſſe improbum & teſtes falſos (quod etiam interdum reus expreſsè dicit) Innocentibus igitur in re graviſſima texit calumniam, & ad reſtitutionem tenetur. Cum autem reſtitutio conſiſtat in retractatione, mendacem ſuam reſponſionem retractare tenetur. Dicit Cotonius omnes ſcire, quod rei in fortitudinis ſpecimen negant in judicio veritatem, & ideò nec accuſatorem, nec teſtes &c. honorem perdere. Id autem non eſt verum, nec ad rem. Multi enim torturæ timore, quæ nunquam fecerunt, fatentur: rari aut nulli ita ſunt pertinaces, ut ſuum crimen occultent: unde ſi id omnes ſciunt, Bañez ſolus eſt peregrinus in Hieruſalem, quia hæc ignorat. Sed demus id univerſos ſcire. Quid ex hypotheſi ſequetur? Sequetur reum poſt informationem ſemiplenam veritatem negando non detrahere accuſatori, & teſtibus, quia eum veritatem negare omnes ſciunt & ideò illis nullum dedecus aut infamiam inurere. Ergo, ſi hoc revera ſit falſum (prout falſum eſt) dici debebit reum poſt informationem ſemiplenam debere veritatem fateri, & ſi hanc neget, gravem injuriam inferre accuſatori & teſtibus: ad reſtitutionem teneri: nec aliter reſtituere poſſe, quàm ſuam falſam reſponſionem retractando & veritatem dicendo.

An omnes rei etiam convicti ob fortitudinis gloriam crimen negent?

An Cotonius oppoſitas doctrinas involvat?

SECTIO IX.

Expenduntur ea, quæ Sectione III. ponebantur.

SIngula recognoſcamus, & primò I gamus paragraphum, *Num Sanchez*, qui bonam doctrinam, ſi bene intelligatur, ediſſerit. Attende.

Petrus vir fide dignus, quem eſſe veracem pluries expertus ſum, & non ſcio fuiſſe interdum mentitum [Quoniam, ſi ſemel malus, ſemper præſumitur malus: ſemel mendax, præſumi debebit ſemper mendax]

An quæ aliquis à viro probo & veridico audit, poſſit non ſolum aſſerere ut vera ſed etiam juramento firmare?

dax] narravit mihi rem in qua non potuit decipi [nam ubi falli aliquis potuit, aſſenſum non extorquet culta ab illo veracitas & ſinceritas: interdum enim decipiuntur veraciſſimi homines, & falſum enarrant decepti:] credo illi: & prudenter facio. Narro amicis, & non mentior: & ſi non mentior, poſſum juramento firmare. Sed, quia propoſitiones, quæ ſacramento firmantur, modales ſunt, oportet conſiderare modum, quo aſſicitur illa, quam juro: poſſem enim dicere

Iuro me hoc audiviſſe.
Iuro me hoc verum eſſe putare.
Iuro me hoc eſſe verum ſcire.
Iuro me hoc vidiſſe.

Et in duobus prioribua juramentis nihil falſi reperio, & ideò nulla eſt in ipſis ſacrilegii ſuſpicio. Cæterùm, in poſterioribus apparet manifeſtè falſitas: & quæ non video, quando agitur de criminibus perpetratis ab aliquo, ego non ſcio. In tribunalibus ſi docti præſideant aut adſiſtant, ſemper jubetur teſtis præbere rationem ſui dicti: at ſæpe ignorantes aut incauti adlucinantur, & non coguntur teſtes à viris audita diſtinguere.

De doctrina Cajetani. An poſſit vel debeat admitti?

In Paragrapho *Quando*, traditur bona doctrina. Cajetani opinatio eſt ſingularis & fulciri gravi aliquo ratiocinio non video: & ideò quomodò procedere debeat, qui illam ſequatur, non inquiro, ſed aſſero neminem illi poſſe adhærere tuta conſcientia.

Reſtrictiones mentales impoſſibiles & inutiles ſunt.

Interim hac clariſſima doctrina rem expedio & demonſtro mentales Reſtrictiones etſi eſſent licitæ nec eſſe impræſentiarum neceſſarias, nec habere locũ in caſu, quo Iudex excedit limitea ſuæ poteſtatis & examinat aliquem de re, de qua nondum poteſt inquirere. Pono exemplum. Hac Petrus nocte fuit occiſus Campaniæ: homicida neſcitur. Poteſt Gubernator quemcumq; interrogare, an viderit, audiverit, vel ſuſpicetur aliquid de authore homicidii?

De inquiſitione generali, quando conſtat de corpore delicti.

At non poteſt inquirere, an Carolus, vir probus & bonus, nulla infamia laborans, illud commiſerit? unde nec poteſt ipſum Petrum citare ad informandum, nec ab ipſo petere, an tale delictum commiſerit? Sed quid, ſi faciat? Poteſt Iudicem obludere & uti æquivocatione, aut Reſtrictione mentali, inquiunt noſtri adverſarii: & ego ſine talibus Reſtrictionibus ad eumdem terminum & merã pervenio. Attende. Si citatus dicat, *Ego reſpondere non volo, quoniam illegitimè & injuſtè interrogor*; ceſſat quæſtio: & Iudicis erit oſtendere, ſe interrogare & examinare legitimè. Et, ſi Gubernator, ſeu Iudex addat minas, aut temerè ad incarcerationem procedat, ſunt Superiores, qui non tolerabant eum impunè inſanire. Sed quia, qui capitur, patitur, multi ſunt, qui hoc modo reſpondere non audent & debent juberi ut directè & quin Iudicem exacerbent, reſpondeant. Magnam lucem tribunalia forenſia à Sacramentali recipiunt, ergo caſum ad Pœnitentiæ Sacramentum transferamus, & inde doctiores redibimus ad forenſe tribunal. Fridemundus commiſit adulterium & fuit ritè confeſſus & abſolutus: furatus eſt materiam levem, & hoc non fuit confeſſus.

Quomodò injuſtè interrogati reſpondere poſſint quin Iudicem iniquum exaſperent?

Nunc iterum ad pedes ejuſdem aut alius Confeſſarii provolutus, *An adulteraverit?* & *An furatus fuerit?* interrogatur; & reſpondet *Non*: & reſpondet legitimè, nec mentali aliqua reſtrictione indiget ne mentiri dicatur. Et cur? Quia circumſtantiæ loci & perſonæ conſignificant eum de peccatis mortalibus & nondum confeſſis rogari. Ergo cum dicit, *Non commiſi adulterium*, verum dicit: non enim commiſit adulterium, quod Sacramentaliter nondum confeſſus ſit.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Et quando addit, *Non commiſi furtum*, verum dicit, nullum enim commiſit, quod mortale peccatum ſit: quia ſicut ipſe non tenetur confiteri venialia, ſic nec ſuis interrogationibus poteſt eum cogere Confeſſarius, ut illa exponat. Ergo ſic ſimiliter de confeſſione quæ fit in Forenſi tribunali philoſophandum eſt.

De Tribunali Politico analogè philoſophandum eſt.

Pone Carolum occidiſſe Petrum: nempe Carolum, qui nulla laborat infamia & à nullo fuit accuſatus, & nullius teſtimonio ſemiplenè convictus. Citatur, vocatur, interrogatur. Non vult diſputare cum Iudice, an juſtè, vel injuſtè citetur, ſed vult ita reſpondere, ut ſuæ famæ, & vitæ non præjudicet. Dicit Iudex. *Carole, occidiſti-ne Petrum?* Viderentur hæc verba habere latiſſimam ſignificationem, ſed contrahuntur & determinantur à circumſtantiis loci, in quo fit examen: & perſonæ, quæ examinat. Hæ circumſtantiæ etiam loquuntur, & debent neceſſariò audiri, dicunt enim. *Attende Carole: debes verum fateri, etiam cum tua famæ diſpendio, cum tuæ vitæ periculo. Intellige bene verba Iudicis; nam interrogat de crimine ſemiplenè probato.*

Interrogatio Iudicis per ipſũ Tribunal reſtringitur: & reus interrogationi reſtrictæ non autem ſimplici reſpondere tenetur.

Ergo illa verba Iudicis, *Carole, occidiſti-ne Petrum?* per circumſtantias conſignificantes reſtricta, æquipollent his, *Carole occidiſti-ne ita Petrum, ut hoc homicidium ſemiplenè probatum ſit?* Et reſpondet directè Carolus, *Non occidi Petrum.*

In ſimilibus materiis inutiles ſunt Reſtrictiones mentales.

Et quia eodem ſenſu, quo interrogatur, reſpondet, bene reſpondet, & tamen nullis mentalibus Reſtrictionibus indiget: nam verba, tam Iudicis, quàm rei, per adjacentes, & conſignificantes circumſtan-

Digitized by Google

ſtantias, quæ ſunt externæ, reſtringuntur.

SECTIO X.

Duodecim illi Caſus, qui Sectione IV. proponebantur, & ab Adverſariis decidebantur, recognoſcuntur.

LApis fundamentalis totius Sectionis IV. à Cotonio, Viro aliàs valdè docto, delineatur his verbis. *Licitum eſt, ex juſta cauſa* (nunquam datur mentiendi juſta cauſa) *uti amphibologia; proferendo ſcilicet juramentum, quod à circumſtantibus accipitur in ſenſu communi, ipſe verò proferens aliud ſubintelligit.*

De Amphibolologia. Quid illa ſit?

Α'μφίβολον, *ambiguum* dicitur, quaſi utrimque percutiens, Scapula vocem paſſivè interpretatur, *quod utrimque feritur.* ἀπὸ τῦ ἀμφί, καὶ βάλλεσθαι. Hinc Α'μφιβολολογία, *dubium verbum, ſermo dubiam ſententiam continens*. Sed pro hac voce, quæ non fuit Græcis antiquis cognita, Scapula in eodem ſenſu ex Athen. ponit ἀμφιβολία: qua voce utitur Ioannes Henricus Alſtedius *in Encyclopadia tom.1.pag.408 & 441.* In Paſſeratii Calepino, quo utor, legitur ἀνφιβολογία: ſed cur λολο in λο tranſierit, non percipio: nã apud ipſum ex voce εἴδωλον, *ſtatua, imago, ſimulachrum*, deducitur εἰδωλολάτρης, *idololatra*, & εἰδωλολατρεία, *Idololatria*. Scio tamen has apud Hiſpanos voces in has, *Amphibologia, idolo, idolatra, idolatria & idolatrar*: & apud Italos in has *amphibologia, idolo, idolatra, idolatrare* tranſiviſſe: unde auderem dicere *Amphibologia*, nec Latinum, nec Græcum nomen eſſe, ſed corruptelam vocis è dialectis vulgatis in Idioma Latinum derivatam. Et hæc de voce.

Sicut ab Idolo Idololatria dicitur], ſic ab Amphibolo Amphibolologia debet dici.

Idiomata vulgata voces has & ſimiles ob pronũciationis ſtudio nationem corrumpunt.

Venio ad rem. *Poſſibile eſt, ut qui ſeorſim loquitur, voces proferat amphibolas, & ſenſuum diverſorum capaces. Raro id poterit facere, qui reſpondet. Raro qui interrogat, aut pollicetur.* Prima pars demonſtratur. Quia ſunt multæ voces æquivocæ, quæ debent ab extrinſeco contrahi: nam ſi dicas, *Ego habeo Arietem*: an animantem, an verò machinam militarem, ſic vocatam, te habere dicas: ergo ex adjacentibus circumſtantiis debebo ſenſum, quo loqueris, prudenter colligere. Si Petrus, *an pro convivio aliquos emere arietes velis?* poſtulet & tu reſpondeas, *Habeo ſatis multos arietes*, vocem *arietes*, quæ eſt in interrogatione, ad animantes conviviũ contrahit & ibi non eſt æquivoca: & in reſponſione eadem vox ab interrogatione contrahitur, & ideò ibi non eſt dubia aut ambigua. Si per Ioannem tibi arietem promittat, vocem contrahet cauſa, nam, ſi promittat, ut comedatur, ceſſat amphibologia, quia militaris machina non poteſt comedi. Si neſciam, cur tibi ſit aries promiſſus, & tamen tu reſpondeas, te illum fore in macelo venditurum, etiam tollitur æquivocatio, nam ibi ſolæ carnes venduntur. Ergo in his, & ſimilibus caſibus mentales Reſtrictiones neceſſariæ non ſunt.

Verba, quæ ſeorſim poſita ſubjacent æquivocationi, ex conſignificantibus circumſtantiis reſtringuntur.

Illud Cotonii Monitum; videlicet, *In his caſibus animus jurantis non debet eſſe fallere proximum, ſed occultare veritatem, quam manifeſtare non expedit*, Contradictoria involvit. [Fatebor autem poſſe interdum hominem ſine mendacio non manifeſtare veritatem; puta, quando realiter & moraliter tacet & quando reſpondet, ut dici ſolet, ad Epheſios. Reſpondet ad Epheſios, quando rogatus de una re, narrat aliam, quæ cauſæ non intereſt; & moraliter tacet, qui reſpondere non tenetur: qui enim tenetur loqui, & tamen tacet, habetur pro confeſſo, quia, qui tacet, conſentire videtur: videmus enim frequentiſſimè contumaces non ſolum contumaciæ, ſed criminis principalis damnari, quia tacere realiter, quando debet quis loqui, eſt virtualiter & civiliter crimen fateri.] Probo itaque hoc Cotonii Monitum involvere contradictionem. Quia fallere eſt ita loqui, ut proximus rem intelligat, aliter quàm eſt in ſe. Ergo qui intendit ita loqui; ut proximus intelligat aliter, quàm eſt in ſe, intendit illum fallere. At qui mentalibus Reſtrictionibus utuntur, intendunt ita loqui ut proximus rem intelligat aliter, quàm eſt in ſe. Intendunt igitur proximum fallere.

De Cotonii verbis. An repugnantes aſſertiones includant?

Quid ſit reſpondere ad Epheſios?

An qui utitur Reſtrictione mẽtali, intendat decipere proximum?

Modò percurramus illos duodecim caſus: ut videamus, an in ipſis aliquid operentur intellectuales Reſtrictiones? Sed non feſtinemus omninò: monendus eſt enim Lector hoc verbum *Non volo* inurbanum eſſe, à viro honeſto indicibile, & expunctum ex Lexico & Theſauro Politico. Id copioſè ediſſerit & dilucidat noſter Σιγαλίον *Art.8.ſect.4. De vocibus Latinis* Volo & Nolo. Ergo ſi expunctis iſtis vocibus loco illarum has videlicet *Poſſum, Non poſſum* Dialectus subminiſtret Politica, omnis ceſſabit quæſtio; nam qui dicit *Non poſſum*, quidquid de ſenſu Grammatico ſit, ſe nolle in politico ſenſu ſignificat. Ergo hoc lucis radio præmiſſo, qui videretur ſolus pro reſolutione ſufficere, caſus ſingulos recognoſcamus.

De vocibus Volo & Nolo. An deleta ſint in vocabulario Civili?
An Poſſum & Non poſſum loco illarum ponantur?

Digitized by Google

De caſu primo.

De Clerico, qui non vult gabellas ſolvere. Ejus verba non per reſtrictionē mentalem, ſed per Exactoris interrogationē reſtringuntur.

FOrtè hodie iterū ſumus in avaro illo ſæculo, de quo *lib.* 12. *c.* 1. Plinius ait: & jam *ad Morinos uſq; pervecta, ad tributarium etiam pertinent ſolum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant*, nam nunc in multis locis numerantur & feneſtræ & camini ut pro luce & fumo ſubditi ſolvere tributa cogantur. Emungamus lachrymas & ab injuſtis & intolerabilibus tributis præſcindentes, de legitimis, moderatis, & obligatoriis diſſeramus. Poteſt Clericus portare merces, quæ ſint gabellæ obnoxiæ: puta, ſi ferat alienas, tanquam proprias, & tunc, ſi neget ſe aliquid portare, mentietur, & tenebitur ad reſtitutionem eo caſu, quo mercium dominus teneretur. Cæterùm, ſi merces ſint tales, ut de illis non debeat ſolvere gabellam, non indiget reſtrictione mentali, ut neget. Et id perſuadeo. Petit vectigalium (aut vectigaliorum, ſi cum Suetonio *in auguſto cap. ult.* & *in Caligul. cap.* 16. loqui placeat) exactor, *An feras aliquid?* quæ verba à loco, & ab officio determinata & reſtricta, agunt de rebus gabellæ obnoxiis. Tu es Clericus; & nihil omninò fers legibus gabellæ contentum; tametſi multa feras, reſpondes *Nihil fero*, videlicet, *gabellæ obſtrictum*. Ergo, cur ad intellectualem Reſtrictionem, ſine fructu propelleris, quãdo vides tua verba ab ipſamet interrogatione eſſe reſtricta,

De caſu ſecundo.

Caſus, qui malè proponebatur reponitur.

CAſus non bene proponitur: quia ſi non debet & ſe non debere reſpondet, nec externa (quæ à circumſtantiis ſumitur) nec interna (quæ à mente ſumeretur) indiget Reſtrictione, Ergo caſum prout debet, proponamus,

Interrogatus in judicio Iſidorus, an receperit mutuò centum, ſi illa ſecretò bona fide reſtituit, & tamen iterum repetantur, poterit reſpondere, ſe illa non recepiſſe. *Vel* in ſimili caſu, ſi Petrellus centum receperit, & tamen ſexaginta ſecretò reſtituerit, poterit dicere, ſe non centum, ſed tantùm quadraginta recepiſſe.

Qui cum teſtibus aut Scriptura pecunias recipit, non debet ſolvere ſine ſcriptura & ſine teſtibus.

Caſu hoc modo propoſito, ſupponimus eum, qui pecunias mutuavit, nec chirographum, nec teſtes habere, quibus debitum probet. Si enim, qui recepit pecunias, cautionem externam ſcripturæ vel teſtium danti exhibuit, imprudenter egit, ſi ſolvit ſecretò & ſine teſtibus, quin ſuum chirographum recuperaret. Et imprudentiùs aget, ſi ſe recepiſſe neget, quæ per teſtes & ſcripturam probari poterunt. Ergo, ut caſus ſubſiſtat, pecuniarum receptio, æquè ac ſolutio debet eſſe ſecreta.

Quomodo verba Actoris & Iudicis in Civili Tribunali reſtringantur?

Et reſolvimus Iſidorum poſſe dicere, *Nihil recepi*, & Petrellum, *Non centum, ſed quadraginta tantùm recepi*, & utrumque ſine ulla reſtrictione mentali; & oſtendo clariſſimè. Centum enim aureos, qui ſibi debentur, & ſunt ſibi ex juſtitia ſolvendi, petit in tribunali creditor. Et interrogat Iſidorum Iudex, *Recepiſti hos centum aureos?* Hæc interrogatio per petitionem Creditoris contrahitur, ut ſit, *Recepiſti centum aureos, quos nunc debes Titio, & ſolvere ex juſtitia teneris?* Reſpondet Iſidorus, *Non recepi*, hoc eſt, *Non recepi centum tales aureos; videlicet, quos nunc ſolvere debeam*. Si libellus ſupplex à Titio porrectus & ratio Officii Tribunalis, & aliæ cõſignificantes circumſtantiæ verba Iudicis contrahunt & Iſidorus Iudici directè reſpondet, quo fructu mentales Reſtrictiones fingemus. Pari modo Petrelli verba eſſe vera ſuadebimus. Centum receperat; ſolvit ſecretò ſexaginta; & quadraginta tantùm debet. Creditor petit totam ſummam; nempe, aureos centum: ſed quales ſibi debitos. Ergo iſta circumſtantia etſi non exprimatur, aureos illos afficiet, de quibus agitur in tribunali. Vocat Petrellum Iudex, aitque: *Recepiſti centum aureos à Titio*, ſubintellige, *quos nondum ſolviſti; quos nunc ipſe debes*: hæc enim reſtrictio à conſignificantibus circũſtantiis provenit. Et Petrellus reſpondet *Non centum mutuos, ſed tantùm quadraginta recepi*. Et quidem directè & veraciter: nam hi ſoli ſunt aurei recepti, quos nondum ſolvit & reſtituere debet: nam de aliis ſexaginta non agit interrogatio Iudicis per conſignificantes circumſtantias reſtricta. Ergo etſi eſſent poſſibiles, quod nego: ergo etſi eſſent licitæ, quod etiam nego: hic non habent locum Reſtrictiones mentales,

An ſint poſſibiles, licitæ, & utiles Reſtrictiones Mentales?

De caſu tertio.

Quinque caſus ſimiles proponuntur.

TAmetſi unicum exemplum ponatur, nos doctrinæ uberioris gratia aliqua addamus. (1) Petit Claudius librum, quo vel maximè indiges, vel quem non vis amittere, & tu reſpondes, *Non habeo*. (2) Poſtulat Pſiccus eleemoſinam, & licèt nummis tua gravetur crumena, audes dicere, *Non habeo*. (3) Rogat Colnæus, ut falſum teſtimonium feras & ais, *Non poſſum*. (4) Deſiderat Fanius, ut cauſam Proregi commendes & reſpondes, *Non poſſum*. (5) Obſecrat Theodomirus, ut rem facias, quam ſine detrimento potes,

&

& tamen non vis facere, eumque dimittis dicendo, *Non poſſum*. Videamus, an quinque hæ reſponſiones ſtare poſſint ſine Reſtrictione mentali?

Ante reſolutionem dico, ex his duobus ſyllogiſmis; quorum prior eſt,

Hæ quinque Reſponſiones ſtare non poſſunt ſine Reſtrictionibus intellectualibus.

At ipſæ ſtant.

Ergo Reſtrictiones intellectuales veniunt neceſſariò admittendæ.

poſterior verò,

Hæ quinque Reſponſiones ſtare nequeant ſine Reſtrictionibus intellectualibus.

At hujuſmodi Reſtrictiones ſunt pura mẽdacia & admitti non poſſunt.

Ergo hæ reſponſiones non ſtant.

me non tueri primum. Quam ob rem, ſi ſit aliqua Reſponſio, quam circumſtantiæ conſignificantes non excuſent, potiùs dicenda eſt eſſe ipſa mendax, quàm à mentali aliqua Reſtrictione veracitatem indipiſci. Hoc monito præmiſſo Reſponſiones præmiſſas perpendamus.

An, qui rem mutuam dat, illam perdidiſſe cenſendus ſit: & inimicũ lucrari, ſi illam repetat?

PEtiit à me Claudius ut ſibi Clariſſimi D. Dominici de Rubeis Forenſia Certamina mutuem. Et timeo, ſi adnuam inter nos certamina collatum iri. Plautus *in Trin.* me monet, *Siquis quid mutuaverit, ſit pro proprio perditum. Nam ego talentum, mutuo quod dederam talento. Hoc inimicum mihi emi, amicum vendidi*; hoc eſt, *pretio perdidi*. Liber eſt elegans, eruditionis plenus & mihi neceſſarius, ut ſententiis, quibus ipſe exuberat, meos exornem. Si ſemel dedero, nunquam recuperabo: ſi repetiero, illico Claudius offendetur. Quid ergo reſpondebo, *Non habeo*? At illum habeo: non ergo reſpondebo verum. Sed video locum, & veritatem in illo reſponſo reperio. Liber petitur mutuus, ut non reſtituatur. Ergo petitur mutuus & donatus. Ergo mutuus ſimul & non mutuus: & ego librum, quem dem mutuum & non mutuum, non habeo. Præterea, petitur ab amico, qui non vult meũ damnum, immò neq; meam incommoditatem. Illo ego libro ſummè indigeo. Ergo D. de Rubeis certamina, quæ dem ſine damno & incommoditate non habeo. Ergo ſi reſponſum ita conſignificantes circumſtantiæ reſtringunt, non abſum à veritate, quando dico, *Non habeo*.

An qui eleemoſynam petenti reſpondet, Non habeo, *aut mentiatur, aut utatur reſtrictione mentali?*

PSiccus petebat eleemoſynam: habebas marſupium nummis plenum, & tamen eum dimittis dicendo, *Non habeo*. Si eſſe hæc verba expertia veritatis dicamus, ceſſat Quæſtio: illam enim videtur tollere S. Auguſtinus, cùm in pſalm. 103. ſic inſit. *Nemo dicat*, Non habeo. *Charitas de ſacculo non erogatur*. Interim hoc exemplo utuntur Adverſarii, ut ſuas mentales Reſtrictiones tueantur; & arguunt ſic.

Omnes reſpondent hoc modo, ut durioribus verbis petentem ſtipem, affligant.

Nullus in hoc modo reſpondendi format ſcrupulum; aut putat ſe proferre mendacium.

Ergo hic reſpondendi modus verax eſt; ſincerus eſt; remotuſque ab omni ſuſpicione mendacii.

Sed, ſi verba materialiter conſiderentur, falſitatem important.

Ergo adſignanda eſt aliqua forma extrinſeca, per quam reſtringantur.

At nulla adſignari poteſt præter intellectus actum dicentem mentaliter, ut tibi dem.

Ergo illa verba vocalia, Non habeo, *per hunc intellectualem actum*, ut tibi dem, *reſtringuntur, ut tota reſponſio ſit*, Non habeo, ut tibi dem.

Reſtrictiones igitur mentales veniunt neceſſariò admittendæ.

Permitto totum primum ſyllogiſmum tranſire; quoniam Concluſio eſt vera, licèt probatio claudicet. Sanè Major illa, *Omnes reſpondent*, &c. eſt vera, & à S. Auguſtino *in pſalm.* 103. conſulta. *Si potes dare*, ait S. Pater, *da; ſi non potes, affabilem te fac; coronat Deus intus bonitatem, ubi non invenit facultatem*. Minorem illam, *Nullus in hoc* &c. eſſe ſimiliter veram exiſtimo: & tamen inferri Concluſionem non video; non enim opiniones omnes communes veræ ſunt. Quoniam ante Columbum ſententia erat communis, quæ negabat Antipodas (& tam communis, ut cùm ipſe in Caſtella, Luſitania, Gallia, Anglia, &c. de ultramarino mundo diſſereret, viſus ſit delirare) & tamen erant, & ſunt; & ad eos diriguntur claſſes Hiſpanicæ, Batavicæ, &c.

De Antipodis An illorum aſſertio ante Chriſtophorum Columbum habita fuerit tanquam fabula?

Admiſſo igitur priori Syllogiſmo, nego illam Minorem; *ſed, ſi verba materialiter conſiderentur*, &c. eſt enim falſa. Et, ut id evidenter oſtendam, quid eleemoſynæ nomine importetur, expono.

Idem profectò nummus, à variis & diverſis uſibus diverſa ſortitur vocabula. Si detur Magiſtro, vocatur *Minerval*: ſi Nautæ, *Naulus*; ſi Militi *Stipendium*: ſi Famulo *Salarium*; ſi Amico *Donarium* (Hiſp. *un par de guantes*: & Belg. Drinck geld:) & tandem ſi pauperi & egeno *Eleemoſyna*, ab ἔλεος, ἐέος τό. quod eſt *miſericordia*. Vide S. Thomam *in* 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 1. & Magiſtrum *in* 4. *Sentent. diſt.* 15. Non ergo quæcumque pecunia eſt Minerval, ſed

Idem nummus pro diverſis uſibus deſtinatus diverſa ſortitur vocabula.

quæ Magiſtro eſt deſtinata. &c. Ergo, ut nummi, quos in ſacculo habes, ſint eleemoſyna, requiritur, ut illos priùs Miſericordia indigis deſtinaveris. At illa tua pecunia, quam habes, eſt tibi ad alios uſus. Ergo non habes tunc pecuniam, quæ ſit eleemoſyna. Pauper non Minerval, non Naulum, &c. ſed Eleemoſynam poſtulat. Ergo verè reſpondes, quando dicis, *Non habeo*. Fruſtra ergo Adverſarii ad mentalem Reſtrictionem recurrunt. Sed de hoc uberiùs in noſtri Scholaſtici Phoſphori Tract. IV. Proœmiali de Nominalium Schola Artic. III. Critico diſputatur.

Illa, quæ ſunt illicita, ſunt impoſſibilia moraliter.

TE rogabat Colnæus, ut falſum teſtimonium præberes. Reſpondiſti, *Non poſſum*, Et reſpondiſti bene, non enim poteſt homo teſtimonium perhibere de falſo. Ab antiquis Philoſophis hoc accepimus Morale Monitum, Μέχρι τȣ̃ βωμȣ̃ φίλος εἰμί, *Vſque ad aras amicus*. A. Gellius. Conſonat Licurgus, dicens, *Eatenus amicis & familiaribus auxilium ferendum eſt, quatenus perjurium non admittitur*. Non enim ſunt veri amici, niſi quos Charitas Divina conglutinat; unde aliud Proverbium prodiit, Εἷς Θεὸς καὶ πολλοὶ φίλοι, *Vnus Deus, & plures amici*, & inſinuat plures parandos eſſe amicos, quorum tamen pluralitatem componat, & ad unitatem reducat εἷς Θεὸς *unus Deus*. Nec Colnæus primus, qui auſus rem injuſtam rogare: nam apud Plutarchum *in Apophth.* Pericles amico roganti, ut pro ſe falſum diceret teſtimonium, dictumque jurisjurandi religione firmaret, reſpondit, *Se quidem ejus amicum eſſe, ſed uſque ad aram*. Sentiens gratificandum eſſe amicis, ſed citra juramenti violationem. Scio eſſe aliquos, qui ſe profiterentur amicos, etiam ultra aras; at ipſi ex illo ſanctiſſimo Proverbio, εἷς Θεὸς, καὶ πολλοὶ φίλοι, priorem partem obliterant, ut Deum ignorent, & poſteà ararum pietatem non morantur, & hi vocari debent ψευδοφίλοι. Ex eorum grege erant plurimi Romæ, in quos Iuvenalis Satyr. 13. numeros ſequentes præſtringit.

Amicis favendum eſt uſque ad aras, hoc eſt, quantum honeſtas & lex divina permiſerit.

ψευδοφίλοι, qui ſint?

Athei audacter & temerè jusjurandum effutiunt.

Sunt, qui in Fortuna jam caſibus omnia ponant,
Et nullo credant Mundum Rectore moveri,
Natura volvente vices & lucis, & anni.
Atque ideò intrepidi quæcumque altaria tangunt.

At tu, quia ſcis Deum eſſe, qui & ſit Mundi rector, & hominum Iudex, putas tibi Menandrum loqui, cùm ait:

Altaria tangere eſt jurare.

Θεὸν ἐπιορκῶν μὴ δόκει λαθεῖν ἄν.
Deum pejerans, ne putes latere.

Et ideò Colnæo reſpondes, *Te non poſſe*.

Si fortè Colnæus inſtet, non eſſe perjurium impoſſibile, cùm multos pejerare viderimus; quis enim neſciat, ab actu ad potentiam optimè argumentum procedere: Ergo, ſi alii pejerare potuerunt, aut etiam pejerarunt de facto, & tu poteris. Mentitis igitur, quando dicis, *Non poſſum*.

Potentia eſt duplex: alia phyſica & realis, alia moralis & Theologica.

Si hoc modo inſtet Colnæus, adhuc te tuebor, & verum te dixiſſe ſuadebo. Caremus frequentiſſimè vocibus, & ideò quæſtiones quæ videntur Theologicæ, aut Iuridicæ, in Grammatica naufragium ſubeunt. Sanè *Potentia* differt à *Poteſtate*: illa enim concernit vires phyſicas, hæc autem ethicam authoritatem. Infantem hunc quem reſpicis, occidere potes, & non potes. Potes quidem phyſicè, nam habes ſufficienter vires ut eum ſtrangules. Ergo habes illum occidendi potentiam: at quia authoritatem illum occidendi non habes, cares poteſtate, & hoc ſenſu non potes. Ergo debuiſſet Latinus Nomenclator invenisse duo verba, quorum alterum à potentia & alterum à poteſtate deduceretur: at brevitatis gratia unico fuit contentus, quod ſerviret utrique: (nimirùm, *poſſum, potui.*) quod licèt ſeorſim ambiguum, à circumſtantiis adjacentibus reſtringitur & determinatur, nam quando tu dicis *Pejerare non poſſum*, non dicis te non habere linguam, adeoque nec potentiam, ut falſum teſtimonium perhibeas; ſed te non habere poteſtatem ut ſacrilegum mendacium proferas.

Verbum Poſſum æquivocum eſt. Poteſtque realiter & moraliter conſiderari.

SEd neque Theodomiro mentitis, quando ipſe poſtulanti ea, ad quæ facienda potentiam & poteſtatem habes, & quia illa nihilominùs facere non vis, *te non poſſe*, reſpondes. Quoniam, ut *diſp. 9. de Terminorum proprietatibus, art. 5. de Reſtrict. mentalib. ſect. 2. concl.* 10. reſolvi, eſt in qualibet lingua duplex Lexicon; alterum, ut intelligamus, quæ dicuntur; alterum, ut loquamur. Illud prius (quod, *el Vocabulario de Adan*, Hiſpanus nominat) etiam voces obſcœnas, inurbanas (Hiſp. *deſcortezes*) & antiquatas continet; illis caret poſterius; & ratio poſtulat, ut eas, ſi fortè dicantur, intelligamus; non autem, ut illis linguas noſtras inquinare audeamus. Modeſtia & Vrbanitas, quæ à poſteriori Lexico obſcœna verba exeſſe juſſit, etiam, ut ſub initium Sectionis monebamus, verbum *nolo* expunxit; nam in Hiſpania v. gr. cum lacte ſugunt pueri, *que es gran deſcortezia, decir, No quiero*. Ergo,

Verba obſcœna, inurbana, qualia ſunt volo & nolo modeſtia expunxit à vocabulario Civili.

ſicut

ſicut poſterius Lexicon, ſuppeditat mihi voces modeſtas graveſque, quibus res obſcœnas ſignificem, debet mihi ſuppeditare aliquam, quam pro expuncto verbo *nolo* ſubſtituam, & jam conveniunt univerſi, ut ſubrogetur hæc, *non poſſum*.

Et hic obiter monendi ſunt modeſti Viri, ut ita voces obſcœnas fugiant, ut non percipiant Auditores, ſi fieri poſſit, eos idola obſcœna habere in mente. Reprehendi enim à Viris magnis audivi Angelum Manricum, eloquentiſſimum Concionatorem, qui ut carnium eſum à Benedictina Regula interdictum incriminaretur, dixit, *Al deleyte, que les dan las carnes, ſe ſeguirà el dolor, de haverlas comido*. Ecce *carnes* dixit non *carne*; quoniam *carne* in ſing. eſt æquivocum, & æquè gulam ac luxuriam ſignificat. Ergo dum præter dialecti noſtræ leges ad pluralem recurrit, admonet Auditores ſe habere luxuriam in mente; & velle, ut illam lingua fugeret. Dicebant noſtri avi, *El pulpito no tiene poſte* hoc eſt *Speculationes, phraſeſque quas Eccleſiaſtes declamavit in templo, non jubetur diſſerendo defendere*. At hodie tam ſunt delicatæ hominum aures, ut vir maximus reprehendi debeat, quod ita vocem caſtam eſſe voluerit, ut inſinuaret habere in mente ſpeciem rei non caſtæ.

Non ſolùm voces laſciva pronunciari non debent, ſed neque inſinuari eſſe in mente ejuſmodi cogitationes.

Caro *in ſingulari eſt nomen æquivocum, in plur. æquivocatione emaculatur.*

Etiam in hoc aliquæ perſonæ ſunt nimiæ, faciuntque ut ſua reflectio cogat ut etiam auditores reflectant. Βασιλικὸν eſt juglandis genus optimum, quod *Perſicum* dicitur: & eſt unguentum, quod à præſtantia *regium* dicitur; & nomen Græcum retinet in pharmacopœorum officinis. Vltima ſyllaba, exciſa à cæteris, apud Gallos eſt obſcœna & abſurda, & naturã fœmineã ſignificat, & ideo vocem *choſe*, ut illam modeſtè ſignificent, uſurpare conſueſcunt; quos etiam imitantur Hiſpani, cum eandem rem vocant *ſu coſa*. Et, quia aliquæ modeſtæ virgines, cùm hoc unguentum (quod valde commune eſt) nominare debent, ne voce obſcœna & turpi linguam maculent, *Baſilicoſe*, dicunt, oſtenduntque ſe cogitare ſordida, quæ nemo perciperet, ſi non ineptirent, ſed voce communi uterentur. Prudentia habet ſuos limites, jubetque ut modeſtæ perſonæ nunquam voces obſcœnas proferant, ſed tamen illarum loco alias ſubſtituant circumſpectè.

Βαφιλικὸν. *Quid ſit?*

De Caſu quarto.

Compulſum à perſona privata precibus importunis te poſſe cum æquivocatione jurare aſſerebat Rodriguez: & Ego impoſſibilem eſſe æquivocationem aſſero, ubi eſt, qui de tali re determinata juramentum extorqueat; quia reſponſio, ſi latiùs materia liter pateat, per interrogationem contrahitur. Pono exemplum. *Non* eſt una ſyllaba, quæ ſi ſeorſim ſumatur, patet latiſſimè, & omni poteſt Enti adjungi: omni nomini, ut illud infinitum reddat: omni verbo, ut illud reddat negativum. Non ſolùm nomina & verba afficit, ſed & ſignis ſyncategorematicis, & adverbiis adhæret: nam qui ſolemus dicere, *Non homo, non equus, non animal*. &c. *Non curris, non ſedes, non loquitur*, &c. etiam poſſumus dicere, *Non omnis, nonnullus, non aliquis*, &c. nec non *Non bene, non malè, non tardè, non velociter*. &c. Verum enim verò tota hæc vocis *Non*, quaſi infinita latitudo ita in reſponſione reſtringitur, ut & vox *Non* ſit integra Propoſitio & ad unicum determinata. Pono exemplum. Legitur in Hiſt. Evang. ὅτε ἀπέςειλα ὑμᾶς ἄτερ βαλαντίον καὶ πήρας · καὶ ὑποδημάτων μήτινος ὀςερήσατε, οἱ δὲ εἶπον, ὀυδενός. *Quando miſi vos ſine ſaculo & pera, & calceamentis; nunquid aliquid defuit vobis?* (nunquid aliquo defecti eſtis?) *Illi autem dixerunt, Nihil*. Vbi vocem ὀυδενός, *Nihil*; quæ aliàs indefinitè pateret, quia ponitur in reſponſione, ab interrogatione contrahitur, ut tranſeat in integram propoſitionem; in hanc nimirùm & non in aliam. *Nihil defuit nobis*. Debebit ergo Rodriguez oſtendere poſſe eſſe reſponſionem amphibolam, nec à petitione, nec ab interrogatione reſtringi, & hanc ob rem quouſque exemplum opportunum producat, nos *Caſum hunc quartum impoſſibilem eſſe* dicamus.

De particula Non. quæ latè pateat, ſi ſeorſim accipiatur.

Lucæ. 22. 35.

Non *aut* Nihil *in Reſponſione poſitum per interrogationem reſtringitur.*

De caſu quinto.

Magis diſplicent, quæ hic ex eodem Rodriguez ponuntur. Sunt moleſtiſſimi interrogatores, à quorum impudentia ſic ſe aliqui prudenter expediunt. Si te interrogat Florus, *Quid comediſti?* ſic inſta, *Vt poſſim tibi reſpondere directè, dicas mihi, quo hora iviſti cubitum heri? quid ſomniaſti? qua hora fuiſti experrectus? qua ſurrexiſti* &c. dumque ille reſpondet; centenas alias interrogationes cogita, quibus illum obtundas. Petet tandem cur hæc ſe interroges? & repones, *Et cur tu illa me interrogabas?* Sic ſolent homines imprudentes interrogationes repellere: non autem mentiendo, aut pejerando. Licet non reſpondere at dicere falſum non licet.

Quemadmodum ineptè Interrogatoris poſſit moleſta curioſitas retundi?

Si ille, qui interrogat, minas admiſceat; puta ſi dicat, *Occidam te, niſi mihi reveles, an heri fueris talem domum ingreſſus?*

mia

Digitized by Google

De minis. An qui minitando interrogat, ſe per injuriam ſuperiorem conſtituunt?

jam non rogat,ſed jubet: jam ſe tibi ſuperiorem conſtituit; & niſi obedias, pœnam ſtatuit. Ergo ut reſpondere ſcias, recognoſce, quæ de reo à Iudice illegitimè interrogato dicebamus. Tunc enim circumſtantiæ adjacentes conſignificant. Ille interrogat de ingreſſu, de quo tu habeas obligationem reddendi ſibi rationem. Tu ſanè ingreſſus fuiſti illam domum, non autem cum hac obligatione. Ergo directè reſpondebis,ſi dicas, *Non fui ingreſſus* nec ad hoc mentalem aliquam Reſtrictionem requires. Sed in hoc caſu aperire oculos debes,ne in circumſtantia aliqua adlucineris. Interim legere proderit noſtrum Κριτήν in cujus capite I.de Reſtrictionibus Tranſcendentalibus tam publicis, quàm privatis diſſeritur.

De caſu ſexto.

De Confeſſario. Quomodo debeat reſpondere inquirenti de rebus in Confeſſione auditis?

Illum non bene expedit Graffius, nam jubet ut te interroganti, an tale peccatum fuerit Petrus confeſſus,reſpondeas *Hoc nunquam fuit confeſſus mihi*, ſubintelligendo, *ut puro homini*. Et quid ſi adhuc ſacrilegus Tyrannus inſtet & interroget, *an illud audiris in confeſſione, ut Deus?* ut reſpondeas, *Nunquam illud audivi, ut Deus*, jubet, ſubintelligendo, *ut cauſa principalis*. Et hic ſiſtit & quieſcit: ac ſi non poſſet ille progredi & progredi, & ex reſtrictione novum motivum ſumere, ut rem eò deducat, ut non ſit locus reſtrictioni ulteriori. Quid enim tibi reſpondendum ſuggeret Graffius, ſi adhuc Tyrannus progrediatur & roget, *An ſaltem illud peccatum audieris in confeſſione ut Deus in genere cauſæ inſtrumentalis?*

An indigeat aliqua Reſtrictione Mentali?

Aut non poteris reſponſionem reſtringere,aut ſi reſtringas, ille iterum oppoſitum reſtrictionis adſumet & te iterum interrogabit. Sanè miſera eſſet pœnitentium conditio,ſi ab intellectualibus,quę finguntur,reſtrictionibus Confeſſariorum penderet veracitas. Te ego ſine mentali aliqua reſtrictione ab omni mentiendi periculo eximo.Attende.

Quid ſit Ens virtuale?

Ens virtuale (centies dixi, ſed non debet oblivioni mandari) *eſt, quod revera non eſt quale dicitur* (non enim revera eſt ens) *prudentum tamen ſuppoſitione & judicio ita ſe habet, ac ſi quale dicitur eſſet* (ac ſi eſſet ens.)

Quid ſit Exiſtentia Moralis?
Defunctus poſt realem mortem per annum integrum civiliter, & politicè vivit.

Exiſtens moraliter, ſeu virtualiter eſt, quod revera non exiſtit,prudentum nihilominus ſuppoſitione & judicio ita ſe habet,ac ſi revera exiſteret. Talis exiſtentia in Teſtatore reperitur, qui non eſt in rerum natura,quando rerum dominium in hæredē tranſit, & tamen tunc vivit virtualiter & civiliter, quia à Republica habet ut ita ſe habeat, ac ſi revera viveret.

De Non exiſtentia virtuali.

Non exiſtens moraliter aut virtualiter illud eſt,quod revera exiſtit,ſed prudentum ſuppoſitione & judicio ita ſe habet ac ſi non exiſteret. Huc circumſtantiæ pertinent, quæ teſtamenta non dirimunt, & tamen pro non adjectis reputantur. Sunt enim realiter in teſtamento, at ita ſe habent, ac ſi ibi non eſſent.

Nonnulla in teſtamentis, quæ realiter ſcripta ſunt, civiliter nō ſcripta cenſentur.

Huc pertinet illud Sancti Bernardi, *Quod probari non poteſt, mihi infectum eſt*: omnia enim, quæ verè fuerunt facta, ſi in tribunali non probentur, ita inſtruunt in ſententiam Iudicia, ac ſi nō fuiſſent facta. Ergo tametſi realiter extiterint, virtualiter & civiliter non extitetunt.

Quo ſenſu ſervus dicatur eſſe nullus?

Inſtituit Reſpublica, ut in ordine ad agendum & obeundas dignitates ſervus ſit *nullus*. Non poteſt Reſpublica facere, ut ille ſit nullus realiter: eſt enim homo individuus,ac ideò eſt aliquis homo. Servus ergo in judicio agere non poteſt, ad dignitates promoveri non poteſt. Unde, ſicut ille nullus eſt,eodem ſenſu actio, ab illo inſtituta erit nulla & etiam erit nulla, quæ de ipſo facta fuerit promotio. Si vacat in Senatu aliquis locus & adſpirat ſervus,verè dicemus nullum ad illum adſpirare,quoniam ſervus eſt *nullus*, & ubi nullus adſpirat,verum eſt non eſſe qui adſpiret.

Peccata confeſſa moraliter loquendo ſunt nulla.

Hinc ad Pœnitentiæ Sacramentum redeamus. Peccata in confeſſione dicta Chriſtus ſupremus Legiſlator & Myſteriorum Sacramentalium Inſtitutor, voluit eſſe nulla in ordine ad revelandum. Ergo quæ in confeſſione dicta ex Chriſti inſtitutione in ordine ad revelandum ſunt nulla, ſunt non dicta, non facta. Hoc Chriſtus decernere potuit: hoc de facto decrevit. Ergo illa quæ realiter in confeſſione audivi, poſt abſolutionem ſunt virtualiter inaudita & in ordine ad revelandum ita ſe habent, ac ſi nunquam audita fuiſſent. Ergo rogatus confeſſarius, an Petrus tale ſibi fuerit crimen confeſſus, negativè reſponder; quoniam peccata quæ realiter ſibi ſunt dicta, poſt confeſſionem ſunt virtualiter non dicta, ſic Domino Noſtro Ieſu Chriſto inſtituente: & quo ſenſu non fuerunt dicta, eodem non ſunt audita. Ergo ſi illa non audivit virtualiter, veraciter & ſine intellectuali Reſtrictione dicere poterit *Non audivi*; & ſe non audiviſſe, ſi opus fuerit, juramento firmate.

Ex hac doctrina cognoſcitur, in quo conſiſtat ſigillum ſecreti naturalis: non enim à mentali aliqua reſtrictione de-

pen-

An Secretum naturale vel Sacramentale à mentali Reſtrictione dependeat?

pendet. Ad Ioannem acceſſit Antonius & petit ut ſub ſecreto naturali recipiat, quæ vult ipſi communicare; adnuit ille: & negotium enarrat Antonius; & Ioannes Iure naturæ ad ſecretum tenetur: & ſi revelet, peccabit mortaliter. Vt rem melius intelligas, pone Antonium dixiſſe Ioanni. *Ego cognovi Liviam uxorem Caroli & ex illa habui filium, quem Carolus putat ſuum & erit bonorum hæres. Angor ſcrupulis & quid facere debeam ignoro.* Secretum eſt de re graviſſima: agitur enim in illo de vita fœminæ, de infamia utriuſque conjugis, de hæreditate filii &c. & ideò obligat ſub mortali. Incipit aliquid ſuſpicari Carolus, & quia ſcit Ioannem eſse amicum Antonii & inter amicos omnia ſecreta patent, Ioannem tandem convenit & interrogat, an ei faſſus fuerit Antonius ſe cognoviſſe Liviam. Negat Ioannes. Eum Carolus adjurat. Et Ioannes ſe nihil ſcire de hac re ſacramento confirmat. Reprehendit vanas ſuſpiciones in Carolo; monet, ne ſit ſuæ uxoris puritati injurius, quod agat gratias Deo, quod in uxorem fuerit exemplum pudicitiæ ſortitus. At contrarium ſcit Ioannes: ergo ne fuit mentitus, mendaciumque ſacrilegio aggravavit. Si fuiſſet negando mentitus, debuiſſet ne mentiretur rem fateri, amicũ prodere & ſecretum violare. At ſi id faceret, omnes eum dicerent, peccaviſſe mortaliter, perfidum eſſe & teneri ad reſarcienda damna, quæ ex proditione reſultarent.

Secretum naturale obligat ſub peccato mortali.

An illa, quæ in ſecreto naturali ſciuntur, poſſunt licitè ſub jurejurando negari?

An, qui ſecreta revelet, teneatur ad reſtitutionem?

An recurrendũ ſit ad aliquam reſtrictionem mentalem?

Vt ſe expediant nonnulli, ne dicant Ioannem mentitum fuiſſe rem negando, ad mentalem Reſtrictionem confugiunt, & ejus verba externa, *Nihil ſcio*, coarctari jubent per hunc intellectualem actum, *ut tibi dicam*; quod ſi admitteretur, omnia poſſemus ſine mendacii ſuſpicione negare. Ergo & debebimus dicere, Ioannem non fuiſſe mentitum & hoc aliunde demonſtrare.

Quid importet contractus naturalis ſecreti?

Oportet, ut rem medullitùs intelligas, ſcire, in quo formaliter conſiſtat Secreti naturalis ratio. Dicit Antonius. *Tuo indigeo conſilio & ideò aliquid tibi dicam, ſub ſigillo ſecreti naturalis.* Acceptat Ioannes, & fit de ſigillo contractus. Sed quid eſt facere contractum de ſigillo? Attende: verba enim Antonii his æquivalent. *Indigeo tuo conſilio in re gravi. Dicam aliquid, hac tamen lege, ut ſupponamus illa manere inter nos duos & eſſe non dicta in ordine ad alios.* Acceptat legem Ioannes. Ergo Antonii verba reſpectu aliorum erunt ineffabilia: & erunt virtualiter, nec ab Antonio dicta, nec à Ioanne audita. Quando ergo interrogat Ioannem Carolus, petit an dicta ſint quæ non ſunt dicta virtualiter: quæ non ſunt audita virtualiter. Ergo ſi virtualiter non fuerunt à Ioanne audita, mentiretur Ioannes, ſi ſe audiviſſe diceret, quæ virtualiter non audivit. Verum igitur dicit, quando talia ab Antonio ſe nunquam audiviſſe teſtatur. Et hæc impræſentiarùm de utroque ſecreto naturali & Sacramentali diſſeruiſſe ſufficiat. Qui autem doctrinam uberiorem deſideret, legat noſtrum Κριτὲν, in cujus Cap.II. Art.XI. & XII. omnia medullitùs expedita reperiet.

Quid debeat facere, qui innocenti falſum crimen adſinxit?

SEd interrogas, *Ad quid teneatur, qui detraxit?* Sanè, ſi crimen falſum quis alicui impoſuit, tenetur ſe retractare, & aſſerere ſe falſum dixiſſe.

Sed eſt controverſia inter Theologos de retractationis modo: quoniam Villalobos *to.2.tr.11.diffic.*37.*n.*3. Sylvius *in* 2.2. *qu.* 62.*art.*2. *quaſt.* 12. *tract.*32. *cap.*10. *num.* 245: & *quaſt.* 10. & alii docent detractorem, ſi non ſit vir magnæ authoritatis, teneri retractationem ſuam juramento firmare; & addit Molina *tom.*5.*diſp.*41. debere, ſi opus ſit, teſtes etiam producere. Sed contra Faber *in* 4.*diſt.*15.*quaſt.*3.*diſp.* 53.*cap.*1.*num.*32. nec teſtes nec juramentum requirit, putat enim ſufficere, ut qui ſimpliciter loquendo detraxit, ſimpliciter loquendo reſtituat: non enim aliud S. Thomas *in* 2.2.*quaſt.*82.*art.*2.*ad* 2. Scotus *in* 4.*diſt.*15. & alii antiqui Doctores requirunt. Vide Dianam *part.*3. *tract.*5. *reſol.* 39. Sed ego ſtatim inquirerem, cur Villalobos, Molina, Sylvius graviùs eum onerent, qui parvam authoritatem habet. Ante menſem narrabat mihi quidam doctus & gravis, Titium coram ſe retractaſſe, quæ de Semphronio dixerat: & à ſe fuiſſe dimiſſum his verbis. *Superflua eſt, Titi mi, hæc retractatio, nam nemo tibi adhibet fidem.* Sanè deciſio à Theologorum placitis non dependet: nam omnium hæc eſt Reſolutio, *Mendacem detractorem debere indemnem proximum injuria affectum reddere, reſtituendo illi honorem, quantum detraxerat.* Modò ſi ſimpliciter loquendo detraxerat, videndum eſt, an apud eos, qui falſum teſtimonium audiverunt, per ſimplicem detractoris retractationem innocens totum honorem, quem amiſerat, poſſit recuperare. Si poſſit, non eſt neceſſarium juramentum, aut teſtes producere. Si autem retractatio ſimplex ad amiſſi honoris recuperationem non ſufficiat, debet juramentum adjungi: &, ſi nequidem hoc videatur ſufficere, debent teſtes produci, & hoc nec S. Thomas, nec Scotus, nec aliquis vir prudens negabit. Vtrùm hic &

Certum eſt, injuſtum detractorem debere totum, quod detraxit, reſtituere; & certũ eſt, juramentũ & teſtes, ſi fuerit neceſſarium adhibere debere. Vtrùm autem hoc ipſum hic & nunc ſit neceſſarium, pendet à circumſtantiis, & prudentis Confeſſarii judicio.

nunc

nunc juramentum aut teſtes requirantur pendet à circumſtantiis, quæ à viro pio & prudente debent conſiderari, nec poſſunt ad Regulam generalem reduci.

De crimine in una Civitate publico. Verùm poſſit narrari in alia?

Petis etiam, *An ſit peccatum detractionis, crimen Aurelii, quod publicum erat Neapoli, aut publicitate facti (per infamiam publicam) aut juris (per ſententiam Iudicis) Pariſiis, v.gr. ubi ignorabatur, detegere?*

Affirmat Sotus *lib. 5. quaſt. 10. art. 2.* quia magna fit Aurelio injuria, quam ægerrimè ferret. Hanc Reſolutionem limitant aliqui locum à loco diſtinguendo; nam ſi locus ſit ad quem citò fama ventura ſit, parum perdit Aurelius, quòd ibi paucis diebus antea cognoſcatur infamia. Cæterum, ſi Aurelius confugiat ad locum ad quem difficile hæc notitia perveniet; puta, ſi iverit Conſtantinopolim; magni intererit illi, ne ſuum ibi crimen detegatur. Eamdem ſententiam limitant alii perſonam à perſona diſtinguendo: ſi enim Aurelius parum curet ſuam famam, nec cæteri magni eam curare debemus.

Negant Lublinus *verb. Fama. num. 28.* & Fagundez *part. 2. libr. 5. cap. 3. num. 14.* & alii aſſerentes nec contra juſtitiam nec contra charitatem peccare, qui crimen aliàs in uno loco publicum, in alio in quo neſciebatur, divulgat; ſive ſecundus locus ſit in quem facilè, ſive in quem difficilè vel nunquam fama eſset perventura. Et hanc ſententiam Diana *part. 3. tract. 5. reſol. 17.* & *part. 4. tract. 4. reſol. 128.* probabilem eſse definit. Rationes adducit Fagundez & argumentis contrariæ opinionis ſatisfacit. Ego autem video de criminibus, de quibus agitur in tribunalibus, Viros pios & doctos ſcripſiſse, & conſilia ſua expreſso nomine criminis & perſonæ typis mandaſse; quod eſt dicere, per totam Europam divulgaſse. Ergo qui tales libros ſcribunt, qui ſunt multi & graviſſimi viri; & Cenſores, qui eoſdem libros in lucem prodire permiſerunt, qui ſemper ſunt homines ſelectiſſimi, in ea ſunt ſententia, quæ aſserit Orbis Chriſtiani intereſse, ut crimina per publicam ſententiam expiata ubique terrarum noſcantur. Quod ſi ſemel dicatur, quia bonum publicum deber anteponi privato, eſset laudandus, qui in aliis hujuſmodi crimina locis narraret, aut ſcriberet. Et hinc non multùm abeſt Leſſius, *loc. cit.* dicens narrari ubique poſse crimen de quo aliquis punitus fuit, ſi tam enorme ſit, ut expediat ad ædificationem narrari.

An crimina, de quibus publica ſententia prodiit, poſſint non ſolùm dici ſed & ſcribi, & per totum orbẽ terrarum divulgari?

SEd manet alia difficultas, quæ inquirit, *Quid debeat facere, qui proximi crimen, verum ſed occultum, auſus eſt propalare?*

De illo, qui crimen verum, ſed occultum revelat, Quomodo peccet & quomodo debeat ſatisfacere?

Peccaſse mortaliter contra Charitatem aſserunt univerſi Doctores. Et in tali caſu Reus poteſt negare, & ſuam famam tueri. Audi Coronium *in Summ. verb. Compenſare num. 6.* ubi ait. [Falſum, aut verum, ſed occultum crimen objicienti reſpondert poteſt, *Mentiris*: &, ſi hoc non ſufficit, ut adſtantes credant, illum eſse mentitum, objici poſsunt alia vera crimina. Ita Mendoza *in 2. 2. diſp. 70. ſect. 14. à §. 117.* & Diana *part. 5. tract. 13. reſ. 26.*] Et quidem eum, qui injuſtè traducitur, poſse accuſatoris aut teſtium crimina vera propalare, ut iniquitatem enervet, perſuadet hiſtoria Suſannæ, *Daniel 13.* ibi enim Sanctus Propheta exprobrat ſenibus calumniatoribus peccata occulta, vera tamen, ut illorum teſtimonium exenuet. *Sic agebatis, ait, cum filiabus Iſrael; atque illa metu adducta* (ſeducta) *vobiſcum conſuetudinem habebant: at verò filia Iuda iniquitatem veſtram nullo modo perpeſſa eſt.* Et exponit Vatablus, *eas metu ſuperioris poteſtatis ad ſtuprum adductas fuiſſe.*

An peccata habeant privilegia, ne poſſint ſine injuſtitia revelari?

An etiam peccat contra Iuſtitiam? Non video, unde jus habeat, qui occultè peccat, ne ejus peccatum eveletur. Interim Villalobos *tom. 2. tract. 11. diff. 37. num. 11.* cui Tannerus *in 2. 2. diſp. 4. quaſt. 6. dub. 6. num. 145.* adhærere videtur, jubet, ut ſe rettactet apud illos, quibus crimen manifeſtavit: permittit autem, ut, ſi hi qui audiverunt, etiam narrarunt aliis, coram his non ſe retractet, quia hæc ſecunda infamia per accidens ſequitur ex priori ob audientium malitiam, quam ob rem etiam hi tenebuntur reſtituere. Vide Dianam *part. 3. tract. 5. reſol. 34.* Omnia ſunt difficilia, nec ſolido fundamento firmantur.

An habeat ſe retractandi obligationem, qui crimen occultũ revelavit?

An adultera honori conſuli debeat per mendacio?

Vt rem radicitùs examinem, Caſum propono. *Agnes, matrona nobilis, adulterium commiſit: id vidit propriis oculis Cajus, & narravit amicis.* Ergo eſt verum, illam commiſiſſe adulterium, & Cajum committi illud vidiſſe. Aliis amici Caji narrant, dicuntque, Cajum dixiſſe ſe vidiſſe; & hoc etiam eſt verum. Ergo quomodo fiet retractatio? Dicet Cajus, Agnem eſſe matronam caſtam, ſe nihil vidiſſe, ſe falsò dixiſſe eſſe adulteram. Sed mentietur, ſi hoc dicat. Et alii ſimiliter mentientur, ſi aſſerant, ſe nihil à Cajo audiviſſe. Ergo quis jubet, ut Agnæ honori per teſtimonia falſa conſulatur? Quis ei conceſſit, ut committat adulterium impunè? Et quis præſtitit ut non ſint vera, quæ de facto acciderunt; & non ſint falſa, quæ contra veritatem dicuntur.

Dicet fortaſſis Villalobos ſine mendacio

cio poſſe retractationem fieri vi alicujus Reſtrictionis mentalis. Sed quis juſſit Cajo, ut ſe infamet, & retractet id quod eſſe verum ipſe vidit? Et quis impoſuit Cajo legem utendi Reſtrictione mẽtali? Hucuſque diſſerebamus, an hujuſmodi Reſtrictiones eſſent licitæ? nemo enim dixerat obligatorias, & tamen modò Cajus aſſeritur teneri ſub peccato mortali reſtrictionibus uti. Quis id toleret?

An dentur caſus in quo quis teneatur uti reſtrictione mentali?

At dicet alius noſtris fundamentis inſiſtens, ſicut ea quæ in confeſſione Sacramentali dicta, aut naturali ſecreto ſigillata, virtualiter non ſunt, & ideo, qui ea revelat, mentitur, & qui retractat revelationem, verum dicit: ſic ſimiliter, quæ occultè facta, fuerunt virtualiter non facta, & qui fuiſſe facta dicit, mentitur: Et, ſi poſteà retractet & ſe eſſe mentitum fateatur, verum dicit.

Et hoc dicis noſtris fundamentis inſiſtens? & quibus fundamentis obſecro? Ens virtuale eſt, *quod prudentum ſuppoſitione*. &c. Ergo ut cogatur Cajus ut velit nolit debeat aliquid ſupponere, illi prudentes eſſe debent illius Superiores, qui ipſum obligent lege publica (qualis eſt Chriſtus qui jubet ut ſupponat Confeſſarius ſe nihil audiviſſe in Confeſſione, &c. qualis eſt Iuſtinianus, qui jubet ſupponi ab univerſis eum, qui teſtamentum condidit poſt mortem vivere, & rerum à ſe poſſeſſarum dominium in hæredem transferre. &c.) vel debent eſſe ipſemet Cajus & alter quicum contractum iniit ſed ſecreto ſervando: tũc enim obligabitur lege privata. At Cajum ut ejuſmodi faciat ſuppoſitionem, nec Deus in Iure Naturali, nec in Sacramentali Chriſtus obligat: Pontificium, aut Cæſareum id non præcipit: Cajus Agnæ non promiſit ſecretum: unde ergo naſcitur illa prætenſa ſuppoſitio, ut adulterium illud virtualiter ſit non commiſſum?

Adulterium ſecretum nullo Iure publico aut privato cenſeri poteſt non commiſſum.

Ergo Concluſio ſit. (1) *Quæ Cajus de Agna dixit, erant vera*: (2) *ſi ſe retractaret, mentiretur: & eſſet perjurus, ſi retractationem juramento firmaret* (3) *tenetur ergo Cajus ex ſolo Charitatis præcepto, non loqui iterum de hoc adulterio: facietque benè, ſi coram eiſdem, quibus Agnæ crimen detexit, de illa honorificè loquatur*. Ita Cajetanus *in* 2.2. *quæſt. art.*2. Diana *part.*3. *tract.*5.*reſ.*30. & alii. Primam partem Concluſionis tota Deciſio hujus Caſus perſuadet: Secunda oritur ex prima: ſi enim Cajus cùm crimen detexit, verum dixit, falſum dicet, cùm verum, quod dixit, retractet: Tertia conſtat ex dictis, nec enim contra Iuſtitiam, aut Veracitatem peccavit: ergo debet iterum non dicere, quia ſi dicat, iterum contra Charitatem peccabit. Suadetur, non præcipitur illi, ut honorificè de Agna loquatur: ſed ſi nec laudet nec vituperet, non audebo ejus taciturnitatem condemnare. Hæc, quæ nonniſi breviter potuerunt ſtringi, in noſtro Κριτῇ Capite II. Artic. XII. per plures Concluſiones ediſſertum & dilucidatum reperies.

Reſolutio.

De Caſu ſeptimo, & octavo.

VT reus interrogatus de crimine quod occultè commiſit, aſſerere ſine mendacio poterit, & ſine ſacrilegio, jurare, ſe illud non commiſiſſe. Hujus reſponſionis veracitas non poteſt à mentali Reſtrictione ſuboriri, puta, ſi dicat *Non commiſi*, & ſubintelligat *publicè*, quia ſi hoc ſemel admitteretur, omnes negativæ propoſitiones eſſent veræ, quod turbaret mundum & tolleret humanam ſocietatem. Sed unde veracitas oritur? A conſignificantibus circumſtantiis, ut ſuo loco expoſuimus.

De reo, qui interrogatur de crimine, quod reverà ſed occultè commiſit.

Idem dicendum de illo eſt, qui ob ſuæ vitæ defenſionem homicidium commiſit. Nam reus, & teſtes negare poſſunt, non ob reſtrictionem mentalem, ſed quia Iudex de crimino ſo interrogat, ut ibidem perſuaſi.

De reo, qui de homicidio neceſſariò commiſſo in tribunali examinatur.

De Caſu nono.

COntinet peſſimam doctrinam, non enim in bene gubernata Republica poteſt habere locum juſtitia privata. Taxæ publicæ, pretia rerum definiunt, nec ulla valet pluris, quàm à Republica taxatur. Ergo taxæ ſemper ſunt juſtæ. Poſſunt aliquando eſſe incommodæ, ſed inde non ſequitur eſſe iniquas, & præbere licentiam ut mercatores damnum per occultam compenſationem reſarciant. Pono exemplum. Piper heri v.gr. Neapoli ſedecim argenteis vendebatur. Ioannes ut unciatim & tanto pretio venderet, emit centum libras denis argenteis, ſub ſpe quod eſſet lucratutus ultra dimidium. At hac nocte ſupervenit una navis Hollandica pipere onuſta, & libras quaternis argenteis diſtribuit. Ergo jam hoc erit pretium piperis in tota civitate. Quid Ioannes dicet? Hoc pretium eſſe injuſtum. Sed cur? quia ipſe ſexcentos argenteos, & laborem amittet. Sed quid inde? Damnum ipſe patietur, ſed nemo injuriam ipſi inferet. Heri valebat piper ſedecim, emit decem: ergo infra juſtum pretium. Hodie illud valet quatuor; & ſi Ioannes, quod heri denis emit, hodie utendo falſis ponderibus vendat quinis, furabitur, & ad reſtitutionem tenebitur.

De Iuſtitia privata. An in Republica tolerabilis ſit?

Taxa publica à prudentibus viris ponuntur, & ſemper cenſentur eſſe juſtæ.

Debet incommoditas ſemper ab injuſtitia diſtingui; ſæpe enim incommoda ſunt juſtiſſimæ reſolutiones.

Sicut mercium pretia tacito populi conſenſu mutantur, ſic etiam mutantur authoritate publica, quæ ſingulis conſtituit taxam. Et Reipublicæ authoritas non ſolum auget & minuit rerũ pretia, ſed abſolutè aliquas interdum interdicit, & vult quod non vendantur. Si ut divitum familiis conſulat, & ut eos eximat à profanis expenſis, quæ in uxorem veſtibus frequenter fiunt, aureas telas inhibeat, proferet juſtiſſimam legem, quæ tamen multas mercatores gravabit. Quas enim curaverunt ex Italia aut etiam ex Perſia venire, non poterunt vendere, & multa ducatorum millia perdent: & tamen injuſtiſſimè legem de injuſtitia appellarent: quoniam bonum commune debet anteponi privato.

De Reipublica authoritate circa rerum pretia.

Publica utilitas privata ſemper anteferenda eſt.

Sed ſententiam de occulta compenſatione, ſeu de juſtitia privata, [quam doctè nemo poteſt admittere niſi ſimul dicat, Teſtem falſum, & Iudicem iniquum ex Rei mandato poſſe occidi, hoc enim cæteris connexum eſt, & tribunalia univerſa perverteret: unde meritò Apoſtolica Sedes damnat libros, in quibus hæc Opinatio reperitur] probabilem eſſe ponimus: an ideò debebimus mentales Reſtrictiones admittere? Minimè. Petit Iudex, *An ſiatera adulterina fueris uſus?* Reſpondes *Non*, ſubintelligendo, *injuſtè*. Sed cur tu illud *injuſtè* ſubintelligere juberis, quando illud ipſum adjacentes circumſtantiæ conſignificant? Iudex quærit de uſu crimnoſo & injuſto, non de licito & ſancto. Ergo reſponde directè Iudici & dic *Non fui uſus*, nam mentali Reſtrictione non indiges. Sic etiam, ſi Ioannes tibi debebat centum aureos, & nolebat ſolvere, & debitum erat liquidum, & omnes habebat qualitates, quas Theologi docti ad occultam compenſationem requirunt, & tu in ſervitio ipſius hos centum aureos aut ſimul aut per partes ſubripuiſti, & tandem convenitis in judicio, & examinaris, ſine mentali reſtrictione tuam poteris innocentiam tueri, directè reſpondendo Iudici. Vel attende. Quid interrogat Iudex? ejus verba conſidera, ut opportunam reſponſionem apponas. Verba Iudicis ſunt. *Furatus-ne fuiſti à Ioanne centum aureos?* reſpondes, *Non*, & benè: nam occulta compenſatio, ſi oppoſita ſententia admittatur, non eſt furtum. Et quid, ſi Iudex dicat, *Subripuiſti ne occultè compenſationis juſta nomine, centum aureos?* Reſpondes *Non*, & in Veracitatem non impingis: nam Iudex inquirit de ſubreptione criminoſa, & tu ſine crimine illam pecuniam ſubripuiſti. Quid, ſi excommunicatio fulminetur contra illum, qui non reſtituat illos centum aureos? Præbet lucem præcedenti Cotonius *in ſumm. verb. Compenſare num. 2.* [In hoc caſu non ligatur creditor cenſura lata contra non reſtituentes, quia hæc fertur contra eos, qui non poſſunt retinere ſine peccato. Ita Raynaudus *de monti. part. 1. cap. 2. quæſt. 6.* & Diana *part. 5. tract. 13. reſ. 79.*] Ecce hic ſine mentali Reſtrictione controverſiam decidit: & reſtrictionem in ipſamet Cenſura reperit, quia fulminatur contra retinentes injuſtè. Ergo eodem modo de Iudice philoſophare. Reus in Caſu mentali Reſtrictione non indiget: quia ipſamet Iudicis verba per tribunalis conſignificantem circumſtantiã reſtricta agunt de peccaminoſa ſubreptione & retentione: non enim ſunt tribunalia erecta, ut de actibus virtuoſis, ſed ut de criminoſis inquiratur. Interim tota iſta ſuppoſitio, quæ præcedentem diſcurſum ſuccollabat, eſt, ut pluries monui, falſa prorſus & pernitioſa; & nunc à Sede Apoſtolica damnata, quoniam 2. Martii 1679. Innocentius XI. contra eos, qui occultas compenſationes eſſe juſtas aſſerunt, fulminat anathema, & in ſpecie contra illos, qui dicũt, *Famuli & famulæ domeſtica poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandã operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.*

Doctrina de occulta Compenſatione Pōtificio Decreto condemnatur.

INterim, quia occaſionem Iudice, Teſte, & Reo, nec non mentali Reſtrictione præbente de occulta Compenſatione debuimus agere, & Caſus hic frequenter accidere poteſt, inquiris, præſcindendo à condemnatione Apoſtolica, & ſtando rationis naturalis judicio, *Qua cenſura perſtringam Opinionem, quæ has occultas compenſationes admittit?*

Reſpondeo, ab aliquibus univerſim & ſine limitatione protrudi: ab aliis cum aliquibus limitationibus. Si primum, dico illam *improbabilem & intolerabilem eſſe*; ſi ſecundum *eſſe moraliter impoſſibilem*. Vix enim poterit Caſus ſuccedere, in quo omnes illæ circumſtantiæ concurrant. Et ut id ſuadere clarè poſſim, per ſingulas, qua potero brevitate diſcurram. Petunt itaque docti Theologi has Conditiones, ut occulta Compenſatio admittatur. Eſt

Prima: ut debitum ita certum ſit, ut alius ſibi rem retinere non poſſit ſine culpa mortali. Et meritò: nam, ſi debitum eſt merè probabile, ſtandum eſt pro poſſeſſore: non enim Iuſtitia poſtulat ut pro debito incerto detur ſolutio certa: unde ſtat illud Civile Protheorema, *In omni probabilitate, aut dubio, beatus, qui poſſidet.* Doctrina hæc examinare jubet, An creditor habeat alia debita, quæ debeant neceſſariò præ-

Pro debito incerto non debet certa exhiberi ſolutio.

Debita nõ ſunt æqualis obligationis, nam præcedunt, quæ habẽt hypothecã, poſteà quæ inſtrumentũ publicum, poſteà quæ chirographum, & deniq; quæ ſunt antiquiora.
Et hoc ulterius quidquid alii dicant, demonſtratur evidenter, ut puto.

præcedere: puta, ſi ſit alius creditor, qui habeat hypothecam realem: tunc enim occultæ Compenſationi eſſe locum negãt Lublinus *verb. pecunia. num.* 17. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 10. & *in Additionib. reſ.* 8. & *part.* 7. *tract.* 10. *reſ.* 18. Et quid, ſi adſint debita antiquiora? Id non deberre conſiderare aſſerunt citati Theologi: at deberent hunc ſyllogiſmum conſiderare.

Privata Iuſtitia, ſi daretur, deberet eſſe ſimilis Publicæ.

Sed Publica hic debito antiquiori, ibi majori præcedentiam concedit.

Ergo loco & tempori deberet, ſi admitteretur, Privata attemperari.

Et hoc me judice maturè debet ab his Authoribus conſiderari.

Nemo poteſt plus poſtulare, quàm ſibi reverà debetur.

Secunda; ne plus capiat, quàm ſibi debetur; qui enim capit 20. cùm ſit 10. creditor furtum committit quoad exceſſum. Hinc oritur debere illum cavere ne illa pecunia, quam per occultam compenſationem ſubripuit, nec ſibi poſtrà, nec ſuis hæredibus denuo ſolvatur.

Pro debito poſſibili aut futuro ſolutio actualis non exigitur.

Tertia; ut debitum ſit actu, non potentia: non enim Iuſtitia tolerat ut pro debito poſſibili aut futuro fiat actualis & præſens compenſatio: quoniam docet debitum actuale ſit, ſicut debitor nondum eſt debitor nec habet obligationem ſolvendi, ſic nec creditor habet jus compenſandi.

De Iuſtitia privata. An habeat locum, ubi publica non poteſt ſuccurrere?
Aſſerunt aliqui, ſed nos abſolutè negamus.

Quarta; ut res, quæ debetur, non poſſit commodè per Iuſtitiam publicam recuperari. Nam aliàs ſi unicuique liceret jus ſibi privatim dicere, fruſtra eſſent in Republica tribunalia. Vnde in hoc caſu, qui privatim ſibi ex jure pronunciat, lædit legalem Iuſtitiam, peccatque contra ſupremam Principis authoritatem. Hæ quatuor conditiones ſunt neceſſariò requiſitæ, & in illarum adſignatione Viri docti conveniunt. Ita Villalobos *tom.* 2. *tr.* 11. *diff.* 23. *num.* 7. Sed quia alii alias adhuc conditiones adjungunt, illas etiam proponamus & perpendamus.

Qualis eſſe debent res, quæ per occultam compenſationẽ auferetur, comparata cum illa, quæ debetur?

Quinta. Poſtulat Sylvius *in* 2. 2. *qu.* 62 *art.* 8. *qu.* 1. *concl.* 7. *ranſ.* 3. ut res, quæ auferetur, ſit ejuſdem rationis cum ea, quæ debetur. Hanc rejiciunt Diana *p.* 2. *tr.* 16 *reſ.* 39. & 46. & *p.* 7. *tr.* 10. *reſ.* 16. 17. & 18. Valerus *verb. Compenſatio. diff* 3. *nu.* 2. quia ab eo qui debet pecunias, Iuſtitia publica capit ſuppellectilia, ergo idem poterit facere Iuſtitia privata, cujus illa eſt regula. Sed ego putarem nomine *rei ejuſdem rationis* intellexiſſe Sylvium *rem ejuſdem valoris, non majoris*; ſaltem hoc modo exponi poteſt, donec verba expreſſiora producantur. Sed ſi hoc Sylvium modo interpretemur, hæc quinta circumſtantia in ſecundam coincidet.

An Compenſatio fieri poſſit de re depoſita?

Sexta. Sylvius etiam *loc. cit.* poſtulat, ne compenſatio occulta fiat de depoſito. Conſonat Lublinus *in ſumm. verb. pecunia num.* 17. & alii, qui id probant *ex cap. bona fides de depoſit.* Sed hanc legem obligare tantùm in foro externo tenent Leſſius *de Iuſt. lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 4. *num.* 16. Villalobos *tom.* 2. *tr.* 29. *diff.* 5. *num.* 2. & *tr.* 11. *diff.* 23. *num.* 3. & alii; quibus probabiliter adhæret Diana *p.* 2. *tr.* 16. *reſ.* 46. à §. *Non deſunt.* & *part.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 10. à §. *Notandum.* & *in add. reſ.* 1. & Coronius *in ſumm. verb. compenſ.* & *verb. Depoſitum nu.* 4. & Tu autem diſcurre ſic.

Depoſitum fide publica ſervari debet.

Depoſitum concernit fidem publicam & tanta debet ſinceritate ſervari, ut aſſerente Stob. *ſerm.* 42. Piſidæ capite punirent, qui defraudarent. Ergo nemo poteſt privata authoritate capere, quæ jubet non capi Reſpublica. At dices Leſſii & aliorum opinionem eſſe probabilem. Eſto. Ergo Depoſitarius in caſu non habet niſi jus probabile: at qui eſt in poſſeſſione habet titulum certum: ergo adhuc admiſſa probabilitate opinionis circumſtantia, quam primo loco Authores ponunt, Depoſitarium occulta compenſatione interdicet.

Contra jus poſſeſſionis nõ habent locum opiniones probabiles.

Conſonat Diana *p.* 9. *tr.* 9. *reſ.* 44 & Coronius *in ſumm. verb. Cõpenſare. num. ult.* qui eos docent, te rem, quæ eſt probabiliter tua, ſi ab alio certò poſſideatur, non poſſe per occultam compenſationem ſubripere; ubi etiam citant Sanchez, Palaum & alios.

Inconvenientia & abſurda, quæ ab occulta compenſatione ſuboriantur.

His præmiſſis, attende. Doctrina de Compenſatione ſecreta, & Iuſtitia privata gratiſſima hominibus eſt: illam libentiſſimè multi amplectuntur: at quotus eſt, qui has conditiones velit ſcire, aut curare ipſi ſibi (ſine hoſpite, ut dicitur) computus faciunt, quos negaret, qui aſſeritur debitor, & quanta poſſunt rapiunt & tuta conſcientia proceſſiſſe ſe putant. Habeo de hac re maximam experientiam. Nullus eſt miles, qui non dicat ſibi multa deberi; qui tamen, ſi inſtitueretur computus, deberet neceſſariò refundere. Quis eſſet in Orbe terrarum Mercator, qui non depauperaretur, ſi ſe inſcio computus à ſocio formaretur. Tot inconvenientia ex hac doctrina ſuboriuntur, ut ſi eſſet probabilis, deberet adhuc abſolutè interdici, Ergo cum improbabilis ea ſit, juſtiſſimè fuit ab Apoſtolica Sede damnata.

Poſtulas ut eruditionis gratia velim ſupponere, occultam compenſationem ſub conditionibus ſuperius poſitis eſſe probabilem & quinque inquiris. *Primum*, An qui non habet ſpem rem ſibi debitam ſtatuto tempore recuperandi, poſſit

poſſit compenſationem anticipare; puta, ſi poſt annum tibi Ioannes centum daturus ſit, & tamen tu ita videas eum pecunias profundere, ut non ſit futurus ſolvendo poſt menſem? *Secundum*, An Legatarius minus ſolennis teſtamenti, ſi hæres nolit legatum ſolvere, illud poſſit occultè capere? *Tertium*, An, qui ab alio infamatus fuerit in pecuniis poſſit ſibi compenſationem facere? *Quartum*, An in promiſſione poſſit admitti compenſatio? & quid, ſi promiſſio fuerit juramento firmata? *Quintum*, An qui ex juſtitia debet, ſatisfaciat donando?

Suppoſitiones impoſſibiles ſæpe ſunt valde neceſſariæ ut veritas clariùs intelligatur.

Et ego reſpondeo, prodeſſe interdum hypotheſes falſas aut etiam impoſſibiles admittere, ut clariùs veritas cognoſcatur: nam Theologi quærimus, *An Spiritus Sanctus, ſi non procederet à Verbo, diſtingueretur ab illo?* & etiam, *An Verbum Divinum ſi eſſet creatura, potuiſſet exiſtere ab æterno?* in quarum quæſtionum diſcuſſione non ſunt dicendi, aut ſentire cum Græcis Spiritum Sanctum non procedere à Filio, aut cum Arrianis Verbum non eſſe Deum. Ergo non ut occultæ compenſationi faveamus, ſed ut errores eorum, qui illam defendunt propalemus, admittamus hypotheſim, & quinque illas Quæſtiones decidamus.

An, qui timet periculum, poterit compenſationem anticipare?

In prima nullam reperio difficultatem; qui enim hodie non eſt in extrema neceſſitate, ſi tamen ſciat, ſe in illa die craſtina futurum eſſe & tamen tunc nullos eſſe cibos reperturum ut comedat, poterit ſibi hodie proſpicere & cibos ſufficientes capere. Ergo ſi Petrus tibi debeat in fine anni pecunias, quas tunc eum non eſſe habiturum prævides, poteris compenſationem anticipare. Nec hoc militat contra conditionem *III.* ſuperiùs poſitam, non enim illa habet locum, ubi eſt perdendi pecunias periculum: multa enim, quando eſt periculum in mora, anticipantur, quæ ſuum deberent expectare tempus præſcindendo à periculo. Ita Tannerus *in 2.2. diſp.4.qu.6.dub.14.num.*406. Diana *p.2.tr.16.reſol.46.in fin.& part.7. tr.10.reſ.13.§. Nota* 3. Vide etiam ejuſdem *par.9.tr.8 reſ.*44. & ejus abbreviatorem Coronium *in ſumm. verb. compenſare. nu.2.*] Interim, quia multi neceſſitatem gravem cum extrema confundunt & aſſerunt poſſe pauperem in alterutra bona aliena ſubripere, monendus eſt Lector meam doctrinam contra Antonium Dianam & alios diverſis in locis acriter propugnaſſe: ſed quia jam tandem 2. Martii 1679. illam condemnavit Innocentius XI. propoſitiones anathemate inuſtas ſubjicio, *nu.12.* incriminatur hanc, *Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quãdo tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.* Et poſtea *nu.36.* in ſequentem propoſitionem excommunicationem explodit: videlicet, *Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.*]

An nulli ſæculares habeant ſuperflua. An nulli teneantur erogare eleemoſynas?

An furari liceat conſtitutis in gravi neceſſitate?

An teſtamenta præſcindendo à Iure humano, ſint poſſibilia?

Ad ſecundam negativè reſpondeo. Ut rationem reſponſionis intelligas, adnotato Teſtamenta non ſolũ non eſſe Iuris naturæ, ſed in puro naturæ Iure eſſe impoſſibilia; niſi enim cõcedatur teſtatori, ut vivat poſt mortem, corruunt omnia, quæ de teſtamentis dicuntur. At naturalem vitam teſtator nec habet, nec poteſt eam à Iure naturæ recipere, ergo oportet ut civilem à Iure civili recipiat, ut poſt mortem realem adhuc vivat civiliter; & poſſit rerum ſuarum dominium in hæredem transferre. Hinc eſt quod teſtamenta pleno jure ad civilem poteſtatem pertineant & ſicut nõ poſſunt eſſe ſi Reſpublica nolit, ſic nec inter futura ſunt quàm Reſpublica velit. His præmiſſis caſum propono. Petrus habet nepotem Ioannem, in tali ſibi gradu conjunctum, ut hæres ab inteſtato ſit, non autem ita neceſſarius, ut non poſſit eo omiſſo alius hæres denominari. Condit ſuum teſtamentum Petrus & denominat ſuum hæredem Claudium; & Antonio quingentos aureos legat. Quinque teſtes interſunt: requirebantur ſeptem: ergo teſtamentum defectu ſolennitatis eſt invalidum. In hoc caſu dicunt aliqui, ſi ceſſet finis legis, legem ceſſare; & quia ſeptem teſtes requiruntur ad vitandas fraudes, ubi ſine fraude proceditur, pauciores videntur ſufficere. Unde concludunt, (1) teſtamentum fuiſſe validum. (2) Claudiũ verum hæredem eſſe, (3) Ioannem, qui erat hæres ab inteſtato non poſſe tuta conſcientia Claudium ab hæreditate repellere. Ita Comitolus *lib.7.qu.*8. Becanus *p.2. tom.3. cap.7. qu.3. concl.1.* contra Vaſquez *in 2.2. tom.2. diſp.163. cap.3.nu.*19. & Diana eſt inconſtans, jam enim alteri & jam alteri parti adhæret, ut videbis ſi *p.1.tr.8. reſ.75.cum p.5. tr.3. reſol.*119. componas (4) & ſi repellat poſſe Claudium, Antoniumq; ſibi per occultam compenſationem proſpicere,

Qui concedit mortuo realiter, ut civiliter vivat, hanc poteſt politicam vitam ſub talibus circumſtantiis & conditionibus, & non ſub aliis, ſi voluerit, concedere.

Unum teſtamentum uberioris doctrinæ gratia in exemplum proponitur.

De fine legis. An ceſſante in aliquo particulari, ceſſet lex in eodem particulari?

Sanè illa maxima, eſt vera, videlicet *Ceſſante fine adæquato legis in aliquo particulari, ceſſat & legis obligatio in illo particulari.*] Et ipſa à nobis rationibus manifeſtis probatur, ſed quia illæ majori ex parte ex jure humano deſumuntur, dicam hic aliquid, quod videtur concernere jus naturale; quoniam apud Ioannem in Evangelio 18. lego. *Iudæi ergo (quoniam Paraſceve erat) ut non remanerent in cru-*

ce

An hæc veritas ad jus humanum, an verò ad naturale pertineat?

ce corpora ſabbato (erat enim magnus dies ille ſabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites; & primi quidem fregerunt crura & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cum veniſſent,ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura &c. Ex quibus verbis evidenter colligitur illos milites Cæſarei juris penitùs imperitos ſolo lumine naturali ductos cognoviſſe ceſſante fine legis in aliquo particulari, in eodem etiam caſu legem ipſam ceſſare.] Hac igitur certiſſima doctrina poſita, Comitolus ſubſumit, *At in hoc v.gr. teſtamento ceſſat finis adæquatus legis, qua tot teſtes, aut tales ſolemnitates poſtulat*, finis enim adæquatus eſt ne dentur fraudes: quæ non dantur in hoc, in quo, ut ſupponebatur, cum ſinceritate procedirur. Et infert Comitolus. *Ergo hoc teſtamentum eſt validum*. Majorem S. Thomas, & ejus diſcipuli diſtinguunt, voluntq; ceſſare legem, quando finis ceſſat per ſe, non autem quando ceſſat per accidens. Ergo major illa eo ſenſu, quo illam Comitolus adſumit, negatur à Thomiſtis & ideo erit merè probabilis. Minoris probatio ſcena nõ adhibetur & deberet Comitolus oſtendere finem adæquatũ legis eſſe, ne ſint fraudes. Nec enim Legislator tenetur exponere ſubdito, cur legem ferat? Et fortè alios fines habuit Imperator, cùm hujuſmodi legem indixit. Nos interim dicamus, finem hujus legis præcipuum fuiſſe, *ne eſſe poſſint fraudes*. Et hic nunquam ceſſare poterit. Porrò, ſi Dialectica Comitoli admittatur, mirabiles Conſequentiæ prodirent, quæ Orbem terrarum perturbarent. Sequentes conſidera.

Finis propter quem ſeptem teſtes in teſtamento requiruntur.

Alius finis eſt, ne ſint fraudes, & alius, ne poſſint eſſe fraudes.

Finis clauſuræ in Monialibus eſt, ne poſſint caſtitatem violare.

Finis legis, quæ jubet, ut Moniales obſervent clauſuram, eſt Caſtitas.

Sed Soror Ioanna eſt tam modeſtæ vitæ, aut tam provectæ ætatis, ut nullum ſit violandæ Caſtitatis periculum.

Ergo Soror Ioanna non tenetur ſervare clauſuram; ſed poteſt per totam civitatem vagari.

Finis jejunii naturalis in Euchariſtia ſumenda eſt, ne ab aliquo irreverentia committatur.

Finis legis jejunium naturale ad Euchariſtiæ ſumptionem poſtulantis eſt ſobrietas, nequis fortè ebrius accedere ad altare præſumat, iuxta illud Pauli 1. *ad Corinth.* 11. 21. ὃς μὲν πεινᾷ, ὃς δὲ μεθύει. *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.*

Sed Petrus eſt vir ſobrius, in quem nulla cadit ebrietatis ſuſpicio.

Ergo Petrus poterit Euchariſtiam ſumere, aut etiam miſſam dicere poſt jentaculum.

Finis in Novitiatus anno, ut per experientiã Ordinis cognoſcat pœnalitates.

Finis legis annum integrum novitiatus poſtulantis eſt, ut Novitius per experientiam cognoſcat Monaſtici Ordinis pœnalitates.

Sed Ioannes habet bonum ingenium, & naturam prudentem, & primo menſe expertus omnia eſt, quæ tota vita pati poterit.

Ergo poterit validè profiteri poſt menſem. Ergo non debebit finem anni exſpectare.

Poſſem Iliadem ſyllogiſmorum texere, ſed hos paucos in ſpecimen propoſuiſſe ſufficiat.

Et hi fines, quos intendit Eccleſia, non poſſunt ullo modo ceſſare.

Nullam ex his conſequentiis audebit Comitolus admittere. Dicendum igitur ad primum eſt, *Ideò omnes Moniales contineri in clauſura, ne vel una poſſit Caſtitatem violare*. Et ad ſecundum. *Ideò omnes debere jejuniũ naturale ante ſumptionẽ Euchariſtiæ obſervare, ne vel unus poſſit in crapula aut ebrietate accedere & cæteros ſcandalizare*. & ad tertium denique, *Ideò integrum probationis annum ante profeſſionẽ ab Eccleſia requiri, ne vel unus conqueri poſſit, & dicere ſe non prævidiſſe Ordinis pœnalitates*. Ergo concludendum eſt, Teſtamentum ſine omnibus ſolennitatibus à Iure præſcriptis conditum, eſſe invalidum: addendumque. *Ideò illas à Iure in omnibus requiri: ne fraus committi queat in aliquo*.

Teſtamenta, quæ carent ſolennitatibus requiſitis à jure ſunt invalida.

Et quid ſi eſſent valida?

Stat igitur Teſtamentum minùs ſolenne eſſe revera invalidum & Comitolum non poſſe contrarium aſſerere, quin illos tres ſyllogiſmos, quos paulò antè ponebam, & centenos illis ſimiles admittat, quod ipſe nunquam facturus eſt.

Ego autem etiam condonando Comitolo minùs ſolennia Teſtamenta eſſe probabiliter valida, nihil ipſum concludere demonſtro ſic.

Authores, qui occultas compenſationes admittunt, negãt eas eſſe licitas in materia probabili.

Quando debitum eſt merè probabile, locum occulta compenſatio non habet; ut patet ex Conditione I.

Sed Legatum teſtamenti probabilis non niſi probabiliter legatario debetur.

Ergo in legato teſtamenti probabilis locũ occulta compenſatio non habet.

An poſſit, cui injuſtè fama læſa ſit, ſe indemnem reddere per occultam aliquam compenſationẽ.

Ad tertiam dico eſſe probabilem ſententiam Soti *lib.4.qu.6. art.3. ad* 4 dicentis eum, qui famam reſtituere non poteſt, debere pecuniis compenſare. Poſita probabilitate hujus ſententiæ inquiritur, An in fama læſus, qui honorem recuperare nequit, occulta ſe poſſit compenſatione juvare? Aſſerunt nonnulli apud Dianam *part.3. tract.5. reſol* 30. §. *Notandum eſt tamen*. At illorum conatus vanos eſſe ſuadet Conditio, quam primo loco ponebamus.

An per promiſſionem etiam acceptatam transferatur dominium?

Ad quartam aſſero non transferri per promiſſionem acceptatam dominium, ſed induci obligationem transferendi illud tempore debito. Et quid, ſi accedat juramentum. Neque id transfert dominium,

ſed

ſed firmat obligationem rem dandi. Dilucidat hoc exemplum ſequens. [Petrus promiſit & juravit Franciſco, ſe daturum eſſe centum aureos Ioanni. Franciſci eſt acceptare promiſſionem: nihil enim promittitur Ioanni. Franciſci eſt poſt acceptationem relaxare aut non relaxare obligationem, & non Ioannis. Et nunc quæritur, An per hujuſmodi promiſſionem ſit dominiũ translatum. Et reſpondeo, illud non tranſiviſſe ad Franciſcum, cui non ſunt numerandi illi aurei; nec tranſiviſse ad Ioannem, cui nihil fuit promiſsum. Ergo ad nullum eſt dominium translatum. Poterit ergo agere Franciſcus, & convenire Petrum & per Iudicem facere, ut fidem liberet, & jurisjurandi ſacramentum obſervet. Ergo ante ſententiam Iudicis, aut ſpontaneam pecuniæ traditionem, dominium transferri non poteſt. Ergo nondum retinet Petrus, quæ Ioannis ſunt. Ergo, ſi Ioannes clàm illos centum aureos à Petro ſubripiat, non ſuas, ſed Petri pecunias auferet. Ergo furabitur.] Sicut de hac promiſſione, ita de quacumque alia philoſophaberis: nam in promiſſione dantur quatuor perſonæ, quæ promittit, & cui promittitur: quæ dabit, & cui dabitur: & licèt utraque perſona *qua* poſſit eſse unica, & utraque perſona *cui* poſset ſimiliter eſse altera, poſsunt tamen ut vidimus eſse duæ illæ, & hæ alteræ duæ: univerſim quatuor, ut ſi dicas, *Ego promitto Iulio, quòd Carolus dabit Anſelmo tot aureos*. Et harum quatuor perſonarum diſtinctio in Sacri Romani Imperii Pace anno 1648. celebrata invenitur: nam in illa Imperator Regi Galliæ & Sueciæ nec non omnibus Imperii Principibus pollicetur, quod Rex Hiſpaniæ ceſsurus ſit Comiti Palatino, expulſo filio, Francandaliam, & totum inferiorem Palatinatum.

De illo, qui promittit alicui ſe aliquid daturum eſſe alteri.

Quot perſonæ realiter aut formaliter diſtinctæ in omni promiſſione reperiantur?

De Imperatoris & Regis Galliarum contractu.

Hinc patet allucinari Mendozam *libr. 1. de pact. cap. 4. num. 8.* dicentem, quod ſicut conſtet aliquid ſibi promiſsum eſse, quod in judicio poſtulare non poteſt, poſſe ſibi occultè compenſare. Vide Sanctarellum *part. 1. quæſt. 66. num. 49.* Dianam *part. 3. tract. 5. reſol. 116.* & *part. 7. tract. 10. reſol. 17. §. Negandum.* Cotonium *in ſumm. verb. Compenſare. num. 5.* & *verb. promiſſio num. 4.* quia videtur Hurtado ſubſcribere. Quo graviùs allucinatur Navarrus *de reſtitut. libr. 3. tract. 1. num. 376. & 393.* qui occultam compenſationem in iis, quæ ex Charitate, & Gratitudine debentur, admittit. Sed hoc univerſi condemnant.

An in gratiis & iis, quæ ex charitate fiunt occulta compenſatio locum habeat?

Hurtadum Navarrumque allucinari dixi; nunc perſuadeo. Per meram promiſſionem, charitatem, aut gratitudinem non transfertur dominium: ergo qui non vult dare, quæ ex promiſſione, charitate, aut gratitudine debet, non peccat contra Iuſtitiam, nec rem alienam detinet, ſed ſuam non donat quando habet obligationem donandi. Et ratio eſt, quia promiſſio obligat titulo Veracitatis, [Et quando titulo Iuſtitiæ, non concedit Promiſsario jus in re, ſed jus in rem, nempe pro illo tantummodò tempore, de quo agit Promiſſio, & non ante.] Iuramentum titulo Religionis, &c. Veracitas autem, Religio, Charitas & Gratitudo, ſunt Virtutes à Iuſtitia diſtinctæ. (Et qui habet jus in rem, non poteſt illam ſubripere ante tempus, quo jus in re poſſit adquirere.) Ergo, ſi Petrus non retinet quod tuum eſt, ſed quod eſt ſuum: ſi illud ab eo ſubripias, furtum erit hæc, quam Compenſationem appellas.

Ad quintam reſpondeo negativè: aliud eſt enim ſolvere & aliud donare. Qui, quæ ſua ſunt, recipit, nihil tenetur reſundere: qui autem aliqua pecunia donatur, tenetur gratias agere, & obſequia præſtare, & adhibere curam ne ingratus cenſeatur. Ergo, ſi tibi dedit Titius, quæ tua ſunt: quo jure gratias & obſequia recipit à te præſtita.

Aliud eſt reſtituere, & aliud toto cœlo diverſum eſt donare.

Conſultus ſemel fui de uno ſacello, quod ex pecuniis reſtitutioni obnoxiis, à mercatore, qui neſciebat, quibus deberet reſtituere, erigebatur. Non reprobavi Confeſſarii ſententiam, modò non poneret in illo nomen ſuum mercator. Sed quod ille conſequeretur gloriam famamq; pecuniis alienis, per fraudem extortis, non laudavi. Interim à Confeſſario erat hæc ponderatio. [In creatione hujus ſacelli duo ſunt: Dei cultus, & Mercatoris fama. Deo cultus exhibetur illorum nomine, qui damnum paſſi, ut illos Deus, ſi vivunt adhuc, ſi in purgatorio ſunt, dignetur ſua clementia juvare. Ibi miſſæ dicuntur, eleemoſynæ dantur, Sacellani nutriuntur, ut orent pro Mercatoris intentione, quæ eſt, ut illi, quorum pecunia hæc omnia fiunt, in hac vita gratiam, & gloriam in altera indipiſcantur. In hoc ſpiritualis conſiſtit reſtitutio; quæ fieri debet, ubi locum habere non poteſt corporalis. Mercatorem autem poſuiſſe ſuum nomen, nec contra Deum, nec contra creditores militat, & tamen Mercatoris promovet authoritatem. Non militat ſane contra Deum, quia Inſcriptiones in Templis ſæpe invenias, in quibus legitur, *Dominus N. hanc Eccleſiam ſuis ſumptibus ædificavit*. Immò, qui has Inſcriptiones ponit, non ſolùm templum, ſed fideles ædificat, quos exemplo movet, ut etiam promoveant rem ſacram. Sed neque

An ex pecuniis furto ſubreptis, ubi alio modo fieri reſtitutio non poteſt, poſſit ſacellum erigi, in quo nomen furis gloriam, & laudem conſequatur?

hujuſ-

hujuſmodi inſcriptio militat contra creditores; quia hi neſciuntur;& ideò nemo eſt, cui debita laus auferatur. Ergo ſine damno tertii honorem Mercator adquirit; non poteſt ab ullo damnari.] Tu tem conſidera: nam mihi videtur hunc poſſe diſcurſum tolerari.

Cur præcedentia tam accuratè fuerit dilucidata?

Sic contra occultas compenſationes à ratione diſcurrere impræſentiarùm placuit; tum quia hæc folia multis annis ante creationem Innocentii XI. fuerunt ſcripta: tum quia à pueritia ſemper mihi viſa eſt illa doctrina contra lumen naturalis rationis militare. At jam tandem cùm ab Apoſtolica Sede damnata fuerit, ceſſat omnino quæſtio,& à nemine, ut probabilis,defendi poteſt.

De Caſu Decimo.

De Teſte ultroneo & ſubornato.

MUlta ſunt, quæ in hoc Caſu non placent. Primò,quia omnes merces ultroneæ vileſcunt, teſtes ſpontanei ſemper ſunt de falſitate ſuſpecti: & ideò à judicio rejiciuntur. Secundò,qui lucrum ex teſtimonio conſequuntur, ſanctiſſimè jubentur rejici. Non igitur eſt poſſibilis caſus, quem Sanchez proponit: nec enim teſtis, qui ultrò ſe offert, neque qui utilitatem importat, habet juſtam cauſam reſpondendi.

In nullo teſtis caſu mentiri poteſt.

Quid, ſi haberet? Quando teſtis habet juſtam cauſam reſpondendi, non habet,nec habere poteſt juſtam cauſam mentiendi; quia mendacium nulla cauſa cohoneſtat.

Reſtrictiones mentales, ut ſæpe diximus, ſecundùm ſe ſunt impoſſibiles.

Sed dices,non fore in caſu mentiturum quia mentali reſtrictione utetur. Et ego duo reſpondeo. *Alterum*, hujuſmodi reſtrictiones impoſſibiles eſſe: ut ſuperiùs perſuaſi: nam humana loquutio eſt externa,voces ſunt externæ, earum ſignificatio eſt externa, & ideò externa etiam illarum eſſe debet reſtrictio. *Alterum*, etſi eſſent poſſibiles Reſtrictiones hujuſmodi, non poſſe habere locum in tribunalibus. Et hoc oſtendo. Vt vocis ſignificatio reſtringatur,debet eſſe ambigua (ἀμφίβολη) duobus ſenſibus prædita: nam quæ eſt ſemel reſtricta, reſtringi non poteſt. At teſtium depoſitiones, quæ in tribunalibus fiunt, ſunt reſtrictæ per conſignificantes circumſtantias. Ergo etſi mens eſſet reſtrictiva (poſſet voces ambiguas ad determinatam ſignificationem reſtringere) non poſſent has, quas dicimus reſtrictiſſimas eſſe. Minorem ſæpe debui probare: & modò dico dignitatem Iudicis, finem Principis tribunalia erigentis, & alia quæ intercurrunt, ita vocum ſignificationem contrahere, ut nunquam reſtrictioni ulteriori ſit locus. Et,ſi Sanchez dubitet,ponat Caſum in ſpecie, & verba Iudicis, & verba teſtis,& demonſtrabo clarè,ita utraque reſtringi extrinſecùs, ut nulla poſſit fraus aut cautela ea ulteriùs reſtringere, aut ad aliam ſignificationem transferre.

Et quid ſi eſſent poſſibiles? Adhuc in tribunalibus locū illa habere non poſſent.

Omnia Iudicis interrogationē leges & tribunal reſtringūt.

De caſu undecimo.

An ſint aliquæ Provinciæ, in quibus confeſſio reo, ut ſit plena informatio requiratur?

COntinet pernitioſam doctrinam: &, qui illum pro rei favore reſolvunt, praxeos Iuridicæ vera fundamenta non capiunt. Vt Caſum intelligas, adnotato, eſſe aliqua loca,in quibus nemo negativus ex legis rigore damnatur. Et talis eſſe dicitur Roma; talis Parva-Brabantia in Belgio apud Bruxellas: & tales ſunt alia oppida alibi. Pone ergo Fridericum Gauciæ, aut ubi volueris perpetraſſe homicidium: pone eum,niſi fateatur, capite condemnari non poſſe. Habet Iudex informationem ſemiplenam: reum examinat & bene procedit. An poterit reus crimen negare? Poſſe ait Cotonius. Accedit alius teſtis. An, & tunc poterit crimen negare? Aſſerit Cotonius; quia nondum plenè convictus eſt; quoniam ad plenam informationem,vi cujus decapitari poſſit,centum vel plures teſtes, niſi ejus accedat confeſſio,non ſufficiunt. Pro opinatione ſua Authores non adducit Cotonius; ſed neque rationes; nam, quidquid de illis ſit, has libenter videtem. Quod reus ſuam vitam,& honorem tueatur,permitto,laudo,& conſulo,modò utatur mediis,quæ in innocentum damnum & perniciem non vergant: non enim ſunt facienda mala,ut bona eveniant. Quod autem ipſe velit defendere falſum teſtimonium innocenti imponendo, exſecrabile eſt. Si Fridericus homicida,ut ſe à periculo mortis eripiat,aſſereret, Cajum virum probum & bonum, & omninò innocentem, illud perpetraſſe homicidium, quis eum abſolveret? Ergo ita debet ſe defendere,ut nulli innocenti falſum teſtimonium imponat. Ergo,ſi ſint pauci vel multi teſtes, qui verum ſunt teſtificati, & tamen ipſe verbo, vel facto illos eſſe improbos & mentiri aſſerit, illis injuriam infert, injuſtè honorem detrahit, & ad reſtitutionem tenetur.

An reus, qui reverà commiſit crimen, ſe defendere poſſit cum teſtis innocentis injuria?

An ubi datur unus teſtis,reus teneatur veritatem fateri?

Objicis primò, ex mea doctrina ſequi, reum poſt informationem ſemiplenam, quando eſt unicus teſtis de viſu debere fateri veritatem,etſi debeat perire,& ſimul vitam honorem & divitias perdere: quod eſſet nimis durum. Reſpondeo, in caſu debere veritatem fateri: nec hæc doctrina eſt dura; nam eſt omnium Theologorum & Iuriſperitorum; cui enim non fuit dutum

rum peccare, non debet eſſe durum puniri: nam culpam pœna ſequitur in omni bene gubernata Republica.

An ante informationem ſemiplenam dicere veritatem teneatur?

Objicies ſecūdò, ex hac doctrina adhuc ſequi reum ante informationem ſemiplenam, quando nullus eſt teſtis, debere veritatem fateri: quod eſt contra omnium Doctorum ſententiam. Et quia ſequelam nego, tu illam probaturus ſic inſis. [Ideò poſt ſemiplenam informationem non poteſt crimen commiſſum negare; quia negando aſſerit, teſtem eſſe mendacem & improbum, adeoque teſti falſum teſtimonium imponit. Sed quando ante ſemiplenam informationem crimen commiſſum negat, ſimiliter accuſatori falſum crimen imponit, quoniam negando crimē illum eſſe improbum & mendacem affirmat. Ergo, ſi poſt informationem ſemiplenam tenetur veritatem fateri, ne teſti innoxio ſit injurius, etiam tenebitur veritatem ante informationem ſemiplenam exponere, ne ſit accuſatori innoxio injurius.] Et ego nego paritatem: quia reus negando nullam injuriam aut contumeliam infert accuſatori. Primò, quia, ſi accuſator omiſit correctionem fraternam debitam, violavit præceptum Domini noſtri Ieſu-Chriſti, & eſt improbus. Conſultò dixi *debitam*, quia ſunt caſus, in quibus aut eſſet inutilis aut periculoſa, & de illis non intelligitur præceptum Chriſti. Secundò, quia quando correctio fraterna præceſſit, aut ſaltem interponi non debuit, non peccat contra accuſatorem reus, ſi crimen negat. Non dicit accuſator *Ego vidi*.

De correctione fraterna. Verū ſemper debeat ante accuſationem præmitti?

An teſtis auriti veracitas cum innocentia rei componi poſſit?

Sed, neque peccat contra auritos teſtes reus, ſi crimen commiſſum diffitetur: non enim negare crimen, eſt dicere teſtem illum eſſe improbum & mendacem: nam reus eſſe poteſt innocens, & teſtis verax: quoniam, ſi ille, à quo teſtis audivit ſit mentitus, ſtat ut componatur teſtis auriti veracitas cum innocentia rei.

Poteſt reus ſe defendendo in exceſſu peccare.

Poteſt tamen & ſolet peccare reus, ſi nimis ſe animosè defendat: puta, ſi non ſolùm crimen neget, quod pro tunc ad propriam defenſionem ſufficit; ſed & injurias evomat, & accuſatorem & auritos teſtes contumeliis oppluat, illos iniquitatis arguendo. Qui exceſſus à Iudice prudente impediuntur, & in tribunali non tolerantur.

De Caſu duodecimo.

Concluſionum Concluſio.

NOn eſt diverſus à præcedentibus, ſed eſt Conſequentia quædam generalis, quaſi per Inductionem à Caſibus præcedentibus deducta. Quam ob rem ſicut illam ex illis collegit, ſic & nos oppoſitam ex eorumdem impugnatione colligemus, dicemuſque. Nemo poteſt ſine mendacio dicere, & ſine perjurio jurare aſſertionem ſimpliciter falſam, addendo aliquid mente, ex quo illa ſit vera: etiam, ſi detur ſumma cauſa, quia, qui ſic loquitur, non obſtante mentali reſtrictione mentitur; &, ſi adjungat juramentum, pejerat. Nec mendacium cohoneſtare poterit neceſſitas, aut utilitas, nec interrogationis injuſtitia; nam, etſi mori debeas; etſi perdere magnas divitias; etſi privatim aut publicè contra legum diſpoſitionem reſpondere conaris, tacere poteris, dicere te nolle reſpondere poteris, at mentiri non poteris: ſed, ſi reſpondere volueris, conſiderare debebis, quid importet interrogatio per conſignificantes circumſtantias reſtricta, ut illi reſponſionem attemperes: nam plerumque illæ tam arctè interrogationem contrahunt, (ut ſuperiùs non ſemel aut iterum vidimus) ut mentalis Reſtrictio, etſi eſſet poſſibilis (non enim ſolùm eſſe licitam, ſed eſſe poſſibilem nego) nihil reperiret, quod poſſet contrahere.

Iudicum interrogatio ita ſemper per conſignificantes circumſtantias reſtringitur, ut nihil relinquatur reſtrictioni mentali, quod etiam ſi poſſibilis eſſet, poſſet reſtringere & determinare.

VIGLEVANI,

Typis Epiſcopalibus apud Camillum Conradum Anno 1679.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

G 84.

Digitized by Google